CONCILIORUM ANTIQUORUM GALLIAE A IAC. SIRMONDO S.I. EDITORUM...

Pierre : de La Lande




9
6 M F
16



CONCILIORVM
ANTIQVORVM
GALLIÆ
A IAC. SIRMONDO S. I. EDITORVM
SVPPLEMENTA
NVNC PRODEVNT.

Operâ & studio PETRI DELALANDE *Ricomagensis in Arverna Lemane, Thesaurarii Ecclesiæ Regalis sancti Frambaldi Silvanectensis.*



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud Societatem Typographicam Librorum Officii Ecclesiastici, jussu Regis constitutam.

M. DC. LXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS ET APPROBATIONE Cleri Gallicani.







NOMINA DOMINORVM D.

Ad Conventum Cleri Gallicani Generalem permissu Regis Legatorum Parisios anno 1665. quibus hæc Conciliorum Antiquorum Galliæ Supplementa dedicantur.

Ex Provincia Turonensi.

Dominus Archiepiscopus Turonensis, Victor Bouthillier.
Dominus Episcopus Macloviensis, Franciscus de Villemontée.
Domnus Abbas de Garande.
Domnus Abbas de Montigny.
Domnus Abbas de Guemadeuc, Agens Generalis.

Ex Provincia Arelatensi.

Dominus Archiepiscopus Arelatensis, Franciscus Adheimar de Monteil de Grignan.
Dominus Episcopus Tolonensis, Ludovicus de Forbin d'Oppede.
Domnus Abbas de Grignan.
Domnus Abbas de Valbelle.

Ex Provincia Senonensi.

Dominus Archiepiscopus Senonensis, Ludovicus Henricus de Gondrin.
Dominus Episcopus Trecensis, Franciscus Malier.
Domnus Abbas de Boisjamin.
Domnus de Barrés, Abbas sancti Nicolai.

Ex Provincia Burdegalensi.

Dominus Archiepiscopus Burdegalensis, Henricus de Bethune.
Dominus Episcopus Lucionensis, Nicolaus Colbert.
Domnus Abbas de Nesmond.
Domnus Abbas de Bar.

Ex Provincia Viennensi.

Dominus Archiepiscopus Viennensis, Henricus de Villars.
Dominus Episcopus Valentiæ, Daniel de Cosnac.
Domnus Abbas de Suze.
Domnus Abbas de Bochart.

Ex Provincia Auxitana.

Dominus Archiepiscopus Ausciorum, Henricus de la Mothe-Houdencourt.
Dominus Episcopus Tarbensis, Claudius Malier du Houssay.
Domnus Abbas de Drubec.
Domnus Abbas d'Agnan.

Ex Provincia Tolosana.

Dominus Archiepiscopus Tolosanus, Carolus d'Anglure de Bourlemont.
Dominus Episcopus Mirapicensis, Ludovicus Hercules de Levi de Vantadour.
Domnus Abbas de Faget, Antiquus Agens Generalis.
Domnus Abbas de Biscaras.
Domnus Abbas du Tilh.

Ex Provincia Parisiensi.

Dominus Archiepiscopus Parisiensis, Harduinus de Perefixe.
Dominus Episcopus Carnutensis, Ferdinandus de Neufville.
Dominus Episcopus Meldensis, Dominicus de Ligny.
Domnus Abbas de Ligny.
Domnus Abbas Colbert.

Ex Provincia Narbonensi.

Dominus Episcopus Vcetiensis, Iacobus Adheimar de Monteil de Grignan.

Dominus Episcopus Lodovensis, Rogerius de Harlay.

Domnus Abbas de Chambonas.

Domnus Abbas de Roux.

Ex Provincia Bituricensi.

Dominus Episcopus Mimatensis, Hyacinthus Seroni.

Dominus Episcopus Castrensis, Michaël Tubeuf.

Domnus Abbas de Tressan.

Domnus Abbas de la Fayette.

Ex Provincia Remensi.

Dominus Episcopus Ambianensis, Franciscus Faure.

Dominus Episcopus Silvanectensis, Dionysius Sanguin.

Dominus Episcopus Suessionensis, Carolus Bourlon.

Dominus Episcopus Virdunensis designatus, Armandus de Monchy d'Hoquincourt.

Domnus Abbas de Fontaines.

Ex Provincia Rotomagensi.

Dominus Episcopus Saïensis, Franciscus Rouxel de Medavy.

Dominus Episcopus Constantiensis, Eustachius de Lesseville.

Domnus Abbas Colbert de S. Poüenges, Antiquus Agens Generalis.

Domnus Abbas Longuet.

Domnus Abbas de Piancourt.

Ex Provincia Lugdunensi.

Dominus Episcopus Lingonensis, Ludovicus de la Riviere.

Dominus Episcopus Matisconensis, Guillelmus Leboux.

Domnus de Charmazel, Comes Lugdunensis.

Domnus Abbas Fiot.

Ex Provincia Aquensi.

Dominus Episcopus Forojuliensis, Zongus Ondedei.

Domnus de Marin, Abbas sancti Michaëlis.

Domnus Abbas de Valavoire.

Domnus Abbas de Lyonne de Lesseins, Agens Generalis.

Ex Provincia Ebredunensi.

Dominus Episcopus Glannatensis, Ioannes Dominicus Ithier.

Dominus Episcopus Diniensis, Tussanus de Forbin de Ianson.

Domnus Abbas Gaillard.

Domnus Abbas de Thomassin.

PRÆSIDES.

Dominus Archiepiscopus Senonensis.

Dominus Archiepiscopus Burdegalensis.

Dominus Archiepiscopus Viennensis.

Dominus Episcopus Carnutensis.

Dominus Episcopus Vcetiensis.

Dominus Episcopus Mimatensis.

PROMOTORES.

Domnus Abbas Colbert de S. Poüenges.

Domnus Abbas de Montigny.

SECRETARII.

Domnus Abbas de Faget.

Domnus Abbas Longuet.

Reveren-



REVERENDISSIMIS PATRIBVS ATQVE DOMINIS CLERI GALLICANI LEGATIS

Ad Conventum Decennalem anni 1665 Parisius.



ELICITER *evenit meditanti alteram Antiquorum Galliæ Conciliorum editionem, quòd prioris tomus tertius sub nullius nomine prodierit, licèt duobus aliis à* R. P. *Iacobo Sirmondo felicis memoriæ, sua præfixa fuerit Epistola; unde videretur is,* PRINCIPES ECCLESIÆ GALLICANÆ, *Coronis vestris meritò consecrandus. Enimverò cùm illius editionis auctor tempus ad hoc non fuerit nactus opportunum, contigit vestri Concilii atque Conventus Decennalis occasione, ut, quod vobis non posuit Proavunculus, hanc saltem Conciliorum Antiquorum Galliæ Supplementorum editionem, datâ sibi jam opportunitate feliciori, multis de causis ac titulis vobis Pronepos adscribat. Hæc enim Antiqua Concilia jure successionis vestra sunt, ac vestri quo-*

Concil. Arelat. 2. cap. 18. Hincmarus Remensis Epist. 44. cap. 18.

ã iij

que illorum Canones, quibus attenditis vobis, & universo gregi, in quo nunc vos, & anteà Decessores vestros Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, continentes id omne, quod visum est Spiritui sancto & ipsis. Hi sunt Canones Gallicani, quos Antiqui religiosè venerati sunt, quoniam venerandi, & sancti Viri eos ediderunt, quorum vitam & sanctitatem crebra miracula commendarunt; ex quibus tandem jura seu libertates Ecclesiæ Gallicanæ emanarunt. Quos igitur isti Canones congruentiùs adeant, quàm Arbitros Sacrorum, Legumque sanctarum Auctores? Quóve digniùs Concilia hæc adducantur, quàm ad Conventum seu Concilium ex omnibus Cleri Gallicani partibus in urbe Regia collectum? Erunt, quibus ista Concilii vox, quam sessionibus vestris adhibemus, parùm æqua videatur; sed hos antiquitatis inscios arbitrabitur, quisquis recognoscet quendam Plenarii, Veterisque Concilii Typum in vestris Conventibus luculenter expressum: quippe in eis libertas Ecclesiarum, si quando violata est, redditur: pax Ecclesiarum, si quando interrupta, renovatur: dignitas, si qua excidit, restituitur: disciplinæ si quid intermissum est, redintegratur: & quicquid salutariter à vobis constitutum est, ope & gratiâ Regis interpositâ faciliùs observatur. Videmus insuper ab eisdem Conventibus, egenis, viduis, neophytis, cæterisque, quorum nomina justam habent causam, aut petitionem (ut loquitur antiquus Canon) subveniri. Vnum est, in quo ab antiquis videntur differre vestri Conventus, quòd Antecessores vestri, Concilia sua bis

Act. 20. 28. — Ibid. 15. 28. — Agobard. Archiep. Lugdun. — 8. Concil. Sardicen.

quotannis; posteà semel, ac demùm quoque trienniò celebrarent; sed sicut apud illos constans disciplina non fuit in re cæteroquin valde necessaria, nec sine divina inspiratione à Patribus instituta, pro qua interdum rumpenda sunt necessitatum vincula, ut ait Vnus ex illis in convocanda Synodo Eponensi; Annon etiam vobis ipsorum successoribus, plurimis de causis liceat post singula quinquennia, vel decennia convenire? cùm præsertim spatia hæc sint mandato generalis Constantiensis. *Concilii præscripta. Accedit,* ILLVSTRISSIMI PONTIFICES, *quòd cùm in Civitate Regia & in Comitatu plurimi morantur Episcopi, ut exortas in Ecclesia contentiones dirimant, respondeant ad quæstiones, quæ ad ipsos referuntur, ac denique laborantibus, aut vi aliqua oppressis, judiciorum suorum æquitate opitulentur, tùm is Conventus, ex Calchedonensi Concilio,* Act. 4. Synodus *appelletur. Neque verò, cùm abest unusquisque vestrûm à Provincia, & Diæcesi sua, propterea moram istam Ecclesiis vestris noxiam criminari quis potest, quarum videlicet status à singulis vestrûm ita compositus est, ut postquàm discessistis, eas non deseruisse; dum abestis, illic adesse continuò videamini. Quò fit, ut hæc mora non pro otio, ut nonnullis severioris supercilii hominibus videtur, sed pro negotio, & quidem arduo atque operoso haberi debeat.* Epistola Constantini ad Ælianum Africæ Proconsul. *Gaudeat etiam hæc editio auspiciis vestris,* ANSTITITES IN ORDINE SECVNDO, *nam & vobis conceditur in Conciliis locus, & facultas; Vobis, inquam,* SECVNDI SACERDOTES, *quos Episcoporum Concilio non minùs scientia, quàm reverentia jure facit interesse, ut præfatur Epi-*

Apollinaris Sidonius.

Epistola Valentiniani III. ad Virum P.P.

ſcopis Avitus Viennenſis Archiepiſcopus de hac legatione veſtra; ita ut ornata utriſque inſignibus hæc Antiquorum Galliæ Conciliorum Supplementa cedant in Cleri totius utilitatem, conferant ad honorem Eccleſiæ, atque in ſempiternum venerationis erga vos meæ pignus conſecrentur.

Epiſt. 80.

DIGNITATI VESTRÆ

Addictiſſimus
PETRVS DELALANDE,
Preſbyter Diœceſis Claromontanæ.

APPROBATIO CLERI GALLICANI.

Extrait du procés verbal de l'Assemblée generale du Clergé de France, tenüe à Paris és années 1655. & 1656.

Année 1656. du 9. d'Aoust de relevée.

Monseigneur l'Archevesque de Narbone President.

MONSEIGNEVR *l'Evesque de Monpellier a dit, que le Sr Delalande Tresorier de l'Eglise de saint Frambourg de Senlis, neveu du feu Pere Sirmond, avoit fait un Volume, contenant le Supplement des anciens Concils de France, lequel estoit en estat d'estre imprimé; & que desirant dedier son Ouvrage à l'Assemblée, il la supplioit de l'agréer, & de luy donner des Commissaires pour le voir & l'examiner. Surquoy la Compagnie a nommé Messeigneurs de Thoulouse & de Montpellier, & Messieurs les Abbez de Cezi & de Bertier.*

Du Lundy 20. Novembre, à huit heures du matin.

Monseigneur l'Archevesque de Narbone President.

MONSEIGNEVR *l'Archevesque de Thoulouse a dit, que luy, Monseigneur de Montpellier, & Messieurs les Abbez de Bertier & de Cezi, avoient esté nommez pour examiner un Livre manuscrit, fait par Mr Delalande Tresorier de saint Frambourg de Senlis, contenant le Supplement des anciens Conciles de France en un Volume; qu'ils l'avoient vû fort exactement, & l'avoient trouvé tres-bon, & de grande utilité pour l'Eglise: qu'ainsi ils voyoient, qu'il devoit estre imprimé, & que l'Autheur estoit digne de la reconnoissance de l'Assemblée, en luy faisant un present, pour aider à supporter les frais de l'Impression. Ce que l'Assemblée ayant consideré, elle a resolu par deliberation des Provinces de donner audit Sr Delalande la somme de mil livres.*

Monsieur l'Abbé de Cezi, est à present Monseigneur l'Evesque de Lodeve.
Monsieur l'Abbé de Bertier, est à present Monseigneur l'Evesque de Rieux.



EPISTOLA
AD LECTOREM.

PAUCIS admonendus es, Lector, de his Antiquorum Galliæ Conciliorum Supplementis, me imitatum in omnibus fuisse Iacobum Sirmondum Societatis Iesu Presbyterum scriptis notissimum, nec immeritò; cùm omnia, quæ hoc in opere mea sunt, illius ferè sint; & quæ per multos annos ab ipso tradita, & communicata mecum voce ac scripto fuerunt; méque ea, quæ casu, aut aliter ab ipso derelicta vel prętermissa sunt in Conciliis; & quæ post primam Conciliorum editionem, ipsemet in lucem edidit, contulisse in suum quæque locum, ac simul inedita quædam patefecisse. Quibus indicia in margine affigi, atque horum plurima notis illustrari oportuit, ut inde, Lector, & nova distinguendi, unáque meditandi locus tibi quidam suppeditetur. Prætereà scire te volo, quòd Conventus & Synodos etiam minores à quocumque scriptore commemoratas sub duplici Regum nostrorum stirpe, ac familia non omiserim, ut literati omnes antiquitatis studio incensi, Synodos integras perquirant, latentes in bibliothecis scrutentur, & quæcumque de his comperta fuerint, publici juris faciant; cui sanè credo neminem tam utili, ac pio labori pro Ecclesiâ 1. Cor. 4. 5. defuturum, *& tunc*, juxta Apostolum, *laus erit unicuique à Deo.* Vale.

ANTIQVI

ANTIQVI AVCTORES,
qui citantur in his Conciliorum Supplementis.

A

ADEMARVS Engolismensis.
Ado Viennensis.
Agatho Papa.
Agobardus Lugdunensis.
Aimoinus.
Alcuinus.
S. Ambrosius.
Ammianus Marcellinus.
Annales
Bertiniani,
Fuldenses,
Metenses.
Anselmus Cantuariensis.
Antiquæ Glossæ.
Antiquæ Leges.
Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis.
S. Athanasius.
S. Augustinus.
Auctores vitarum
Caroli Magni,
Ludovici Pii,
Pontificum Romanorum,
S. Basilii,
S. Cypriani,
S. Genovefæ,
S. Melanii.
Audradus.
Avitus Viennensis.
Ausonius.

B

Basilius.
Beda.
Bertharius Presbyter Virdunensis.
Burchardus.

C

Cæsarius Arelatensis.
Capitula Episcoporum,
Herivei Remensis,
Riculfi Suessionensis,
Valterii Aurelianensis.
Capitularia Regum,
Caroli Magni,
Ludovici Pii,
Caroli Calvi.
Cartularia Ecclesiarum,
Nivernensis,
Tolosanæ:
Monasteriorum,
Cariloeensis,
Carrofensis,
Corbeïensis,
S. Dionysii,
S. Germani Autisiodorensis,
S. Martini Turonensis,
S. Stephani Divionensis,
S. Vedasti Atrebatensis,
Cassianus.
Cassiodorus.
Chronica
S. Arnulfi Metensis,
Besuense,
Divionense,
Flaviniacense,
Fontanellense,
Marii Aventicensis,
Malleacense,
Memmianum,
Moissiacense,
S. Petri Senonensis,
Radulfi Nigri,
Sandionysianum,
Vindocinense.
Codices,
Autisiodorensis,
Bellovacensis,
Bigotianus,
Bruxellensis,
Camuzatii,
Claromontanus,
Corbeïensis,
Fiscanensis,
Flaviniacensis,
Fossatensis,
Floriacensis,
Fuxensis,
S. Germani Autissiodorensis,
S. Germani Pratensis,
Herivallensis,
Iurensis,
Iustiniani,
Laudunensis,
Leodiensis,
Lirinensis,
Lugdunensis,
Mazarinus,
S. Michaëlis in Mari,
Palatinus,
Petavianus, qui est hodie Suedicus,
Pithoeus,
Puteanus,
Regius,
Remensis,
S. Remigii Remensis,
Rivipullensis,
Saussayus,
Senonensis,
Servini,
Sirmondi,
Suessionensis,
S. Symphoriani Metensis,
Theodosianus,
Thuanus,
Tillianus,
Trevirensis,
Trudonensis,
Vaticanus,
Victorinus Parisiensis,
Vrgelitanus.
Collectio Canonum & Conciliorum,
Andegavensis,
Divionensis,
Hispanica.
Commodianus,
Concilia,
Africanum,
Aquileiense,
Bracarense,
Calchedonense,
Constantiense,
Constantinopolitana, I. III.

Eliberitanum,
Emeritense,
Laodicense,
Sardicense,
Ticinense,
Toletana I. XII.
Constantius Presbyter Lugdunensis.
S. Cyprianus Carthaginensis.
Cyprianus Diaconus Arelatensis.
Cyrillus Alexandrinus.

D

Dionysius Atheniensis,
Diplomata Regum.
Dudo Sanquintianus.

E

Editiones,
Baluziana,
Busæana,
Catellana,
Canisiana,
Chiffletiana,
Cordesiana,
Conringiana,
Dacheriana,
Gretseriana,
Puteana,
Quercetana,
Sirmondiana,
Suriana.
Egbertus Eboracensis Archiepiscopus.
Eginhardus.
Ennodius.
Epiphanius.
Eucherius Lugdunensis.
Eusebius Cæsariensis.

F

Facundus Ermianensis.
Faustus Reiensis.
Flodoardus.
Fortunatus Pictavensis.
Fredegarius.
S. Fulgentius Episcopus.

G

Gaudentius Brixianus.
Gennadius.
Gerbertus Remensis Archiepiscopus.
Germanus Constantinopolitanus.
Gratianus.
Gregorius Turonensis.
S. Gregorius Papa.
Gregorius Nyssenus.

H

S. Hieronymus.
Hilarius Pictavensis.
Hincmarus Remensis.
Hincmarus Laudunensis.
Hugo Flaviniacensis.

I

Idatius.
S. Ioannes Chrysostomus.
S. Irenæus.
Isidorus.
Ivo Carnotensis.

K

Krodegandus Metensis Episcopus.

L

Lactantius.
Leontius Episcopus in Cypro.
Libellus precum Marcellini & Faustini.
Luitprandus.
Lupus Abbas Ferrariensis.

M

Marcellinus Comes.
Marculfus.

N

Nithardus.

O

Odo Abbas Cluniacensis.
Optatus Milevitanus.
Origenes.

P

Paulinus Nolanus.
Photius.
Poëta Saxonicus.
Pomerius Arelatensis.
Prædestinatus Auctor.

R

Rabanus Maurus.
Regino Abbas Prumiensis.
Reginonis Continuator.
Rufinus Aquileiensis.
Ruricius Lemovicensis Episcopus.

S

Schedæ Ecclesiarum,
Æduensis,
Carnotensis,
Lugdunensis,
Matisconensis,
Narbonensis:
Monasteriorum,
Agaunensis,
Mosomensis,
Rorhonensis.
Scriptores rerum,
Britannicarum,
Burgundicarum,
Cabillonensium,
Francicarum,
Hispanicarum.
Sedatus.
Sedulius.
Severianus Gabalensis.
Sidonius Arvernorum Episcopus.
Sigebertus Gemblacensis.
Socrates.
Sozomenus.
Stephanus Bostrensis.
Stephanus Tornacensis Episcopus.
Sulpicius Severus.
Sugerius Abbas.
Synodici Auctor.

T

Teredius Presbyter Arelatensis.
Tertullianus.
Theganus Treverensis Chorepiscopus.
Theodoretus.
Theodulfus Aurelianensis Episcopus.

V

Vincentius Bellovacensis.

Z

Zacharias Papa.
Zmaragdus Abbas S. Michaëlis in diœcesi Virdunensi.

NOTITIA

NOTITIA PROVINCIARVM
& Civitatum Galliæ.

Ex Codd. Biblioth. Thuana.

PRIMA *Galliarum divisio in decem & septem Provincias sub Gratiano facta est.*

Lugdunensis prima, in qua est Lugdunum.
Lugdunensis secunda, in qua est Rotomacum.
Lugdunensis tertia, in qua est Toronis.
Lugdunensis quarta, in qua est Senonas.
Belgica prima, in qua est Treveris.
Belgica secunda, in qua est Remus.
Germania prima, in qua est Mogontiaco.
Germania secunda, in qua est civitas Agrippinensium.
Maxima Sequanorum, in qua est Vesontium.
Alpes Graïarum & Penninarum, in qua est Centronium, id est Tarentasia & Valensium Octodorum.
Provincia Viennensis, in qua est Vienna.
Narbonensis prima, in qua est Narbona.
Narbonensis secunda, in qua est Aquis.
Aquitania prima, in qua est Beturicas.
Aquitania secunda, in qua est Burdegala.
Novempopulana, in qua est Elosa.
Alpes Maritimæ, in qua est Ebridunum.

Deinde altera Galliarum divisio in quinque Provincias ex illis XVII. facta est, cuius divisionis meminit Concilium Valentinum I. ad annum Christi 374. in epistola synodica, dilectissimis fratribus per Gallias & quinque Provincias constitutis Episcopis conscripta. Hanc divisionem quoque confirmat Clemens Maximus Imperator ad annum 386. in epistola ad Siricium Papam de convocanda Synodo Episcoporum, qui intra Gallias, vel qui intra quinque Provincias commorantur.

Hæ quinque Provinciæ Galliarum sunt.

Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Viennensis provincia.
Alpes Maritimæ.
Alpes Graïæ & Pœninæ.

Tertia Galliarum divisio in septem provincias ex illis XVII. Honorii Imperatoris ævo facta est; cuius divisionis mentio fit in epistola Zosimi Papæ anno Christi 417. scripta universis Episcopis per Gallias & septem Provincias constitutis. Et adhuc eius successor Bonifacius eodem stylo rescribit iisdem Gallicanis Episcopis, ut in Synodo celebranda anno 419. causa Maximi Valentinæ civitatis Episcopi discutiatur. Ioannes quoque VIII. Papa scribens anno 878. & loquens de Frotario dudum Burdegalensi, deinde Bituricensi Archiepiscopo, utitur hac divisione per septem Galliarum provincias propter ambas civitates duplicis Aquitaniæ Metropoles; quæ duæ sunt è numero prædictarum septem provinciarum.


Hæ septem provinciæ Galliarum sunt.

Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Viennensis provincia.
Alpes Maritimæ.
Aquitania prima
Aquitania secunda.
Novempopulana.

Tandem ex occasione notandum est quod statuit Canon I. Concilii Vasensis II. ad annum 442. congregati, scilicet Episcopos de Gallicanis provinciis venientes intra Gallias non discutiendos; in quo difficultas est, de quibus Gallicanis provinciis post prædictas Galliarum divisiones intelligendus sit. Vnde conjectura est Patres Vasenses, Gallicanas provincias tam ex illarum quinque, quàm ex istàrum septem numero penitus intellexisse conflatas. Porro hanc Provinciarum duntaxat notitiam, meritò in his Conciliorum Supplementis reponimus; tum quòd ibi fiat illarum mentio, tum quòd hactenus in gratiam Lectoris edita hoc divisionis modo non fuerit; notitia verò Civitatum, sive nomina illarum repetenda sunt ex editione Conciliorum Antiquorum Galliæ Sirmondi.

Index eorum, quæ in hoc volumine continentur.

Fragmenta



CONCILIORVM



CONCILIORVM ANTIQVORVM GALLIÆ SVPPLEMENTA.

ANNO CHRISTI 177. | MARCI AVRELII Imp. 17.

CONCILIVM GALLICANVM

EX DVABVS GALLIARVM PROVINCIIS CONGREGATVM à fratribus ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis.

Horum habetur epistola synodalis de primis Galliarum Martyribus ad ecclesias Asiæ & Phrygiæ, cui quoque mentio illorum decreti de controversia quorumdam regionis illius hominum inseritur. Quæ supradicta post persecutionem ab Aurelio Imperatore motam in Gallia contigerunt, ut legere est apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 1. ad annum imperii 17. Marci Antonini Aurelii, cujus synodalis epistolæ initium sic habet.



ERVI Christi habitantes apud Viennam & Lugdunum Galliæ urbes, fratribus per Asiam & Phrygiam constitutis, qui eandem nobiscum redemptionis fidem & spem habent, pax, gratia & gloria à Deo Patre & Christo Iesu Domino nostro. Et cætera, quæ spectant ad res gestas eorumdem Martyrum. Deinde cap. 3. idem Eusebius loquitur de quibusdam Phrygiæ hæreticis. *Cùm Montanus*, ait, *& Alcibiades ac Theodotus tunc primùm in Phrygia opinione hominum tanquam Prophetæ celebrari cœpissent, multa quippe divina gratiæ miracula in pluribus ecclesiis etiamtum fieri solita, fidem plurimis faciebant, eos quoque prophetare. Cúmque de illis hominibus controversia esset; rursus fratres qui in Gallia erant, proprium judicium seu decretum, idque pium ac orthodoxum de iisdem epistola prædictæ subjunxerunt.* Quod quidem decretum non extat. Insuper hæc omnia comprehenduntur ab Auctore libri synodici breviter his verbis. *Synodus divina & sacra, provincialis in Gallia, congregata à Confessoribus, quæ Montanum & Maximillam abdicavit, cujus decretum ad eos qui in Asia erant, fideles, dimanavit.* Porro de illis etiam Confessoribus, qui tandem facti sunt Martyres, sic scribit Sulpitius Severus sub Aurelio Antonini filio: *Persecutio quinta agitata est, ac tum primùm intra Gallias martyria visa.*

ANNO CHRISTI 198. | SEPTIMII SEVERI Imp. 4.

CONCILIVM LVGDVNENSE

AB IRENÆO LVGDVNENSI EPISCOPO, VICTORIS PAPÆ temporibus celebratum.

In quo, non solùm quæstio de paschate, qua die celebrando, sed etiam de ratione jejunandi ante illud, instituta est.

Synodus hæc, sicut & quæ antecedit, & quæ subsequitur, appellari antiquissima ecclesiæ Gallicanæ monimenta debent. Illius meminit adhuc Eusebius Cæsariensis lib. 5. hist. cap. 22. qui inter concilia de controversia paschatis ea ætate congregata, illud quoque recenset ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat Episcopus, quodque fusiùs exprimit ejusdem libri synodici Auctor notus antea eruditissimo Tarraconensi Archiepiscopo Antonio Augustino, qui è codice Florentino primus illum interpretatus est, dum docet [hanc ipsam synodum divinam & sacram atque provincialem fuisse collectam Lugduni Galliæ ab Irenæo sanctissimo ibidem Episcopo, aliisque tredecim Episcopis, quæ specialiter de divino & mystico pascha constituit.] Denique ut discamus quid adhuc in ea gestum sit, idem Eusebius capiti 24. ejusdem libri magnam synodalis epistolæ partem attexit, quam scilicet Irenæus ex persona fratrum quibus præerat in Gallia, non ad Victorem solùm, qui tum Romanæ ecclesiæ præsidebat, sed etiam ad alios plerosque & diversos ecclesiarum præsides, ista quæ tunc jactabatur controversia, conscripsit his ferè verbis.

Anno Christi 198. — Septimii Severi Imp. 5.

Fragmentum epistolæ synodi Lugdunensis.

MYSTERIVM resurrectionis Domini solo die dominico celebrandum est. Non enim de die paschatis solùm controversia est, sed etiam de ipsa jejunii forma & ratione; quidam namque unico die sibi esse jejunandum existimant, alii duobus, quidam pluribus, nonnulli autem quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque ejusdem eorum qui hæc observabant jejunia, varietas ac discrepantia non jam nostra ætate nata est, sed antè apud majores nostros cœpit. Qui negligentiùs, ut verisimile est, præsidentes ex simplicitate ac imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt, nihilominus tamen isti pacem inter se retinuerunt, & nos etiam invicem retinemus: sicque varia ac discrepans jejunii ratio concordiam fidei plurimùm commendat. Nam & illi Presbyteri, qui ante Soterem, ecclesiam, cui tu jam præes, regebant, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Thelesphorum, Sixtum, licèt neque ipsi hoc festum eo die, quo Episcopi Asiæ observarent, neque aliis post se ita observare permitterent, nihilominus tamen cum Episcopis illarum ecclesiarum in quibus observabatur, ad se venientibus (ac quid quæso magis repugnat, quàm ut hi hoc, illi illo modo observent) pacem inter se & concordiam perpetuò retinuerunt, ac nunquam propter istum varium illius festi observandi modum fuere ulli ab ecclesia ejecti; sed Presbyteri illi, qui te præcesserunt, quamvis illud minimè observarent, his tamen Episcopis qui in aliis ecclesiis idem sic observabant, eucharistiam transmiserunt. Et cùm beatus Polycarpus sub Aniceto Romam venisset, cúmque ille, & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax fuit inter eos conciliata, quin pro hoc festo observando, quod controversiæ caput videbatur, caritatis vincula neutiquam ruperunt. Neque tamen Anicetus Polycarpo potuit persuadere, ut suum observandi morem (quippe qui cum Ioanne discipulo Domini nostri, & cum reliquis Apostolis, quibuscum multùm versatus fuisset, eundem semper ita observasset) deponeret: neque contrà Polycarpus Aniceto persuasit, ut consuetudinem Asiaticam (quippe qui morem Presbyterorum qui illum præcesserant, sedulò retinendum assereret) ullo modo observaret. Quæ cùm ita se haberent, communicabant inter se mutuò. Et in ecclesia Anicetus, ritus, qui in eucharistia peragi solent, Polycarpo ob reverentiam videlicet quam erga illum habebat, obeundi potestatem concessit, atque tandem cum pace alter discessit ab altero, & omnes ecclesiæ tum eorum qui decimo quarto die festum paschatis observabant, tum eorum qui secùs, placida & tranquilla pace inter se fruebatur.

Porro idem Eusebius in chronico asserit hanc paschatis controversiam anno 198. motam fuisse, unde huic concilio eandem tribuimus epocham.

Anno Christi 199. — Septimii Severi Imp. 5.

CONCILIVM LVGDVNENSE.

Auctor idem synodici loquitur etiam de altero Lugdunensi concilio contra Valentinianos ab eodem Irenæo cum duodecim Episcopis habito, quem primò scripsisse certissimum est *adversùs contradictiones hæreticorum*, ut ait ipsemet Irenæus, *ac præsertim eorum qui sunt circa Ptolemæum, qui est velut flosculus Valentini scholæ, ut errantes retrahere ac convertere ad Ecclesiam Dei, Neophytorum quoque sensum confirmare valeret.* Deinde juxta morem ecclesiasticum verisimile est tandem illos damnasse, adhibitis secum quibusdam Galliarum Episcopis. In quo sanè vir natione Græcus, in Occidente sequutus est sui gentilis exemplum, Zachæi Cæsariensis Episcopi, *qui eodem tempore hæresem Ptolemeitarum ab hoc Ptolemæo Valentini discipulo per multa spatia Orientis dispersam damnavit;* ut nobis asserit Prędestinatus Auctor lib. 1. de hæresibus. Quo autem anno hæc fuerit synodus coacta, non constat, sed satius est post alteram de paschatis controversia mox reponi, scilicet anno 199. cùm inter Irenæum tum scribentem, tum damnantem, haud minus temporis spatium intercedere potuerit.

Anno Christi 355. — Constantii Imp. in Gallia 5.

CONCILIVM PICTAVENSE,

IN QVO HILARII PICTAVENSIS HORTATV AC STVDIO pacis, Gallicani Episcopi se à communione Saturnini, Valentis & Vrsatii majorum duntaxat Arrianorum abstinuere, ut cæteris minoribus locus esset resipiscendi, ex contrario institutioni suæ consilio Iulii Papæ, quo aliàs usus est erga eosdem Vrsatium & Valentem, ut asserit ipse Hilarius in fragmentis.

Hujus synodi nobis est auctor ipsemet Hilarius lib. contra Constantium, illamque scribit habitam fuisse post exilium Paulini Trevirorum Episcopi, id est post synodum Arelatensem, atque etiam non longè ante Biterrensem, unde necesse fuit inter utramque collocare. Porro idem Hilarius illam vocat *decretum editum à beatissimis Confessoribus Christi.* Quodque postea ipsemet obtulit dictæ synodo Biterrensi, ut testatur eodem libro. *Post sanctorum*, inquit, *virorum exilia Paulini, aliorumque, à Saturnini, & Vrsatii, & Valentis communione me cum Gallicanis Episcopis separavi, indulta cæteris consortibus eorum resipiscendi facultate, ut nec pacis abesset voluntas, & principalium morborum fœtida, & in corruptionem totius corporis membra proficienda resecarentur.* Quam tandem synodum propter eundem Hilarium Pictavorum Episcopum appellandam Pictavensem conjecimus, licèt ex contextu hujusce libri, quo loco, quove anno fuerit congregata, elici non possit.

ANNO CHRISTI 358.

* CONCILIVM VASENSE I.

CONSTANTII Imp. in Gallia 5.

In quo secunda fidei formula in synodo Sirmiensi conscripta per Osium Cordubensem & Potamium Vlysipponensem Episcopos, discussa est atque damnata. Cui reverà Vasensi concilio Episcopi ex quibuscunque Galliarum provinciis, sicut & ante duodecim annos synodo Agrippinensi, adfuerunt, inter quos Nectarius Viennensis, Phœbadius Aginnensis, Servatius Tungrensis, & Gavidius Petrocoriensis anootantur. Cujus Vasensis restat absque canonibus epistola, quæ vulgò inscribitur Phœbadii Aginnensis Episcopi liber adversùs Arrianos, scilicet Orientales & Occidentales, qui ab uno quidem Episcopo conscriptus, communi tamen judicio cæterorum, videlicet in eodem concilio, publicatus est, ut loquitur; quorum fides orthodoxa simul, atque dictæ Arrianorum formulæ discussio ac judicium continentur in eodem Phœbadii libro, instar illius epistolæ, quæ apud Sirmium in synodo (ut eruditè probat Sirmondus meus in sua diatriba mſ. quam penes me habeo adversùs viri docti animadversiones ad Epiphanium) à duobus Episcopis ejusdem nationis ac ejusdem fidei conscripta, & transmissa est ad Orientem & Occidentem, ut legitur apud eundem Phœbadium, qui scripsisse videtur eodem tempore, quo synodus Ancyrana ob eandem causam celebrata est in Oriente sub paschales hujus anni ferias, ut habetur in synodica apud eundem Epiphanium hæresi 73. Vnde colligitur communis epocha tum Ancyranæ synodi, tum hujus concilii Vasensis in Occidente: Cujus, & loci quoque meminit Ado in chronico, exponens insuper fidem Nectarii Viennensis ex eodem Phœbadii libro. [Florebat & tunc temporis, inquit, Nectarius Viennensis Episcopus in doctrina fidei eximius, qui in Vasensi illa synodo venerabili primus interfuit, & Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam esse naturam, & potestatem, & deitatem, & virtutem in ecclesia publicè prædicavit & docuit.] Meminerat primùm ac multò antè, concilii quidem Hilarius Pictaviensis, ac epistolæ, rectæque fidei horum Galliæ Episcoporum, & in concilio, & extrà, testatæ adversùs Arrianos, ut legitur in libro de synodis. [Beatæ, inquit, fidei vestræ imperturbatæ, inconcussæque literis sumptis, gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, & missam proximè vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modò non suscepisse, sed nunciatam etiam significatamque condemnasse, exempli auctoritate, quæ gesta sunt transmissa, vos, an catholica, an hæretica sint, fidei vestræ judicio comprobasse.] Porrò Phœbadius, qui & Fœgadius in concilio Valentino, & apud Sulpitium. Severum satis notus libro suo existit. Notus est quoque Servatius, sive Sarvatius, ex eodem Agrippinensi concilio, & altero Sardicensi apud Athanasium, ac etiam ex ejusdem Severi lib. 2. historiæ, sicut & Gavidius; in qua prior vocatur Servatio Tungrorum Episcopus. Gavidium verò Severus ipse, domo & natione Aquitanus, suum appellat Episcopum, tum quòd esset ejus patriæ, more suo distinguens Aquitanos à Gallis, tum quòd esset Episcopus prædii Elusonensis in finibus Petrocoriorum, unius ex duobus ejusdem Severi domiciliis, ut discimus ex Paulino Nolano. Hos verò tres Episcopos ex eodem Severo Ariminum convenisse anno sequente certum est, eosdémque verisimile est nulli synodo, in qua tunc agebatur de fide Christi adstruenda contra Arrianos, ante seu post Ariminensem habitæ in Gallia, defuisse, ut innuit idem Athanasius in epistola ad Africanos. Tandem Osius Cordubensis notissimus habetur ex Nicæno & Sardicensi conciliis. At Potamius, quis & qualis fuerit, hactenus ignorabatur, nunc ex libello pretum Marcellini & Faustini presbyterorum ad imperatores dignoscitur Odyssiponæ civitatis Episcopus in Lusitania, [qui præmio fundi fiscalis, inquiunt, quem habere concupiverat, fidem prævaricatus est; hunc Osius de Corduba apud ecclesias Hispaniarum & detexit & repulit ut impium hæreticum. Sed & ipse Osius Potamii querelà accersitus ad Constantium imperatorem, minisque perterritus, & metuens ne senex & dives exilium, proscriptionemque pateretur, dat manus impietati, & post tot annos prævaricatur in fidē.] Vnde mirum non est, quod hi ambo Hispani Latinè conscripserint eandem epistolam ejusdem blasphemiæ, missam præsertim in Gallias ad Episcoporū ὀρθοδοξίαν, hac, velut quodā ariete, æstimata propter Osii antiquissimi sacerdotis nomen temperandā, ut loquitur Phœbadius idem.

Epistola concilii Vasensis ad Episcopos apud Sirmium existentes, contra secundam fidei formulam in synodo Sirmiensi conscriptam: seu Liber fidei orthodoxæ Episcoporum Galliæ adversus Arrianos, per Phœbadium Aginnensem conscriptus.

A NISI illam zabolicæ subtilitatis fraudem viderem, quæ omnium ferè sensibus occupatis, & hæresim persuadet ut fidem rectam, & fidem rectam damnat ut hæresim, nullum omnino super his quæ nuper ad nos scripta venerunt, sermonem haberem, fratres charissimi. Sufficiebat enim conscientiæ puræ tenere quod credit: æstimanti fore rectiùs tueri propria, B quàm extranea & aliena discutere. Sed quia (ut diximus) aut hæresis suscipienda est, ut catholici dicamur; aut verè catholici non futuri, si hæresim non repudiamus, ad hanc tractatus conditionem necessitate descendimus, qua zabolicum virus sub modestia religiosæ venerationis occultum, in medium proferre nos convenit: ut & malum quod sub opinione verborum simplicum latet, deprehendatur, & mendacio detecto, veritas interclusa respiret. Destruenda sunt enim aliena, ut nostris credatur: nostris autem, nisi ea fuerint destructa, ut solis credi debeat, non antè credendum video. Igitur nisi hæresim zabolica fraude cæcatam proferre in conscientiam publicam possim, tamen dum de ipsa mihi sermo est, dans fidei meæ pignus, catholicum me probabo, probatum quidem (ut spero) Deo primum, dein conscientiæ C meæ: sed & his probandum, quos aut metus, aut sæculi ambitio non vicerit. Incipientes igitur ab ipso capite perfidiæ, non fidei, ac deinceps per totum corpus decurrentes, probabimus multa per fraudem communis professionis, quæ scilicet nec recipere possumus, nonnulla verò sine ulla pudoris similitudine esse congesta. Nam & unus Deus non sine fraude proponitur, nec duo simpliciter negantur: nomen verò substantiæ idcirco penitus ejuratur, ut scindatur à Patre Filius: denique nativitas ejus refertur ignota, quæ si, ut est ex Patre, ita credatur, ipsa sui confessione satis nota est. Major Pater Filio dicitur, non tamen eâ differentiâ, qua Filio Pater major est, sed omnibus divinæ gloriæ bonis major: quibus si minor est Filius, nec ipse esse in Patre dabitur, quia nihil in se- D metipsam recipiet æterna ejus beatitudo, nisi proprium, non autem proprium Dei, nisi plenum atque perfectum: nec rursum in eo Pater esse dignabitur, in quo totus esse non possit. Habere initium Pater negatur, hoc ideo ut Filius non ad auctorem, sed ad tempus habere credatur. Puto autem, cui initium sic adscribitur, fini obnoxius non negetur. Subjectus deinde Patri Filius dicitur, non tamen ut Filius Patri, sed ut servus domino, quum legamus servum hæredem esse non posse: denique cùm omni creatura subjectus Deo refertur. Invisibilis, immortalis Pater nunciatur, ut scilicet in contrariis eorum Filius jaceat. Si hæc igitur singula non humanâ præsumptione, sed aucto-

ANNO CHRISTI 358. ritate divina loqui refellimus, consequens erit A in ea parte catholicam fidem stare, quæ talem recipit Deum, qualis debet esse qui Deus est. Vnum, inquit, constat Deum esse. Videri quidem non possunt calumniantibus conjecturis argumentari, & sanctitatem fidei simplicis maligna interpretatione torquere. Sed respiciendum ad Vrsatium, & Valentem, & Potamium, quia sæpenumero iisdem verbis unicum Deum subdola fraude confessi sunt. Nihil simplex in hac fidei professione suscepi, quæ prima fronte ad decipiendos imperitos, credulos, incautos, hæretica subtilitate blanditur: pari modo quo veneni poculum mella commendant. *Vnum*, inquit, *constat Deum omnipotentem Patrem. Nemo* B *nostrûm abnegat, quia nemo ignorat.* Sed (ut probari ipsorum tractatibus potest) dicimus illos hoc loco non tam unum Deum professos, quàm unum Patrem omnipotentem. Namque & eadem constantia Filium nolunt & Deum, tamen Filium confitentur. Puto suscepisse alterum non negabunt, & idcirco integrum illis est in hac sua perfidia, non fide, unum Deum Patrem, quàm unum Deum dicant. Quanquam in omni professionis suæ corpore sic ipsum Dominum nostrum non negant, ut Deum destruant: hoc est, ut tantùm nomine Domini dicant, quo nomine etiam nos appellari soliti sumus. *Ego*, inquit, *dixi, vos dii estis.* Psalm. 81. Quo nomine & Moyses antè donatus est. *Faciam te*, inquit, *deum* C *Pharaoni.* Exod. 7. Ne quis ergo putet his verbis perfici catholicam professionem, nisi & unum Deum Patrem confitemur, & Deum Filium non negamus. Potest enim & Deus Pater sic unus Deus dici, ut sit unus Pater, non Deus unus. Potest & sic Filius Deus dici, ut Deus non sit. *Duos*, inquit, *deos nec posse, nec prædicari debere.* Scimus hoc, nec unquam ex ore nostro duos deos proferimus. Deus enim si non unus & verus est, Deus non est. Sed advertendum est qua istud definitione ponatur, cui perfidiæ paretur hoc totum, in quod piaculum communia nobiscum verba prorumpant. Statim enim cur duos deos D negaverint, ponunt. Quia ipse Deus ait, *Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum vestrum:* Iohan. 20. qua definitione malæ interpretationis in tantum à Patre Filius separatur, & infra omnipotentem Deum ponitur, ut nobis & nativitatis conditio, & humanitatis infirmitas societur. Denique subjungunt, *Deus omnium, unus est Deus:* quo dicto Dominus, non Deus absolutè denegatur. Deo etenim Patri non Filii nomine, sed creaturæ conditione subjicitur. Et credo, hoc loco auctoritas apostolica vindicabitur, ut Deus Christus dicatur potiùs quàm sit, quia dixerit: *Et donavit illi Deus nomen, quod super omne nomen est.* Philipp. 2. Sed & ipsius Domini negantis esse se Deum verum, quum dicit, *Hæc est vita æterna, ut cogno-* E *scant te solum & verum Deum.* Iohan. 17. Et, *Quid me*, inquit, *dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus.* Luc. 18. Adhuc audies, *Cur honorem ab uno & solo Deo non quæritis?* Et, *De die autem & hora nemo scit nisi Pater solus.* Matth. 24. O duces cæci! ô sæculi ambitione decepti! non distinguentes dominicæ potentiæ duplicem statum, in sua unumquemque proprietate distantem, & quicquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus hominis imbecillitate societur. Et idcirco duplicem hunc statum, non conjunctum, sed confusum vultis videri, ut etiam unius vestrûm, id

est epistola Potami, quæ ad Orientem & Occidentem transmissa est, qua adserit carne & spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis, passibilem Deum factum. CONSTANTII Imp. in Gallia 5. Hoc ideo ne quis illum ex eo crederet, quem impassibilem satis constat. Fecistis igitur de spiritu Dei & carne hominis nescio quid tertium: quia nec verè etiam Deus est, si verbum esse desivit (caro enim factus est:) neque verè homo: quia non propriè caro. fuit enim verbum. ac sic ex utroque jam neutrum est. Ille, inquam, ille qui contra hoc venenum utramque substantiam suam adfectus proprietate distinxit. Nam & spiritus in illo res suas regit, id est, virtutes, & opera, & signa: & caro passionibus suis functa est. Cibum desideravit quum temptaretur à zabulo, sitivit ad puteum Samariæ, quum Prophetæ vox sit: *Deus æternus neque sitiet, neque esuriet.* Esai. 49. Quid adhuc de hominis affectu? Flevit Lazarum & Hierusalem, postremò anxius fuit ad mortem. Sed quod expressit affectu, numquid non testatus est verbis? Ait enim Nicodemo, *Quod de carne natum est, caro est: & quod de spiritu, spiritus.* Matth. 26. Et, *Caro*, inquit, *infirma, spiritus promptus est.* Non ergo fit spiritus caro, nec caro spiritus, quod isti volunt egregii doctores, ut factus sit scilicet Dominus & Deus noster ex hac substantiarum permixtione passibilis. Ideo autem passibilem volunt dici, ne ex impassibili credatur. Sed quid necesse est altiora scrutari, & virus internum per argumenta prodentem communi exponere & publicare judicio, quum lucifuga serpens per anfractus evolvens seriem suam, tortuoséque procedens, qualis quantusque sit aliquando prodiderit, & venenum prius solummodo solitus aspergere, libertate victoris totum pariter effuderit? Ab Episcopis procedit edictum, *Nemo unam substantiam dicat:* hoc est, nemo in ecclesia prædicet Patris & Filii unam esse virtutem. Quid egistis, ô beatæ memoriæ viri, qui ex omnibus orbis partibus Nicæam congregati, & sacris voluminibus pertractatis, perfectam fidei catholicæ regulam circumspecto sermone fecistis, dantes bene credentibus communis fidei dexteras, errantibus verò formam credendi? En labor vester, en anxia sollicitudo quò recidit, qua orientis mali semina, quantùm in vobis tunc fuit, professione catholica necavistis. Vetatur in ecclesia prædicari quod solum sanxistis ob hæreses detegendas, debere in ecclesia prædicari. Tollitur quod probastis, & quod damnastis inducitur: quia mendacium adstrui nisi destructa veritate non poterat. Destructioni quidem illa non subjacet, & ut est, semper incorrupta durabit, sed manus sibi sacrilegas inferentes, tanquam violatam punivit. *Nemo unam substantiam dicat.* Quod piaculum, quod facinus in hoc verbo? qua ex parte catholicam fidem pulsat? utrumne sono vocabuli, an interpretatione rei ipsius? Nihil fallor, interpretatio caret culpa. Substantia enim dicitur id quod semper ex sese est, hoc est quod propria intra se virtute subsistit: quæ vis uni & soli Deo competit. Vsitatum verò & familiare divinis voluminibus hoc nomen, nec ipsos puto ignorare qui negant. David enim ex persona Christi, *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Psalm. 68. Et rursum, *Substantia mea in inferioribus terræ.* Psalm. 138. Et, *Substantia mea ante te est semper.* Psalm. 38. Et, *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Psalm. 108. Et, *Scrutetur fænerator* Prov. 3.

nerator *substantiam ejus*. Sed & Salomonis sententia, *Substantiam*, inquit, *tuam & dulcedinem tuam*. Et Hieremias, *Si stetissent in substantia mea*. Et in Proverbiis, *Substantia divitis, civitas munita*. Et in eodem, *Domum & substantiam dividunt patres filiis*. Sed & Tobias, *Si fuerit*, inquit, *tibi copiosa substantia*. Et idem, *Fili ex substantia tua fac elymosinam*. Sed & Iohannes, *Qui habuerit substantiam mundi*. Et in Evangelio, *Ecce*, inquit, *dimidium do ex substantia mea*. Ideo hæc in unum exempla congessimus, ne sermo ille caperet indoctos, quo testari sunt, idcirco substantiam non prædicandam, quia in divinis Scripturis nusquam invenitur. Ergo si neque ipsum vocabulum substantiæ sacris literis novum est, neque interpretatio ejus habet crimen, superest ut dispiciamus, qua ex causa repudietur hoc nomen. Dispicientes autem, invenimus illos non nomen, sed nominis repudiare virtutem. Quod si relucebit, erit apud nos* intuitus nominis status, erit & illorum sensus in vitio, qui dum novellas profanæ intelligentiæ vias quęrunt, à recto Evangeliorum limite recesserunt; priùs tamen quàm id adstruo quod spopondi, occurrendum est illis, quæ è contrario proponuntur. Aiunt enim inveniri quidem in divinis voluminibus nomen Substantiæ, sed non statim pertinens ad eandem speciem quæ inducatur à nobis. Ibi enim per substantiæ vocabulum aut virtutem aut divinitatem significari. Et nos ergo unam Patris & Filii substantiam vindicantes, quid aliud quàm in utroque pares divitias, unius scilicet divinitatis prædicamus? De quibus divitiis ait Apostolus, *Notas*, inquit, *fecit Deus divitias gloriæ suæ, quod est Christus*. Et unam utriusque dicimus esse virtutem, de qua idem Apostolus ait, *Christus virtus Dei est*. Quæ quidem virtus, quia nullius extraneæ opis indiget, dicta substantia est, ut suprà diximus, quicquid illud est, sibi debens. Nihil ergo in hoc vocabulo novum, nihil extraneum dicimus, nihil incongruens divinitati, etiamsi in quamvis partem significantiæ transferatur. Sed (ut cœperam dicere) omnis ista quæstio nominis, alterius est doloris: nec vocabulum, sed vis vocabuli displicet. Quibus enim accipere auribus possint unam Patris & Filii substantiam prædicari, hoc est, honorem, dignitatem, claritatem, virtutem, majestatem pari in utroque veritate communem, qui à Patre Filium separant, & divisis substantiis in sua unumquemque proprietate degentem, repudiata divinitatis communione proponunt? Hic ergo blasphemiæ, hic dictis sacrilegus dolor, quo in Patre & Filio recipitur Deus unus. Mortuis enim auctoribus hujus veneni, scelera tamen eorum & doctrina non mortua: illis, inquam, auctoribus in tantum à Patre separantibus Filium, ut ore sacrilego protulerint, Filium Dei ante sæcula quidem creatum & fundatum, sed vivere & esse à Patre suscepisse: & fuisse antequam nasceretur, & Deum quidem esse, sed non esse verum Deum. Successoribus igitur hujus perfidiæ, non fidei, per quos malorum serpit hęreditas, meritò una substantia displicet, quam tolli velut scandalum & unitatis divortium postulant, ignorantes illos tantùm catholicos esse dicendos, qui in hujus professionis communione concordant. Illud autem quis ferre æquanimiter possit: ut quem initium habere pro certo adserunt, hujus nativitatem habeant in incertum? Aut utrumque

Hierem. 15. Prov. 10. Tob. 4. 1. Iohan. 3. Luc. 19. Coloss. 1. 1. Cor. 1.

A in occulto habendum est, quia contemporale est: aut utrumque esse cognitum debet. Alterum enim neque nosci neque ignorari sine altero potest. Habet (inquit) initium Filius, sed est ejusdem occulta nativitas. Non est. Initium, qui prodidit de nativitate cur tacuit? Immo ipsa nativitas unde nota, quæ asseritur ignota? & hoc loco homines omni specie bona vacui præscribunt Prophetæ auctoritate dicentis, *Nativitatem ejus quis enarrabit?* non intelligentes jam tunc eos prophetali spiritu esse prævisos qui datuti erant initium Dei Verbo, hoc est Dei Filio. *Nativitatem*, inquit, *ejus quis enarrabit?* hoc est dicere, Nemo hominum poterit. Nemo enim

B potuit, præter ipsum qui sinum Patris edisserens, principaliter nobis secreta nativitatis suæ revelavit. Nam & legimus ad eandem speciem dictum esse, *Quis cognoscit sensum Domini?* Sed rursum docemur, *Nisi spiritus qui in ipso est*. *Nativitatem ejus quis enarrabit?* hoc est dicere, Nemo audeat enarrare quod non potest. Cur [illegible]em nemo poterit? quia scilicet non solùm ex eo & cum eo, sed & in eo est qui caret nativitate. Genitus enim ab ingenito, his divinæ gloriæ bonis natus est quæ penes ingenitum erant, & penes eundem ingenitum desivit Pater habere quod genuit, eundem in semetipso habendo quem genuit. Hujus igitur nativitas ideo inenarrabilis nuntiatur, qui per ipsa conceptus est,

C & perfectus ex Deo Patre Filius Deus est. Quia secundùm scripturas de Filio diximus, Ex eo, & cum eo, & in eo, ne quis significationum varietate turbetur, reddenda est ratio dictorum: & ne proposita confundantur, reddenda compendio. Ex eo, auctorem: Cum eo, ad unigenitum: In eo, ad nativitatem substantiæ respicit. Hoc auditur in omnibus. Tene divinæ dispositionis mysteria: Satis nosti. *Nativitatem*, inquit, *ejus quis enarrabit?* Quis enim possit secundum naturam enarrare nativitatem quæ contra naturam est? Hic enim solus est natus nativitatis suæ conscius. Hic enim qui, cui bona pararentur, intelligens, per naturæ originem, Patri inerat,

D ipsa illa conditione qua natus est. *Nativitatem*, inquit, *ejus quis enarrabit?* Et subjungunt nulli hanc proditam, quia soli scilicet & Patri nota sit. Hoc est dicere subtilium fraude verborum, *Genuit quidem Filium Pater*, sed nemo scit unde. Nam & similiter & Iudæi dixerunt, *Nos scimus quòd Moysi loquutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit*. Quamvis enim aliquando nobiscum faciant communionem verborum, & nonnulla videantur dicta simpliciter infamia hęreticæ pravitatis adspergere, tamen quia omnia ferè eorum veniunt adversùs fidem veram, necesse est secundùm plura intelligi pauciora; præsertim quum si quid receptum fuerit contra fi-

E dem veniens, totius fidei damnum fit. *Nemo scit*, inquit, *quomodo genitus sit Filius, nisi Pater solus*. Quid ergo sibi vult illa sententia, qua hoc Dominus ignorare nos nolens, *Ego*, inquit, *de Patre exivi & de sinu Patris?* Proh dolor! Cur sectantes ignorantiæ tenebras, ignorare nos noluit? & utique noluit, ut auctore nobis cognito, status sui quęstio tolleretur. Non enim erat quęrendum quis, quomodo, vel qualis esset, quum unde esset nosceremus. Sed si hoc loco ipsius Domini sententia id confirmatum esse proponitur, dicentis scilicet, *Nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium quis novit nisi Pater*: audient à nobis, ne fraudem faciant divinæ definitioni.

Esa. 53. Rom. 11. Iohan. 9. Iohan. 16 Matth. 11.

Anno Christi 358.

Constantii Imp. in Gallia 5.

Sequitur enim, *Et cui voluerit Filius revelare.* A Non est enim penitus occultum quod potest revelari. Revelatur enim, si dignus revelatione quis fuerit. Iam ergo hæc notitia secreti causa non tegitur, quæ revelatur ex causa: & consequens est ut in dignos cognitione non iniquus habendus sit Deus qui ignorantiam punit. Non autem puniret, si scientiam non dedisset. Dedit enim per Spiritum sanctum. Denique, *Spiritus,* inquit, *veritatis enarrabit vobis omnem veritatem.* Iohan. 16. Quum dicit omnem veritatem, certè nihil excepit. Hic est Spiritus nativitatis & veritatis, per quem Salomon de dominica nativitate, *Quid sit*, inquit, *sapientia, & quemadmodum facta sit referam, & ab initio novitatis investigabo eam.* Sap. 6. B Ergo per eundem Spiritum possumus invenire quod quærimus. Nam & Apostolus, *Revelabit nobis*, inquit, *Deus per Spiritum suum.* I. Corinth. 2. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei. Nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei: quem Spiritum, si in nobis habitare idem Apostolus probat, possumus ergo per eundem Spiritum, Dei nos inserere secretis. Et sanè, *Quærite*, inquit, *& invenietis: petite, & dabitur vobis, pulsate, & aperietur vobis.* Luc. 11. Matth. 11. Et rursum, *Pater, quæ abscondisti à sapientibus, revelasti ea parvulis:* Matth. 13. nobis utique, ad quos Dominus, *Vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium Dei.* Illud utique mysterium, de quo Apostolus, *Quod antè*, inquit, Ephes. 3. *non fuit notum filiis hominum, nunc revelatum est sanctis ejus.* C Revelatum planè. Ostendit enim eminentes divitias gloriæ suæ, in bonitate super nos in Christo, quia ipse est in gloria Dei Patris. Ipse enim vera progenies Ingeniti. Hoc est, Nemo scit quomodo genitus sit Filius. Nemo utique, sed ex his in quibus (ut ait Dominus) *verbum ejus non capit:* Iohan. 8. sicut nec Iudæis, ad quos idem Dominus ait, *Vos*, inquit, *ignoratis unde veniam, & quò eam: quia secundùm carnem judicatis.* Quomodo enim nemo, si Pater dicit, *Eructavit cor meum verbum bonum?* Psal. 44. Quomodo nemo? Filius ait, *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Noli quærere ampliùs, & non habes quod requiras. Nosti enim totum, quia quod dicitur totum est. *Ex ore*, inquit, *Altissimi prodivi.* Eccl. 24. D Hæc est enim nativitas perfecta Sermonis, hoc est principium sine principio. Hic est ortus habens initium in nativitate, in statu non habens. Ex Deo enim innascibili Deus nascibilis exivit, unus ab uno, verus à vero, plenus à pleno: ac sic nascendo in his quæ erant semper, non cœpit esse quod natum est de non conceptis, nec habet tempus quod est intemporali Patri congenitum per naturam. Scriptum est enim, *Deus Spiritus est:* Iohan. 4. & ex Deo natus, est æternus, & ejus naturæ, qua constat æternitas. Non igitur imperfectus Filius, licèt natus, quia natus est à perfecto: Nec imminutus ille qui genuit, quia genuit de semetipso. Totus enim dedit totum, ut secundùm Spiritus virtutem totus esset in toto. Sed E jam se mali doctores intra artis suæ secreta non continent, & adversùs veritatem, ex ipsa veritate consistunt, habentes cornua ut agni, & loquentes tanquam dracones. Volentes igitur à Patre Filium scindere, & infra Deum ponere, de Evangelio præscribunt: *Pater*, inquit, *major me est:* Iohan. 10. & quomodo major, statim hæretica præsumptione definiunt, Honore, claritate, dignitate, majestate. Quod si ita est, cur jubetur ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem? Iohan. 5. Quod si ita est, ergo quotidie blasphemamus in gratiarum actionibus, & oblationibus sacrificiorum, communia hæc Patri & Filio confitentes, quia scilicet non potest Filius non totum habere quod Patris est, quum ipse totus in Patre sit. Denique Iohannes ait, *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Iohan. 1. Et Deo, inquit, *Omnia tua mea sunt, & mea tua:* Iohan. 17. &, *Nihil potest Filius facere à semetipso*, &, *Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui me misit.* Quod utique non infirmitatis confessio est, sed unitatis assertio. Dixerat enim & contra infirmitatem & pro unitate, *Qui me misit, mecum est*, &, *Pater in me manens, facit opera sua:* Iohan. 4. &, *Verba quæ loquor, non sunt mea sed Patris.* Quidquid ergo detrahitur Filio, derogabitur & Patri. Nam nihil alter sine altero facit: quia esse alter sine altero non potest. Nec Filius enim Filius, nisi Patrem habet: nec Pater Pater, nisi habens Filium. *Pater*, inquit, *major me est.* Sed plenitudo ejusdem divinitatis in Filio est. Denique Apostolus, *Quotquot*, inquit, *promissiones Dei sunt, in illo est.* 2. Corinth. 1. Nunquid ergo obsequia Filii divinitatis statum solvunt? Solvitur enim in Christo omne quod Deus est, si majestatis alterius accipitur. Alterius autem erit, si majestate Pater major me est. Quæ quidem majestas, quia una est, unius scilicet Dei, non potest non esse perfecta: quia imperfecta, inæqualis est. Inæqualis autem, si in altero minor est. Sed si in hoc loco, illud vobis adplaudet quod Matthæus refert, Filium hominis, quasi privatum scilicet & minorem, legite in eodem Matthæo, *Filium esse venturum in majestate Patris sui*, Matth. 25. de quo adventu & Lucas, *Quum venerit*, inquit, *Filius hominis cum gloria sua & Patris.* Luc. 11. Non tam ergo à vobis minor majestate Filius dicitur, quum hoc dicitur, quàm Deus negatur. Ille, inquam, ille de quo Salomon ait, *Splendor est lucis æternæ & speculum sine macula Dei majestatis.* Sap. Planè speculum sine macula. Custodit enim Dei vultus, & figuram fideliter exprimens, plenam Patris imaginem reddidit. Et quid amplius de statu ejus in quo se Dominus Christus agnovit? *Pater*, inquit, *major me est.* Meritò major, quia solus hic auctor sine auctore est. Denique Apostolus de Filio, *In ipso*, inquit, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Coloss. 2. Ergo ut Filius in Patre, ita & Pater perfectus in Filio est. Denique dicens Dominus noster proficisci à Patre Spiritum sanctum, subdidit, *De meo accipiet.* Iohan. 16. Sicut Ioannes quum dixisset, *Adnuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem*, Iohan. 1. addidit, *Hæc vita in Filio ejus est.* Ac sic quum ambo & alteruter perfecti sint, unus tamen perfectus Deus est in duobus. *Pater*, inquit, *major me est.* Meritò major, quia non ipse descendit in virginem, quod Sabellius noluit, apud quem Pater & Filius ambo non sunt, hoc est duûm nominum una persona, quum Patris vocem audierit per Esaïam, *Ecce Filius meus quem ego elegi, ponam Spiritum meum super eum.* Es. 42. Ac deinceps per eundem Prophetam loquentem Filium recognoscat, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.* Es. 61. Quam hæresim Dominus prævidens, *Non creditis*, inquit, *quia ego in Patre & Pater in me?* Iohan. 14. Certè non dixit, Ego sum Pater, & ego in me: sed, *Ego in Patre, & Pater in me:* quo dicto duas hæreses elisit, Sabellianam scilicet & Arrianam. Patrem & Filium

ANNO CHRISTI 358. lium esse non unam personam, ut Sabellius: aut duas substantias, ut Arrii: sed (ut fides catholica confitetur) unam substantiam, & duas docuit esse personas. Sed quid argumentis opus est? quum ipse Dominus pronuntiaverit definitivâ sententiâ, Quęcunque Pater facit, eadem & Filius. Quomodo eadem, si adspirare ad summam paternæ illius gloriæ non potest? Imò quia potest, rectè Iohan. *Sine ipso*, inquit, *factum est nihil*. Et ipse Dominus, *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus*. Vnum utique per naturam: quia quod erat in filio hominis, & in Patris sinu manebat. Denique, *Et me*, inquit, *nostis, & nostis unde sim, & non veni à me, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. Ego novi eum, quia apud illum sum, & ille me misit*: &, *Solus*, inquit, *non sum, sed ego & qui me misit, Pater*: &, *Sicut me novit Pater, & ego novi Patrem*. Nescio autem an nosse potuerit Patrem Filius, si initium sortitus est Filius. Genitus enim nosse non potuit ingenitum, antequam genitus est. Iam ergo non sic Patrem novit, ut notus à Patre est, & adscribendum est ei mendacium, (quod in Domino cadere non debet) & meritò adscribendum, si adsertio ejus ratione non steterit. Non stabit autem, nisi ille est qui non solùm exivit à Patre, sed in Patre & est & fuit semper. *Omnia*, inquit, *tradidit Pater in manu ejus*. Quomodo omnia, nisi & omnis temporis? Quomodo autem omnis temporis, si initio non caret? Quamlibet enim ante omne tempus natum dicatis, tamen quia vultis eum aliquando cœpisse qui natus est, nec fuisse quod factum est, nescio quomodo defendatis omnia illum à Patre & omnis temporis consequutum. *Subjectus*, inquit, *Patri Filius cum omnibus his quæ ei ipse Pater subjecit*. Quid venenatum virus exquisitorum verborum velamine tegitis? Nos quæ audivimus à patribus nostris, constanter prædicamus: & vos ergo doctrinam patrum vestrorum deserere nolite. Illi, inquam, liberè Deum gloriæ cælestis non Deum verum esse, sed creaturam Dei perfectam esse dixerunt. Vos tamen idem sentientes abrupta blasphemiæ verba vitantes, ambigua sectamini ad decipiendos simplices & incautos. Subjectum enim Patri Filium non Patris vel Filii nomine, ut sancta & Catholica dicit Ecclesia, sed (ut suprà diximus) creaturæ conditione profitemini. Dicentes enim, Cum omnibus his quæ illi Pater subjecit, Patri Filium esse subjectum, nonne ipsum in creaturarum ordine, quæ ex tempore sunt instituta, numeratis? Nihil enim secundùm vos omni creatura amplius habet Deus & Dominus noster, nisi quòd primus in numero est, nisi quòd ei etiam illa serviunt cum quibus servit. Servus enim & ipse si servit, & licèt nonnullorum Dominus, sed Dominus voluntate, si voluntate Domini Dominus effectus, hoc ipso serviens, quòd jussus est imperare. Hoc est illud quod vos occultè, & patres vestri cum libertate dixerunt, Filium Dei sine tempore editum à Patre, & fundatum non fuisse priusquam nasceretur. Quæ ista est, rogo, cordis hebetudo? quæ oblivio spei? Immo, quæ tam amens & blasphema confessio Deum dicentis, quem omnibus his quæ ex nihilo facta sunt, comparastis? Hoc est & Filium falso nomine divinitatis inludere, si esse verbo dicitur quod corde negatur: & Deum Patrem, mendacem notare, dicentem scilicet, *Ego sum qui sum*: &

Iohan. 1. Iohan. 7. Iohan. 3. Exod. 3.

A *Ego sum Dominus solus*: &, *Claritatem meam alteri non dabo*: &, Audi Israël, *Dominus Deus tuus, Deus unus est*: *& Nomen meum non quæras, Deus nomen est mihi*. Si ergo unus Deus, uni hoc competit nomen. Vnus autem jam non erit, nisi in Patre Deo Filius Deus sit: & meritò Dominus juxta Prophetam qui dixerat, *Benedictus qui venit in nomine Domini. Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei*. Quod nomen Patris, nisi Dei nomen & Domini? quod Iohannes in Filio recognoscens, *Qui est*, inquit, *& qui erat, & qui venturus est omnipotens*. Patrem inquit initium non habere. Hoc est dicere Filium habere. Nam quæ necessitas id de Patre adseverare quod notum est, nisi præjudicium ejus opinionis quæ de Filio paria suscepit? Patrem inquit initium non habere. Quis negat? Sed, puto, & imago invisibilis & ingeniti Dei non potest cœpisse post Deum. Denique interroganti Moysi quis esset, respondit, *Ego sum qui sum semper*. Erat enim semper, qui est & erit semper. De quo Iohannes, *Quod erat ab initio, oculis nostris vidimus*. Et rursum, *Adnunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem*: utique & in Patre. Nam quod ex ipso erat, extra ipsum esse non poterat. Et sanè quum dicitur, Erat in ipso tempus, non ipse fuisse in tempore nuntiatur. Æternæ enim substantiæ vis non facta est à Deo, sed egressa à Deo. Ideo, *Et ego* (inquit) *à Patre exivi*: &, *Ego & Pater unum sumus*: &, *Qui me vidit, vidit & Patrem*: &, *Ego in Patre, & Pater in me*: &, *Qui me misit, mecum est*. Ideo & David, *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Dei enim Verbum, hoc est Dei Filius, ante omne principium cum eo qui ex eo & in eo cui nullum potest esse principium. Invenimus quidem dixisse Salomonem ex persona sapientiæ, (quam Christum esse defendimus) *Dominus condidit me, & ante sæculum fundavit me, & prior abysso genita sum*: sed non ideo credendum est Deum factum. Nam si factus est, non fuit: si non fuit, non erit. Et quomodo Deus, cui, ne Deus sit, utraque conditio præscribitur? Ideo autem sapientia Dei nata & condita nuntiatur, ne quid præter ipsum Deum Patrem, qui est etiam suis origo virtutibus, crederetur in natura. Exinde enim rectè diceretur, Ex ipso & in ipso creata sapientia, ex quo effulsit ab eo unigenita & beata nativitas. Qui ergo probaverit sine verbo, sine sapientia, sine ratione, sine virtute, sine spiritu aliquando Patrem fuisse, is probaverit cum Patre & in Patre Filium ante omne principium non fuisse. Tamen nescio si his virtutibus carens Pater, possit Deus dici. Non modò enim Deus qui in sua æternitate perfectus est, sed nec creatura quidem ulla secundùm suum genus non consummata constabit. Non potest enim quid esse, quod non sit, non erit autem, si id illi defuerit quod esse debebit. Totum igitur defuit Patri, si aliquid defuit de toto. Defuit autem, si Filius suus, hoc est virtutum suarum plenitudo, initio non caret: & necesse est hanc opinionem alterutram blasphemiæ partem profana & sacrilega definitione transire. Aut enim Pater credendus est cum Filio suo initium fuisse sortitus, quia sine Filio, hoc est sine virtutibus suis, esse non potuit, & erit auctor huic illorum initio nescio quis tertius Deus: aut si solus ipse sine initio dicitur usque ad

CONSTANTII Imp. in Gallia 5. Num. 6. Psal. 117. Iohan. 5. Apocal. 1. Exod. 3. Iohan. 1. Iohan. 10. Iohan. 14. Psal. 109. Prov. 8.

(B, C, D, E)

ANNO CHRISTI 358.

ad Filii generationem imperfectus fuisse di- A cendus est. Imperfectus enim, si cœpit habere quod antè non habuit, &, habere tamen debuit, denique habere voluit. Is omnia autem habere debuit semper, qui semper debuit esse perfectus: quia non recipit augmentum quicquid occupaverit totum. *Patrem*, inquiunt, *initium non habere*, *invisibilem esse*, *immortalem esse*, *impassibilem esse*. Hæc ideo proponunt ut contraria his Filio adscribant. Quicquid enim de Patre negant, de Filio confitentur: qui si habere initium probatur, meritò mortalis, meritò passibilis. Præjudicatum quidem esse deberet & cætera passionum genera in Filium non convenire, prima propositionis specie B destructa, quæ initium dabat Dei verbo: nequid tamen diffidentia præ cęteris quæ sunt profanè proposita, retractemus, (nam ut initium non habenti adscribi cętera quæ sunt huic definitioni subjecta non possunt; ita si uni eorum adfinis deprehenditur) æquum est etiam illa quæ fuerant defensa dissolvi. *Invisibilem*, inquit, *Patrem esse*. Quasi verò usquam inveniamus vel Filium sine transfiguratione fuisse visibilem, antequam Patri obediens fieret ex æternitate corporeus. Quanvis enim & Abrahæ visus sit, & Iacob, & Moysi, & Isaïæ, & Ezechielo, tamen visionis illius qualitas explicatur. In somno enim & in speculo & in ænigmate C visus refertur. Denique Moysi postulanti ut cognosceret eum videret, *Nemo potest*, inquit, *faciem meam videre: quia nemo qui eam viderit, vivet*. Ergo hoc loco aut Patrem locutum fuisse contendant qui invisibilem esse se dicit: aut si Filium non negant tunc locutum, sciant & illum suo nomine invisibilem fuisse, ut sermonem, ut spiritum. Invisibilis Deus denique quomodo visus sit eadem scriptura testatur. Refert enim loquutum cum eo Deum, tanquam ad amicum, facie ad faciem. Ac deinceps subjungit, postulasse Moysem, ut faciem ejus videret: quam utique, si viderat, non statim postulasset videndam. Ait quidem D Iacob, *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea*. Sed quomodo eam faciem videndo, salvatus est, quæ, si videatur, occidit? Quomodo & Dominus ostenderat faciem suam, quam videri non posse postmodum dixit, nisi illa conditione qua suprà diximus, in speculo scilicet & in ænigmate, in somnio & visione? Hoc est ergo illam visibilem materiam adsumpsisse quum placuit, statim verò invisibilem perseverare: quia necesse est, si visibilis docetur, non ex eo illum esse quem invisibilem confitemur. Sed hanc adsertionem ut quæstionibus testamenti veteris expediam, de novo testamento sumam confirmationem. Ait enim Dominus & Deus quum de Patre loqueretur, nulli Patris imaginem visam: quòd si imago E Patris ipse est Filius, ut Apostolus probat, negat visibilem fuisse, dicendo, nulli Patris imaginem visam. Et ideo, *Nec me*, inquit, *nostis, neque Patrem meum*. Et hîc certè duos confirmat ignotos, tam autem duos quàm inseparatos. Nam si ipsum nossent, & Patrem nossent: quia per individuitatem neque nosci neque ignorari alter sine altero poterat. Similis igitur de mortali & passibili ratio subsequitur. Nam si neque initium habet Filius, ut pote qui semper in eo & fuerit & sit cui initium non datur: neque visibilis, qui in sinu invisibilis perseverat:

Exod. 33.

Genes. 32.

Iohan. 14.

CONSTANTII Imp. in Gallia 5.

jam nec mortalis nec passibilis habendus est, ex ea tamen substantiæ parte qua Deus. Scimus enim nihil spiritum Dei passum duntaxat suo nomine: quia impassibilis Deus, quia Deus spiritus. Scimus quòd omnis illa passio propriè carnis & animæ, id est hominis, fuit: in quo quidem homine quum pateretur erat & Filius Dei cohęrens illi per naturam à quo veneraт Patri, & unitatis vinculum servans in terris hominem gestabat, nec aberat à cęlis. Sic mediator dictus, sic sequester utriusque substantiæ. Non ergo passibilis Deus spiritus, licèt in homine suo passus: quem ideo nec in passione deseruit, ut ei pati posse pręstaret. Quod nisi ita recipitur, fidei nostræ ratio non stabit, dantis scilicet ei hominis infirmitatem quem Deum non negat. Nam si & initium habens dicitur, & visibilis docetur, & mortalis inducitur, non video ab homine quid distet, in quem regnant hujusmodi passiones. Confitemur, inquiunt, Filium Dei Deum ex Deo, lumen de lumine. Videri quidem sacrilegum non potest, perfectam fidei catholicæ professionem maligna disputatione vexare: sed concedendum non est ut tollatur nobis illud quod nobiscum non tenent, per hoc quod nobiscum tenent. Agnoscimus igitur & cum veneratione suscipimus communis fidei verba, sed quid faciemus? Sic vesana Arriomanitarum doctrina tradit. Et ipsa enim, dicens Deum ex Deo, lumen ex lumine, facit ex Deo alterum Deum, ex lumine alterum lumen: ut sit Filius ex Patre & non in Patre, hoc est ut factus Deus à Deo, non sit unigenitus in Deo. Sed quid hîc amplius? quum nonnullorum ex iis, qui nuper ad nos hanc fidem egregiam miserunt, scripta teneantur quibus dicentes Deum ex Deo, lumen ex lumine, tamen separatum à Patre & penitus excisum hęretica disputatione docuerunt? Ipsum inquiunt Filium Dei hominem de Maria suscepisse, per quem compassus est. Congruo igitur omnia fine claudentes, quod mente conceperant scripturâ confessi sunt, respondente eam sensui suo, & occulta eorum venena resetante: dicentes scilicet, Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Primùm non video cur maluerint compassibilem dicere quàm liberè passibilem confiteri. Quasi verò aliud sit compati quàm pati. Porro autem si impassibilis Deus, utique & incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quàm nec passus est; ex ea tamen conditione qua Deus. Denique Apostolus, *Passus est*, inquit, ex infirmitate utique carnis. Caro enim infirma, spiritus promptus? Sed vivit ex virtute Dei: utique ex semetipso. Ipse enim, Dei virtus, habens vitam in semetipso: quòd credimus Dominum nostrum ex duabus substantiis constitisse, humanâ scilicet atque divinâ: & ita illum immortalem fuisse divinâ, ut mortalem eâ quæ fuerit humana. Ex una enim natus, ex alia probatus: ex una immortalis, ex alia mortalis. Denique idem Apostolus, *Christus*, inquit, *mortuus est*, id est unctus. Hoc enim nomen ad unctionem deducitur. Si ergo non aliud quàm caro uncta est, caro igitur tantummodo mortua dicitur quoties Christus mortuus nuntiatur. Sed si quis extorquere è duobus alterum velit, ut aut unum Deum singulariter determinemus si unum fatemur, aut duos liberè proferamus si & Patrem Deum & Filium Deum dicimus: illud

2. Cor. 13.

1. Cor. 15.

ANNO CHRISTI 358.

CONSTANTII Imp. in Gallia 5.

A illud ante omnia sciatur, nec unum nos cum prejudicio, nec duos dicere, quia unum dicimus in duobus, ipso Domino suggerente, Ego & Pater vnum sumus, ut duo crederentur in una virtute. Non enim dixit tanquam ex una persona Patris & Filii, quasi Filio Patrem se confirmans, Filius meus sum, &, Ego hodie genui me: &, Ante luciferum genui me: &, Dominus condidit me initium viarum mearum: &, Ante secula fundavit me: &, Ego & Pater unum sum: sed reddens notitiam sacramenti distinctione, non divisione personarum: Ego (inquit) in Patre, & Pater in me: &, Ego & Pater unum sumus: &, Qui me vidit, vidit & Patrem, videri enim Patris Filius, imago vera & figura expressa substantiæ ejus, hoc est Dei sermo, non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva. Non enim sine substantia constitit quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido, quia Dei sermo spiritus Dei instructus est, & (vt evidentiùs dicam) sermonis corpus est Christus, Corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. Nam & invisibilis & incomprehensibilis spiritus. Nunquid tamen inane & vacua res Deus? Deus enim spiritus est. Denique, Nemo scit, inquit, quæ sunt in Deo, nisi spiritus qui in ipso est. Legimus quidem, *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Nemo utique, sed extra spiritum suum nemo: quem spiritum Propheta sapientem architectum & admirabilem consiliarium dicit: nec immeritò. Nam idem spiritus sermo & sapientia Dei est: ex cujus persona Salomon, Quum pararet, inquit, cælum, ego aderam illi: &, Ego, inquit, eram cum illo, & mihi adgaudebat. Non ergo consiliarius nemo, quia per ipsum facta sunt universa quæ facta sunt. Denique quum eadem sapientia & verbum Dei & spiritus Dei sit, singulorum tamen nominum officia nuntiantur. Sapientia condenti omnia Patri aderat, sermone ejus cæli solidati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Adparet ergo unum eundémque venisse nunc in nomine spiritus, nunc in vocabulo sermonis, nunc in appellatione sapientiæ. Ergo hic sermo quum in forma Dei esset, sapientia & ratione & spiritus ratione & spiritus virtute constructus, hoc est totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adæquavit, sed formam servi accipiens humiliavit se usque ad mortem. Induerat enim quod servire, quod mori posset: hominem scilicet, quem excitatum exhibuit ad cælum, ut secundus Adam per obedientiam restitueret quod primus transgressione perdiderat. Si qui igitur adhuc & de Apostolo requirit dominicum statum, id est singularis substantiæ dualitatem, quæ per naturam auctori suo jungitur, audiat ad compendium quid idem Apostolus senserit, quum Dei Patris investigabiles vias & recondita retro sacramenta loqueretur. Ex ipso, inquit, & per ipsum & in ipso omnia. Quum dicitur Per ipsum, agnosco Filium significari: legi enim, Per ipsum omnia. Quum, In ipso, nuntiatur, nihil novi est: in ipso enim omnium seminum initia constiterunt. Sed quum refertur, Ex ipso, certè ad Patrem ut ad rerum omnium respicitur auctorem. Et si ita est, ut est, quomodo his ratio constabit distincta jungentibus, hoc est referentibus ad unum omnia quum alius sit Ex quo omnia, & alius Per quem omnia? quia alius ingenitus, alius unigenitus, nisi illa conditione qua rectè dicitur, & Ex Filio omnia, dum in ejus corde est per naturam ex quo omnia: & Per Patrem omnia, dum in eo semper est per quem omnia. Pater enim sensum agit: Filius verò, qui in Patre videns est, sensum perficit. Non ergo Apostolum temerè pronuntiasse credendum est: sed illum credendum est, ita credidisse, Filium scilicet Dei secundùm carnem factum esse quod non erat, secundùm spiritum verò esse quod fuerit, quia quod fuit semper, non potest non fuisse. Tenenda est igitur ratio quæ per arduum & angustum tramitem repit, circumjacentibus hinc & inde B præruptis quæ zabolica fraude cæcata plana & facilia summittunt, ut in ruinam mergant excessus. Nam si unum Deum singulariter nominamus, excludentes vocabulum secundæ personæ, furorem ejus hæresis adprobamus quæ ipsum adserit Patrem passum. Si admittimus numerum cum divisione, jungimur cum Arrianis, qui factum à Deo Deum, novámque adserunt ex nihilo substantiam constitisse. Tenenda est igitur ut diximus regula, quæ Filium in Patre, Patrem in Filio confitetur, quæ, unam in duabus personis substantiam servans, dispositionem divinitatis agnoscit. Igitur Pater Deus, & Filius Deus: quia in Patre Deo Filius Deus. Hoc si cui scan- C dalum facit, audiat à nobis spiritum esse de Deo, quia illi cui est in Filio secunda persona, est & tertia in Spiritu sancto. Denique Dominus, *Petam*, inquit, *à Patre meo, & alium advocatum dabit vobis.* Sic alius à Filio Spiritus, sicut alius à Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona: unus tamen Deus omnia, quia tres unum sunt. Hoc credimus, hoc tenemus, quia hoc accepimus à Prophetis, hoc nobis Evangelia locuta sunt, hoc Apostoli tradiderunt, hoc martyres in passione confessi sunt: in hoc mentibus fidei etiam hæremus, contra quod etiamsi Angelus de cælo adnuntiaverit, anathema sit. Sed non sum nescius, his omnibus discussis & in lucem intelligentiæ publicæ propositis, antiquis- D simi sacerdotis & promptæ semper fidei, Osii nomen quasi quendam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam brevi admodum sermone respondeo. Non potest ejus auctoritate præscribi, qui aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim mundus quæ in hanc tenuerit ætatem, qua constantia apud Sardicam & in Niceno tractatu adsensus sit & damnaverit Arrianos. Quòd si diversa nunc sentit, & quæcunque ab eo retro damnata fuerant, defenduntur, quæ defensa, damnantur, rursum dico, non mihi ejus auctoritate præscribitur. Nam si nonaginta ferè annis malè credidit, post nonaginta illum rectè sentire non credam. Aut E si nunc rectè, quid de his opinandum est qui ab eodem signati fide in qua tunc ipse erat, de seculo transierunt: quid & de ipso pronuntiaretur, si ante hanc synodum dormisset? Ergo ut suprà diximus, præjudicatæ opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra seipsam ipsa consistit. Et sanè legimus, Iustitia justi non salvabit eum in quacunque die exerraverit. Amen.

Margin references: Iohan. 10. Psal. 2. Iohan. 14. Iohan. 4. 1. Cor. 2. Rom. 11. Esa. 9. Prov. 8. Rom. 11. Iohan. 14. Ezech. 33.

ANNO CHRISTI 360.

CONSTANTII Imp. in Gallia 7.

CONCILIUM INCERTI LOCI

IN QUO ASSERITUR OSIUS HISPANUS A GALLIS Episcopis in communionem Ecclesiæ restitutus, tandem hoc anno mortuus in fide Catholica probatur.

Quod D. Augustinus opinatur de Osio Cordubensi Episcopo, lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 4. illum scilicet ab Hispanis damnatum, à Gallis postea fuisse absolutum; hoc sanè debet intelligi de quadam synodo, in qua judicatus est Osius post ejus lapsum; Nimirum quod in Hispania vigeret error ille, quo denegabatur communio penitus Episcopis apud Ariminum lapsis, etiam resipiscentibus: In Gallia verò Episcopi similiter lapsi, postea pœnitentes in Ecclesiæ communionem admittebantur. Quamobrem inter has Galliarum synodos memorare juvat, illam, licèt quo loco, ac tempore coacta sit, ignoretur. Cuius tamen Epocha figi debet hoc anno 360. proximè synodum Ariminensem sequentè, quo vivere desiit Osius centenario major, ut colligitur ex Athanasio tum in oratione 1. contra Arianos, tum in Epistola ad solitarios; sunt autem Augustini verba. [Quod, inquit, de Osio dicunt Donatistæ Cordubensi quondam Catholico Episcopo, hoc magis credibile est, si tamen Osius ab Hispanis damnatus, à Gallis est absolutus, sic fieri potuisse, ut falsis criminationibus Hispani circumventi, & callida insidiarum fraude decepti contra innocentem ferrent sententiam, & postea in humilitate christiana cederent sententiæ Collegarum (nempè Gallorum) quibus illius innocentia comprobata est, ne pervicaci & animosa perversitate priores suas sententias defendendo, in sacrilegium schismatis, quod omnia scelera supergreditur, cæcitatis impietate irruerent.] Porrò hæc Augustini opinio confirmatur ab eodem Athanasio in eadem Epistola his verbis: [Osius, inquit, moriturus quasi in testamento suo Arianorum vim protestatus est, & Arianam hæresim condemnavit, vetuitque eam à quoquam probari, aut recipi.] Tandem non extra rem visum est ex occasione addere hic sententias Osii Episcopi, quæ, quid agere debeat in vita sua omnis Christianus, edocent. Nunc autem eduntur in lucem castigatiores ex codice Bibliothecæ Mazarinæ, in quo sic jacent cum hoc titulo.

Incipit doctrina Osii Episcopi, de observatione disciplinæ dominicæ.

Deum cole.
Superstitionem fuge.
Parentes honora.
Fratres dilige.
Magistris legis opem fer.
Valetudinem cura.
Vinolentiam devita.
Litibus parce.
Corpus vigiliis exerce.
Modicè in secularibus labora.
Formam luxus neglige.
Sumptus metire.
Necessaria eme.
Sordes despice.
Iram vince.
Superbiam contemne.
Linguam moderare.
Lites metue.
Verum sequere.
Religionem venerare.
Hominem inimicum vita.
Liberos bene erudi.
Propinquos observa.
Servis parce.
Cibo tempera.
Constantiam tene.
Quæstus pecuniæ vita.
Luxuriam refuge.
Avaritiam detestare.
Cupiditatem coërce.
Libidinem comprime.
Maledicta contemne.
Diu, quid facies, delibera.
Blanditiis adversare.
Studium malum relinque.
Satisfactionem accipe.
Beneficio provoca.
Maleficium vince.
Tuo utere.
Alieno abstine.
Iusta promitte.
Promissa præsta.
Feroces mores declina.
Tempori servi.
Defunctis obsequere.
Importunis resiste.
Litigiosis justè judica.
Pacatis obtempera.

Expliciunt sententiæ Osii Episcopi.

ANNO CHRISTI 381.

GRATIANI Imper. 15.

* EPISTOLA CONCILII AQUILEIENSIS ad Theodosium Imperatorem.

In qua mentio est Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ misisse legatos ad Concilium Aquileiense, atque in ea designatur locus, seu terminus, quo Ecclesia Occidentalis separatur ab Orientali.

Imperatoribus clementissimis, Christianisque & gloriosis, beatissimisque Principibus, Gratiano, Valentiniano, & Theodosio, sanctum Concilium quod convenit Aquileia.

QUamlibet redundantibus actionibus gratiarum, nequaquam tamen possumus beneficia vestræ pietatis æquare, Imperatores clementissimi, beatissimi & gloriosissimi Principes, Gratiane, Valentiniane, & Theodosi, dilecti Deo Patri & Filio ejus Domino nostro Iesu Christo. Nam cùm post multa tempora, & persecutiones varias, quas Catholicis intulerant Arriani, maximéque Lucius ille Monachorum & Virginum impiâ cęde grassatus, atque Demophilus dirum perfidiæ caput, omnes Ecclesiæ Dei per Orientem Catholicis restitutæ sint, in Occidentalibus autem partibus, vix duo hęretici, qui obviare possent sancto Concilio, sint reperti, quis est qui putet se gratiarum vestrarum fore idoneum relatorem? Sed tamen si beneficia vestra verbis explicare non possumus, qui etsi per singulas quasque Ecclesias viritim quotidianas apud Deum nostrum pro imperio, pro pace ac salute

Anno Christi 381.

Gratiani Imp. 15.

ac salute vestra celebremus excubias; tamen conducti in unum, quo munere nihil esse pulchrius opinamur, Deo nostro omnipotenti gratias agimus, quòd per eos nobis pax & concordia sit refusa. Equidem per Occidentales partes duobus in angulis tantùm, hoc est in latere Daciæ Ripensis ac Mœsiæ, fidei obstrepi videbatur. Quibus tamen nunc post Concilii sententiam vestræ fauore clementiæ opinamur illicò consulendum. Per omnes autem tractus atque regiones à Succorum claustris usque ad Oceanum, manet intemerata fidelium atque una communio. In Orientalibus autem partibus cognovimus quidem summo gaudio atque lętitia, ejectis Arrianis, qui Ecclesias violenter invaserant, sacra Dei templa per solos Catholicos frequentari. Sed tamen quoniam invidia diaboli nunquam quiescere solet, inter ipsos Catholicos audimus crebras dissentiones esse, impacatamque discordiam, totoque confundimur effectu, quòd innovata pleraque comperimus, eosque gravari nunc, quos oportuit adjuvari, qui in nostra semper communione durabant. Denique Alexandrinæ Ecclesiæ Timotheus Episcopus, sed & Antiochenæ Paulinus, qui semper communionis nobiscum intemeratam habuere concordiam, dissentionibus aliorum, quorum fides superioribus temporibus hęsitabat, feruntur urgeri. Quos quidem, si fieri potest, & si fides plena commendat, ad consortia nostra optamus adjungi: sed ita ut vetustæ communionis sociis sua pręrogatiua servetur, quorum nobis non superflua cura est. Primò omniũ, quia communis societas nullam habere debet offensam. Deinde quia utriusque partis dudum accepimus literas, precipuéque illorum, qui in Antiochena Ecclesia dissidebant. Et quidem, nisi hostilis impedimento fuisset irruptio, aliquos etiam de nostro numero disposueramus dirigere, qui sequestres & arbitri refundendę, si fieri posset, pacis existerent. Sed quia studia nostra tunc temporis habere effectum per tumultus publicos nequiverunt, oblatas pietati vestrę opinamur preces nostras, quibus juxta partium factum poposcimus, ut altero decedente, penes superstitem Ecclesię permanerent, nec aliqua superordinario attentaretur. Ideóque petimus vos, Clementissimi & Christiani Principes, ut & Alexandrię Sacerdotum Catholicorum omnium Concilium fieri censeatis, qui inter se pleniùs tractent atque definiant, quibus impertienda communio, quibus seruanda sit. Nam etsi Alexandrinę Ecclesię semper dispositionem ordinemque tenuerimus, & juxta morem consuetudinemque majorum, ejus communionem indissolubili societate servemus, tamen, ne aut aliqui videantur esse posthabiti, qui & pacto quod stare volumus, communionem nostram rogarunt, aut ullius pacis & societatis fidelium neglecta compendia, id obsecramus, ut cùm inter se cœtu pleniore tractaverint, etiam auxilia decretis sacerdotalibus vestrę pietatis adspirent, & nobis deferri in notitiam censeatis, ne titubanti nutemus affectu: sed læti atque securi pietati vestrę apud Deum omnipotentem agamus gratias; non solùm quia exclusa perfidia est, sed quia Catholicis fides & concordia restituta. Quod à vobis & Africanę, & Gallicanę Ecclesię per Legatos obsectant. Hoc est ut totos faciatis vobis in orbe Episcopos debitores, licèt non mediocre sit debitum quod virtuti vestræ debetur. Ad deprecandam autem clementiam vestram, & impetranda quæ poscimus, Legatos fratres & compresbyteros nostros direximus: quos petimus ut & clementer audire dignemini, & redire maturiùs censeatis.

[b] *Nomina Gallicanorum Episcoporum in Concilio Aquileiensi.*

Constantius Episcopus Arausicus.
Iustus Episcopus.
Theodorus Episcopus Octodorensis.
Domninus Episcopus Gratianopolitanus.
Proculus Episcopus Massiliensium.
Diogenes Episcopus Genavensis.
Amantius Episcopus Nicensis.

NOTÆ.

Hîc damus ex Bibliotheca Regia, propterea quod legati Ecclesiæ Gallicanæ synodo huic interfuerint, quique cum aliis aliarum regionum Episcopis præscripta majorum sequentes, ut ait S. Ambrosius synodi præses, plura simul statuerint, quæ ad fidem, ac concordiam Catholicorum Orientalium spectabant. Qua in Epistola quoque notandum est, Patres hujusce Concilii usos primùm fuisse his verbis, (Ecclesiæ Gallicanæ.) Interim non abs re visum est monere adhuc lectorem, quòd in eadem Epistola reposuerimus has voces (à Succorum) loco tum illius (Æthnicorum) in editione Sirmondi, tum alterius (Vicorum) in editione operum Ambrosij, ut affirmare licet ex Ammiano, & Socrate. Hinc orta Ecclesiæ in Occidentalem, & Orientalem distractio, & Succorum Montium angustiæ, seu claustra in Illyrico limen erant utriusque. Rursus ex contextu Epistolæ confirmatur illa divisio, cùm sermo sit ibi peculiaris de fide orthodoxa, quæ tunc vigebat in partibus Occidentis & Orientis.

[a] Vix duo hæretici.] Intelligit Epistola Palladium & Secundinum Episcopos Arianos, quorum mentio est in altera ejusdem Concilii Epistola ad Episcopos Viennensis, & Narbonensium provinciarum, qui duo tantùm ausi sunt ad Concilium convenire, debitam præsentes excepere sententiam super impietate convicti, ut loquuntur Patres. Porrò ex hac Epistola, ac ex tribus aliis Conciliorum tum Aquileiensis, tum Italiæ ad Imperatores scriptis, ac editis à laudatissimo Sirmondo, quædam excerpsit Auctor synodici, quæ in eo legere est ad synodum numero 74. ibi Aquileiensem Ambrosii appellatam. Et hæc reuerà fidem adstruunt eidem Auctori anonymo.

[b] Nomina Gallicanorum Episcoporum.] Iustus ille vulgò creditur Episcopus Lugdunensis, ex eo quod apud Surium in ejus vita legatur ad quoddam Italiæ Concilium vocatus. Sed hoc non potest esse Aquileiense, tum quòd in Epistola synodali mentio Iusti nulla fit, nec illi quoque certa sedes alibi asscribatur; contrà verò aliis sex Gallorum Episcopis, qui simul omnes numero septem synodo adfuerunt; tum præterea quòd Iustus ille Constantio Episcopo Arausicano postponatur, semper & initio inscriptionis Episcoporum Concilii, & bis in contextu gestorum hujus, ac etiam in subscriptionibus ejusdem. Quæ sanè omnia minimè congruunt Metropolitano civitatis Lugduni, quæ caput Galliarum appellatur. Satis enim notus erat, Metropolita Galliarum Lugdunensis Ambrosio alteri Italiæ Metropolitano; sciebatque insuper Ecclesiasticam consuetudinem, scilicet Metropolitanum subscribere, præloqui, ac sententiam ferre in synodo ante Episcopos debere; quod nihil ex rebus istis à Iusto, nisi post Constantium Episcopum vbique factum est. Quare probabilius est hunc Iustum Episcopum Gallorum legatum in Aquileiensi Concilio eundem esse Iustum Episcopum sedis ignotæ subscriptum in Concilio Valentino primo ad annum 374.

ANNO CHRISTI 386.

CONCILIVM IN QVADAM GALLIARVM Diœcesis urbe incerti nominis celebratum.

CLEM. MAXIMI Imp. 3.

In hoc Concilio Agricii Presbyteri causa, qui malè ordinatus dicebatur, jussu Maximi Imperatoris, ab Episcopis totius Galliarum Diœcesis discussa est, ut liquet ex epistola ejusdem Maximi ad Siricium Papam his verbis. *De Agricio*, inquit, *quem indebitè ad Presbyterii gradum conscendisse commemoras, quid Religioni nostræ Catholicæ possum præstare reverentius, quàm ut de hoc ipso, cujuscemodi esse videatur, Catholici judicent sacerdotes, quorum conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque provincias commorantur, in qua elegerint urbe constituam, ut iisdem residentibus & cognoscentibus quid habeat consuetudo, quid legis sit, judicetur, hæc enim quæ libris sunt asserenda, & majorum nostrorum religiosissimis constitutis, ipsi possunt meliùs adstruere, qui norunt.* Cæterùm locus synodi, & quid in ea statutum fuerit de Agricio eodem hactenus ignoratur, illi autem Epocham conjecturâ verisimili fecimus eandem ac epistolæ hoc anno 386. rescriptæ.

ANNO CHRISTI 387.

CONCILIVM NEMAVSENSE

CLEM. MAXIMI Imp. 4.

CVIVS ACTA SANCTVS MARTINVS TVRONENSIS, licèt absens, Angelo nuntiante, cognovit, atque probavit.

Qui synodi hujus nobis est auctor Sulpitius Severus, quo tempore celebrata sit non indicat. Rem autem gestam narrat postquam Martinus Augusta Trevirorum reversus est anno scilicet 386. quo, & in quam coactum fuit aliud Concilium, unde anno sequente Nemausi habitum istud fuisse conjectura est. Hæc sunt verba Sulpitii dialogo 2. cap. 15. *Apud Nemausum*, inquit, *Episcoporum synodus habebatur, ad quam quidem ire noluerat: sed quid gestum esset, scire cupiebat. Casu, cum eo iste Sulpitius navigabat; sed procul, ut semper, à cæteris in remota navis parte residebat. Ibi ei Angelus, quid gestum esset in synodo, nuntiavit. Nos posteà tempus habiti Concilii solicitè requirentes, satis compertum habuimus, ipsum diem fuisse conventus, & ea ibi ab Episcopis fuisse decreta, quæ Martino Angelus nuntiarat.* Duo scribit ampliùs de hac synodo Fortunatus, scilicet ad vicem S. Martini celebratam, & ab ipso quoque confirmatam fuisse, his versibus lib. 3. de vita ejusdem.

Concilium allectum fuerat synodale Nemausum,
Quo sacer Antistes mediator adesse recusat.
Angelus ecce tamen Domini venit aliger alto,
Ipsa nempe die qua se conventus abegit,
Quicquid Pontifices celebrabant ordine narrans,
Pro vice Martini peragens synodalia, præsens
Vtque priùs retulit, sacer hæc pòst cuncta probavit.

ANNO CHRISTI 407.

CONCILIVM ROMANVM ad Gallos Episcopos transmissum

HONORII Imp. 13.

ET CONVOCATVM OCCASIONE QVÆSTIONVM, QVÆ à Gallis Episcopis relatæ sunt ad Sedem Apostolicam, anno Christi 407. sub Innocentio Papa, ut conjectura est.

Epistola Synodalis.

Ex codicibus Fossaten. Tithean. & Andegauen.

DOMINVS inter cætera salutaria mandata, quibus discipulos suos Apostolos ad spem vitæ hortatur & commonet, sicut & nos Evangelica verba docuerunt, hoc etiam mandat, ut solliciti ad veritatis scientiam pervenire laboremus. Et primò ut cognoscamus incognita, non inani profectu, sed labore & solicitudine, quæ nota necdum sunt, precibus investiganda, quæ verò difficiliora sunt instanter quęrenda pręcepit, quæ clausa sunt, fidei virtute pulsando precibus petere sibi debere reserari, sic enim scriptum est: *Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Nemo certè qui non petit, accipit, & qui non quęrit, invenit, & qui non pulsaverit, eidem poterit aperiri. Qua de re quoniam quod ex fide petitur & præstatur, & quod erat obscurum, manifestum in sensum dum investigatur, acquiritur, & quod erat clausum nobis frequentiùs pulsando, id est rogando, revelatur; omnis enim qui petit, accipit, qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Vnde eadem repetere mihi quidem non est molestum, vobis autem necessarium scimus fratres carissimi multos Episcopos per diversas Ecclesias ad famam pessimam nominis sui humana pręsumptione Patrum traditionem mutare properasse, atque per hanc causam in hęresis tenebras cecidisse, dum gloriam hominum delectantur potiùs quàm Dei pręmia habere, perquirere. Nunc igitur, quia non explorandi causa, sed fidei confirmandæ gratia, sanctitudo vestra ex Sedis Apostolicæ auctoritate sciscitari dignata est, seu legis scientiam, seu traditiones, volens à nobis manifestari liberiùs quæstionum propositarum expositionem, quam sincerè quæritis, & desideranter audire, quantùm supplebit divina dignatio, licèt mediocri sermone, valido tamen sensu eloquar obtinenda, ad emendandas omnes quippe diversitates, quas discordare arrogantia sola pręsumpsit, Scriptura divina dicente: *Rejecistis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis.* Matth. 7. 9. Si ergo integra cupitis fide veras observationes

tiones agnoscere, dignamini quæ dico libenter advertere. Primo in loco pudoris mihi & pudicitiæ causa proponitur, deinde congestæ quammultæ quæstiones edentur. Singulis itaque propositionibus suo ordine reddendæ sunt traditiones. Sciat ergo vestra sinceritas, quòd si hæc omnia suo ordine prout certa sunt, observentur, nec Deus offenditur, nec schismata generantur, nec hæreses existunt, sed dicent gentes, *Quoniam verè Deus in nobis est Christus Dominus noster, qui vivit & regnat cum Patre, & Spiritu sancto in æterna sæcula sæculorum,* Amen.

CANONES.

I.

De Virginibus velatis propositum non servantibus.

QVÆRITVR de Virginibus velatis & mutato proposito, quid exinde judicatum sit; si ergo velata jam Christo quæ integritatem publico testimonio professa à Sacerdote, prece effusâ benedictionis velamen accepit, sive incestum commiserit, seu furtum, seu volens crimen protegere, adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis, ut quæ sponsa Christi fuerat, conjunx hominis diceretur. In ejusmodi muliere quot sunt causæ, tot reatus, integritatis propositum mutatum, velamen amissum, fides prima depravata, atque in irritum devocata. Quali hîc & quanta satisfactione opus est? quàm magna pœnitentia ejus? quæ interitum carnis incurrit? non est parva culpa reliquisse Deum, & ivisse post hominem. Vnde annis quamplurimis deflendum ei peccatum est, quo dignæ fructu pœnitentiæ facto possit aliquando ad veniam pervenire, si tamen pœnitens pœnitentiam faciat.

II.

De puellis nondum velatis, si contra propositum suum nupserint.

Puella, quæ nondum velata est, sed proposuerat sic manere, licèt non sit in Christo velata, tamen quia proposuit, & ante conjugium velata non est, furtivæ nuptiæ appellantur; ex eo quod matrimonii cœlestis præceptum non servaverit, amore properante ad libidinis cæcitatem. Et his pœnitentiæ agendæ tempus constituendum est, quoniam seu rapta, seu volens, ad virum ire perverso ordine consensit; nec propinquorum, nec sacerdotum testimonio conrogato, tales ad velamen solemnitatis ordinem casto pudore tenuerunt, sed contra veteris testamenti præceptum fecerunt, quas lex lapidari præcepit, & nunc cessante illâ vindictâ spiritaliter feriuntur, ut Ecclesiam tan- A quam mortui introïre non possint; habent tamen pœnitentiæ agendæ locum, sed citò non habent veniam. Quoniam si secundùm legem proclamasset puella, & diu contestata se continuisset, utique fuisset immunis à culpa. Vtrisque ergo expedit sub eadem temporis constitutione à Communione suspendi, dignámque agere pœnitentiam: fletu, humilitate, jejunio, misericordiâ redimere crimen admissum.

III.

B *De castitate, & munditia Sacerdotum.*

Et jam quidem frequenter de talibus sermo noster per plures manavit Ecclesias, maximè de Sacerdotibus, quorum meritum exigit, ut bonorum operum suorum sint plebibus forma, sed quantùm intelligo, cùm Scriptura dicat, loquere ad aures audientium, instruendo aures infundemus. Dum sæpe eadem repetuntur, quæ neglectui habentur à singulis, verè hoc illud est quod dictum est, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis C pervenientes. Quando enim non servatur quod admonetur utiliter, tunc apostolica mandata quasi ignota contemnuntur; judicium tamen de his, quæ commiserunt, non potest immutari. Id primo in loco statutum est de Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quos sacrificiis divinis necesse est interesse, per quorum manus, & gratia baptismatis traditur, & corpus Christi conficitur, quos non solùm nos, sed & Scriptura divina compellit esse castissimos, & Patres quoque jusserunt continentiam D eos corporalem servare debere. Qua de re non prætereamus, sed dicamus & causam. Quo enim pudore, Viduæ, aut Virgini ausus est Episcopus, vel Presbyter integritatem, vel continentiam prædicare, vel suadere castum cubile servare, si ipse sæculo magis institit filios generare, quàm Deo. Adam qui præceptum non servavit, ejectus foràs paradisum, caruit regno, & prævaricatorem putas posse ad regna cœlorum pervenire; ob quam rem Paulus dicit, *Vos jam non estis in carne, sed* E *in spiritu.* Et item, *Et qui habent uxores, ita sint quasi non habeant.* An qui populum hortatur, Levitis & Sacerdotibus blandiens licentiam præberet opus exhibere carnale? Idem ipse dicens, *Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.* Et alibi: *Vellem autem omnes sic esse, sicut me ipsum.* Quî militat Christo, quî in sede residet magistri, qui militiæ disciplinam non potest custodire? De his itaque tribus gradibus, quos legimus in Scripturis, à ministris Dei munditia præcepta est observari, quibus necessitas ministerii semper in

Anno Christi 407.

in promptu est; aut enim baptisma tradendum est, aut offerenda sunt sacrificia. Numquid immundus ausus erit contaminare quod sanctum est, quando quæ sancta sunt, sanctis sancta sunt? Denique illi, qui in templo sacrificia offerebant, ut mundi essent, toto anno in templo solo observationis merito permanebant, domos suas penitùs nescientes. Certè idololatræ, ut impietates exerceant, & dæmonibus immolent, imperant sibi continentiam muliebrem & ab escis quoque purgari se volunt: Et nos interrogatis, si Sacerdos Dei veri, spiritalia oblaturus sacrificia, purgatus perpetuò debeat esse, aut totus in carne, carnis curam debeat facere? si commixtio, pollutio est: utique sacerdos stare debet ad officium cœleste præparatus, qui pro alienis peccatis est postulaturus, ne ipse inveniatur indignus. Nam si ad laïcos dicitur; abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & illi creaturæ utique generationi deserviunt, Sacerdotes tale possunt habere nomen, meritum habere non possunt. Quod si ita est & permanet præsumptio, oportet jam Episcopis, vel Presbyteris, aut Diaconis interdici, ne cum publicanorum vita socientur. Quamobrem nobis contra hujusmodi homines coinquinatos & infideles, in quibus sanctitudo corporis per illuviem & incontinentiam videtur esse polluta, negotium est, talibus mysterium Dei credi non oportere veneratione Religionis ipsâ suadente monemus. Hos enim & ratio justa secernit. Audiant certè: *Quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam*, & audet Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus animalium more subjacere conjunctioni.

IV.

De eo, qui militat jam fidelis.

De eo, qui militaverit jam fidelis militiæ sæculari, notitia est quòd utatur publicâ libertate. Quis enim potest illum custodire? quis negare vel spectaculis interfuisse, vel pecuniæ utilitate impulsum à violentia & injustitia immunem esse non potuisse?

V.

Quòd Romana Ecclesia ad Clerum non admittit eos, qui post baptismum casti non fuerunt.

Romana Ecclesia hoc specialiter custodit, ut si quis parvulus baptisatus integritatem corporis servaverit, admitti potest ad Clerum: vel si quis major fuerit baptisatus & manserit pudicus, unius uxoris vir, potest Clericus fieri, si nullis

A aliis criminum vinculis alligetur. Cæterùm, qui corruperit carnalibus vitiis aquæ sacramenta, post fornicationem etiamsi ducat uxorem, quomodo poterit ad dimittenda peccata ministerio assistere, qui prioris vitæ repetierit cæcitatem? Quomodo illud intelligitur: neque fornicarii, neque idololatræ, & ceteri tales Regnum Dei possidebunt, si nihil inter bonum & malum, inter justum & impium, inter luxuriosum & pudicum, inter observantem legem & publicanum intersit? fient tales ministri, vel sacerdotes non Christi,

B sed potiùs Antichristi. Et ubi est illud, quod sanctus Apostolus Paulus, qui formam tulit Episcopi qualis esset ordinandus antè præcepit dicens; *Irreprehensibilem, Sobrium & Pudicum*, &c. Quomodo hic irreprehensibilis est, qui baptismi sacramentum non potuit custodire? O nova præsumptio? huic sacerdotium creditum, cui pœnitentia sola debetur, ut sordidata longâ satisfactione veniæ beneficia possit abluere.

VI.

C *Quòd per omnes Ecclesias una debeat esse traditio, & disciplina.*

Catholicorum Episcoporum unam confessionem esse debere Apostolica disciplina composuit: si ergo una fides est, manere debet & una traditio; si una traditio est, una debet disciplina per omnes Ecclesias custodiri. Diversis in regionibus quidem Ecclesiæ sunt conditæ, sed per omnem mundum unitate Fidei catholicæ una est appellata. Nam & sic legimus: Vna est columba mea, una est

D perfecta mea, una est genitrix mea.

VII.

Quòd Diaconi extra Paschæ tempus non baptisent.

Non ergo nunc de baptismi ratione, sed de tradentium persona rescribimus. Paschæ tempore Presbyter & Diaconus per parochias dare remissionem peccatorum & ministerium implere consueverunt, etiam præsente Episcopo; in fontem quoque ipsi descendunt, illi in officio sunt, sed Episcopi nomini facti summa conce-

E ditur: reliquis verò temporibus, ubi ægritudinis necessitas consequi unumquemque compellit, specialiter Presbytero licentia est per salutaris aquæ gratiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam & munus ipsi licet, causâ emundationis offerre: Diaconis verò nulla licentia invenitur esse concessa: sed quod semel fortè contigit usurpare, per necessitatem dicuntur excusati, nec posteà in securitate commissum.

Honorii Imp. 13.

VIII.

Anno Christi 407.

Honorii Imp. 13.

VIII.

De oleo exorcisato semel dando.

De oleo sanè exorcisato, capiendúsne brevis numerus dierum, multus in hoc proficit sermo. Fide enim quis sua plena purgatur: si enim chrisma infusum capiti gratiam suam toto corpori impertit, nihilominus & tertio scrutinio scrutatus si oleo fuerit contactus, non sæpe, sed semel, virtute suâ Deus operatur in tempore.

IX.

De eo, qui sororem uxoris suæ duxerit uxorem.

In lege veteris testamenti scriptum est, *Ad suscitandum semen defuncti fratris oportere ducere uxorem*, ita tamen si liberos ex eodem minimè reliquisset: inde est enim quod Ioannes Baptista contradixit Herodi, quoniam non licebat ei accipere uxorem, quia de fratre reliquerat filios; tamen propter virilem generationem legis constitutio imperabat hoc fieri à viro: de feminis nusquam est lectum, sed fortè præsumptum, nam lex dicit: Maledictus qui cum uxoris suę uxore dormierit. Numquid duas habuit uxores Iacob uno in tempore sorores causa mysterii & concubinas & omnes qui nati sunt, Patriarchæ sunt appellati? nunc jam Christianis habere non permittitur. Numquid uxores & concubinas habuerunt? sed nunc hoc non patitur fieri testamentum novum, ubi ampliùs de integritate tractatur, & castitas Christo docente laudatur, cùm dicit: *Non omnes capiunt verbum Dei, sed quibus datur.*

X.

De iis, qui secularem potestatem gesserunt, ad Episcopatum non promovendis.

Eos præterea, qui secularem adepti potestatem hujus sæculi exercuerunt negotia, immunes à peccato esse non posse manifestum est; dum enim & gladius exercitur, aut judicium confertur injustum, aut tormenta exercentur pro necessitate causarum, aut parandis exhibent voluptatibus curam, aut præparatis intersunt, in his se, quibus renuntiaverunt denuò sociantes, disciplinam observationis traditam mutaverunt. Multùm sibi præstant, si non Episcopatum affectent, sed propter hæc omnia agentes pœnitentiam, certo tempore impleto, mereantur altaribus sociari. Nicæni Concilii, divino Spiritu annuente, dum fidei confessio fuisset jure firmata, etiam Apostolicas traditiones Episcopi in unum congregati ad omnium notitiam pervenire voluerunt, definientes inter cætera, neque abscissum Clericum

A fieri, quoniam abscissus & mollis non introibunt sanctuarium Dei. Deinde post baptismi gratiam, post indulgentiam peccatorum, cùm quis sæculi militia fuerit gloriatus, vel illum, qui purpura & fascibus fuerit delectatus, ad sacerdotium aliquâ irruptione minimè admitti jusserunt. Meritis enim & observatione legis ad istiusmodi dignitatis culmen accedunt, non Simonis pecuniâ, vel gratiâ quis poterit pervenire, aut favore populari: non enim quid populus velit, sed quid Evangelica disciplina perquiritur. Plebs tunc B habet testimonium, quoties ad digni alicujus meritum advertens, auram favoris impertit.

XI.

De eo qui avunculi sui uxorem duxerit.

Avunculi filiam ducere non licet, quoniam similis causa generando per gradus patris extranei separatur atque purgatur: retro autem redire fas non est, nam qui torum patris vel matris violare præsumpserit, non hoc conjugium, sed fornicatio nominatur. Quique tamen contra Canones C Apostolicos facere usurpaverit, privandus est sacerdotio, si pertinax fuerit; sin verò se correxerit, aboleatur quod præsumptum est, ut possit reconciliatus nostrum habere consortium.

XII.

Quòd Episcopi ex Laicis assumi non debent.

De ordinationibus maximè observandum est, ut semper Clerici fiant Episcopi, sic enim scriptum est, *Et hi primò probentur, & sic ministrent.* Qui non probatur tempore præcedenti in minori officio mi- D nistrasse, quomodo præponitur Cleto? Non est auditum, necdum tyronem militum imperium suscepisse. Is ergo debet fieri, quem ætas, tempus, meritum commendat, & vita. Aut quare Apostolus Neophytum prohibet, & citò manus alicui imponi non permittit?

XIII.

De eo, qui ab Ecclesia ad Ecclesiam transit.

De his qui ab Ecclesia ad Ecclesiam transeunt, jussi sunt haberi quasi relictâ uxore ad alteram accesserint, quod im- E punitum esse non possit. Talem Episcopum invasorem pudoris alieni Episcopatu privari jusserunt.

XIV.

Quòd abjecti ab Episcopo suo Clerici ab aliis recipi, vel promoveri non debeant.

De Clericis alienis à synodo frequenter est pertractatum atque firmatum, & ratio justa constringit, Clericos abjectos de

Anno Christi 407.

Honorii Imp. 13.

de Ecclesia ab Episcopo suo nec laïcam communionem accipere posse in aliena Ecclesia. Confirmatum manifestúmque est, quòd etiam innocens, sine litteris Episcopi sui, vel formatâ, in aliena ecclesia non potest ministrare. Si quis autem in injuriam Sacerdotis hoc facere præsumpserit, & condemnatum Clericum suscipere vel promovere voluerit, sciat se communicasse peccatis alienis, & incurrisse sententiam Apostoli, qui ait reos esse non solùm qui faciunt contra legem, sed etiam qui consentiunt facientibus. Vnde dimittendum est conscientiæ illius, qui de suo Clerico judicavit, sciens quòd de judicio ejus Deus sit judicaturus in posterum. Audi Dominum dicentem: *Quæ enim vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Quid in injuriam fratris & consacerdotis armaris? cùm enim reus non solùm suscipitur Clericus alienus, sed etiam promovetur; injustus judicatur Episcopus. Hoc quicumque facit, sciat se à Catholicorum societate seclusum, & communionem Sedis Apostolicæ non habere jam posse.

XV.

Quòd Episcopus fines suos transgredi & alienos invadere non liceat.

Illud præterea satis grave est & contra Episcopalem moderationem Sedis Apostolicæ, suos fines excedere, & ad alienam festinare regionem, ordinationes celebrare præ cæteris, non metropolitanum Episcopum permittere in sua diœcesi unà cum vicinis Episcopis, sicut CCCXVIII. Episcopi confirmarunt, tres vel eò ampliùs Sacerdotes, Episcopum ordinare vel subrogare dignissimum. Si quis certè fines alienæ possessionis invaserit, reus violentiæ judicatur. Quid curritur? quid festinatur, ut regula Ecclesiastica conculcetur? leges humanæ tenentur, & divina præcepta contemnuntur. Præsens gladius formidatur, & temporalis pœna; divina verò vindicta, quæ habet flammas gehennæ perpetuas, negligitur. Videritis quæ præsumptio fecerit; ex hoc si quis in aliena diœcesi ausus fuerit ordinationem facere, eámque præsumere, sciat se de statu suo posse periclitari, qui alienam Ecclesiam invadere præsumpserit. Non est seculare aliquid, non sunt mundanæ promotiones: audiamus Apostolum dicentem: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis: teipsum castum custodi;* si leguntur scripta, & timor divinus sit in nobis, omnia scandala poterunt separari, & unanimitas per omnes fratres placidâ, plenáque caritate consistere.

XVI.

De iis qui ab Episcopis suis excommunicati & ab aliis postea Cleri facti sunt.

Præterea etiam Laïci dicuntur à communione, cognitâ causâ, seclusi & ab alio Episcopo Clerici facti. Hoc jam super omne, malum est. Vnde aut conventi corrigant, qui talia ausi sunt facere, ita ut removeantur hi, quibus indignè ordo collatus est, aut ad nos nomina eorum deferantur, ut sciamus à quibus nos abstinere debeamus.

NOTA.

Ex contextu prædictorum colliguntur sequentia, scilicet, hæc in synodo dictata fuisse, atque à Romano Pontifice illius præside transmissa, & quidem (ut legitur in codice Fossatensi) ad Gallos Episcopos, consulentes Innocentium Papam exemplo, ut videtur, ejusdem nationis Episcoporum, Victricii, Exuperii & aliorum, ad quos extant hujus Papæ Innocentii epistolæ de rebus plerisque affinibus huic synodo, similisque ferè styli utrobique, quas conferre ac legere est in editione Conciliorum Galliæ: Vnde visum est post epistolarum ultimam ejusdem Innocentii ad illos, collocare hoc Concilium nempe anno 407.

Anno Christi 418.

Honorii Imp. 24.

* LEPORII PRESBYTERI LIBELLVS Emendationis, sive Liber Satisfactionis

CONFESSIONEM FIDEI CATHOLICÆ CONTINENS DE Mysterio Incarnationis Christi cum erroris pristini detestatione.

AD EPISCOPOS GALLIÆ.

Dominis Beatissimis & Venerandissimis Dei Sacerdotibus Proculo & Quillenio, Leporius exiguus.

Ex codice Monasterii Herivallensis

QVID in me primùm, ô Domini mei venerandi & beatissimi Sacerdotes, accusem nescio; quid in me excusem non invenio. Sic imperitiæ superbia, sic stulta simplicitas cum persuasione noxia, sic fervor cum intemperantia, sic ut veriùs dicam, cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta viguerunt, ut tot & tantis simul sit & obedisse confusio, & hæc eadem ab animo potuisse rejicere, mihi stupenda sit gratulatio. Agnosco igitur delictum meum, & ipse mei accusator libenter existo. Sed spero misericordiam, quia ignorans feci.

feci. Inexcusabilis namque mihi causa peccati, si A perfectè sciens studio aliquid intentionis egissem. Testem Deum invoco in animam meam, veritatem credidi errorem meum, & obscuras tenebras lucem sincerissimam computavi. Æmulatio Dei, sed non secundùm scientiam, me fefellit incautum. At nunc, quod beatitudini vestræ fore credidimus gratum, misericordia ejus deviantem in aspera & per dumosa gradientem, ad viam rectam revocavit. Et prava facta sunt ergo mihi indirecta & aspera in vias planas. Atque ab omnibus meis consacerdotibus & fratribus vestris jam abstersa caligine instructus, intelligo in qua ex parte fuerim cæcitate. Et idcirco supplicem me veritatis ipsius reddit agnitio. B Fateor, ignoranter erravi, & regulam veritatis in quibusdam, dum mihi ad integrum tenere videbar, excessi. Palàm facta est imperitia mea, & hoc mihi onerosior, quia cum multorum scandalo tueri conatus sum, quod sicut nunc luce clarius manifestatur, errore humani sensus magis, quàm ratione fidei præsumpseram defendendum. Sed quia aliud fieri non poterat, nisi ut propria stultitia in me viveret, quando ego mihi discipulus habueram me magistrum. Et utinam præsumptionem meam, quam animaverat inscientia, fregisset humilitas. Sed heu mihi! quia in utroque inventus sum & temerarius & superbus. At jam ista, veniâ vestrâ, prætervolo, & quod nunc instat agere non morabor. C Festinabo vulnera curare, qui sana transfodi. Non erit in suscipienda medicina confusio, quia in custodienda valitudine non fuit cauta provisio. Vnde nata est discordia, pax inde gignatur. Epistola itaque auctor scandali, & offendiculum caritatis, à me quondam simpliciter scripta quidem, sed in quibusdam, ut agnosco, infideliter ordinata, quæso secundùm hujus Epistolæ professionem, & sanctimoniæ vestræ auctoritatem, ut in ea paginæ parte, vel causa, in abolitione calcanda ducatur, in qua contra veritatem per ignorantiam edita comprobatur; ut cunctis innotescat & pateat, justo judicio D illud quod erat æmulum fidei, contrarium veritati, de corpore ejusdem Epistolæ cum damnatione esse decisum. Clamo, verum fateor, ò Domini mei. Quidam fratres meliùs interiora cernentes, sed nos multò exteriora palpavimus; & in propria caligine constituti, illis qui propiùs intuebantur, reputavimus cæcitatem. At nunc favente Domino, apertis quandoque oculis, cum illis verum lumen aspicimus. Atque in eadem lucis gratia posito nobis à vero medico sanitatis luto super oculos, revocamus aspectum: & Iesum Christum Dominum, non ut antea fallebamur, sed sicut est veritas, sincerissimo intuemur obtutu: atque juxta Symboli veritatem, id quod secundùm priorem definitionem nostràm, ubi non impietate aliqua, sed seducebamur errore, E dicere verebamur de Maria Deum natum, nunc constantissimè confitemur; tamen quod Christum Filium Dei tunc etiam natum de sancta Maria negaremus. Et sicut & ipsi recordamini, sed minimè attendentes ad mysterium fidei, non ipsum Deum hominem natum, sed perfectum cum Deo natum hominem dicebamus: pertimescentes, scilicet, ne divinitati conditionem adsignaremus humanam. O stulta sapientia! quasi si cum homine Deus nasci non aspernaretur, ipse præjudicio status sui nasci homo dedignaretur. Aut illud poterat, sed hoc fortè non poterat.

Credo planè Deum hoc non posse, quod non vult: si nasci voluit quæ Deus voluit, certissimè credo quia potuit; quoniam status Dei nullum potest periculū sustinere; nec homo propter nos factus ut ederetur ex homine indignum habuit: quia nec ipsam hominem facere, de qua homo nasceretur, duxit indignum. Si ergo minimè percipientes hanc potentiam Dei, sensu nostro & propria ratione sapientes, ne quasi inferiora se Deus agere videatur, ita hominem cum Deo natum esse dicamus, ut seorsum quæ Dei sunt, soli Deo demus, & seorsum quæ sunt hominis, soli homini reputemus, quartam manifestissimè inducimus in Trinitate personam; & de uno Filio Dei non unum, sed facere incipimus duos Christos: quod à nobis ipse jam Dominus & Deus Christus avertat. Ergo confitemur Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum, unicum Filium Dei, qui ante sæcula natus ex Patre est, novissimo tempore de Spiritu sancto & Maria semper Virgine factum hominem Deum natum. Et confitentes utramque substantiam carnis & Verbi, unum eundemque Deum atque hominem inseparabilem pia fidei credulitate suscipimus. Et ex tempore susceptæ carnis, sic omnia dicimus quæ erant Dei transisse in hominem, ut omnia quæ erant hominis, in Deum venirent, & hac intelligentia Verbum factum sit caro, non ut conversione aut mutabilitate aliqua cœperit esse quod non erat, sed ut, potentiâ divinæ dispensationis, Verbum Patris, nunquam à Patre discedens, homo propriè fieri dignaretur, incarnatusque sit unigenitus secreto illo mysterio quod ipse novit. Nostrum namque est credere, illius nosse. Ac sic, ut ipse Deus Verbum, totum suscipiens quod est hominis, homo sit, & adsumptus homo, totum accipiendo quod est Dei, aliud quàm Deus esse non possit. Non tamen, quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio ejus est accipienda substantiæ. Novit enim Deus sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri. Novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti: qui se ipse totum novit infundere, ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundùm experimentorum visibilia documenta facientes conjecturam de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, & tali confusione carnis & Verbi quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio partis utriusque corruptio est. Deus enim qui capax est, non capabilis, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis: qui ubique simul totus, & ubique diffusus est per infusionem potentiæ suæ, misericorditer naturæ mixtus est humanæ, non humana natura naturæ est mixta divinæ. Caro igitur proficit in Verbum, non Verbum profecit in carnem. Et tamen verissimè Verbum caro factum est. Sed ut diximus, solum propriè personaliter, non cum Patre, aut cum Spiritu sancto naturaliter: quia unigenitus Deus, Deus qui cum Patre & Spiritu sancto unus est in natura, alter est in persona. Non enim ipsum Patrem dicimus esse, quem Filium: nec iterum eundem Filium dicimus esse quem Patrem: aut rursus Spiritum sanctum Patrem vel Filium nuncupamus. Sed distinguentes personas in suis proprietatibus, Patrem Deum

Anno Christi 418.

Patrem propriè nominamus, & Filium Deum A Filium propriè dicimus, & Spiritum sanctum Deum Spiritum sanctum propriè confitemur. Et cùm ter numero dicimus Deum, & Deum, & Deum, non tres credimus Deos, sed unum in omnipotentiæ suæ Trinitate perfectum. Nascitur ergo nobis propriè de Spiritu sancto & Maria semper virgine Deus homo Iesus Christus Filius Dei, ac sic in alterutrum unum fit Verbum & caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utrâque substantiâ, sine sui præjudicio & humanitati divina communicent, & divinitati humana participent. Nec alter Deus, alter homo, sed idem ipse Deus qui & homo; & vicissim homo qui & Deus Iesus Christus, unus B Dei Filius & nuncupetur & verè sit. Et ideo agendum nobis semper est & credendum, ut Dominum Iesum Christum Filium Dei, Deum verum, quem cum Patre semper & æqualem Patri ante sæcula confitemur, eundem à tempore susceptæ carnis factum Deum hominem non negemus. Nec quasi per gradus & tempora proficientem in Deum, alterius status ante resurrectionem, alterius post resurrectionem eum fuisse credamus; sed ejusdem semper plenitudinis atque virtutis. Et quia omnes infirmitates nostras, id est naturæ nostræ, portavit, & verè secundùm carnem suscipiens in se affectus nostros, ad probationem veri hominis, currente C in eodem nihilominus cursu nostræ mortalitatis potestate, scilicet, non necessitate, ætate & sapientia, Evangelista dicente, profecit: *Esurivit, sitivit, fatigatus est, flagellatus est, crucifixus est, mortuus est, resurrexit.* Non ideo à divinitatis natura mutatus est. Inconvertibilem enim & incommutabilem, & impassibilem naturam Divinitatis jam superiùs professi sumus: sed quia Verbum Deus in hominem dignanter hominem suscipiendo descendit, & per susceptionem Dei homo ascendit in Deum Verbum, totus Deus Verbum factus est totus homo. Non enim Deus Pater homo factus est, nec Spiritus sanctus, sed Vnigenitus Patris. Ideoque una persona accipienda est carnis & Verbi; ut fideliter sine aliqua dubitatione credamus, unum eundemque D Dei Filium inseparabilem semper geminæ substantiæ etiam gigantem nominatum, in diebus carnis suæ, & verè semper gessisse omnia quæ sunt hominis, & verè semper possedisse quæ Dei sunt. Quoniam & si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Quapropter jam non pertimescimus dicere, secundùm Deum & ex homine natum Deum; secundùm hominem, Deum passum, Deum mortuum, &c. Sed gloriamur dicere Deum natum, eundemque secundùm hominem Deum passum. *Non enim erubesco Evangelium*, Apostolus dicit, *virtus enim Dei est, in salute omni credenti.* Vtique virtus E est in salute, secundùm hominem credere Deum passum. Non credenti autem, Dei existimatur infirmitas, in perditione, Deum secundùm carnem non credere crucifixum. Vnde iterum idem Apostolus: *Nos autem prædicamus Christum, & hunc crucifixum, utique Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Quid enim tam stultum & tam infirmum videtur hominibus incredulis, quàm cùm audiunt Deum Dei Filium crucifixum? Sed placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quia in hoc maximè fides

Luc. 2. 52.
Rom. 1. 16.
1. Cor. 1. 23.

Honorii Imp. 24.

nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium; non phantasticum, sed verum; non temporarium, sed æternum, pro nobis omnia secundùm carnem fuisse perpessum; & non sibi agonizasse, sed nobis; nec propter se, sed propter nos, quia jacebamus, illum ab excelsis misericorditer ad ima venisse. Quia sicut Apostolus dicit: *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,* &c. Quid tam apertum, quàm ex hoc testimonio mysterium tantæ dispensationis agnoscere? In forma enim Dei quis nisi Deus est? Et quomodo, videamus, fons plenitudinis exinanivit semetipsum? nónne dum forma Dei formam accipit servi? dum principaliter Dominus ea quæ sunt famuli dignanter adsumit? dumque pro indulgentia & miseratione nostri, gerendo inferiora se videlicet vel agendo, Verbum caro factum evacuat in persona quod possidet in natura? Et in vero humanitatis habitu factus obediens in homine, illud in se per humilitatem & obedientiam naturæ nostræ restituit, quod per inobedientiam perierat in Adam. Et in carne mortuus, semper vivit in spiritu vivificans cum Patre omnia. Iam nunquam de cætero moriturus, eadem à Patre suscitatus in carne. Et fit nobis primogenitus ex mortuis, qui est unigenitus Dei vivi ac vivens ante sæcula. Propter nos pauper in tempore, ac indigens in homine, nobis accepit, quod abundans sibi semper habet in Patre. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Donatur illi propter nos. Nomen accepit: largitur autem omnibus, quia largiter omnium Deus, Deum se in donando cognoscit, hominem in accipiendo se novit. Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, & terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris. Hæc fides nostra, & hæc mutatio dexteræ Excelsi, in emendatione meliori. Sic credimus, sic tenemus. Et hoc non ex nobis. Dei enim donum est, non ex merito propriæ sapientiæ, ut non gloriemur in nobis. Ipsius enim factura sumus: jampridem quidem creati in Christo: at nunc iterum parturientibus nos in luce Apostolicis viris, in eodem reparari. Ipsi ergo honor semper & gloria. De eo autem quod stultissimè in epistola illa proposuimus, sed ignoranter, quodque nunc execrabile confitemur, id est aptantes ad Christum, laborem, devotionem, meritum, fidem, in tantum inconvenientia hæc Dei Filio judicamus, ut reminiscentes dictum à nobis, summam cœcitatem insipientiæ nostræ reputemus, & ex aperto cernamus, quàm vera quidam sint adversùm nos ratione commoti. Qui tanquam vnicuique sanctorum, licèt hoc nunquam habuerimus in corde, penè Christum similem fecerimus. Et illi, qui super omnes est Deus, hæc quæ habet simplex & nuda mortalitas adsignantes, inter cæteros quodammodo cum posuerimus in numero. Licèt caput corporis dicatur, & verè sit Ecclesiæ corporis caput, atque ex eadem massa, qua omne genus hominum descendit secundùm carnem, absque peccato venire noscatur: non tamen qui singularis est, inter cæteros computandus est: nec illa ad ipsum referenda sunt, quæ possunt habere mensuram, quia ad ipsum dictum est: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Vbi enim plenitudo

Philip. 2. 6.
Ioan. 3. 34.

tudo Deitatis est, illic nec mensura, nec modus est. Nescit devotione, labore, fide, merito, finem adprehendere meritorum, qui infinitus & sine terminis agit omnia potestate. Fide quidem homo, & verè secundùm carnem homo nascitur. Sed Deus esse non desinit. Nutritur, proficit, crescit, adolescit. Et sicut agnus coram tondente mutus, convitia sustinet, & flagellatur, & maledictam mortem Auctor vitæ veniens in carnem non respuit. Sed hęc omnia, non ut unus ex nobis, necessitate consummat, sed potestatem habens animam suam ponere, & potestatem iterum habens sumere illam, dignanter suscepit voluntate. Illud etiam minimè reticendum censeo, quod in eadem epistola simili devians errore subjunxi, Christum Dominum nostrum sic omnia quæ erant passionum implesse, ut in nullo quasi perfectus homo à divinitatis auxilio juvaretur. Volens scilicet ita in Christo hominem adsignare perfectum, quo & alienum ab his passionibus Verbum Patris adsererem. Et solùm per se hominem egisse hęc omnia possibilitate naturæ mortalis, sine aliquo Deitatis adjutorio probare conabar. Verè cæcus, qui susceptum in Deo hominem confitebar, & quæ erant ipsius hominis, nolebam in Deo esse suscepta. In hoc utique haud dubiè in se susceperat totum hominem Deus; ut hęc quę nos tanquam Deo putamus indigna, non per se solus homo ageret judicio naturali, sed Deus per hominem, atque in homine, ipse homo nobis factus, potestate & mysterio divinæ dispensationis impleret. Dehinc, ne quid insipientiæ deesset meæ, doctissimus scriba de non intellectis non intellecta confirmans, hęc ita debere intelligi, quæ suprà posuimus, arbitrabar, ut testimonio illo quo scriptum est, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* (Psal. 21. 1.) hoc ipsum eniterer adsignare. Et idcirco Dominum gloriæ in cruce hunc clamoris emisisse sermonem, quòd perfecta hominis patientia, minimè adjuvante Deitate, in tantis doloribus probaretur. Ergo si causâ probandæ humanæ patientiæ hanc vocem in doloribus constitutus emisit, debuit etiam & tunc ad probationem ejusdem patientię eisdem sermonibus hoc clamare, cùm cęsus est. Debuit & tunc eadem verba proferre, cùm illa multiplici vulnerum corona, ubi tot fuere pœnę, quot spinas illusus accepit. Aut forsitan fuerunt Christo ista leviora, illa graviora. Arbitror quòd qui unam ad suscipienda hęc omnia habere dignatus est voluntatem, unam eandemque habuit ad hęc omnia patienda virtutem. Clamavit ergo sicut scriptum est, & in ligno crucis pendens hanc vocem primò morti emisit, non ut humanam perfectamque in se patientiam demonstraret, quę sine testimonio vocis, causis ipsis & rebus evidentibus probaretur: sed verè manifestéque Filius Dei secundùm carnem se ostenderet moriturum. Et velut carnis ipsius voce utens, ponens pręteritum pro futuro, quia per mortem crucis necessariò terrenum corpus erat à Deo pro tempore relinquendum, non solùm à Deo, verùm etiam ab anima sua quæ erat unita cum Deo, hoc ipsum priusquam fieret, nobis moriens testaretur. Non enim tradito spiritu caro mortua poterat hoc clamare; alioquin Christum mortuum in veritate quis crederet? Deus non in passionibus hominem, qui in homine secundùm carnem dignatus est pati, sed corpus in morte, & juxta legem excessus humani, divinitas cum unita sibi anima, non crucifixum hominem reliquit in pœnam, sed exanimem carnem deseruit ad tempus. Et tam Christus Filius Dei tunc mortuus jacuit in sepulchro, quàm idem Christus Filius Dei ad inferna descendit. Sicut beatus Apostolus dicit: (Eph. 4. 9.) *Quod autem ascendit, quid est nisi etiam quod descendit primùm in inferiores partes terræ; qui descendit ipse est qui ascendit super omnes cœlos.* Ipse utique Dominus ac Deus noster Iesus Christus unicus Dei, qui cum anima ad inferna descendit, ipse cum anima & corpore ascendit ad cęlum, quò & hìc & in futuro Deum hominemque perfectum eundemque Filium Dei, Deum verum in æterna sęcula veneremur. Hunc igitur Dominum Deum meum, secundùm magnum pietatis sacramentũ, sicut in carne natũ, in carne passum, in carne mortuum, in carne suscitatum, in carne elevatum, in carne glorificatũ credo atque confiteor: ita ipsum propriè in eadem carne credo esse venturum ad faciendum judicium in vivos & mortuos: atque ab eodem pro merito proprio unumquemque sempiternum habere pręmium. Vt autem & hinc nihil cuiquam in suspicione derelinquam, tunc dixi, immo ad objecta respondi, Dominum nostrum Iesum Christum secundùm hominem ignorare. Sed nunc non solùm dicere non pręsumo, verùm etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam: quia dici non licet, etiam secundùm hominem ignorasse Dominum Prophetarum. Causarum verò cęteras quęstiones, aut intentione, aut exhortatione, aut in fraterna collatione protulimus. Vbi si fortè sensu magis, quàm fide discrepavimus, quia longum est ire per singula, secundùm hujus epistolæ fidem, ita nos illas omnes, sicut ordo Ecclesiæ Catholicæ tenet, aut suscipere aut reprobare testentes, Dominum Christum non aliud profitentes & aliud habentes in corde, sincerissimè confitemur. Sanè ad condemnandam à nobis totius hęresis infamiam, quia Catholicos nos ex Catholicis semper secundùm puram conscientiam novimus, anathema omnibus hereticis dicimus, Photino, Ario, Sabellio, Eunomio, Valentino, Apollinari, Manichęo, & universis contra sanam doctrinam venientibus. Quia etsi lapsi sumus lingua, vel sensu, non tamen voluntate, vel corde sicut scriptum est, *qui labitur lingua, sed non ex corde.* (Eccl. 19. 16.) Quis est enim qui non delinquit in lingua sua? equidem, Domini mei venerandissimi & beatissimi sacerdotes, prout potui, filius pacis secundùm Apostolum dicentem: (Iac. 2. 10.) *Qui observaverit totam legem, offendat autem in unum, factus est omnium reus*, non in paucis, sed in grandibus offendens, feci me ex toto corde in omnibus reum. Sed in hoc perfectam probavi caritatem eorum, qui me persequuti sunt, non tamen gratis; quod tam velociter pleno amore susceptus sim emendatus, quàm intentione perfecta & æmulatione insecuri sunt aberrantem. Mihi autem teste Deo loquor, desiderabilis omnium & optabilis pax est. Quod superest nunc, iterum iterumque deprecamur, date veniam ignoscendo nobis, & impetrate orando pro nobis. Opto vos, Patres, in Deum vivere.

Ego Leporius libellum meo sensu dictatum, in quo fidem meam Deo volente in finem usque tenebo, medullitùs exprimere volens, coram sanctis Episcopis in Ecclesia Carthaginensi relectum subscripsi.

ANNO CHRISTI 418.

HONORII Imp. 24.

Ego Domninus hanc fidem teneo, confiteor, huicque subscripsi.

Ego Bonus hanc fidem teneo, confiteor, huicque subscripsi.

Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, oblato à Leporio libello ac relecto subscripsi.

Augustinus Episcopus Hipponereiensis regionis, oblato nobis à Leporio libello subscripsi.

Florentius Episcopus Hipponiensium Diarritorum, oblato nobis à Leporio libello subscripsi.

Secundus Episcopus Ecclesiæ Aquensis sive Megarmitanæ, oblato nobis à Leporio libello subscripsi.

Finit Libellus satisfactionis Leporii.

NOTA.

Hunc Leporii libellum supplemus ex editione Sirmondi post epistolam Episcoporum Africæ, quæ hactenus edita fuit in Conciliis, ex alio MS. sancti Laurentii Leodiensis, in quo huic epistolæ titulus in hæc verba præfixus est. [Epistola Aurelii, Augustini, Florentii, & Secundini ad Consacerdotes Proculum & Cylinnium de quodam Leporio, qui pro eo quòd non recta quędam saperet, nec vera de fide sentiret, pro hac sui erroris præsumptione à sanctis memoratis Patribus Proculo & Cylinnio correptus, & de loco suo ejectus, ad sanctos Augustinum, & alios præmissos viros pervenit gratiâ confugii. Vnde ab eis salubriter correctus, & ad sanam doctrinam reductus, suo est Episcopo per propriam epistolam catholicè sentientem cum sociis reconciliatus] Quem quidem Leporii libellum variis nominibus veteres designant. Ioannes II. Papa epistolam vocat, Cassianus flebiles confessionis & planctus litteras, Gennadius libellum emendationis, Facundus, & Ado Viennensis librum satisfactionis, quod etiam illi nomen est in illo codice monasterii Hesivallensis. Constat autem ex eodem libello Leporium habuisse duos erroris, simul ac emendationis socios, unáque illi subscripsisse hos tres, de quibus etiam Episcopi Africæ fidem faciunt in epistola, in qua legitur Cylinnius, & Secundinus, pro Quillenio, & Secundo Episcopis in libello Leporii. Porro, cùm habeamus ex epistola Ioannis II. Papæ ad Senatores, hunc Leporii libellum à synodo Africana firmatum fuisse, videtur potiùs is & subscriptus & missus quoque ad Galliarum Episcopos tempore illius ultimæ universalis, anno, 418. Carthagine ab omnibus & singulis pręsentibus Episcopis, ob id dictæ universalis, adversùs aliorum quoque hęresim celebratæ; tum ex eo quòd Proculus Massiliensis Episcopus tunc adhuc superstes, atque nondum alter, ejus loco acceptus esset, juxta epistolam Zosimi Papæ ad Massilienses conscriptam, numero septimam in editione Conciliorum Galliæ.

ANNO CHRISTI 419.

HONORII Imp. 25.

CONCILIVM VALENTINVM, jussu Bonifacii Papæ ab Episcopis Galliarum Diœcesis congregatum.

In quo primùm Maximi Valentinæ civitatis Episcopi causa variis criminibus accusati discussa est, antequam judicium causæ referretur ad Sedem Apostolicam; quæ sanè notanda sunt ad usum Ecclesiæ Gallicanæ veterem de judiciis majorum causarum ex epistola Bonifacii Papæ scripta Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Severo, Valerio, Iuliano, Castorio, Leontio, Constantino, Ioanni, Montano, Marino, Mauricio, & cęteris Episcopis per Gallias, & septem provinciis constitutis. *Valentinæ* (inquit) *nos Clerici civitatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum teste totâ provinciâ asserunt commisisse. Ideóque, fratres carissimi, decrevimus vestrum debere intra provinciam esse judicium, & congregari synodum ante diem Kalendarum Novembrium: ut si adesse voluerit, præsens si confidit ad objecta respondeat: si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrùm in præsenti examine omnia quæ dicta sunt, comprobentur, cùm ipsa quoque pro confessione, procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes provincias, litteras dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare judicio. Quicquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, nostrâ, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur. Data sub die Idus Iunias. Monaxio V.C. Consule, cujus consulatus cadit in annum Christi 419.* Certum est igitur synodum in provincia Viennensi habitam esse; nec immeritò appellari Valentinam censemus, ob ea, quæ opportuniùs in hac civitate contra Episcopum ejusdem tractaturi erant cęteri Galliarum Episcopi.

ANNO CHRISTI 431.

VALENTINIANI III. Imp. 6.

CONFESSIO TIRONIS PROSPERI Aquitani.

Ex Bibliotheca Vaticana.

NATO mihi quondam sub lege peccati, & transfusâ in me à parentibus ordinariâ mortis conditione captivo, ne longo ferocis domini jure detinerer, inter ipsa me vitæ initia, misericors & miserator Domine, liberasti. Antè inveni tyrannicidam, quàm intelligerem servitutem. Querantur qui volunt de salutis suæ celeritate: ad excusationem violatæ regenerationis, rudem ætatem, & imprudentes causentur annos; mihi semper adorabitur velox dignatio, & pręparata clementia. Nam velut ignaro mihi hoc unum profuisse intelligo, quod licèt ego à tuis donis recesserim, in me tamen tua dona manserunt. Renatus itaque in Christo Iesu per Spiritum sanctum tuum, hęres adscriptus, filius nuncupatus, nil minùs quàm senior frater accepi: quin etiam remisso legalis observantiæ onere, initiatus à gratia, non de Iacob sed de Esaü, Israël tuus factus sum. Felix profectò, si acceptam substantiam, non dicam multiplicatam, sed integram, vel otiosâ innocentiâ, si non operante, servassem: sed heu me miserum! relictâ patris domo abii in voluntarium desertor exilium; & duce vitiorum omnium multitudine, intima quęque Ægypti per spatiosorum itinerum proclivia deceptus intravi. Illic attritâ decoris

ANNO CHRISTI 451. VALENTINIANI III. Imp. 6.

decotis stolâ, & nobilitatis veste corruptâ, inopem me, & paternorum decoctorem bonorum, subdoli comites, infideles amici sub hasta mortis, & auctione peccati cupidissimis licitatoribus vendiderunt, sub quorum longo & gravi confectus imperio, in Babyloniorum etiam jura transivi. Ibi cùm per innumeras sævissimarum dominationum vicissitudines, non in subjectione corporis, sed animi sudore servirem, & dignis confusus officiis, pejore quotidie status mei conditione turbarer: subtraxi me, quantùm ab instantibus dominis licuit, in occultum spiritus cordisque secretum: & apprehenso cujusdam sanctarum Scripturarum volumine, quid mihi adhuc spei superesset inspexi: ac multo perfusus imbre lacrymarum, quousque, inquam, dominabuntur mihi qui me oderunt? quamdiù inimicis meis serviam? Istis quidem ipse me dedi, & per lethiferas voluptates pretium meæ perditionis accepi. Sed pacisci de me meo jure non potui. Habebam enim dominum, & meus non eram. Scio enim me ejus redemptum sanguine, cui cœlestia, & terrena, & inferna subjecta sunt. Quid istis mecum est, quorum commercium mors est? revertar ad eum qui me emit ad vitam. Ac ne me revertendi moriatur facultas, quia in medio gentis alienæ sum, & regni sui limites barbarus dispositis servat excubiis; bene est, quòd Redemptorem meum tenentem omnia loca non tenent. Præsens cœlis, inferis adest, totus in abyssis est, totus in terris: non itinere adeundus, non navigatione quærendus est. Ipsum in Hierusalem reliquimus, ipsum in Ægypto prætermisimus, ipsum inter Babylonios non videmus. Sed quæramus & apparebit, pulsemus & aperiet, petamus & tribuet. Verùm, heu me miserum! erubesco quia nudus sum, & nihil habens, quo membrorum meorum inhonesta circumtegam; obscœnæ egestatis dedecore confundor. Tum quo ore, quâve conscientiâ tantæ familiæ oculos, & tanti Patris subibo conspectum? quasi verò tolerabilius judicium sit accusatis, quàm confessis; reis contumacibus, quàm supplicibus, exhibitis quàm reversis. Habeat quantaslibet cruces ignominia pœnitentis, levior erit ignis verecundiæ quàm gehennæ.

Adteximus alteram ex codice Petaviano hactenus ineditam, quæ Generalis est.

Confessio generalis Pœnitentium.

REUS ego & miser confiteor tibi æterno Deo, vivo, & vero, & tibi sanctæ Mariæ Dei genitrici, & vobis omnibus Sanctis, Angelis, Thronis, Virtutibus, Dominationibus, Principatibus, Potestatibus, Cherubim atque Seraphim, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Discipulis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, & vobis omnibus Sanctis. Vobis confiteor peccata mea.

Mea culpa. Quia lapsus sum in peccatis, corrui in delictis, in membris singulis naturæ modum excessi, & impiis me laboribus obnoxium feci. Mea culpa. Peccavi in superbia, vana gloria, invidia, jactantia, arrogantia, ignorantia, negligentia, somnolentia, odio, ira, impatientia, tristitia, accidia, avaritia, gula, ebrietate, cupiditate, luxuria, fornicatione, rapacitate, adulterio, incestu, omni immunditia, cogitatione, locutione & opere, elatione, simulatione, visu, auditu, gustu, odoratu & tactu, sensu, consensu, osculo, complexu immundo & iniquo, concupiscentia, delectationibus, pollutionibus, diversis mendaciis, perjuriis, detrectationibus, adulationibus, scurrilitatibus, rapacitatibus, maledictionibus, murmurationibus, criminationibus, discordiis, verbis otiosis, sacrilegiis, homicidiis, furtis, multiloquiis; multa & innumerabilia sunt peccata mea. Mea culpa.

Negligens sum de omni opere Dei, & de ordine meo, ac de servitio Dei omnipotentis, sanctæ Mariæ Dominæ meæ, & omnium Sanctorum tuorum. Mea culpa.

Iactans & elatus sum in omnibus actibus meis, & de omnibus beneficiis Dei, & polluta est omnibus vitiis infelix anima mea, propterea precor vos omnes, Sancti Dei, intercedere dignemini pro nobis, & pro me misertimo indigno peccatore, precibus & meritis beatæ, & gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum suorum.

Misereatur mihi omnipotens Deus, & dimittat mihi Dominus omnia peccata mea, liberet me ab omni malo, & conservet me in omni opere bono, & perducat me Dominus ad vitam æternam.

ANNO CHRISTI. 451. VALENTINIANI III. Imp. 26.

CONCILIUM ARELATENSE II.

Index eorum quæ ad illud pertinent.

Admonitio ad Lectorem de hoc Concilio.

CONSTAT illud & à Ravennio Episcopo & adversùs hæreses diversas, videlicet Novatianorum, Photiniacorum, Paulianistarum, Bonosiacorum, Arianorum, atque Eutychianistarum, ante Calchedonense quidem Concilium, eodem tamen anno 451. convocatum. Hæc duo patent, tum ex Canonum lectione, tum ex epistolis Leonis Papæ. Additur quoque quod Galliarum Episcopi circa hæc tempora postularint ab eodem Leone, ut Ravennio novo Arelatensi Episcopo reformaretur, quod Hilarius decessor ipsius merito nimiæ præsumptionis amiserat,



Anno Christi 451.

amiserat, ut loquitur ipse Leo Papa in responso A ad illorum epistolam propter Ecclesiæ Arelatensis privilegium. Quod tamen concessum postea videtur, tum ex epistola Leonis ejusdem ad ipsummet Ravennium missa cum exemplo dogmaticæ ejus epistolæ ad Flavianum Constantinop. quam à Ravennio cum Episcopis omnibus communicari jubet; in quâ missione consistit privilegium singulare Apostolicum, quod sanè absque synodi convocatione demandari non valet executioni; tum etiam ex subscriptione Ravennii, qui licèt sacerdotio junior Episcopus, synodali epistolæ ad Leonem primus subscripsit, & cui quoque primo ante hos omnes Galliæ Episcopos inscripsit idem Leo suum ad eandem B synodicam rescriptum. Quæ omnia Canonem 18. hujus Concilii de privilegio Arelatensis Episcopi præsertim ad synodum congregandam asserunt, & consentiente adhuc Leone Papa, & Ravennii potiùs tempore, quàm Hilarii conditum fuisse, licèt adversùs hunc antè præscripta fuerit hac de re Leonis ejusdem epistola ad Episcopos provinciarum maximæ Sequanorum & Viennensium.

In quo etiam Concilio epistola Leonis ad Flavianum scripta, & ad Episcopos Galliarum missa laudatur atque comprobatur, ac de ipsamet eidem Leoni rescribitur ab illis; cujus Concilii epistola extat à Ravennio Arelatensi conscripta, & per Ingenuum Ebredunensem Romam allata. C Cui quoque Concilio nunc restituuntur & jure quidem, Canones 56. qui vulgò dicuntur Arelatenses; cùm verissimum sit hos omnes Episcopos unà congregatos non recessisse à loco cœtus absque Canonum aliquorum sanctione, more Ecclesiastico, quem observare est in antiquorum Galliæ Conciliorum editione, ac secundùm consuetudinem, ut loquitur synodus Vasensis III. ne congregatio sancta sine aliqua definitione discederet. Quod & reverà factum est Arelate ab illis Patribus antiquis Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimis post Arausicanæ primæ & Vasensis secundæ synodorum tempora, quarum excerptio legitur in iis Canonibus, exemplo Episcoporum Africæ, qui Conciliorum D Aurelii Carthaginensis Episcopi ætate celebratorum Canones eodem modo excerptos digesserunt.

SANCTI LEONIS PAPÆ Epistola dogmatica.

Ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum adversùs hæresim Eutychianam.

Nunc ex antiquis codicibus emendatior, quàm hactenus prodierit.

Ex editione P. Chiffletii Soc. Iesu.

DILECTISSIMO fratri Flaviano Episcopo Constantinopolitano, Leo Episcopus. Lectis dilectionis tuæ litteris, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset, agnovimus, & quæ priùs videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt; quibus Eutyches, qui Presbyterii nomine honorabilis videbatur, multùm imprudens, & nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit à Propheta; *noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo.* (Psalm. 35.) Quid autem iniquius, quàm impia sapere, & sapientioribus doctioribúsque non cedere. Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquo impediantur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, nec ad Evangelicas veritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. Quam enim eruditionem de sacris novi & veteris testamenti paginis adquisivit, qui ne ipsius quidem symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum, omnium regenerandorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur. Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, nec volens ad promerendum lumen intelligentiæ, in sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem & indiscretam confessionem sollicito reprehendisset auditu, qua fidelium universitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto & Maria Virgine. Quibus tribus sententiis omnium ferè hæreticorum machinæ destruuntur. Cùm enim Deus & omnipotens & Pater creditur, consempiternus eidem Filius demonstratur: in nullo à Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus est coæternus: non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloriâ, non divisus essentiâ; idem verò sempiterni genitoris unigenitus sempiternus, natus est de Spiritu sancto & Maria Virgine. Quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ & sempiternæ nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini qui erat deceptus impendit, ut & mortem vinceret, & diabolum qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare nos possemus peccati & mortis authorem, nisi naturam nostram ille susciperet, & suam faceret; quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum Virginis Matris; quæ illum ita salvâ virginitate edidit, quemadmodum salvâ virginitate concepit. Sed hoc si de Christianæ fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuæ veritatis, obscæcatione sibi propria tenebrarat, doctrinæ se Evangelicæ subdidisset; dicente Matthæo, *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham:* (Matth. 1.) Apostolicæ quoque prædicationis expetisset instructum, & legens in epistola ad Romanos; *Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem,* (Rom. 1.) ad propheticas quoque paginas piam sollicitudinem contulisset: & inveniens promissionem E Dei ad Abraham dicentis; *In semine tuo benedicentur omnes gentes:* (Genes. 22.) Et ne de hujus seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus; & seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno; & semini tuo quod est Christus:* (Gal. 3. 16.) Esaiæ quoque prædicationem interiore apprehendisset auditu, dicentis; *Ecce virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum, nobiscum Deus:* (Isa. 7. 14. Matth. 1.) Ejusdemque Prophetæ verba fideliter legisset; *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis,* (Isa. 9. 6.)

Valentiniani III. Imp. 26.

ANNO CHRISTI 451.

nobis, cujus potestas super humerum ejus: & vocabunt nomen ejus, magni consilii Angelus, Admirabilis, Consilarius, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi. Nec frustratoriè loquens, ita Verbum diceret carnem factum, ut editus utero Virginis Christus haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An fortè ideo putavit Dominum nostrum Iesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam Angelus ait; *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fœcunditatem enim Virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est, & ædificante sibi Sapientia domum, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; hoc est, in ea carne, quam assumpsit ex homine, & quam spiritus vitæ rationalis animavit. Salva igitur proprietate utriusque naturæ, & in unam coëunte personam suscepta est à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili: ut (quod nostris remediis congruebat) unus atque idem mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus, & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectáque natura, verus natus est Deus. Totus in suis, totus in nostris: nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparanda suscepit: nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium; nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens: quia exinanitio illa qua se invisibilis visibilem præbuit, & Creator ac Dominus omnium rerum, unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura: & sicut formam servi, Dei forma non amisit; ita formam Dei, servi forma non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum, divinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam; seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium; Deum quoque, justitiæ exigente ratione, erga hominem quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga nos pietatis suæ dispensationem sacramento occultiore compleret: & homo, diabolicæ iniquitatis versutiâ actus in culpam, contra Dei propositum non periret. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de cœlesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens: novo ordine, nova nativitate generatus, quia invisibilis in suis, visibilis est factus in nostris: incomprehensibilis,

Luc. 1. 35.

Ioann. 14.

A voluit comprehendi: ante tempora manens, esse cœpit ex tempore: universitatis Dominus, servilem formam obumbrata majestatis suæ immensitate suscepit: impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis; & immortalis, mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit: assumpta est de Matre Domini natura, non culpa: nec in Domino Iesu Christo, ex utero Virginis genito quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo: & nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt, & humilitas hominis, & altitudo

B deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est: scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis: & sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recidit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Vnus enim idemque verè est Dei Filius, est verè hominis filius: Deus, per id quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; homo, per id quod Verbum caro factum est & habitavit in nobis: Deus, per id quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est

C nihil; homo, per id quod factus est ex muliere, factus sub lege. Nativitas carnis, manifestatio est humanæ naturæ: partus Virginis, divinæ est virtutis indicium: infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum: magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum quem Herodes impiè molitur occidere, sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Iam cùm ad Præcursoris sui Ioannis baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de cœlo intonans dixit; *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lacessere, atque

D dormire, proculdubio humanum est: sed quinque panibus quinque millia hominum satiare, & largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus haustus bibenti præstet ne ultrà jam sitiat: supra dorsum maris plantis non desinentibus ambulare, & elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo (ut multa prætercam) non ejusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum, & eodem remoto quatriduanæ agere sepulturæ ad vocis imperium excitare redivivum, aut in ligno pendere, & in noctem luce conversâ omnia elementa tremefacere,

E aut clavis transfixum esse, & Paradisi portas fidei latronis aperire; ita non ejusdem naturæ est dicere, *Ego & Pater unum sumus*, & dicere; *Pater major me est.* Quamvis enim in Domino Iesu Christo Dei & hominis una persona sit; aliud tamen est unde contumelia in utroque communis; aliud unde communis est gloria: de nostro enim illi est minor Patre Humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre Divinitas. Propter hanc ergo unitatem personæ in utraque natura intelligendam, & Filius hominis descendisse legitur de cœlo, cùm Filius Dei carnem

VALENTINIANI III. Imp. 26.

Matth. 17.

Ioann. 10.

Ioann. 14.

carnem de ea virgine de quâ est natus assumpserit. Et rursum Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cùm hæc non in divinitate ipsa, qua unigenitus consempiternus & consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Vnde unigenitum Filium Dei crucifixum & sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, secundùm illud Apostoli; *si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Cùm autem ipse Dominus noster atque salvator fidem discipulorum suis interrogatiunculis erudiret; *Quem me*, inquit, *dicunt homines esse filium hominis?* Cùmque illi diversas aliorum opiniones retexuissent; *vos autem*, ait, *quem me esse dicitis?* me utique qui sum filius hominis, & quem in forma servi, atque in veritate carnis aspicitis, *quem me esse dicis?* Vbi beatus Petrus divinitus inspiratus, & confessione suâ omnibus gentibus profuturus; *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Nec immeritò Beatus est pronunciatus à Domino, & à principali petrâ soliditatem & virtutis traxit, & nominis, qui per revelationem Patris eundem & Dei filium est confessus & Christum: quia unum horum sine alio receptum non proderat ad salutem: & æqualis erat periculi Dominum Iesum Christum aut Deum tantummodò sine homine, aut sine Deo (quæ utique veri corporis fuit, quia non alter est resuscitatus quàm qui fuerat crucifixus & mortuus.) Quid aliud quadraginta dierum morâ gestum est, quàm ut fidei nostræ integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis suis, & cohabitans atque convescens; & pertractari se diligenti, curiosoque contactu ab eis quos dubietas perstringebat admittens, ideo & clausis ad discipulos januis introïbat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, donato intelligentiæ lumine sanctarum Scripturarum occulta pandebat: & rursum vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia recentissimæ passionis signa monstrabat, dicens; *Videte manus meas & pedes, quia ego sum. Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere*; ut cognosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere: & ita sciremus, Verbum non hoc esse quod carnem, ut unum Dei Filium & Verbum confiteremur, & carnem. Quo fidei Sacramento Eutyches iste nimiùm æstimandus est vacuus, qui naturam nostram in unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnovit: nec sententiam beati Apostoli & Evangelistæ Ioannis expavit dicentis; *Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis Spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Quid autem est solvere Iesum, nisi humanâ ab eo separare naturam, & sacramentũ per quod unum salvati sumus, impudentissimis evacuare figmentis? Caligans verò circa naturam corporis Christi necesse est, etiam ut in passione ejus eadem obcæcatione decipiat. Nam si crucem Domini non putat falsam, & susceptum pro mundi salute supplicium verum fuisse non dubitat, cujus credit mortem, agnoscat & carnem: nec diffiteatur nostri corporis hominem, quem cognoscit fuisse passibilem: quoniam negatio veræ carnis, negatio est etiam corporeæ passionis. Si ergo Christianam suscipit fidem, & à prędicatione Evangelii suum non avertit auditum, videat quæ natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno; & aperto per militis lanceam latere crucifixi intelligat, unde sanguis, & aqua fluxerit; ut Ecclesia Dei & lavacro rigaretur, & poculo. Audiat & beatum Petrum Apostolum prędicantem, quod sanctificatio spiritus per aspersionem fiat sanguinis Christi: nec transitoriè legat ejusdem Apostoli verba dicentis; *scientes quòd non corruptibilibus argento & auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi incontaminati & immaculati Iesu Christi*: Beati quoque Ioannis Apostoli testimonio non resistat, dicentis; *Et sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato*: Iterùm; *hac est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei? hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non in aquâ solùm, sed in aquâ & sanguine. Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Spiritus est veritas, quia tres sunt qui testimonium dant, spiritus, & aqua, & sanguis, & tres unum sunt. Spiritus utique sanctificationis, & sanguis redemptionis, & aqua baptismatis: quæ tria unum sunt & individua manent, nihilque eorum à sui connexione sejungitur: quia Catholica Ecclesia hac fide vivit, ac proficit, ut nec sine vera divinitate humanitas, nec sine verâ credatur humanitate divinitas. Cùm autem ad interlocutionem examinis vestris Eutyches responderet, dicens; Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum, ante adunationem, post adunationem verò unam naturam confiteor; miror tam absurdam tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione repressam, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet auditum: cùm tam impiè duarum naturarũ ante incarnationem unigenitus Dei filius fuisse dicatur, quàm nefariè postquàm Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Eutyches ideo vel rectè vel tolerabiliter æstimet dictum, quia nullâ vestrâ sententiâ confutatum, dilectionis tuæ diligentiam commonemus (frater charissime) ut si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti, etiam in hac sensus sui peste purgetur. Qui quidem, sicut gestorum ordo patefecit, benè cœperat à sua persuasione discedere, cùm vestrâ sententiâ coarctatus profitetur se dicere quod antè non dixerat, & ei fidei adquiescere cujus priùs fuisset alienus. Sed cùm anathematisando impio dogmati noluisset præbere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in suâ manere perfidiâ, dignumque esse qui judicium condemnationis exciperet. De quo si fideliter atque utiliter dolet, & quàm rectè mora sit Episcopalis auctoritas vel serò cognoscit; si ad satisfactionis plenitudinem omnia quæ ab eo malè sunt sensa, vivâ voce & præsenti subscriptione damnaverit, non erit reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio. Quia Dominus noster verus & bonus Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & qui venit animas hominum salvare, non perdere, imitatores nos suæ vult esse pietatis; ut peccantes quidem justitia coërceat, conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissimè fides vera defenditur, quando etiam à sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem verò causam piè ac fideliter exequendam,

Anno Christi 451.

Valentiniani III. Imp. 28.

dam, fratrem nostrum Iulianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, sed & filium meum Hilarum Diaconum, vice nostrâ direximus. Quibus Dulcitium notarium nostrum, cujus fides est nobis probata, sociamus: confidentes affuturum divinitatis auxilium, ut is qui erraverat, damnatâ sensus sui pravitate salvetur. Deus te incolumem servet, frater carissime. Data idibus Iunii, Asterio & Protogene V V. CC. Coss. Tiburtius notarius, jussu domini mei venerabilis Papæ Leonis edidi.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA ad Revennium Arelatensem Episcopum

Missa cum exemplo celeberrimæ Leonis epistolæ ad Flavianum Constantinopolitanum, quam à Rauennio cum Episcopis omnibus communicari jubet.

Dilectissimo fratri Ravennio Leo.

DIv filios nostros, Petronium Presbyterum, & Regulum Diaconum in urbe tenuimus, quoniam & de nostra hoc gratia merebantur; & fidei, quæ nunc quorundam errore incessitur, ratio postulabat. Voluimus enim eos nostro interesse tractatui, & universa cognoscere, quæ per te cupimus ad omnium fratrum, & consacerdotum nostrorum notitiam pervenire: carissimæ hoc dilectioni tuæ specialiter delegantes, ut sollicitudine vigilantiæ tuæ, epistola nostra quam ad Orientem pro fidei defensione direximus, vel sanctæ memoriæ Cyrilli, quæ nostris sensibus tota concordat, universis fratribus innotescat; ut certiores effecti, contra eos qui Incarnationem Domini pravis persuasionibus æstimant temerandam, spirituali se virtute præmuniant. Habes probabilem facultatem, qua cunctis Ecclesiis, & Deo nostro Episcopatus tui possis commendare primordia, si hęc ita, ut credimus atque mandamus, impleveris, frater carissime. Quæ autem committenda litteris non fuerunt, cùm prędictorum nostrorum filiorum insinuatione didiceris, Domini fretus auxilio efficaciter, vt diximus, ac laudabiliter exequeris. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data 3. nonas Maii, gloriosissimo Valentiniano August. VII. & Avieno V. C. Consulibus.

EPISTOLA SYNODICA ad Leonem Papam.

De eadem ipsius ad Flavianum epistola.

DOMINO verè sancto, meritò in Christo beatissimo, & Apostolico honore venerando Papæ Leoni, Ravennius, Rusticus, Venerius, Constantinus, Maximus, Armentarius, Florus, Sabinus, Valerianus, Constantius, Nectarius, Maximus, Asclepius, item Maximus, Vrsus, Ingenuus, Iustus, Valerius, Superventor, Chrysaphius, Fonteius, Petronius, Idatius, Ætherius, Eulalius, Eustachius, Fraternus, Victurus, Eugenius, Hilarus, Verus, Amandus, Gerontius, Proculeianus, Iulianus, Helladius, Armentarius, Honoratus, Eparchius, Anemius, Dynamius, Maximinus, Ynantius, & Palladius. Perlata ad nos epistola beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei assertione misistis, optassemus statim Apostolatui vestro pro tam immenso munere gratiarum actionem referre, nisi nobis difficultatem, qua in unum celeriter non potuimus convenire, vel spatia, quibus à nobis disparati sumus, longa terrarum, vel aurarum quæ in regionibus nostris prępter consuetudinem fuit intemperies attulisset. Det ergo Apostolatus vester nostræ veniam tarditati, quæ non de otio, aut dissimulatione, sed de certa necessitate descendit, quęque nobis etsi celeritatis gratiam abstulit, exultandi tamen materiam auferre non potuit. Exultavimus itaque, Christo propitio, lectis beatitudinis vestræ literis, & omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus, dolentes pariter pro his vobiscum, qui Catholicæ fidei lumine derelicto, in errorum tenebras inciderunt. Quæ Apostolatus vestri scripta, ita ut Symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quoad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognoverunt fidei suæ sensum, & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lętantur. Nonnulli sollicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè ac fiducialiter, suffragante etiam Apostolicæ Sedis auctoritate, eloquatur & afferat unusquisque quod credit. Quis autem Apostolatui vestro pro hoc tanto munere quo non solùm Gallias, sed totum mundum velut quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, dignas æstimet gratias posse persolvi? Doctrinæ post Deum debet vestræ fidelis, ut constanter teneat quod credebat; debebit etiam infidelis, ut à perfidia sua agnitâ veritate discedat, & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur & credat, quod per os vestrum Dominus noster Iesus Christus de Sacramento Incarnationis suæ docet, quàm id teneat, quod Diabolus humanæ salutis & veritatis inimicus instillat. Optassemus etiam ad filium vestrum, gloriosissimum ac fidelissimum Principem super eadem causa litteras dare, quibus congratulantes fidei ipsius, humilitatis quoque nostræ sollicitudinem, qua vos in Christo sequimur, proderemus: nisi ad nos de Orientalibus partibus nuntio perlato fieri hoc minimè necessarium putassemus. Meritis autem Apostolatus vestri pius Dominus pręstitit, ut hęresim jamdiu occultè nutritam, vestris temporibus proderet. Ad laudem enim sollicitudinis vestræ pertinet, quòd malorum error latere non potuit: ad gloriam fidei redundat, quòd prava persuasio participes aut non invenit, aut inventos amisit. Respiciat itaque, oramus, conservando Apostolatum vestrum misericors Dominus Ecclesiam suam toto orbe diffusam. Vobis enim ita invigilantibus, & hi qui curam animæ suæ gerunt, sollicitiores in fide redduntur, & hi qui paulò desides sunt, tanto ad sollicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos semper habentes, non desinemus Domino ac Deo nostro gratias agere, & pariter supplicare,

Anno Christi 451. | Valentiniani III. Imp. 26.

gratulantes quòd tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apostolicæ Sedi, unde religionis nostræ, propitio Christo, fons & origo manavit, Antistitem dederit: petentes etiam, ut datum concessumque munus Pontificii vestri longissimâ ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat. Nos autem, etsi impares meritis, pari tamen fide, si quid, quod absit, contra Ecclesiam Catholicam profana infestatione tentetur, parati sumus, confortante Domino, cum beatitudine vestra, pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc Auctori salutis nostræ, & Largitori æternitatis impendere. *Et alia manu*: Ora pro me, domine meritò beatissime, & Apostolico honore venerande Papa.

Ego Ravennius Episcopus Apostolatum vestrum in Domino venerans saluto.

Rusticus Episcopus Apostolatum vestrum in Domino venerans saluto, & ut digneris pro me orare, supplex oro.

Venerius Episcopus te dominum in Christo meum reverentissimè saluto, & ut digneris pro me orare supplex rogo.

Constantinus Episcopus beatudinem vestram saluto.

Maximus Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Armentarius Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Florus Episcopus beatitudinem vestram in Domino venerans saluto, & ut ores pro me plurimùm quæso.

Sabinus Episcopus beatitudini vestræ me repræsento, & orationem Apostolatus vestri nostri memorem quæso.

Valerianus Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Nectarius Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Constantius Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Maximus Episcopus Apostolatum vestrum saluto.

Ego Asclepius Episcopus Apostolatum vestrum venerans in Domino plurimùm saluto.

Ego Maximus Episcopus Apostolatum vestrum saluto.

Ergo Vrsus Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Ingenuus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Iustus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Valerius Episcopus Apostolatum vestrum saluto.

Ego Superventor Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Verus Episcopus Apostolatum vestrum reverenter saluto.

Helladius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Ætherius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Eulalius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Anemius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Chrysaphius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Petronius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto, & ut pro me orare digneris quæso.

A Ego Fonteius Episcopus Apostolatum vestrum reverenter saluto, & rogo ut mei meminisse dignemini.

Ydatius Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Hilarus Episcopus Apostolatum vestrum plurima in Christo veneratione saluto.

Victurus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Eugenius Episcopus beatitudinem tuam saluto.

Palladius Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

B Ego Fraternus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Amandus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Gerontius Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Proculeianus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Dynamius Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Iulianus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Ar[illegible]tarius Episcopus coronam vestram venerans [illegible]o.

C Ego Honoratus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Eparchius Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Eustachius Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Maximus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Ynanrius Episcopus coronam vestram venerans saluto.

LEONIS PAPÆ RESCRIPTVM ad Episcopos Galliæ.

D LEO Romanæ urbis Episcopus, Ravennio, Rustico, Venerio, Constantino, Maximo, Armentario, Floro, Sabino, Valeriano, Constantino, Maximo, Asclepio, Nectario, Maximo, Vrso, Ingenuo, Iusto, Valerio, Superventori, Chrysaphio, Fonteio, Petronio, Hydatio, Ætherio, Eulalio, Eustachio, Fraterno, Victuro, Eugenio, Hilaro, Vero, Amando, Gerontio, Proculeiano, Iuliano, Helladio, Armentario, Honorato, Eparchio, Anemio, Dynamio, Maximo, Inantio, & Palladio, Episcopis per Gallias constitutis. Optassemus quidem fraternitatis vestræ litteras, eo tempore quo promiseratis, mittere, ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quod ad sanctam synodum vice nostra pro Catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sen-E tentiæ professio jungeretur. Sed cùm multa obstacula inopinatam nobis intulerint tarditatem, quamlibet seras & diu expectatas epistolas per fratrem & Coepiscopum nostrum Ingenuum gratanter accepimus, easque cum gaudio recensentes probavimus, sicut confidebamus, eruditione Spiritus sancti cælestem in vobis vigere doctrinam, quam in Orientalibus Ecclesiis versutia hostis antiqui, per eos quos sequaces suos reperit, falsitasque fatigare conata est, cùm Catholica fides, quæ nulla sui est parte mutabilis, per ipsas adversantium exercitationes, & validior efficiatur semper, & clarior: operante hæc gratiâ Dei, ut si qui fortè ad hæc subtilia inimici jacula declinâda minùs erant instructi, minusque solli-

ANNO CHRISTI 451.

VALENTINIANI III. Imp. 26.

solliciti, perceptis veritatis armis fierent contra impiorum mendacia fortiores. Quòd ergo, sicut causa poscebat, fiduciam nostram, quam de vobis habemus, in Domino fideliter atque obedienter auxistis, multa exultatione gaudemus, & meritò nos cognoscimus fratribus & Coepiscopis nostris Orientalibus intimasse, quòd secundùm Evangelicam & Apostolicam traditionem de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi una esset omnium nostrorum & indiscreta confessio, neque ullis eorum disputationibus detineri, ut aliter aliquid de summi & salutiferi Sacramenti veritate sapiamus, quàm & ex prædicatione sanctorum Patrum, & ex authoritate incommutabilis Symboli didicimus & docemus, damnatis ab universali Ecclesia, & nunc Eutyche, & antea Nestorio. Quorum si quis non ferendis impietatibus inhærere delegerit, ipse se à corpore Christianæ unitatis abscidit. Non enim ultrà jam cuiquam excusationis refugium de ignorantia, & inscientia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur, cùm hæc ipsa sexcentorum ferè fratrum Coepiscoporumque nostrorum synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium disserendi contra fundamentum fidei inspirare permiserit: quoniam adnitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus vicariis nostris, quorum plenissima extitit in omni actione devotio, non solùm Sacerdotibus Christi, sed etiam principibus & potestatibus Christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus, plenè atque evidenter apparuit, hanc esse verè Apostolicam fidem, ex divinæ pietatis fonte manantem, quam sinceram, & ab omni fæce totius erroris alienam, sicut accepimus prædicamus, & universo jam mundo consentiente defendimus, extinctis toto orbe dogmatibus, quæ vel præsens hæreticus ausus est inferre, vel subsequens dissimili quidem commento, sed impietate compari. Nam sicut Nestorius non est toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodo fuisse genitricem, qui postmodum sit à Verbo Deitatis susceptus; duabus scilicet naturis, & personis distinctis, ut neque ipse esset Filius hominis, qui Filius Dei, neque unus Christus in utraque natura, sed alter sempiternus ex Patre, alter temporalis ex matre: cùm Evangelica auctoritas ita Verbum prædicet carnem factum, ut non duos Christos, nec duos filios, sed in uno Domino Iesu Christo, & Dei & hominis nobis insinuet veritatem; ut utriusque substantiæ, id est salvantis atque salvatæ, nec proprietas possit confundi, nec persona geminari. Sicut ergo Nestorius in suo dogmate execrabilis, sic & Eutyches damnatum olim secutus errorem, alia profanitate blasphemans, à Catholicæ soliditatis compage resecatus est: quia indoctis quibusdam nimiumque simplicibus persuadere tentavit, quòd Verbum Dei ita caro sit factum, ut veram carnem de ventre Virginis non sumpserit, nec nostri illum generis corpus habuisse, sed divinitatis ejus & carnis unam esse naturam, ut unum Dominum nostrum Iesum & falsum hominem, & Deum diceret esse passibilem: quod nec pietas fidei, nec ratio recepit Sacramenti, ut aut in sua natura fuerit passibilis divinitas, aut in susceptione humana mentita sit veritas. Quæ diabolicorum sensuum prodigiosa commenta, sancta nunc synodus humilitatis nostræ scriptis, authoritate domini mei beatissimi

A Petri Apostoli, & meritò roboratis, religiosa unanimitate consentiens, abominando ab Ecclesia Dei amputavit: Dioscorum quoque Alexandrinum in sua impietate manentem: ne illa Ecclesia, quæ inter ipsa Evangelii principia beatum Marcum, beatissimi Petri Apostoli discipulum in omnibus utique doctrinis sui doctoris magisterio consonantem, habuit fundatorem, quæque postea recentioribus à nostra ætate temporibus Athanasium, Theophilum, & proximè Cyrillum, probatissimos Præsules habuit, indignam captivitatem sub hæretici dominatione pateretur. Vnde secundùm magnam misericordiam Dei, universos diaboli conatus, quibus Ecclesiam Domini conturbare molitus est, no-

B veritis esse destructos. Reddite igitur Deo gratias, fratres carissimi, & dignam gratiarum actionem: & oret nobiscum vestra dilectio, ut fratres nostros, quos expectatio nostra desiderat, incolumes quamprimùm redisse lætemur, & de omnibus quæ Domino adjuvante sunt gesta, pleniùs vos possimus instruere. Nam fratrem Ingenuum nolumus hac expectatione tardari, cùm ob hoc ipsum propetantiùs remeare debuerit, ne diutiùs vobis esset incognita omnium materia gaudiorum: quæ volumus per curam dilectionis vestræ etiam ad fratres nostros Hispaniæ Episcopos pervenire, ut quod Deus

C operatus est, nulli possit esse incognitum. Data Kalendis Februarii, Herculano V. C. consule.

CONCILIUM ARELATENSE II.

sub Ravennio Episcopo, & post Arausicanum I. & Vasense II. celebratum, quorum ex canonibus, Concilii hujus canones pro parte contexti sunt.

CANONES.

I.

D *Neophytum Levitam, vel Sacerdotem, non ordinandum.*

ORdinari ad Diaconatus ac Sacerdotii gradum Neophytum non debere.

II.

Si conjugatus ad Sacerdotium fuerit electus.

Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in conjugii vinculo constitutum, nisi fuerit promissa conversio. Dist. 28. assumi aliquem.

III.

E *Quæ mulieres habitent in domibus Clericorum.*

Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem, habere præsumpserit, à communione alienus habeatur. Par quoque, & mulierem si separare noluerit, pœna præcellat.

IV.

Vt puellæ ad cellarium Clerici non intromittantur.

Nullus Diaconus, vel Presbyter, vel

ANNO CHRISTI 451. — VALENTINIANI III. Imp. 26.

Episcopus, ad cellarii secretum intromittat puellam, vel ingenuam, vel ancillam.

V.

Vt Episcopus sine Metropolitani epistola, & tribus Comprovincialibus, non ordinetur, vel si in duas fuerit electio facta personas.

Ivo part. 5. cap. 138. Episcopum sine Metropolitano, vel epistola Metropolitani, vel tribus Comprovincialibus, non liceat ordinari: ita ut alii Comprovinciales epistolis admoneantur, ut se suo responso consensisse significent. Quòd si inter partes aliqua nata fuerit disputatio, majori numero Metropolitanus in electione consentiat.

VI.

De eo qui sine conscientia Metropolitani Episcopus fuerit ordinatus.

Ivo part. 5. cap. 74. Conc. Nic. Can. 6. Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia Metropolitani constitutus fuerit Episcopus, juxta magnam synodum Episcopum esse non debere.

VII.

De his qui se carnaliter abscidunt.

Dist. 55. Hi qui se carnali. Hos qui se carnali vitio repugnare nescientes abscidunt, ad clerum peruenire non posse.

VIII.

Qui alterius excommunicatum receperit.

Si quis excommunicatum alterius, sive clericum, sive sæcularem, recipere post interdictum præsumpserit, noverit se reum fraternitatis factum causam in Concilio redditurum.

IX.

De Novatianis nonnisi damnato errore recipiendis.

Novatianum in communionem recipi non debere, nisi susceptâ pœnitentiâ credulitate præteritum damnet errorem.

X.

De his qui in persecutione fidem Christi negaverint, quantum temporis ut recipiantur pœnitentiam agant.

Conc. Nic. Can. 11. De his qui in persecutione prævaricati sunt, si voluntariè fidem negaverint, hoc de eis Nicæna synodus statuit, ut quinque annos inter Cathecumenos exigãt, & duos inter communicantes, ita ut communionem inter pœnitentes non præsumant. In potestate tamen vel arbitrio sit Episcopi, ut si eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Ecclesiastica humanitate suscipiat.

XI.

Si qui in persecutione fidem negare, vel sacrificare compulsi sint.

Si qui veró dolore victi, & pondere persecutionis, negare vel sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter Cathecumenos, triennio inter pœnitentes habeantur à communione suspensi.

XII.

De his qui in pœnitentia positi excesserunt.

De his qui in pœnitentia positi vitâ excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.

XIII.

Nullus Clericus suam relinquat Ecclesiam: quòd si in aliena habitans invito Episcopo suo fuerit ordinatus, irrita sit ordinatio.

Nullus cujuscumque ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacumque occasione faciente propriam relinquat Ecclesiam: sed omnimodis aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quòd si aliquo commorationis tempore, invito Episcopo suo, in aliena Ecclesia habitans, ab Episcopo loci Clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur.

XIV.

Vt Clericus pecuniam ad usuram non donet, nec conductor alienæ rei vel negotiator existat.

Si quis Clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratiâ genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus à clero à communione alienus fiat.

XV.

Vt Diaconus in secretario inter Presbyteros non sedeat, nec corpus Christi tradere præsente Presbytero præsumat.

In secretario Diacono inter Presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat. Quod si fecerit, ab officio Diaconatus abscedat.

XVI.

De Photiniacis, vel Paulianistis.

Photiniacos sive Paulianistas secundùm Patrum statuta baptisari oportere. Conc. Nic. Can. 19.

XVII.

De Bonosiacis, qualiter recipiantur.

Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arrianos baptisari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit. Conc. C. P. Can. 7.

XVIII.

ANNO CHRISTI 451. | VALENTINIANI III. Imp. 26.

A

XVIII.

De privilegio Arelatensis Episcopi ad synodum congregandam.

Cone. Arelat. 1. Ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis sub sanctis Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium atque conventum. Si quis commonitus infirmitatis causâ defuerit, personam vice sua dirigat.

XIX.

B

Si quis Episcopus ad synodum venire distulerit, aut de Concilio sine permissu discesserit.

Distinct. 18. Siquis autem. Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum antequam dissolvatur, crediderit deserendum, alienatum se à fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

XX.

De Agitatoribus, sive Theatricis.

C

De Agitatoribus sive Theatricis, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agunt, à communione separari.

XXI.

Si pœnitentiam professi nupserint.

Ivo part. 15. cap. 72. Pœnitens quæcumque fœmina defuncto viro alii nubere præsumpserit, vel suspecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit observari.

XXII.

D

Si conjugati pœnitentiam sibi dari petierint.

33. q. 4. Pœnitentiam conjugatis. Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.

XXIII.

Si in Episcopi territorio infideles, arbores, fontes, vel saxa venerantur.

Si in alicujus Episcopi territorio infideles, aut faculas accendunt, aut arbores, fontes vel saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat. Dominus autem, vel ordinator rei ipsius, si admonitus emendare noluerit, communione privetur.

E

XXIV.

De his qui fratribus suis aliquid falsò objecerint.

3. q. 10. eos qui falsa; Conc. Arel. 1. can. 14. Eos qui falsò fratribus suis capitalia objecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare, sicut magna synodus antè constituit; nisi digna satisfactione pœnituerint.

XXV.

De his qui religionem professi apostatant, vel post pœnitentiam habitum secularem præsumunt.

Hi, qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant. Quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti. D. L. hi qui post sanctam.

XXVI.

Si hæreticus moriens Catholicus esse desiderat.

Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, etsi desit Episcopus, à Presbytero cum chrismatis benedictione consignari placet. Conc. Araus. 1.

XXVII.

Qui baptisandi officium accepit, sine chrismate non procedat.

Nullum ministrum qui baptisandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi: quia inter nos juxta synodi constitutionem placuit semel chrismari. Conc. Araus. 1. cap. 2.

XXVIII.

De pœnitentibus in extremis, qualiter communicent.

De his qui in extremis periclitantur, pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari. Quòd si accepto hoc viatico supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimè reconciliatoriam manus impositionem recipiant.

XXIX.

Si Clericus pœnitentiam sibi dari petierit.

Pœnitentiam desiderantibus etiam Clericis non negandam. Ejusdem Can. 4.

XXX.

Confugientes ad Ecclesiam tradi non oportere.

Eos qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportet: sed eos Domini sui promissa intercessione exire persuadeant. Quòd si ab Ecclesia exeuntibus pœnale aliquid intulerint, ut Ecclesiæ inimici habeantur excommunes.

XXXI.

Si quis Clericus, relicta synodo, patrocinia secularium expetierit: & ut causæ Clericorum non secularium, sed Episcoporum judicio terminentur.

Si quis Clericorum religionis negotia, vel spirituales causas Ecclesiæ ad sæcularia patrocinia, relictâ synodo transire præsumpserit, excommunicatione omnium

ANNO CHRISTI 451.

ac detestatione dignus habeatur. Similimodo, si causa inter Clericos orta fuerit, ne invito Episcopo ad sæculares judices transferatur, sed Episcoporum judicio terminetur.

XXXII.

Si quis pro eo quod mancipia sua in Ecclesia perdit, mancipia Clericorum pervaserit.

Ivo part. 16. cap. 70.

Si quis autem mancipia Clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.

XXXIII.

Si quis manumissum servitute oppresserit.

Si quis per testamentum manumissum in servitute, vel obsequio, vel in colonaria conditione impremere tentaverit, animadversione Ecclesiastica coërceatur.

XXXIV.

Si quis manumissum in servitutem revocandum putarit.

Si quis in Ecclesia manumissum crediderit ingrati titulo revocandum, non aliter liceat, nisi cum gestis apud acta municipum reum esse antè probaverit.

XXXV.

Si quis alienum Clericum ordinare instituat.

Si quis alibi consistentem Clericum ordinandum putaverit, priùs definiat ut cum ipso habitet: sic quoque non sine consultatione ejus Episcopi, cum quo antè habitavit, eum qui fortè non sine causa diu ab illo non ordinatus est, ordinare præsumat.

XXXVI.

Si Episcopus in alieno territorio Ecclesiam ædificaverit, à quo debeat consecrari & gubernari.

Si quis Episcopus in alienæ civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel pro agri sui, aut Ecclesiastici utilitate, vel quacumque sua opportunitate, permissa licentia, quia prohiberi hoc votum nefas est, non præsumat dedicationem, quæ illi omnimodis reservanda est in cujus territorio Ecclesia assurgit, reservata ædificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is cujus territorium est; vel si jam ordinati sunt, ipsos habere adquiescat; & omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio Ecclesia surrexit, pertinebit. Et si quid ipsi Ecclesiæ fuerit ab Episcopo conditore conlatum, is in cujus territorio est, aufferendi aliquid exinde non habeat potestatem: hoc solùm ædificatori Episcopo credimus reservandum.

VALENTINIANI III. Imp. 26.

A XXXVII.

Si quis Ecclesiam ædificat, & ad dedicandum locum alienæ civitatis Episcopum invitat.

Quòd si etiam quicumque Ecclesiam ædificaverit, & alium magis, quàm eum in cujus territorio ædificat, invitandum putaverit, tam ipse qui contra constitutionem, vel districtionem gratificari vult, quàm omnes Episcopi, qui ad hujusmodi dedicationem invitantur, conventu abstinebuntur; si ordinem excesserit, in reatu revocabitur.

B XXXVIII.

De his qui subitò obmutescunt, vel amentes fiunt.

Subitò obmutescens baptisari potest, & amentibus quæcumque pietatis sunt conferenda.

XXXIX.

Energumenis baptisatis communicationem non negandam.

Energumeni baptisati, si de purgatione sua curant, & se sollicitudini Ecclesiasticæ tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipsius C virtute ab incursu dæmonii, quo infestantur, purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior.

XL.

Energumenis Cathecumenis de baptismate consulendum.

Energumenis, Cathecumenis, in quantum vel necessitas, vel opportunitas permiserit, de baptismate consulendum.

XLI.

Si qui palam aliquando arrepti sint.

D Si qui palam aliquando arrepti sunt, non solùm non adsumendi sunt ad ullum ordinem Clericatus; sed etsi jam aliqui ordinati, ab imposito officio repellendi.

XLII.

Si duo sine epistola Metropolitani Episcopum ordinaverint.

In provinciis nostris placuit de præsumptoribus, ut sicubi duo Episcopi ausi fuerint Episcopum facere, etiamsi Metropolitani Episcopi epistolam habuerint, & is qui ordinatus est cum ordinatoribus excludatur.

E XLIII.

Si Diaconus ordinandus fuerint conjugatus.

Placuit præterea, ut secundùm synodi instituta non ordinentur Diacones conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito professi fuerint castitatem. Conc. Araus. I. can. 22.

XLIV.

Si post acceptam benedictionem cum uxore sua incontinens invenitur.

Si quis autem in posterum accepta benedictone

nedictione Levitica cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.

XLV.

Ut Bigami ultra Subdiaconatum non promoveantur.

De his quos Clericatui alligari ipsa vitæ gratia suggesserit, si fortè internupta & duplicata matrimonia inciderunt, non ultra Subdiaconatum Ecclesiasticas capiant dignitates. Quòd si facti forsitan sunt, ab Ecclesiastico removeantur officio.

XLVI.

Professas viduas, si conniventiàm præstiterint, cum raptoribus esse damnandas.

Professas viduas, si fortè conniventiam præstiterint, cum raptoribus esse damnandas.

XLVII.

Qui oblationes fidelium suppresserint.

Conc. Vasense II. Can. 4. Secundùm constitutionem synodi Vasensis, quicumque oblationem fidelium suppresserit, aut negaverit, ab Ecclesia cui fraudem fecerit excludatur.

XLVIII.

Si quis Episcopi sui sententiæ non acquiescit.

Ibidem Can. 5. Si quis Episcopi sui sententiæ non acquieverit, synodi legibus audiendum.

XLIX.

Qui à communione sacerdotali authoritate fuerit suspensus.

Secundùm instituta seniorum si quis à communione, sacerdotali authoritate fuerit suspensus, hunc non solùm à Clericorum, sed etiam à totius populi conloquio atque convivio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

L.

De his qui inter se pacem non habent.

Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab Ecclesiasticis conventibus removendi, donec ad pacem recurrant.

LI.

De expositis quid observandum.

Distinct. 87. Si expositus. Si expositus ante Ecclesiam cujuscumque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam; etsi is qui collectus est, intra decem dies quæsitus, agnitusque non fuerit, securus habeat qui colligit. Sanè qui post prædictum tempus calumniator extiterit, ut homicida, Ecclesiasticâ districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit authoritas. Conc. Vasense II. Can. 10.

LII.

De puellis conversis, si ad terrenas nuptias transierint.

De puellis conversis, quæ se voverunt A Deo, & præclari decore nominis floruerunt, si post viginti & quinque annos ætatis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his, cum quibus se alligaverint, communione priventur: ita ut eis postulantibus pœnitentia non negetur; cujus pœnitentiæ communio multo tempore deferatur.

LIII.

Si servus furore actus seipsum percusserit.

Si quis famulorum cujuslibet conditionis, quasi ad exacerbandam domini districtionem, B se diabolico repletus furore percusserit, ipse tantùm sanguinis sui reus erit, neque ad dominum sceleris alieni pertinebit invidia.

LIV.

De eligendis Episcopis, venalitate vel ambitione submotâ.

Placuit in ordinationem Episcopi hunc ordinem custodiri, ut primo loco venalitate, vel ambitione submotâ, tres ab Episcopis nominentur, de quibus Clerici vel cives circa unum eligendi habeant potestatem.

C

LV.

Si quis sæcularium religionis amore se ad Sacerdotem contulerit.

Si quis sæcularium amore religionis se ad quęcunque Sacerdotum crodiderit conferendum, ipsi eum, quem erudiendi gratia susceperit, vindicabit.

LVI.

Ut Metropolitani contra synodum nihil præsumant.

Hoc etiam placuit custodiri, ut nihil contra magnam synodum Metropolitani sibi æstiment vindicandum.

D

Et subscripserunt Episcopi, quorum nomina leguntur in epistola synodali ad Leonem Papam, scilicet.

Ravennius Episcopus Arelatensis.
Rusticus Episcopus Narbonensis.
Venerius Episcopus Massiliensis.
Maximus Episcopus Tolosanus.
Armentarius Episcopus Antipolitanus.
Valerianus Episcopus Cemelensis.
Nectarius Episcopus Diniensis.
Constantius Episcopus Vceciensis.
E Maximus Episcopus Reiensis.
Asclepius Episcopus Aptensis.
Maximus Episcopus Avenionensis.
Ursus Episcopus Sanesiensis.
Ingenuus Episcopus Ebreduncnsis.
Valerius Episcopus Gabalitanus.
Helladius Episcopus Lutrucensis.
Ætherius Episcopus Magalonensis.
Anemius Episcopus Albigensis.
Petronius Episcopus Deensis.
Fonteius Episcopus Vasionensis.
Eugenius Episcopus Nemausensis.
Fraternus Episcopus Glannatensis.

Iulianus

ANNO CHRISTI 451.

VALENTINIANI III. Imp. 26.

Iulianus Episcopus Cabellicensis.
Armentarius Episcopus Aniciensis Vellaunorum.
Honoratus Episcopus Tolonensis.

Hi sunt Sedium Episcopi certarum, tum ex relatione Iac. Sirmondi, & Io. Savaronis Virorum in antiquitatibus Ecclesiarum exercitatissimorum, tum ex earumdem monimentis.

Reliqui, quorum sedes incerta sunt.

Constantinus Episcopus.
Florus Episcopus.
Sabinus Episcopus.
Iustus Episcopus.
Superventor Episcopus.
Verus Episcopus.
Eulalius Episcopus.
Chrysaphius Episcopus.
Ydatius Episcopus.
Hilarius Episcopus.
Victurus Episcopus.
Palladius Episcopus.
Amandus Episcopus.
Gerontius Episcopus.
Proculeianus Episcopus.
Dynamius Episcopus.
Eparchius Episcopus.
Eustachius Episcopus.
Maximus Episcopus.
Ynantius Episcopus.

Finis Concilii Arelatensis II.

NOTA.

Etsi quo loco synodus hæc habita sit, non indicent Episcopi, verisimile tamen est à Ravennio Arelatensi Episcopo, qui Concilio præfuit, Arelate potissimùm congregatos. Porro notandum est hos inter Episcopos huic subscripsisse Concilio duos nomine Armentarios, quorum alter post Ingenuum Episcopum in subscriptionibus, fuit ille juvenis perperam ordinatus Ebreduensis Metropolita, qui primus à synodo Reiensi renuntiatus est in Galliis Chorepiscopus, in multæ indulgentiæ testimonium, ut loquitur ejus Canon V. quemque tandem ex altera indulgentia, seu dispositione saltem canonica, conjicimus ad Aniciensem Vellaunorum, vulgò Podiensem Episcopatum, fuisse provectum; quod hac ætate unius Episcopi nomine Armentarii meminerint antiquæ tabulæ ejusdem Podiensis Ecclesiæ, unde hoc sanè titulo universa Episcopi munia jus habuit obeundi, proindeque synodis interesse potuit, ac subscribere debuit.

ANNO CHRISTI 453.

VALENTINIANI III. Imp. 28.

* EPISTOLA RVSTICI NARBONENSIS ad Eucherium Lugdunensem.

Videtur Rusticus Narbonensis Episcopus aliàs petiisse ab Eucherio Lugdunensi Episcopo volumina duo, forsan inquisitionis causâ, sicut ipse solebat, de quibus ipsi gratias agit hac epistola, quam post ejus inquisitiones ad Leonem Papam directas, scripsisse anno Christi 453. conjicimus.

Domino verè sancto Papæ Eucherio Rusticus.

Ex editibus Corbeiensi & Petaviano.

TRANSCRIPTIS exultanter ac raptim, quæ deprecante me exemplanda misisti, illico ad beatitudinem vestram volumen utrumque direxi. Vnica verò illa ac fine comparatione doctrina, quæ ex utroque testamento magnorum ænigmatum absolutissimè aperiens quæstiones, amoto velamine oculis cordis, verum spiritalis intelligentiæ lumen infundit, quàm admirationi mihi fuerit, manifestiùs declarasse non potui, quàm ut eam à me fatear non dignè posse laudari. Quanquam quid ego ad attollendum quæ edidisti solum me esse imparem dicam; pace dictum sit omnium qui sunt optimè his, quæ liberalia appellant studia, instituti; nec ab his quidem mira librorum tuorum præconia satis dignè excoli posse existimo. Quia licèt faciliùs esse decernam judicare, quàm dicere, mihi tamen adeò persuasum est non esse hoc facile, ut meritò definiam, quòd nemo rectiùs tam præclari operis prædicator existeret, quàm ejus inventor & cognitor; quia quod nemo sic potuit invenire, utique nemo sic laudare. Sed cùm hæc tacitus mecum revolvo, occurrit mihi, quod in bibliotheca studiosi secularium litterarum puer quondam, ut se ætatis illius curiositas habet, prætereundo legissem. Nam cùm suprà memoratæ ædis ordinator ac dominus, inter expressas lapillis aut ceris discoloribus, formatasque effigies vel oratorum, vel etiam poëtarum, specialia singulorum autotypis epigrammata subdidisset, ubi ad præjudicati eloquii venit poëtam, hoc modo orsus est.

Virgilium vatem meliùs sua carmina laudant,
In freta dum fluvii current, dum montibus umbra
Lustrabunt convexa, polus dum sydera pascet,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Et verè, dummodo orationibus tuis culpa non teneat, quod inter sacros apices, commemorationésque Sanctorum, mundialium à me scriptarum ponuntur exempla, meritò mihi dominum Eucherium mente recolenti memoratum in memoriam opus recurrit: nam dum erunt superiùs comprehensa, omnium Christianorum ore & amore celebraberis, prædicandus imposterum, dum doces posteros. Ora pro me verè sancte, atque amice Dei, & mihi in Christo omni cultu suscipiende Papa.

ANNO CHRISTI 454.

VALENTINIANI III. Imp. 29.

CONCILIVM BITVRICENSE.

Hincmarus Remensis Archiepiscopus multis in locis meminit hujus synodi, cui Leo præfuit, quam vocat Romanam per errorem nominis, quasi Leo ille esset Romanus Pontifex; in quibus citat Canonem de distinctione judiciorum ex ejusmodi synodo, quæ veriùs appellari debet Bituricensis, quandoquidem Leo iste asseritur Episcopus Bituricæ civitatis, ut patet ex Andegavensi, & Turonico Conciliis circa hæc tempora celebratis, quibus interfuit & subscripsit Leo ipsemet, unà cum Eustochio Turonensi, atque Victorio Cenomanensi, qui omnes sunt Episcopi Gallicani, quique simul ad Episcopos tertiæ provinciæ Lugdunensis rescribunt; quæ sanè omnia nullomodo Romanam ad synodum pertinent. Hanc autem appellamus exemplo Hincmari, Bituricensem; cujus extat Canon unicus de sacerdotali judicio cum epistola synodali à duobus Metropolitanis subscripta, unde saltem conjicere licet ex illorum comprovincialium Episcopis plus uno convenisse ad synodum, atque subscripsisse ex antiquo more, ac Ecclesiæ disciplina, ut colligitur ex additione summaria, quæ est in codice Petaviano, ubi sicut & in altero Corbeiensi, cæterorum nomina desiderantur.

CONCILII

ANNO CHRISTI 454.

CONCILII BITVRICENSIS Canon unicus.

VALENTINIANI III, Imp. 29.

Ne expetant Clerici sæcularia judicia.

EPISTOLA SYNODICA

Episcoporum Leonis Bituricensis, Eustochii Turonensis, & Victorii Cenomanensis ad Episcopos provinciæ tertiæ Lugdunensis.

Dominis fratribus meritò beatissimis in Christo venerabilibus, Sarmationi, Caratoni, Desiderio Episcopis & Presbyteris omnium Ecclesiarum, quæ sunt intra provinciam tertiam constitutæ, Leo, Eustochius, & Victorius Episcopi.

Ex cod. Corbeiensi & Petaviano.

TANTAM sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerunt, ut etiam ii, quos sub imperiali nomine terris divina Potentia præesse præcepit, jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta divalia constituta permiserint. Quod cùm & juris antiqui edictis, & illibatis frequentiùs sit legibus confirmatum, præsenti tempore à plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali judicio, passim ad examen sæcularium transierunt. Quocirca nobis visum est, ut hanc, & sacrarum legum, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens ulcisceretur plena districtio, & observandam formulam constitueret in futurum. Censuimus itaque, ut quicumque prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus à cælesti arceatur altario. Neque ullus post hanc definitionem, quæ communi sedit arbitrio, quicquam sibi ultra præscriptum vindicare nitatur. Et ita fiet, ut & hi, qui antè erraverunt, congrua emendatione se corrigant; & qui sub observatione clericali, cælesti probatur servire officicio, ex Clero abjiciendum se norit, si prætermisso sacerdotum judicio sæcularium adierit potestatem. Quod ideo singulos, universósque volumus agnoscere, ut quod pleno justitiæ & juris ordine constitutum est, effectum totius firmitatis in omnibus Clericorum negotiis sortiatur. Sanè si Clericus Laïcum pulset, priùs audiri se ab Episcopis poscat: tum si petitioni suæ Laïcum viderit obviare, ex permissu Episcopi sui in sæculi moderatoris disceptatione confligat.

Leo Episcopus Bituricæ civitatis, subscripsi.

Eustochius Episc. Turonicæ civit. subscripsi.

Victorius Episcopus Cenomannicæ civitatis, subscripsi.

Sic & cæteri qui adfuerunt Episcopi, subscripserunt.

ANNO CHRISTI 460.

CONCILIVM LVGDVNENSE.

FL. IVLII MAIORIANI Imp. 4.

Etsi quibus anno & loco congregata fuerit hæc synodus, ignoretur; saltem Leonis Papæ temporibus, atque à Verano Metropolita, Lugdunensi Episcopo unà cum ejus provincialibus Episcopis habitam circa annum Christi 460. in eàque agitatam fuisse controversiam de Cemeliensi Episcopatu post Valeriani Episcopi mortem inter Ingenuum Ebredunensem, & Auxanium Nicaënsem Episcopos, decretúmque synodi hujus, quo Cemelienses & Nicaënses Episcopi deinceps non forent diversi, tum à Leone, tum ab Hilaro Pontificibus Romanis comprobatum colligimus, quod & postea observatum est, ut patet ex subscriptione Aëtii Presbyteri directi à magno Episcopo Ecclesiæ Cemelensis & Nicaënsis ad Concilium Aurelianense quintum, tum etiam ex epistola octava ejusdem Hilari Papæ ad Veranum, & alios Galliarum Episcopos scripta; quæ sic habet inter alia. [Relationibus, inquit, in nostro judicio recensitis, quas frater & Coepiscopus noster Veranus ad sanctæ memoriæ decessorem meum, Leonem scilicet, cum cæteris provinciæ Sacerdotibus misit, & Apostolicæ Sedis, quæ tunc directa fuerat, responsione patefacta manifestum est, nihil postea debuisse tentari, nec ad injuriam synodalium regularum quicquam per obreptionem, quæ proximè facta est, nempe ab Ingenuo, oportere constitui in præjudicium Auxanii: habeat itaque Pontificem frater & Coepiscopus noster Ingenuus provinciæ suæ; & custoditis omnibus, quæ super Ecclesiis Cemelenensis civitatis, vel Castilli Nicaënsis, sicut diximus, decessoris mei definivit auctoritas, nihil Ecclesiarum juri noceat, quod in altera memoratarum à prædicto fratre, ad excludendam cupiditatem ambitionis alienæ, proximè est Episcopus consecratus; sed statutæ correctionis forma permaneat, ut ad unius Antistitis regimen prædicta loca revertantur, quæ in duos dividi non decuit Sacerdotes.] Porro ex conjectura Lugdunensem vocamus hanc synodum honoris causa propter Veranum Metropolitam, sicut etiam ipsummet in eadem suam dixisse sententiam de castitate Sacerdotum conjicimus, ut ad aliorum imitationem eâ ætate Episcoporum, videlicet Lupi Tricassini, ac Euphronii Eduensis, atque juxta Canones, verbo ac exemplo, vitam ducere cœlibem ac puram doceret Clericos. Cujus sententiæ exemplar hîc damus ex bibliotheca sancti Germani Parisiensis.

VERANVS Episcopus dixit. Quis præsidentem sacris Altaribus, atque ad ipsa Sancta Sanctorum honoris privilegio venientem indignissimis carnalium voluptatum contaminari inlecebris patiatur; ac sub ipso conjugalis licentiæ nomine adquiescat quempiam Clericorum & Sacerdotis agere officium, & mariti implere personam? Cum purificatis corporis, atque animi motibus multa cogitatione perpendendum, quàm idoneus esse debet is, qui ad celebranda mysteriorum loca non solùm pro suis, verùm etiam pro alienis peccatis intercessurus accedit. Incongruum siquidem mihi videtur de conjugali toro aliquem consurgentem, altariorum septa penetrare. Ipsi utique inluminati & docti de Spiritu sancto optimè nostis, oblaturum spiritalis sacrificii victimas quali oporteat igne flagrare. Si enim in lege veteri, ubi dum Evangelicæ perfectionis auctoritas præfulgeat, sancto David, cùm fugæ necessitate premeretur, Sacerdos Sadoch non priùs panes propositionis tradidit, quàm se & pueros suos jam die tertio mundos esse à mulieribus fateretur; quis immaculatas Agni carnes ad salutem mundi præstitas post passionum inquinamenta, vel etiam audeat consecrare? Beatus Paulus Apostolus in veritate non contestatur dicens, Probet se unusquisque Ministrorum, & sic panem illum præsumat offerre. Notum vobis est circa loca beatitudinis vestræ sub magnorum Patrum disciplina, Monachorum congregationes esse non parvas, unde ad supplenda Clericorum officia in promptu est viros bonos adsumi. Vtilior est enim in Ecclesia paucorum bonorum electa probatio, quàm erraticæ multitudinis præsentia conglobata: ac plus ædificationis adferunt rara virtutis exempla, quàm popularis licentiæ abundans & incorrecta præsumptio.

E EPISTOLA

Anno Christi 462. | Fl. Vibii Severi Imp. 2.

EPISTOLA LEONTII ARELATENSIS EPISCOPI ad Hilarum Papam.

Qua gratulatur Hilaro, ejus ad Pontificatum promotionem, rogatque ut jura Ecclesiæ Arelatensis integra permaneant.

Domino meritorum fastigio laudatissimo, & Apostolicæ Sedis dignissimo Papæ domno Hilaro, Leontius Episcopus.

QVòd Leonem sanctissimum prædecessorem tuum mors abstulerit contra hæreses invigilantem, & lolium in agro Domini, heu! nimis fruticans eradicantem, dolemus. Quòd de tua sanctitate reparaverit, gratulamur: nam gaudet filius de honore matris; & cùm Ecclesia Romana sit omnium mater, fuit vobis gaudendum, quòd in tanta consternatione rerum, & infirmitate sæculorum, super eam te erexerit, ut judices populos in æquitate, & gentes in terra dirigas. Vnde cùm nobis nuntius ille per Concordium Ecclesiæ nostræ Diaconum, qui tunc præsens erat cùm sanctitas tua ad id honoris fastigatum culmen evecta est, relatus est, gratias Deo nostro reddidimus, & te decrevimus quamprimum hac humilitatis nostræ epistola salutare, ut & sic affectus, qui inter tuam sanctitatem & nos jamdiu coaluit, in Domino corroboretur, & de cætero augeatur cum debita reverentia, qua decet filios patrem prosequi. Benedictus itaque qui venit in nomine Domini. Iam fortiter sanctitati tuæ insudandum, & anhelandum est, ut quod sanctissimus Leo Papa incepit, ad terminabilem perducas limitem, & cum exercitu Gedeonis per tubas in ore fortium concrepantes, & per lampadas in robusta manu agitatas & ventilatas, maledictos muros Ierico jam toties anathematisatos & quassatos sanctitas tua faciat prosternere. Cęterùm cùm Ecclesia nostra Arelatensis semper ab Apostolica sede amplis favoribus & privilegiis fuerit decorata, rogamus sanctitatem tuam, ut per eam nihil nobis decedat, sed potiùs augeatur, ut & collaborare tecum in vinea Domini Dei Sabaoth valeamus, & invidorum conatus infringere, quos si non esset auctoritas reprimens, certum est de die in diem grassaturos in pejus, quia malitia qui nos oderunt, ascendit semper. Dat. Severo Aug. Cos.

NOTA.

Meminit hujus epistolæ Hilarus in sua, qua respondet ad litteras Leontii, quas scripserat, nondum accepta ejusdem Hilari epistola initio sui Pontificatus ad ipsum conscripta. Hæc sunt epistolæ verba. [Conjicio paginam meam, quam dudum de Episcopatus mei primordiis misi, necdum tibi traditam fuisse cùm scriberes, de qua utique non siluisses, nisi perlatorē aliqua causa tardasset.]

Anno Christi 463. | Fl. Vibii Severi Imp. 3.

CONCILIVM ARELATENSE.

A viginti Episcopis provinciarum Viennensis, Lugdunensis, Alpinæ, atque utriusque Narbonensis, præsidente Leontio Arelatensi Episcopo, jussu Hilari Papæ celebratum est, contra Mamertum Viennensem Archiepiscopum, qui extra fines provinciæ suæ à Leone Papa circumscriptos Deensibus Episcopum ordinaverat. De qua ordinatione questus est Hilarus Papa litteris ad Episcopos illarum provinciarum, sustinens decessoris ejus Leonis Papæ judicium de primatu & ordinationibus Episcoporum Viennensem inter & Arelatensem Metropolitas latum, quod minimè observatum fuit à Mamerto, tum Concilii Taurinensis decreto, tum exemplo præcessoris Simplicii Viennensis Archiepiscopi subnixo, quibus argumentis persuasi Patres in hac synodo contrarium quid haud rescripsere Hilaro Papæ, qui tandem ipsemet approbavit factam à Mamerto ordinationem, hac saltem conditione, seu moderatione, ut Leontius Arelatensis eandem quoque confirmaret. Hinc factum est ut successores Mamerti Viennenses Archiepiscopi jus Metropolis habeant hodie in Ecclesiam Deensem, hujusque adhuc Episcopus cęteris ejusdem provinciæ adnumeretur. Porro notandum est etiam juxta usum Ecclesiæ Gallicanæ de judiciis, Hilarum Papam in his talem tenuisse ordinem, ut causa Mamerti priùs ab Episcopis discutienda, deinde ad Romanum Pontificem insinuanda fuerit. Denique hanc vocamus synodum Arelatensem ex conjectura ob Leontium, qui & hujus civitatis Archiepiscopus, & synodalis conventus Pręses ab Hilaro Papa designatus fuit: cùmque de suo, ejúsque provinciæ negotio ageretur, convenisse potiùs Arelate videatur. Episcoporum autem numerus & nomina leguntur in epistola Hilari Papæ ad eosdem; Epocha verò synodi elicitur ex subscriptione alterius epistolæ Hilari ejusdem ad Leontium Arelatensem; ex quibus maximè necessaria excerpsimus ad asserenda quæ superiùs dicta sunt.

Ex Epistola Hilari Papæ ad Leontium Arelatensem Archiepiscopum.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus.

QVALITER contra sedis Apostolicæ veniens constituta, sacerdotalem modestiam Mamertus Episcopus Viennensis excesserit, dilectionis tuæ debuimus relatione cognoscere, qui invitis Deensibus Episcopum consecrare pręsumpsit. In quo, frater carissime, pronuntiare possemus, nisi judicii & moderatio nobis esset & ordo servandus: atque ideo in conventu synodali, qui secundum statuta nostra annis singulis te sibi præsidente congregandus, discutere quæ sunt acta debebis, & à prędicto rationem facti sui sub universo cœtu fraternitatis exigere, ac deinde omnium litteris nostræ intimare notitiæ, ut quod sancto Spiritu dictante est faciendum ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Data VI. Idus Octobris, Basilio V. C. consule, cujus consulatus respondet anno Christi 463.

Ex altera ejusdem Hilari Papæ ad XX. Episcopos prædictarũ provinciarum, qui de Mamerti causa in synodo cognoverunt.

Dilectissimis fratribus, Leontio, Verano, Ingenuo, Victuro, Idatio, Eustasio, Fonteio, Viventio, Eulalio, Fausto, Auxanio, Proculo, Ausonio, Paulo, Memoriali, Cœlestio, Projecto, Eutropio, Avitiano, & Vrso, Hilarus.

Requiescere

ANNO CHRISTI 463. — FL. VIBII SEVERI Imp. 3.

Requiescere sollicitudinem nostram, & magna ex parte relevari in his, quæ à sanctæ memoriæ decessore meo de Viennensi Episcopo præfixa sunt, credebamus; evidenti assertione cognovimus, & non sine dolore miramur definitiones illas à Mamerto Episcopo nunc potuisse transcendi, per quas Ecclesiæ privilegium probarat acquiri. Decessoris sui saltem instructus exemplo; nam dignitatem Viennensis Ecclesiæ Mamertus Episcopus meminit Arelatensis Antistitis quondam transgressione crevisse; & de hoc sanè, qui licet indebitè Densibus cognoscitur ordinatus, justitiæ ratione censuimus, ut sacerdotium ejus, fratris & Coepiscopi nostri Leontii confirmetur arbitrio, à quo ritè debuit consecrari.

ANNO CHRISTI 470. — ANTHEMII Imp. 3.

CONCILIVM CABILONENSE,

In quo ab Episcopis provinciæ Lugdunensis, Ioannes Presbyter Ecclesiæ Cabilonensis, ordinatus fuit ejusdem Ecclesiæ Episcopus.

Quæ omnia ex Sidonii Arvernorum Episcopi ad Domnulum epistola breviter atque convenienter referimus.

CVM Pontifex Patiens, more Religionis venisset Cabilonum, provincialium Sacerdotum pravio partim, partim comitante collegio, scilicet ut municipio summus aliquis Antistes ordinaretur, cujus Ecclesia disciplina nutabat, postquam Episcopus Paulus Iunior decesserat, exceperunt Pontificale Concilium varia voluntates oppidanorum, necnon & illa, qua bonum publicum semper evertunt, studia privata, qua quidam triumviratus accenderat competitorum: quod ubi viderunt sanctus Patiens & sanctus Euphronius, qui rigorem, firmitatémque sententia sanioris, prater odium gratiámque primi tenebant, consilio cum Coepiscopis priùs clam communicato, quàm palàm prodito, jactis repentè manibus, arreptum Ioannem, virum insignem, jam secundi ordinis Sacerdotem, dissonas inter partium voces, stupentibus factiosis, collegam sibi consecravere. Porro ad illorum exemplum post quadringentos & undecim annos videbimus Episcopos Remensis provinciæ in Concilio apud sanctam Macram anni 881. simile quid egisse de Hodone II. ad Ecclesiam Bellovacensem electo, adversùs civium factiones.

ANNO CHRISTI 472. — ANTHEMII Imp. 5.

EPISTOLA LVPI TRECENSIS EPISCOPI ad Sidonum Arvernorum Episcopum.

Gratulatur Sidonio de sua in Episcopatum promotione, monetque quo modo se gerere debeat.

Lupus Domino Papæ Sidonio.

GRATIAS ago Domino Deo nostro Iesu Christo per Spiritum sanctum, qui te, carissime frater, in hac generali titubatione & pressura dilectissimæ sponsæ Ecclesiæ suæ ad ejus sustentationem & consolationem in Sacerdotem vocavit, ut sis lucerna in Israël; & sicut ambitiosos honores mundanæ militiæ cum summa laude executus es, ita militiæ cœlestis operosa munia & humilia ministeria ipso adjuvante Christo alacriter percurras, nec retro ad aratrum applicata manu, pigritantium agricolarum more oculos convertas. Tu Imperatoris apices per gloriosissimas affinitates proximè consecutus es. Tu trabeales ornatus splendidásque præfecturas, & quicquid irrequieta desideriorum series sibi beatius in sæculo potest fingere, honorificus, & inter streperos plausus exercuisti. Mutatus est ordo, & in domo Domini apicem attigisti, qui non in exuberanti mundani fastus fulgore, sed in maximè infima mentis depressione, & humili resupinati cordis abjectione pertractandus est. Qui olim conabaris natalium decora additis honoribus superare, nec credebas homini sufficere, si cæteris par esset, & pares non transgrederetur, in eum statum devenisti, in quo licèt superior, nulli te debes superiorem reputare; minimo subditorum tuorum suppositus, eò plus eris honoratior, quò te humilitas Christi accinget; & eorum plantas osculaberis, supra quorum capita pedes tuos olim collocare dedignabaris. Iste profectò jam tibi labor incumbit, ut sis omnium servus, qui videbaris omnium dominus; & aliis incurueris, qui cæteros conculcabas, non quia eras superbus, sed quia dignitatum præteritarum majestate, ne dicam vanitate, tantùm tibi cæteros antecedendum erat, quantùm tibi modò præ cæteris est recedendum. Fac ergo, ut nunc ingenium transferas ad divina, qui tantùm valuisti ad humana. Colligant plebes tuæ ex ore tuo spinas de capite Crucifixi, qui ex verbis tuis colligebant rosas de pompa mundiali; & capiant de eloquio Sacerdotis verba disciplinæ cœlestis, qui capiebant de eloquio dominantis normam disciplinæ civilis. Ego quidem, qui te tantùm amavi, cùm sequebaris ariditatem sæculi, quali mensura putas jam amare sequentem ubertatem cœli? Iam delibor, & instans est resolutio mea, sed non putavero resolvi, qui licèt solutus, in te vivam, & te in Ecclesia relinquam. Gaudeo exui, postquam Ecclesiam induisti, & te induit Ecclesia. Macte amicitiâ vetuste, sed fraternitate recens. Supprimit postremus titulus antiquos; nihil est quod hodie velim de præterita meminisse dilectione, quando moderna dignitas & firmiorem facit esse caritatem, & tenaciorem. O si Deus vellet, ut te amplecterer? sed in spiritu perficio, quod non

 possum

possum in corpore, & presente Christo non amplius reipublicæ præfectum veneror & osculor, sed Ecclesiæ, qui mihi filius ætate, dignitate frater, & meritis pater est. Ora pro me, ut in Domino consummatus, opus quod injunxit, consummem, & in eo tandem impleam tempora, quæ restant, qui tot, & tanta (væ mihi!) his quæ non debui, impendi: sed apud Dominum misericordia. Memor esto mei.

NOTA.

Id nomen Papæ, antiquitùs Episcopis ascribebatur quibuscumque, sine ullo discrimine, ut videre est apud Rusticum Narbonensem, Paulinum Burdegalensem, Faustum Reiensem, Sidonium Arvernensem, Ruricium Lemovicensem, & Fortunatum Pictavensem. Nihilominùs scriptores aliqui etiam illorum ætate usi sunt discrimine in hujus vocis usurpatione; & quidem primùm in Italia Ennodius Ticinensis, & Cassiodorus, qui Papæ nomen uni Romano Pontifici tanquam proprium & peculiare asseruerunt; Antistites autem reliquarum Ecclesiarum, duntaxat Episcopos appellarunt: in Gallia verò Avitus Viennensis nomen Papæ videtur & Romano Pontifici, & Patriarchis primùm tribuisse, ita ut scribens ad alios aliarum Ecclesiarum Præsules, non aliter quàm Episcopos vocet. Concilia quoque Gallicana Papæ nomen solis Pontificibus Romanis inscripserunt, cæteris autem Episcopis minimè. Tandem hæc appellatio Papæ ob reverentiam B. Petri Apostolorum Principis in consuetudinem venit præcipui titulo ad solos ejus vicarios, & successores, Episcopos vrbis Rom.

ANNO CHRISTI 475. IVL. NEPOTIS IMP. 2.

TESTAMENTVM PERPETVI TVRONENSIS Episcopi.

Ex editione Dacheriana.

IN nomine Iesu Christi, Amen. Ego Perpetuus peccator, Turonicæ Ecclesiæ Sacerdos abire nolui sine testamento, ne fraudentur pauperes iis, quæ superna gratia mihi non meritò, liberaliter & amanter contulit, & ne, quod absit, transeant ad alios, quàm ad Ecclesiam Sacerdoris bona.

Presbyteris, Diaconibus, & Clericis Ecclesiæ meæ pacem Domini Iesu Christi do, lego, Amen. Confirma hoc, Domine, quod operatus es in nobis, nesciant schismata, stabiles in fide permaneant. Quicumque regulam Evangelii fuerit secutus, sit benedictus omni benedictione spirituali in supernis per Christum Iesum, Amen. Et Dominus Iesus occidat impium vento oris sui, amen, amen. Pax Ecclesiæ, pax populo, in urbe, in agro à Deo & Patre Domini Iesu Christi, Amen. Veni Domine, & noli sustinere, amen. Vobis itaque Presbyteris, Diaconibus & Clericis Ecclesiæ meæ cum consilio Agilonis Comitis sepeliendum cadaver mortis hujus ubicumque elegeritis permitto; scio quòd Redemptor meus non moritur, & in carne videbo Liberatorem meum. Amen. Tamen si indigno mihi feceritis misericordiam, quam supplex postulo, optarem ad domni Martini pedes in diem quiescere judicii; videritis, judicabitis, eligetis. Volo, statuo, ratum jubeo, quod vobis dominis & fratribus meis placuerit. Imprimis itaque ego Perpetuus, volo liberos esse, liberasque homines & fœminas, quotquot habeo in villa Saponaria, quos emi de mea pecunia, ut & pueros, quos in die discessus mei non manumisero in Ecclesia, ita tamen ut liberè serviant, quandiu vixerint, Ecclesiæ meæ, sed absque servitute ad heredes transmissibili & glebatica.

Do etiam Ecclesiæ meæ agrum, quem Aligarius mihi vendidit in dicta villa Saponaria cum stagno. Item molendina supra Carum prope dictam villam, necnon pecuaria & prata ipsi Ecclesiæ meæ do, lego.

Villam de Bertiniaco cum sylva & omni reditu, ea conditione, quâ mihi à Daniele Diacono vendita est, Ecclesiæ meæ pariter do, lego: ita tamen ut de eorum proventibus oleum paretur pro domni Martini sepulchro indeficienter illustrando; quod si fuerit neglectum, & voluntas mea, quod non spero, cassa, dicta villa de Bertiniaco cum adjunctis, heredibus meis mox nominandis cedat, volo, statuo, jubeo.

Quicquid, & quoquo in loco, & à quacumque persona fuerit mihi debitum, quo die abscessero, debitoribus ipsis do, lego. Exigere quod dimitto nullus præsumat, volo, statuo.

Tibi fratri & Consacerdoti dilectissimo Eufronio thecam ex argento de reliquiis Sanctorum do, lego. Illam intelligo, quam deferre solebam: nam deauratam aliam, quæ est in capsario meo, cum duobus calicibus aureis & cruce similiter aurea, quam Mabuinus fecit, Ecclesiæ meæ do, lego. Simul & omnes libros meos, preter Evangeliorum librum, quem scripsit Hilarius quondam Pictaviensis Sacerdos, quem tibi Eufronio fratri & Consacerdoti dilectissimo cum præfata theca do, lego, volo, statuo: memor esto mei, amen.

Ecclesiæ sancti Dionysii de Rambasciaco calicem argenteum, & crucem similiter argenteam, in cujus manubrio est reliquia de eodem sancto Dionysio, do, lego.

Ecclesiæ de Proillio similiter calicem argenteum & urceos argenteos do, lego. Similiter & Amalario ibidem Presbytero capsulam unam communem de serico, item peristerium, & columbam argenteam ad repositorium; nisi maluerit Ecclesia mea illam, qua utitur, eidem Amalario transmittere, meam retinere; tibi Ecclesiæ meæ eligendum permitto, volo, statuo.

Sorori meæ Fidiæ Iuliæ Perpetuæ crucem parvam auream ex emblasmate, in qua sunt de reliquiis Domini, do, lego; quam tamen obnixè rogatam velim, ut si fortè jubente Domino eam contingat migrare ante Dadolenam virginem, Ecclesiæ meæ ei possidendam relinquat. Te etiam rogo soror Dadolena, ut moriens eam Ecclesiæ quæ libuerit addicas, ne veniat ad indignos: quòd si transeat Dadolena ante te, sit tibi liberum, carissima soror Fidia Iulia Perpetua, prædictam crucem cui volueris Ecclesiæ relinquere: volo, statuo. Memor esto mei dilectissima, Amen.

Tibi Agiloni Comiti ob egregia tua in Ecclesiam meam & pauperes filios meos merita, & ut pergas eorum defensionem robustè suscipere, sicut cœpisti, equum meum parabilem, & mulum, quem elegeris, do, lego. Memor esto mei fili dilectissime, Amen.

Ecclesiæ sancti Petri peristromata, quæ ei ad

Anno Christi 475.

Ivl. Nepotis Imp. 1.

ad utendum in natali ejusdem sæpe concessi, omninò & absolutè do, lego.

Tibi fratri & Consacerdoti carissimo, de quo Dominus providebit, regendæ post discessum meum Ecclesiæ nunc meæ, tunc tuæ, aut potiùs nec meæ, nec tuæ, sed Christi, do quicquid ad usum Episcopalem de rebus meis volueris eligere in camera & sacrario vicino. Quod nolueris, hęredum meorum nominando tum esto. Presbyterum de Malleio, eumque de Orbona ad gradus, unde meritò dejecti sunt, nunquam restitue; sportulam tamen habeant quandiu vixerint super parte redituum meorum de Preslaio; quod supererit, cum parte illa, quam utendam, fruendam illis concessi, postquam obierint, & tibi utendum fruendum relinquo, post discessum tuum Ecclesiæ meæ do, lego. At tu frater & Consacerdos carissime, Presbyteros, Diaconos, Clericos, Virgines, meos tuos ama, exemplo juva, benevolentia pręveni, fac ut sciant se tibi filios, non servos, te illis patrem non dominatorem, rogo, volo, statuo.

At vos viscera mea, fratres dilectissimi, corona mea, gaudium meum, domini mei, filii mei, pauperes Christi, egeni, mendici, ægri, viduæ, orphani; vos, inquam, hęredes meos scribo, dico, statuo. His quæ suprà detractis, quicquid in bonis habeo, sive in agris, pascuis, pratis, nemoribus, vineis, mansis, hortis, aquis, molendinis, sive in auro, argento, & vestibus, cęterisque rebus, de quibus me disposuisse non constabit, hęredes esse vos jubeo. Et ut omnia per discretionem administrentur, volo ut distrahantur quamprimùm obiero, & fieri poterit, & in pecuniam redigantur, cujus tres partes fiant. Hominibus egenis duæ distribuantur, ut placuerit Agratio Presbytero, & Comiti Agiloni: tertia viduis & pauperibus fœminis, uti placuerit virgini Dadolenæ, distribuatur, volo, rogo, statuo.

Testamentum hoc manu propria scriptum relegi, & subscripsi ego Perpetuus, Calend. Maias post Consulatum Leonis Minoris A. Illud tu Delmati fili, apud te depositum serva, & cum alio simili mea pariter manu scriptum & suscriptum, quod apud Dadolenam deposui, Agiloni Comiti coram fratribus meis Presbyteris, Diaconibus, & Clericis aperiendum & legendum trades, in nomine Domini volo, rogo, statuo, fixum ratumque sit. Benedic Domine, veni Christe Iesu.

Ego perpetuus in nomine tuo, Amen.

NOTA.

Meminit hujus testamenti Gregorius Turonensis in vita ejusdem Perpetui summaria ad calcem historiæ de Turonicis Episcopis. Porro ex his verbis [post Consulatum Leonis Minoris seu Iunioris Augusti] colligitur Epocha testamenti, quæ respondet anno Christi 475.

Anno Christi 475.

Ivl. Nepotis. Imper. 1.

* CONCILIVM ARELATENSE.

IN QVO PRÆDESTINATORVM HÆRESIS XXX. Episcoporum decreto damnata est, præsidente Leontio Arelatensi Episcopo circa annum Christi 475.

Nonnulla supersunt, quæ fidem adstruunt huic synodo, quibus acta ejus suppleri possunt, scilicèt epistola Fausti Reiensis Episcopi ad Lucidum Presbyterum è secta Prædestinatorum, tunc scripta, cùm celebraretur Arelate Concilium; deinde epistola ejusdem Lucidi Presbyteri oblata eidem Concilio; tandem epistola ejusdem Fausti Reiensis ad eundem Leontium Arelatensem, de qua mox ad Concilium Lugdunense subsequens. Sic ergo se habet.

Epistola Fausti Reiensis Episcopi ad Lucidum Prædestinatianum, ut errores suos revocet.

Domino devinctissimo, & mihi speciali affectu venerando, ac suscipiendo fratri Lucido Presbytero, Faustus.

GRANDIS caritas est parùm cauti fratris errorem per Dei auxilium & gratiam magis velle curare, quàm sicut summi Antistites meditantur, ab unitate suspendere. Quid possum de hoc sensu, sicut ais, cum unanimitate tua per litteras loqui, cùm te præsens multa & blanda & humili conlocutione nunquam potuerim ad viam veritatis attrahere? Loquentes ergo de Dei gratia & obedientia hominis, id omnimodo statuere debemus, ut neque proni in sinistram, neque importuni in dexteram, regia magis gradiamur via. Illud autem venerationem tuam dixisse miratus sum, quod nullus unquam sub religiosa professione contra Catholicam fidem vel scripserit, vel prædicaverit, cùm plurimi multiplices & profanos errores suos etiam scriptorum monimentis crediderint inserendos, qui tamen Christiano nomine gloriabantur. Breviter ergo dicam, quantùm cum absente loqui possum, quid sentire cum Catholica Ecclesia debeas; id est, ut cum gratia Domini operationem baptisati famuli semper adjungas, & eum, qui prædestinationem excluso labore hominis asserit cum Pelagii dogmate detesteris.

Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagii impietates, hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse salvari damnanda præsumptione contenderit, & qui eum sine gratia Dei liberari posse crediderit. Item

Anathema illi, qui hominem cum fideli confessione solemniter baptisatum, & asserentem Catholicam fidem, & postmodùm per diversa mundi hujus oblectamenta & tentamenta prolapsum, in Adam & originali peccato periisse asseruerit. Item

Anathema illi, qui per Dei præscientiam in mortem deprimi hominem dixerit. Item

Anathema illi, qui dixerit illum, qui periit, non accepisse ut salvus esse posset: idem de baptisato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit & noluit. Item.

Anathema illi, qui dixerit quod vas contumeliæ non possit adsurgere ut sit vas in honorem. Item

Athema illi, qui dixerit quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.

Cùm autem ad nos in Christi nomine veneris, A aut cùm à sanctis Sacerdotibus evocatus fueris, tunc opportuna, si Dominus jusserit, locis suis testimonia proferemus, quibus, & quæ Catholica sunt manifestentur, & quæ Catholicis contraria destruantur. Nos autem per inluminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum qui periit per culpam, salvum esse potuisse per gratiam, si gratiæ ipsi famuli laboris obedientiam non negasset: & eum, qui per gratiam ad bonæ cōsummationis metas servitio obsequente pervenit, cadere per desidiam, & perire potuisse per culpam. Nos ergo per medium Christo duce gradientes, post gratiam sine qua nihil sumus, laborem officiosæ servitutis asserimus. B Sed omnimodo arrogantiam & præsumptionem laboris excludimus, ut totis viribus desudantes, ne gratia in nobis evacuetur, quicquid de manu Domini susceperimus, donum pronuntiemus esse, non pretium, scientes laboris ipsius fructum officii rem esse, non meriti, cum Evangelista dicentes; Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Hæc quæ strictim pro epistolæ brevitate memorata sunt, aut recipere se, aut respuere, unanimitas tua recurrente sermone respondeat. Cæterùm qui hanc veritatis mensuram gratia præcedente, & conatu adsurgente non sequitur, dignus erit qui à sacris liminibus arceatur. Ego tamen individuam bonitatē tuam toto sinceræ benignitatis amplexu in via retinēs, C intra matris Ecclesiæ gremium permanere repudiato hoc errore desidero. Qui si citò respuatur, ignorantia fuisse videbitur; blasphemia verò reputabitur, si pertinaciter defendatur. Gravem namque in auctorem retorquens invidiam, si dicamus, quòd ei possibilitatem capessendæ salutis noluerit dare, qui periit, ei dumtaxat, qui capere jam posset arbitrii libertatem. Cùm minimè negare possimus, quod mandati prævaricatorem in judicii sui examinatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, nescio quomodo reus possit esse de perdito. Ac sic peccantes in Deum, cujus in primis asseruimus gratiam, in postremis ejus videbimur impugnare justitiam. D Hujus autem epistolæ exēplar mecum retineo, in conventu sanctorū Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Quam si suscipiendam putaverit fraternitas tua, aut subscriptam manu propria mox remittat, aut sequentibus scriptis omnino se improbasse respondeat. Quòd si eam subscriptam, ut dixi, transmittere nolueris, apertè adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis, ac proinde jam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conventibus exponendam. Et ideò secundùm hæc, quæ à me sunt directa, rescribe, utrum ea remotis circumitionibus aut agnoscas, aut respuas.

a Et alia manu. Faustus exemplar epistolæ meæ relegi, & subscripsi.

E

b Epistola Lucidi Presbyteri præteritos errores revocantis.

Dominis beatissimis, & in Christo reverentissimis Patribus, Leontio, Eufronio, Fonteio, Viventio, Mamerto, Patienti, Veriano, Auxanio, Fausto, Paulo, Megethio, Græco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Basilio, Claudio, Vrsicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplasto, Leocadio, Iventio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, & Licinio Episcopis, Lucidus Presbyter.

CORREPTIO vestra, salus publica, & sententia vestra; medicina est unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione me diluam; proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum.

Qui dicit humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum.

Qui dicit post primi hominis lapsum, ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

Qui dicit, quòd Christus Dominus & Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.

Qui dicit quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt.

Qui dicit, quòd post acceptum legitimè baptismum, in Adam moriatur quicumque deliquerit.

Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.

Qui dicit ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est per legem naturæ, in adventum Christi fuisse salvatos, & quòd liberum arbitrium in primo parente perdiderint.

Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel summos quosque sanctorum, etiam ante redemptionis tempora intra paradisum deguisse.

Hæc omnia quasi impia & sacrilegiis repleta condemno.

Ita autem assero gratiam Dei, ut annisum hominis & conatum gratiæ semper adjungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed attenuatam & infirmatam esse pronuntiem, & periclitari eum, qui salvus est, & eum qui periit potuisse salvari.

Christum etiam Deum & salvatorem, quantùm pertinet ad divitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse, & quia nullum perire velit qui est salvator omnium, maximè fidelium, dives in omnibus, qui invocant illum. Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendum, memini mē antè dixisse, quod Christus pro his tantùm, quos credituros præscivit, advenisset, sententias dominicas sequens, quibus ait; Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis: Et illud; Hic est Calix sanguinis mei novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorū: Vel illud Apostoli; Sicut statutum est hominibus mori, ita & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Nunc verò, sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abundè per spatia divinarum inveniuntur scripturarum, ex seniorum doctrina ratione patefacta libens fateor, Christum etiam pro perditis advenisse, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solùm qui videntur esse salvati, immensæ divitias bonitatis ac beneficia divina concludi. Nam si Christum his tantùm remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt, videbimur absolvere non redemptos, quos pro redemptione contempta constat esse puniendos.

Assero etiam per rationem & ordinem sæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos: tamen

ANNO CHRISTI 475.

tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis, non absolutos.

Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas factis capitalibus præparatas, quia perseverantes humanas culpas meritò sequitur divina sententia, quam justè incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me, domini sancti & Apostolici Patres. Lucidus Presbyter hanc epistolam meam manu propria subscripsi, & quæ in ea adstruuntur assero, & quæ sunt damnata, damno.

NOTÆ.

a Et alia manu Faustus.] Hæc vera & germana epistolæ est subscriptio vnicum Auctoris nomen præferens, quod solum pariter & Hincmarus & veteres optimi quique libri repræsentant. Altera autem in vulgatis hactenus editionibus, quæ Auxanium, aliorumque cum Fausto novem Episcoporum nomina subnotat, etsi veterum quorundam codicum suffragio non careat, spuria tamen est haud dubiè, & aliena. Quæ & in errorem nonnullos induxit, ut ab Arelatensi Concilio, vel à Lugdunensi subscriptam Fausti epistolam crederent, & adversariis I. Sirmondi viri consummatissimi calumniæ ansam præbuit, ut illum, Concilii nomen huic uni Fausti epistolæ dicerent tribuere, quod est falsissimum.

b Epistola Lucidi.] Ex hac Lucidi Presbyteri ad synodum Arelatensem epistola, non solùm triginta Episcoporum, qui in ea fuerunt, nomina didicimus, sed dogmatum etiam capita, quæ ipsi sanxerunt contra Prædestinatorum hæresim. Nec mirùm si tot in hujusmodi conversione aderant Episcopi, qui zelo fidei Orthodoxæ accensi sæpius & numerosius in unum conveniebant, ut videmus in epistola synodi Arelatensis II. ad Leonem Papam. Præterea notandum est, quod illorum triginta Episcoporum major pars hodie nobis adhuc nota sit ex epistolis tum Hilari Papæ, tum Apollinaris Sidonii Arvenorum Episcopi, & quod præcipuum est, etiam plerique inter sanctos colantur in Ecclesiis Galliarum.

IVL. NEPOTIS Imp. 2.

ANNO CHRISTI 475. — IVL. NEPOTIS Imper. 2.

* CONCILIVM LVGDVNENSE

NON LONGE POST SYNODVM ARELATENSEM SVPRA scriptam sub Patiente Ecclesiæ Lugdunensis Episcopo celebratum.

De hac synodo vnicum extat Fausti Reiensis Episcopi testimonium in ejus epistola ad Leontium Arelatensem Episcopum, ubi memorat adhuc Concilium Arelatense, de quo suprà, fuisse congregatum ab eodem Leontio; docetque opusculum, nempe de gratia Dei & humanæ mentis libero arbitrio, & à se mandato Leontii compositum, & synodi subscriptionibus approbatum. Quapropter illud appellatur ab ipsomet Fausto professio fidei, cujus prologus, seu præfatio se habet instar epistolæ, quæ talis est.

Domino beatissimo, ac reverentissimo Leontio Papæ, Faustus.

QVòd pro sollicitudine Pastorali, beate Pater Leonti, in condemnando prædestinationis errore, Concilium summorum Antistitum congregatis universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quòd verò ad ordinanda, quæ collatione publica doctissimè protulistis, operam infirmis humeris, curamque mandastis, parùm sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me judicio caritatis, vos periculo electionis oneraslis. Quia ergo vestram laborare personam sub imposito nobis fasce cognoscitis, communem causam hoc loco agitis, si ei, quem opinioni vestræ imparem cernitis, manum suffragii porrigatis. Studium asserendæ gratiæ competenter & salubriter suscipit, qui obedientiam famuli laboris adjungit, tanquam si patrono vel domino inseparabiliter pedissequus minister inhæreat. Quòd si unum sine altero fuerit, aut inhonorus absque servo dominus apparebit, aut servus domini locum, conditionis immemor occupabit. Rectè ergo inter adjuvantem pariter & adnitentem ordo iste servabitur, ut hic teneat pleno jure dominatum, & ille tota reddat subjectione servitium. Augebitur autem dignitas imperantis, si ei semper præstò sit sedulitas obsequentis: socientur ima summis, sicque socientur, ut subjiciantur utique, non æquentur. Sed sicut deesse non convenit Gubernatori remigem suum, Sacerdoti ministrum suum, Imperatori militem suum, ira oportet ut gratia alumnæ obedientiæ inseparabili servitute connexa sit. Verùm quia Pelagius nudum laborem importuniùs exaltans, & humanam docens infirmitatem sine gratia sibi posse sufficere, stultè credidit, impiè prædicavit, elationis turrim in cælum conatus erigere, blasphemias ejus brevi sermone præstringere & confutare necessarium judicavimus. Ne fortè is, qui donum laboris, id est præceptum jubentis excludit, asserentibus nobis quod Dei misericordia fide & operibus promerenda est, Catholicam vocem ad Pelagii sensum, discretionis nescius applicaret, & omissa via regia in dexteram cadens, in sinistram declinare nos crederet, & dum de labore servo gratiæ loquimur, offendiculum ante pedes cæci opposuisse videremur. Cùm autem mentionem de opere ac labore fecerimus, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ & verbis utemur, & sensibus. Quibus si quis contraïre præsumpserit, non nostra inventa destruere, sed cælestia sine dubio jura dissolvere, & fidei subruere fundamenta tentabit. Latiùs utrumque sermonem de præscientia & prædestinatione produximus, ut quæ putabantur obscura, absolutiora tardioribus redderentur. Non autem aliquos, qui verborum phaleris delectantur, offendat, quod testimoniorum virtute contenti, absque sublimitate sermonis, lucem protulimus veritatis. In quo quidem opusculo, post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua synodus Lugdunensis exegit

Finis Prologi seu epistolæ.

Leontius Episcopus Arelatensis.
Eustonius Episcopus Augustodunensis.
Fonteïus Episcopus Vasionensis.
Viventius Episcopus (memoratur in epistola Hilari PP.)
Mamertus Episcopus Viennensis.
Patiens Episcopus Lugdunensis.
Verianus Episcopus.
Auxanius Episcopus Nicaensis.
Faustus Episcopus Reïensis.
Paulus Episcopus (memoratur in epistola Hilari PP.)
Megethius Episcopus Belliceensis.
Græcus Episcopus Massiliensis.
Eutropius Episcopus Arausicanus.
Leontius Episcopus.

Claudius

CONVENTVS LVGDVNENSIS.

In quo disputatum est de fide coram Gundobado Burgundionum Rege ab Episcopis Catholicis adversùs Arrianos ejusdem regni Conventus autem Lugduni vrbis regiæ habitus est occasione solemnitatis anniversariæ sancti Iusti quondam Lugdunensis Episcopi, & quidem ibi celeberrimæ, de qua Sidonius, Avitus, & Viventiolus apud Avitum, ad quam collegas vicinarum sedium Episcopos invitavit ex officio atque antiquo Ecclesiæ more Stephanus ejusdem civitatis Episcopus, cujus memoria quidem apud Lugdunenses tenuis & obscura restabat, antequam constaret nobis Ruricium Lemovicensem, Avitum Viennensem, ac Ennodium Ticinensem Episcopos scripsisse huic Stephano; qui, ut antiquæ Lugdunenses tabulæ docent, Rusticio Episcopo successit, successoremque habuit Viventiolum; Lupicinus enim, qui Stephano subjici à recentionibus solet, ante Rusticium in iisdem tabulis post Patientem collocatur, tandemque in veteri Martyrologio prioratus Granmontensis apud Turones, ad idus Februarii, Lugduni sancti Stephani Episcopi, memoria inscribitur. Is sanè conventus post baptismum Clodovei Francorum Regis actus est, ac post bellum quoque ab ipsomet, eidem Gundobado indictum, scilicet anno 499. vnde multo cum labore atque cura operati sunt salutem animarum, ac hæreticorum conversionem in vtroque illorum Regno hi Patres sancti. Quæ omnia patent ex gestis ac contextu hujusce conventus, seu collationis Episcoporum, quæ in lucem edita est ab eruditissimo D. Luca Dacherio, in tomo 5. Spicilegii veterum scriptorum.

Conventus seu collatio Episcoporum Catholicorum, coram Rege Burgundionum Gundebaldo adversùs Arrianos.

PROVIDENTE Domino Ecclesiæ suæ, & inspirante pro salute totius gentis cor domni Remigii Remensis, qui ubique altaria destruebat idolorum, & veram fidem potenter cum multitudine signorum amplificabat; factum est ut Episcopi plures, non contradicente Rege Gundebaldo, congregarentur, si fieri posset, ut Arriani, qui Religionem Christianam scindebant, ad unitatem possent reverti. Quod ut melius fieret, videreturque id non consilio accidisse, sed occasione, domnus Stephanus Lugdunensis scripsit ad Episcopos multos, & invitavit illos ad festivitatem sancti Iusti, quæ instabat, in qua ob frequentiam miraculorum fiebat concursus plurimus populorum. Venerunt itaque de Vienna Avitus, de Arelate Æonius, de Valentia Apollinaris, de Massilia Episcopus, & plures alii omnes Catholicæ professionis & laudabilis vitæ in Domino. Qui omnes ad salutationem Regis cum domno Stephano ad Sarbiniacum, ubi tunc erat, profecti sunt. Erant quidam inibi de potentioribus Arrianis cum eo, qui si potuissent, prohibuissent nostrorum accessum ad Regem, sed Domino cooperante nihil profecerunt.

Post salutationem factam, domnus Avitus, cui, licèt non esset senior nec dignitate, nec ætate, tamen plurimùm deferebatur, dixit ad Regem: Si excellentia vestra vellet procurare pacem Ecclesiæ, parati sumus fidem nostram tam clarè demonstrare, esse secundùm Evangelium & Apostolos, quòd nulli dubium erit, illam quam retinetis non esse secundùm Deum & Ecclesiam. Habetis hîc de vestris qui sunt instructi in omnibus scientiis, jubeatis ut nobiscum colloquantur, & videant si possint respondere rationibus nostris, ut parati sumus respondere rationibus eorum.

Ad quæ Rex respondit: Si vestra fides est vera, quare Episcopi vestri non impediunt regem Francorum qui mihi bellum indixit, & se cum inimicis meis sociavit ut me destruerent; nam non est fides ubi est appetentia alieni, & sitis sanguinis populorum; ostendat fidem per opera sua.

Tunc humiliter respondit domnus Avitus faciem habens angelicam ut & sermonem: Ignoramus, ô Rex, quo consilio & qua de causa Rex Francorum facit quod dicitis; sed Scriptura nos docet quod propter derelictionem Legis Dei sæpè subvertuntur regna, & suscitantur inimici omni ex parte, illis qui se inimicos adversùs Deum constituunt. Sed redite cum populo vestro ad legem Dei, & ipse dabit pacem in finibus vestris; nam si habetis pacem cum illo, habebitis & cum cæteris, & non prævalebunt inimici vestri.

Cui Rex: Nonne legem Dei profiteor? sed quia nolo tres Deos, dicitis quia non profiteor legem Dei. In Scriptura sancta non legi plures esse Deos, sed unum.

Ad quæ domnus Avitus: Absit, ô Rex, ut plures Deos colamus, vnus est Deus tuus ô Israël; sed ille unus Deus in essentia, est trinus in personis; & Filius, & Spiritus sanctus non sunt alii dii, sed unus Deus, cujus prima persona est Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus; sed Patri non est alia substantia quàm Filio, & Spiritui sancto non est alia quàm Patri & Filio; est ille Deus qui olim locutus est per Prophetas, novissimè locutus est in Filio, & adhuc loquitur quotidie in Spiritu sancto. Et quamvis olim per Prophetas, mox per Filium, nunc per Spiritum, unus idemque Deus loquitur, sed sic dicitur ad distinctionem personarum; cùm revera sint coæternæ & consubstantiales. Hoc profitemur, & parati sumus ostendere.

Et cùm videret Regem pacificè audientem, protelavit sermonem, & dixit: O si vellet sagacitas vestra cognoscere quàm bene fundata sit nostra fides, quantum boni vobis & populo vestro inde proveniret, nam & cælestis gloria vobis indè proveniret, & pax & abundantia in turribus vestris. Sed vestri cùm sint inimici Christi super regnum vestrum, & super populum, iram desuper accendunt, quod ut speramus, non esset si velletis audire monita nostra, & juberetis vestri Sacerdotes de his nobiscum colloquantur coram sublimitate vestra, & populo vestro, ut sciatis quia Dominus Iesus est æterni Patris æternus filius, & utrique coæternus Spiritus sanctus, unus Deus benedictus in sæcula, simulque ante omnia tempora, & absque ullo initio.

Cùm hæc dixisset, procidit ad pedes Regis, & amplectens eos flebat amarè. Procubuerunt & omnes Episcopi cum eo; unde Rex valde commotus est, & inclinans se usque ad eos, erexit domnum Avitum cum cæteris, quibus amicabiliter dixit se responsum daturum illis super petitionibus illorum.

Quod & crastina die factum est: nam Rex per Sagonam rediens ad urbem misit ad domnos Stephanum & Avitum, ut venirent apud illum; qui cùm venissent, Rex dixit ad illos: Habetis

quod postulatis; nam Sacerdotes mei parati A sunt vobis ostendere quòd nullus potest esse coæternus & consubstantialis Deo. Sed nolo ut id fiat coram omni populo, ne turbæ excitentur; sed tantùm coram Senatoribus meis, & aliis quos eligam, sicut vos eligetis ex vestris quos volueritis; sed non in magno numero, & id fiet die crastina in hoc loco. Quo dicto Episcopi salutato Rege discesserunt, & reversi sunt ut omnia intimarent aliis Episcopis. Erat autem vigilia solemnitatis S. Iusti. Et licèt optavissent quòd hoc fieret die solemnitatem sequenti, noluerunt tamen propter tantum bonum ampliùs procrastinare. Sed unanimiter decreverunt apud S. Iusti sepulchrum pernoctare, ut illo B intercedente obtinerent à Domino petitiones cordis sui.

Evenit autem vt ea nocte cùm lector secundùm morem inciperet lectionem à Moyse, incidit in illa verba Domini: Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Egypti, & non audiet vos. Deinde cùm post Psalmos decantatos recitaret ex Prophetis, occurrerunt verba Domini ad Esaïam dicentis: Vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus audiat, & intelligat suo corde, & convertatur, & sanem eum. Cum- C que adhuc Psalmi fuissent decantati, & legeret ex Evangelio, incidit in verba quibus Salvator exprobrabat Iudæis incredulitatem eorum: Væ tibi Corrasaïm, væ tibi Betsaïda; quia si in Tyro & Sidone virtutes factæ essent, quæ sunt factæ in vobis, jamdudum in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Denique cùm lectio fieret ex Apostolo, pronuntiata sunt verba illa: An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam sustinentia Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurisas tibi iram in tempore iræ. Quod cùm ab omnibus Episcopis observatum fuisset, cognoverunt lectiones illas sic occurrisse volente Domi- D no, ut scirent induratum esse cor Regis, Deumque illum in sua impœnitentia relinquere ad ostendendum divitias justitiæ suæ, unde valde tristes effecti, noctem in lacrymis transegerunt. Non destiterunt tamen veritatem nostræ religionis contra Arrianos asserere.

Igitur tempore quo Rex jusserat, conveniunt omnes Episcopi, & simul ad Regiam vadunt cum multis Sacerdotibus & Diaconibus & quibusdam de Catholicis, inter quos erant Placidus & Lucanus, qui erant de præcipuis militiæ Regis. Venerunt etiam Arriani cum suis. Cùm ergo sedissent coram Rege domnus Avitus pro Catholicis, Bonifacius pro Arrianis, sermonem habuerunt. Sed postquam domnus Avitus pro- E posuit fidem nostram cum testimoniis sacræ Scripturæ, ut erat alter Tullius, & Dominus inspirabat gratiam omnibus quæ dicebat; tanta consternatio cecidit super Arrianos, ut qui satis amicabiliter audientiam præbuerat Bonifacius, nihil omnino respondere posset ad rationes domni Aviti; sed tantùm quæstiones difficiles proponeret, quibus videbatur velle Regem fatigare: sed cum ab Avito urgeretur ut responderet ad antedicta, promittens etiam se responsurum ad ea quæ proposuerat, non potuit respondere ad unam de rationibus quæ fuerant à domno Avito propositæ, neque ullam pro defensione suæ partis allegare; sed tantùm os suum in conviciis aperiebat, & dicebat Catholicos esse præstigiatores, & colere multitudinem deorum. Quod solum cùm diceret, videretque Rex confusionem suæ sectæ; surrexit de sua sede, dicens quod in crastinum responderet Bonifacius. Discesserunt ergo omnes Episcopi, & quia adhuc dies non erat inclinata, iverunt simul cum cæteris Catholicis ad basilicam domni Iusti, confitentes Dominum quoniam bonus, & laudantes eum qui talem illis dederat victoriam de inimicis suis.

Sequenti verò die iterùm ad Regiam profecti cum his qui in præcedenti aderant: cumque ingrederentur invenerunt Aredium, qui eis persuadere volebat ut regrederentur: dicebat enim quòd tales rixæ exasperabant animos multitudinis, & quòd non poterat aliquid boni ex eis provenire. Sed domnus Stephanus, qui sciebat illum favere Arrianis, ut gratiam Regis consequeretur, licèt fidem nostram profiteretur, respondit ei quod nondum timendum erat, ne rixæ procederent ex inquisitione veritatis, & amore salutis fratrum suorum, imò nihil esse utilius ad jungendos animos in sancta amicitia, quàm cognoscere apud quos esset veritas, quia ubicumque est, amabilis est, & professores ejus reddit amabiles.

Addidit insuper omnes huc venisse secundùm jussionem Regis, contra quod responsum non est ausus Aredius ampliùs resilire. Ingressi sunt ergo, & cùm Rex eos vidisset, surrexit in occursum eorum, mediusque inter domnum Stephanum & domnum Avitum adhuc multa locutus est contra Francorum Regem, quem dicebat sollicitare fratrem suum contra se. Sed cùm responderent præfati Episcopi, quod non esset melior via ineundi pacem quàm concordare in fide, & operam suam, si gratam haberet, pollicerentur pro tam sancto fœdere conciliando, nihil ampliùs locutus est, sed unusquisque locum quem præcedenti die tenuerat, occupavit.

Cùm itaque sedissent, domnus Avitus tam lucidè probavit quòd Catholici non plures deos adorabant, ut sapientiam ejus tam Catholici quàm adversarii cum stupore mirarentur. Id autem fecit ut responderet conviciis quæ Bonifacius in nostram fidem conjecerat. Postquam ergo conticuit ut locum daret responsionibus Bonifacii, nihil aliud potuit ille dicere, quàm quod præcedenti die fecerat, & conviciis addens convicia, tanto impetu clamabat, ut præ raucitate non posset ampliùs loqui, & quasi suffocaretur.

Quod cùm Rex vidisset, & satis diu expectasset, tandem surrexit vultu indignationem prætendens contra Bonifacium. Tunc domnus Avitus dixit ad Regem: Si sublimitas vestra vellet jubere ut hi responderent propositionibus nostris, ut posset judicare quænam fides est retinenda. Sed nihil Rex respondit, neque cæteri Arriani qui erant cum illo, adeò stupefacti erant de doctrinâ & sapientiâ domni Aviti. Qui cùm videret eorum silentium, subjunxit: si vestri non possunt respondere rationibus nostris, quid obstat cur non omnes simul conveniamus in eadem fide? Tunc murmurantibus illis, de sua fide securus in Domino addidit: si rationes nostræ non possunt illos convincere, non dubito quin

Anno Christi 499. — Clodovei Regis 18.

quin Deus fidem nostram miraculo confirmet; jubeat sublimitas vestra ut tam illi quàm nos eamus ad sepulchrum hominis Dei Iusti, & interrogemus illum de nostra fide, similiter & Bonifacius de sua, & Dominus pronunciabit per os servi sui in quibus complaceat. Rex attonitus annuere videbatur: sed inclamare cœperunt Arriani, & dicere se pro fide sua manifestanda facere nolle ut fecerat Saül, & ideo maledictus fuerat; aut recurrere ad incantationes, & illicita; sufficere sibi se habere Scripturam, quæ sit fortior omnibus præstigiis, & hæc semper repetentes, & boantes potiùs quàm vociferantes; Rex qui jam surrexerat, accipiens per manus domnum Stephanum & domnum Avitum, duxit eos usque ad cubiculum suum, & cùm intraret amplexus est eos dicens, ut orarent pro eo. Cognoverunt quidem illi perplexitatem & angustias cordis ejus; sed quia Pater eum non traxerat, non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur: non est volentis, neque festinantis, sed miserentis Dei. Et ex eâ die plurimi Arriani ad pœnitentiam venerunt, & post aliquot dies baptisati fuerunt: & magnificavit Dominus fidem nostram per intercessionem domni Iusti in conspectu omnium.

Anno Christi 501. — Clodovei Regis 20.

EPISTOLA SYMMACHI PAPÆ ad Avitum Viennensem.

Asserit noluisse judicare causam & inaudita parte, & absque competenti instructione, quodque leges aliquando solvendæ sint.

Avito Symmachus.

NON debuit caritatem tuam offendere, quod ad fratrem & Coepiscopum nostrum Æonium nuper rescripsimus. Non enim juri tuo, dilectissime frater, præjudicatum fuit, cùm nos inaudita parte, & absque competenti instructione non posse judicare respondimus, unde fraternitati tuæ salvum est, allegare quod putaverit allegandum, & proponere quod viderit proponendum. Nam licèt confusionem Provinciæ à prædecessore nostro sanctæ memoriæ Anastasio Episcopo præter Ecclesiæ consuetudinem & antiqua prædecessorum nostrorum statuta factam esse dixerimus, & non esse tolerandam; attamen si ea, quæ fecit, rationabiliter fecisse fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra Canones attentatum, quia quod fit præter regulam, modò sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis à patribus statuta, diligenti observatione & observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset. Et sæpè crudele esset insistere legi, cùm observantia ejus esse præjudicabilis Ecclesiæ videtur, quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant. Quamobrem pergat dilectio tua, rationes quæ prædecessorem nostrum ad tractandam prædictam confusionem impulerunt, ad nos dirigere, ut & sciamus quid fuerit statuendum, & in Domino lætemur b. memoriæ Anastasium nihil fecisse retractandum. Deus te incolumem servet, frater dilectissime. Data III. Id. Octob. Avieno, & Pompeïo Coss.

NOTA.

Agitata est perdiu inter Arelatenses ac Viennenses Episcopos de primatu controversia; cœpit enim ante Concilium Taurinense anno 405. celebratum, ut indicat ejus Canon II. quo decretum est, ut ad pacis vinculum conservandum, unusquisque memoratarum urbium Episcopus viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit. Attamen utrique harum sedium successores plerumque Canoni non obtemperarunt, ut videre est in Simplicio Viennensi Episcopo, sub Papa Zosimo, posteà in Hilario, atque Ravennio Arelatensium Episcopis sub Leone Papa, qui juxta generalem synodi definitionem, nominatim civitates unicuique illorum vicinas & subditas declaravit. Quod quidem judicium minimè fuit observatum adhuc ab illis Episcopis, ut patet ex Concilio Arelatensi ad annum 463. ubi conqueritur Hilarus Papa de Mamerto Viennensium Episcopo, quod prædictum Leonis judicium neglexerit. Vnde commota est tandem dissensio etiam inter Pontifices Romanos de altercatione eâdem, scilicet Anastasium & Symmachum, quorum prior ad Viennensem, posterior autem ad Arelatensem inclinatæ colligitur ex hac ad Avitum ejusdem Symmachi epistola. Sciendum est quoque statum illum Viennensis & Arelatensis Ecclesiarum intra Provinciam, scilicet Narbonensem II. de cujus primatu hos inter Episcopos controvertebatur, adhuc tempore Concilii Francofordiensis, ut patet ex Can. VIII. abhinc usque ad ætatem nostram ferè totum fuisse immutatum, &c.

Anno Christi 504. — Clodovei Regis 23.

FVNDATIO ABBATIÆ MICIACENSIS à Clodoveo Francorum Rege facta,

Et ab Episcopo Aurelianensi Eusebio confirmata.

Ex editione Macheriana.

CLODOVEVS Francorum Rex, vir inluster, tibi venerabilis senex Euspici, tuoque Maximino, ut possitis, & hi qui vobis in sancto proposito succedent, pro nostra, dilectæque conjugis & filiorum sospitate divinam misericordiam precibus vestris implorare. Miciacum concedimus, & quicquid est fisci nostri intra fluminum alveas, per sanctam confarreationem & annulum inexceptionaliter tradimus, & corporaliter possidendum prębemus absque tributis, naulo, & exactione, sive infrà, sive extra Ligerim, & Ligerinum cum querceto, & salicto, & utroque molendino. Tu verò Eusebi sancte, Religionis Catholicæ Episcope, Euspicii senectam fove, Maximino fave, & tam eos, quàm possessiones eorum in tua parochia ab omni calumnia & injuria pręsta liberos; neque enim nocendi sunt, quos regalis affectus prosequitur. Idem agite, ô vos omnes sancti Catholicæ Religionis Episcopi. Vos ergo Euspici,

Anno Christi 504.

ſpici, & Maximine, definite inter Francos eſſe peregrini, & ſint vobis loco patriæ in perpetuum poſſeſſiones, quas donamus in nomine ſanctæ, individuæ, æqualis, & conſubſtantialis Trinitatis.

Ita fiat, ut ego Clodoveus volui.

Euſebius Epiſcopus confirmavi.

Clodovei Regis 23.

Anno Christi 506.

CÆSARII EPISCOPI Arelatenſis Epiſtola ad Ruricium Epiſcopum Lemovicenſem,

Expoſtulatoria de abſentia ejus à ſynodo Agathenſi.

Domino ſancto, meritiſſimo, in Chriſti luminaria praferendo, & plurimùm in Chriſto deſiderando, piiſſimo domino Ruricio Epiſcopo, Cæſarius Epiſcopus.

Ex editione Henr. Caniſii recognita.

DUM nimiùm tribularetur animus meus, quare ad ſynodum, veſtram præſentiam non meruimus obtinere, ſanctus & domnus meus Verus Epiſcopus mihi dignatus eſt dicere per ſuum Diaconum, quod mihi Agathen veſtras litteras deſtinaſſet, quas ego neſcio quo caſu, aut qua negligentia me non retineo ſuſcepiſſe, ſed tamen ſancto & domno meo fratri & veſtro certiſſimè credo, & malo hoc portitoris negligentiæ imputare. Sed licèt ſanctos & deſiderabiles veſtros apices miſeritis, tamen ſicut ipſi optimè noſtis, digniſſimum fuerat, ut perſonam dirigeretis, quæ ad vicem veſtram ſubſcriberet, & quod ſancti fratres veſtri ſtatuerunt, in perſona veſtra firmaretur. Sed quia novi, quàm ſancto ac frequenti & pio deſiderio intereſſe volueritis, omnibus fratribus veſtris votum veſtrum & ſanctam voluntatem expoſui, pro qua re nihil pietati veſtræ vel potuimus vel debuimus imputare; ſed licèt deſiderabilem veſtram præſentiam non habuerimus, orationum tamen veſtrarum ſuffragia nos meruiſſe perſentimus; & ideo his dictis ſaluto plurimùm affectu, & honore, quo dignum eſt, & rogo ut me ſanctis & inluſtribus precibus ſimul ac meritis Domino commendetis; ſimulque indico pietati veſtræ, & quia filius veſter Eudomius, ſi potuerit hoc elaborare, deſiderat ut ſuperveniente anno Toloſæ ſynodum, Chriſto propitio, habeamus; ubi etiam, ſi potuerit, Hiſpanos vult Epiſcopos convenire: & ideo orate ut tam ſancto deſiderio ſuo Dominus tribuere dignetur effectum. Sanctum verò & dulciſſimum fratrem meum Capillutum Preſbyterum, amatorem & prædicatorem veſtrum, veſtræ ſanctimoniæ, quanta valeo inſinuatione, commendo; & pro ipſo vobis ingentes & uberes gratias ago, quia quantùm ipſe aſſeruit, tantùm ſe circa illum impendit pia, & ſincera benevolentia veſtra, ut hoc nullus hominum poſſit exponere. Nunc ergo, quia pro veſtro deſiderio æſtuans pietatem veſtram expetit, dignum judicavi, ut per ipſum, humilitatis meæ litteras deſtinarem, quo remeante, ſi Chriſtus annuerit, apices veſtros, quaſi cæleſte munus, deſidero promereri. Ora pro me.

Clodovei Regis 25.

EPISTOLA RURICII EPISCOPI Lemovicenſis ad Cæſarium Arelatenſem excuſatoria, quòd ad ſynodum Agathenſem non venerit.

Domino ſancto & Apoſtolico, omnique à me honore & amore ſpecialiùs fratri Cæſario Epiſcopo, Ruricius.

Ex eadem editione recognita.

FRATER & Compreſbyter noſter Capillutus dupliciter hac vice nobis gratus apparuit, dum & ipſe nobis jamdiu deſideratus occurrit, & quandam veſtri præſentiam nobis per univerſas litteras repræſentat; quo redeunte has reddere procuravi, quibus debitum beatitudini veſtræ rependo caritatis officium. Quòd verò ſcribitis, cur ad ſynodum, ſicut conlocutio habuit noſtra, non venerim, fecit hoc infirmitas, non voluntas. Ipſi enim recolere poteſtis, quàm feſſum me Burdigalæ videritis, & hoc, hyeme, quando eſſe ſoleo fortior ſolitò, quia æſtivis diebus etiam in hoſpitio meo & locis frigidis, ipſam conſuetudinariam infirmitatem ſuſtentare vix valeo, ne dicam, quod illos æſtus regionis illius ferre nequiverim, ſi veniſſem; unde magis ſpero ut pro me orare dignemini, &, ſi nos ad tempus aliud, quod intimatis, ſi Deus vitam ceſſerit, venire vultis, nobis per hominem veſtrum maturiùs indicetis, quia litteras veſtras ad me modò tardiſſimè veniſſe ſignifico, tametſi nos pro dignitate, vel pro ætate non debebamus tardiùs quàm alii commoneri, qui fortaſſe (ut minùs prudens dicam) merebamur ambiri, quia ſi aliis nomen, urbium præſtat auctoritas, nobis auctoritatem demere non debet urbis humilitas, ſiquidem multò meliùs, multoque eminentiùs eſt civitatem de Sacerdote, quàm Sacerdotem de civitate noſcere.

EPISTOLA RURICII EIUSDEM Ad Sedatum Epiſcopum Nemauſenſem.

Excuſat ſe pariter quòd ad ſynodum non venerit.

Domino Sancto & Apoſtolico, mihique in Chriſto Domino ſpeciali cultu affectuque cæteris præferendo Patrono Sedato Epiſcopo, Ruricius Epiſcopus.

Ex eadem editione recognita.

PER Archiatrum Palladium litteras fœcundi cordis & facundi oris accepi, quæ nos ad viſionem mutuam voto pectoris invitabant. Sed quid facimus quod deſideriis animorum noſtrorum diverſa membrorum reſiſtit infirmitas? dum vos nimietate robuſti, nos tenuitate exeſi corporis impedimur: dum vos alieni & quatuor pedes ferre nequeunt, ponderoſos; me etiam proprii & duo ſuſtinere vix poſſunt. Quo fit ut implere omnia vota nequeamus. Ego enim (teſtis eſt Dominus) quod ſi valuiſſem, ad ſynodum condictâ omni aviditate veniſſem, ſed me à diſpoſita

Anno Christi 506. — Clodovei Regis 25.

disposita itineris voluntate necessitas imbecillitatis inhibuit: quia aërem regionis illius præsertim hoc tempore ferre non poteram, quod & vos ita credere confido, & pravos ad aliud derivare non dubito. His itaque sufficienter ut potuimus indicatis, salutatione animi desideranter impensa, si dignum ducitis, transmisi vobis caballum, qualem vobis sciebam esse necessarium, mansuetudine placidum, membris validum, firmum robore, forma præstantem, factura compositum, animis temperatum, scilicet nec tarditate pigrum, nec velocitate præproperum, cui frenus ac stimulus sit sedentis arbitrium, cui ad evehendum onus & velle suppetat pariter & posse, itaut nec cedat supetposito, nec deponat impositum. Superest ut rescripto, quomodo vobis placeat, indicetis. Quamlibet, ita de individuo mihi corde præsumam, quod vobis etiam mala à me commissa, ne dicam transmissa, complaceant. Tanta est enim integri vis amoris, ut in amico nil displiceat, cùm magis malum displicere debeat. Et hinc illud est, quod judicia hominum, aut amore præpediantur, aut odio, ut recta non proferantur. Vos verò, quos nec odium exasperat, nec inflammat invidia, & jocos nostros libenter accipite, & de sospitate vestra, vel actibus affluenter instruite, ut dum vos diutiùs legimus, copiosiùs imbuamur. Ora pro me.

Anno Christi 507. — Clodovei Regis 26.

* CONCILIVM TOLOSANVM.

Hujusce mentio legitur in epistolis tum Cæsarii Arelatensis, tum Ruricii Lemovicensis mox post synodum Agathensem vicissim rescriptis. Designat quoque Cæsarius ipse in ejus epistolæ contextu istud Concilium anno Agathense idem sequente fuisse convocatum Tolosæ. Sunt autem hujus verba. *Indico*, ait, *pietati vestræ, quia filius vester Eudomius si potuerit hoc elaborare, desiderat, ut superveniente anno Tolosæ synodum Christo propitio habeamus, ubi etiam, si potuerit, Hispanos vult Episcopos convenire*. Quæ verò Ruricius respondet Cæsario. *Et*, inquit, *si nos ad tempus aliud, quod intimatis, si Deus vitam cesserit, venire vultis, nobis per hominem vestrum maturiùs indicetis*. Illa omnino spectant ad idem Concilium Tolosanum. Quid autem in eo gestum sit, ignoratur.

Anno Christi 514. — Childeberti Regis 14.

* HORMISDÆ PAPÆ EPISTOLA AD REMIGIUM Remorum Episcopum.

Vices suas illi deputat in regno Clodovei Francorum Regis nuper ad fidem conversi.

Dilectissimo fratri Remigio, Hormisda.

Inter Hincmari opera tom. 2.

SVSCIPIENTES plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificavit indicio, corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixa congruum esse perspeximus hanc ipsam quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam: agis enim summi documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogativam igitur de nostri sumpsimus electione judicii, quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnixiùs imperamus, ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, & Apostolicæ Sedis vigorem & Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filii nostri Clodovei, quem nuper adminiculante superna gratia plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam concomitantibus ad fidem cum gente integra convertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, salvis privilegiis quæ Metropolitanis decrevit antiquitas, præsenti authoritate committimus, augentes studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licèt de singulis non indigeas edoceri, à quo jam probavimus acutiùs universa servari, gratiùs tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, & laboraturis injuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas & decreta sanctissimis diffinita Conciliis ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam & fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea quanta dignum est reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ observationis obstaculum. Ibi fas nefasque præscriptum est, ibi prohibitum ad quos nullus audeat adspirare, ibi concessum quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties universæ poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres evocante conveniant, & si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacrâ lege determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel provida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ authoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat. Eò fiet ut & noster animus officii caritate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

NOTA.

Fidem huic epistolæ adstruit illorum opinio, qui Clodovei Regis mortem anno DXIV. assignant ex Hincmaro Remensi & Flodoardo, qui posterior lib. 1. hist. cap. 25. narratis quibusdam gestis ejusdem Clodovei, addit ultimò Hormisdam quoque Romanæ Sedis Pontificem sancto Remigio vices suas in regno Clodovei literis suis ad ipsum directis commisisse. Post hæc (inquit idem Flodoardus) gesta scilicet prædicta, Clodoveus mortuus est, scilicet anno saltem supradicto DXIV. quo ipse Hormisda sedere cœpit mense Iulio, unde fecimus Epocham hujus epistolæ. Cujus adhuc fidei nullatenus obstat aliorum opinio, qui Clodoveum trienniò antè mortuum esse asserunt, nempe anno DXI. mense Novembri, cùm nullus sit accuratus in hac Hormisdæ epistola sermo de persona Clodovei Regis, at levis mentio dumtaxat ejus regni, nec etiam ullo modo, quæ per eam mandantur,

ad

Anno Christi 514.

ad eundem pertineant, sed optimè conveniant, & tempori, & dignitati tum Hormisdæ, tum Remigii: & reverà Flodoardus ipse recenset harum literarum missionem, velut extra rem, minimeque ad Clodoveum spectantem, ut patet ex ejusdem capitis 15. lectione. Porro Archiepiscopi Remenses, qui titulos inter suos nuncupantur hodie Legati nati Sedis Apostolicæ, huncce referunt omnino ad illam Hormisdæ Papæ epistolam Remigio Remensi scriptam. Et sanè Clodoveus Francorum Rex nuper Christianus, solusque inter cæteros Reges sua ætate Catholicus, dona jam sua transmittenda jusserat ad sanctum Petrum hortatu Remigii, quibus fidei suæ, ac devotionis obsequium erga Sedem Apostolicam testari voluerit, unde pòst Hormisda B. Petri successor vices suas verbis haud dubiis conceptas primus in Galliis sub Regibus, (quas explicat Hincmarus Remensis in epistola 44.) per Belgicas, & quasdam provincias Gallicanas delegavit, & jure quidem, Remigio Remensi Episcopo, ob nuperam Francorum ad fidem conversionem, dicto gentis hujus Apostolo; sicut & in Hispaniis pariter suas ipsemet Hormisda commisit Salustio Spalensi Episcopo circa idem tempus propter rerum affinitatem, ad cujus exemplum alii deinde Pontifices Romani ad alios Galliarum Episcopos prout se obtulit occasio, similes vicarias miserunt epistolas; inter quos Vigilius Papa innuere videtur quod inceptum est ab Hormisda prædecessore suo, scribens ad Episcopos Galliæ, vices suas in Galliarum partibus, hoc est juxta eundem Hincmarum per septem provincias, Aureliano Arelatensi Episcopo secundum consuetudinem à suis decessoribus attributam deputasse, quæ pòst, & frequenter invaluit, ut legitur in his Conciliis.

Childeberti Regis 14.

Anno Christi 515. — Childeberti Regis 4.

CONCILIVM AGAVNENSE

Sigismundi Burgundionum in Gallia Regis, & Aviti Episcopi Viennensis temporibus congregatum, pro construendo sanctorum Martyrum, Mauricii & Sociorum monasterio Agauni ad Rhodanum fluvium.

Ex monumentis hujusce monasterii Agaunensis colligi quidem potest mentio Concilii hujus dumtaxat, cujus fidem magis adstruunt, tum homilia, quam habuit Avitus Viennensis Episcopus in basilica sanctorum Agaunensium in innovatione monasterii ipsius, cujus homiliæ fragmentum extat inter opera ejusdem Aviti; tum etiam Fredegarii chronicon, in quo legitur *Institutio monasterii sanctorum Agaunensium ab Avito & cæteris Episcopis, ipso jubente Sigismundo Rege confirmata.* Ex quibus causa synodi convocandæ, quidque gestum fuerit in ea, patet, cui tandem assignamus Epocham anni 515. juxta chronici Aventicensis Episcopi Marii auctoris coætanei consules, nempe Florentium & Anthemium, *quibus*, inquit, *consulibus monasterium Agauno à Rege Sigismundo constructum est.* Narrat quoque chronicon sancti Benigni Divionensis editum à doctissimo Luca Dacherio, & causam construendi monasterii Agaunensis, & novam ibi psallendi institutionem à synodo comprobatam fuisse, scilicet modum chori perennem, seu psallentium assiduum, ut loquitur Gregorius Turonensis. Sic ergo habet chronicon. Sigismundus filium nomine Sigiricum, quem ex priore conjuge habebat, novercæ insidiis jussit interfici, unde postea pœnitentiam agens, monasterium sanctorum Agaunensium miri operis construxit; cumque ibi in orationibus persisteret, jejuniis & eleemosynis intentus, revelatum est ei ab Angelo, ut ad instar cælestis militiæ psallendi choros institueret. Quo divinitùs accepto consilio, Episcopos & alios religiosos viros consuluit utrum salubriter cogitaret. Qua interrogatione sancti Antistites inter se ventilata, licèt insusitatum opus, tamen Domino annuente unanimiter corroboraverunt. Quod sanctum opus servitutis Dei perfectè institutum, & pari omnium consensu confirmatum est, atque extunc laudes Deo ab omnibus persolvuntur.

Anno Christi 517. — Childeberti Regis 6.

TRACTORIA AVITI EPISCOPI VIENNENSIS ad Episcopos regni Burgundionum,

Vt ad synodum veniant Eponensem.

Inter editas Aviti epistolas 80. Quintiano Episcopo scripta.

DIv est quod rem valde necessariam & non sine divina inspiratione à Patribus institutam aut oblivione aut occupatione deserimus. Sed rumpenda sunt interdum vincula necessitatum, ut aliquando impleri possint quæ jubentur à præceptore. Conventus ergo, quos bis per annum à Sacerdoribus fieri seniorum cura decreverat, si bene perpenditis, utinam vel singula post biennia faceremus. Nam & venerabilis Papæ urbis nobis hanc negligentiam succensentis mordacia mihi nonnunquam scripta perlata sunt; unde supplicat per me si dignamini, Ecclesia Viennensis, possit intermissæ consuetudinis rediviva salubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit, excitari. Iustum est, quantum reor, ut constitutis prioribus sub communis præsentiæ opportunitate tractatis, nostris simul nobisque, prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel si necesse est, etiam nostra jungamus. Idcirco cunctos simul poscimus fratres, ut Deo favente, octauo Iduum Septembrium in parochia Eponensi adesse dignemini. Qui locus omnium fatigatione perpensa conventui satis opportunus electus est, sicut & tempus, in quantum potest ab instantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excursum: quanquam Ecclesiæ potior causa intermitti quaslibet terrarum posceret actiones. Supplicamus ergo & quæsumus, testamur, obtestamur, ne quem à dispositione tam sancta obex ullius excusationis abducat, ne quem à tali charitatis vinculo nexus temporaneæ necessitatis impediat; sed si fortè, quod Deus avertat, tanta cuicumque [a] acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut spiritale desiderium carnali vincatur incommodo: [b] duos Presbyteros magnæ ac probabilis vitæ mandati instructione firmatos, fratribus pro se præsentare procuret, sed tales dignetur eligere, quos Episcoporum Concilio non minùs scientiâ, quàm reverentiâ jure faciatis

ANNO CHRISTI 517.

ciatis interesse, cum quibus delectet summos Pontifices conferre sermonem, quos ad diffinitiones pro Episcopo suo sanciendas, subscribendasque, cùm fuerit solertia eligi, sit auctoritas legi; sed istud non extorqueat nisi summa necessitas. Cæterùm dilectionis fraternæ, ac pastoralis diligentiæ magnitudo nisi laboris magnitudine non probatur. Conjicit enim sanctitas vestra post hoc longū abusionis nostrę silentium, qualiter aut diniffiri debeant, quæ Deo præstante tractanda sunt, aut quæ diffinita fuerint, universi Ecclesiarum provinciæ nostræ ministri debeant imitari.

NOTÆ.

Hunc fecimus titulum ex contextu epistolæ, licèt in editione operum Aviti inscribatur Quintiano Episcopo, quod falsum videtur; in confesso enim est Quintianum hoc tempore Arvernorum Episcopum fuisse: ad provinciæ autem Viennensis Episcopos scripta est epistola, ut ad Concilium Eponense veniant. Quis, quæso, locus foret Episcopo Arvernorum, qui non modò extra Viennensem provinciam erant, sed extra ditionem quoque Burgundionum. Nam ut Agathense Concilium, eorum tantùm fuit, qui Vvisigothorum imperio parebant, & Aureli[...]ense primum eorum dumtaxat, qui sub Francorum erant potestate, sic ad Eponense ii tantummodo convenerunt, qui Burgundionum finibus continebantur. Hinc apparet deesse hoc loco epistolam ad Quintianùm, cujus sola restat inscriptio; hujus verò quam ad Episcopos provinciæ Viennensis scriptam diximus, inscriptionem desiderari.

[a] Acerbitas corporeæ infirmitatis.] Excusationem, quominus Episcopi ad synodum veniant, præter infirmitatem corporis Canones Gallicani nullam agnoscunt: itaque in hoc ipso Eponensi Concili Canone I. decretum est, ut nisi causa tædii evidentis extiterit, nullus excuset. Imò alias omnes excusationes excludere solent, de quibus Concilium Turonense II. Can. I. præter infirmitatem certissimam, nullius occasione velaminis, neque per impedimentum ordinationis Regiæ, neque sub occasione utilitatis, aut causæ propriæ debeat à Concilio separari. Et sanè ante illorum tempora vidimus epistolas Ruricii Lemovicensis Episcopi ad Cæsarium Arelatensem, & Sedatum Nemausensem, quibus ob solam corporis infirmitatem, suam à Concilio Agathensi excusat absentiam.

[b] Duos Presbyteros pro se.] Quibus ad Concilium venire infirmitatis causa non licebat, hi legatos vice sua mittebant. Concilium Arelatense secundum, Canone decimo octavo. [Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat.] Idem scribit Cæsarius Arelatensis Episcopus ad Ruricium Lemovicensem, additque. [Et subscribat, ut quod sancti fratres vestri statuerunt, in persona vestra firmetur.] Carpentoratense etiam Concilium in epistola ad Agroëcium Episcopum, [licet ad synodum aut per vos, aut per personam vicariam debueritis adesse.] Quanquam ergo duos hoc loco exigat Avitus, itemque duos pro vno Episcopo vicarios in Conciliis Arelatensi quinto ac Toletano decimo quarto subscripsisse compertum sit, singulos tamen sat fuisse supradicta demonstrant synodorumque subscriptiones. Quamvis è contrario videamus in Concilio Arelatensi IV. unum Presbyterum oro duobus Episcopis pariter subscripsisse. Neque Presbyteros omnes mitti necesse fuit, cùm ex Conciliorum Galliæ subscriptionibus liqueat, nunc Abbates & Presbyteros, nunc Archidiaconos legati consuesse. Nihilominus hac legatione Diaconis aliquando interdictum fuisse in Hispania docet Canon V. Concilii Emeritensis.

ANNO CHRISTI 519.

CHILDEBERTI Regis 6.

CONCILIUM VALENTINUM,

In quo primùm in Galliis quæstio de gratia Dei fuit inter Episcopos agitata.

CHILDEBERTI Regis 18.

Vnicum legitur testimonium de hoc Concilio in vita Cæsarii à Cypriano ejus Diacono conscripta: sic enim ait lib. 1. *Multi æmuli surrexerunt, qui ejus resisterent doctrinæ de gratia. Sed ô fœlicitas æmulanda! etenim susurris & mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem hominis Dei frustra sinistra suspicio. Ob hoc Antistites Christi ultra Isaram consistentes, caritatis amore collecti in Valentina civitate conveniunt. Vbi etiam beatus Cæsarius, infirmitatis solita causa, sicut dispofuerat, properare non potuit: misit tamen præstantissimos viros de Episcopis cum Presbyteris & Diaconibus, inter quos etiam sanctus Cyprianus Tolonensis Antistes magnus & clarus enituit.* Et paulò pòst. *Quorum*, inquit, *intentionibus homo Dei dedit veram & evidentem ex traditione Apostolica rationem; nam bonæ memoriæ Bonifacius Ecclesiæ Romanæ Papa, eàdem colluctatione cognita, calcata jurgantium intentione, prosecutionem sancti Cæsarij Apostolica auctoritate firmavit.* Quæ verba nobis indicant & locum hujus synodi, & quid in ea gestum sit, ac illam quoque celebratam esse tempore Arausicanæ posterioris, ab eodem Papa comprobatæ. Id quoque innuere videtur in epistola Bonifacius ad eundem Cæsarium scripta, ubi mentio est alterius epistolæ ad hunc à quodam Sacerdote transmissæ, scilicet ex synodo Valentina. Porrò legere est quæstiones de gratia & libero arbitrio, simulque de Prædestinatorum hæresi inter harum synodorum Episcopos tractatas atque agitatas, & tandem in his Galliarum partibus solutas atque & sopitas fuisse, quoniam Ecclesiarum Antistites à *repentina animositate cessare*, ut loquitur idem Cyprianus, *visi sunt*. Sed heu! rursus horum omnium successores parilis æmulatio commovit, quos, interjecto trecentorum ampliùs annorum spatio, seu veritatis, aut caritatis amore, sive forsan studio partium, vel odio, ut innuit Hincmarus Remensis, ad similem de iisdem quæstionibus altercationem, propter Gothescalcum Monachum redituros videbimus.

ANNO CHRISTI 530.

CONVENTUS EPISCOPORUM

In ecclesia sanctæ Mariæ Andegavensis.

CHILDEBERTI Regis 19.

Illius notitiam debemus authori vitæ sancti Melanii Redonensis Episcopi narranti inter cætera ejusdem sancti miracula subsequens illud de Eulogia ab eodem tradita, & ab altero Episcopo neglecta: quid autem in eo ampliùs gestum sit, ignoratur.

EODEM ferè, inquit, tempore convenerunt simul vir Dei Melanius, & electus Dei Albinus, sanctusque Victor, atque Launus, & sanctus Marsus in Andegava civitate, intra basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ; ibique Melanius ex communi consensu aliorum Missam celebravit in capite jejunii quadragesimæ, post cujus celebrationem antequam recessissent ab invicem, dedit eis beatus Pontifex Eulogias in caritate cum

ANNO CHRISTI 530.

CHILDEBERTI Regis 19.

cum Dei gratia & sua benedictione. Is verò Marsus præferens jejunium diei charitati, & Eulogiam qua communicare debuit, vilipendens, particulam quam acceperat à sancto Melanio, in sinu suo cadere permisit. Acceptâ ergo unusquisque ab altero licentiâ redeundi ad propriam sedem, osculati, sunt se invicem & cum Dei gratia iter suum cœperunt peragere: nec dum verò ampliùs quàm decem milliaria ab urbe recesserant; cùm sensit sanctus Marsus se ab Eulogia inserpentem versa circumcingi. Vt verò cognovit, pœnâ suâ cogente, se pro inobedientia sua & pro caritate contempta horribili vindicta mulctatum, provolutus ad pedes beati Melanii, quid ei & qualiter evenisset indicavit. Recipiens autem sanctus Pontifex ejus satisfactionem, per totam noctem illam sese pro eo, vigilando & orando afflixit. In crastinum verò absolutionem & benedictionem super eum fudit, post cujus absolutionem mox versus est serpens in pristinam Eulogiam, quam assumens beatus Marsus gaudens communicavit se de ea, quod priùs malo suo facere neglexerat.

NOTA.

Noti sunt illi quinque recensiti Episcopi, tum ex Conciliorum subscriptionibus, tum ex antiquis Episcoporum indicibus, videlicet Melanius Redonensis, Albinus Andegavensis, Launus, sive Lautus, vel Lauto. Constantiensis, Victor Cœnomanensis, & Marsus Nannetensis, qui duo posteriores duntaxat malè in indicum editionibus, ad sedium suarum tempora collocantur; unde opus fuit autore coætaneo, qui ad illarum certa revocandos doceret, quod elicitur ex hac sancti Melanii vita: ita ut Victor deinceps non confundatur cum Victorio antiquiore Cœnomanensi Episcopo, verùm etiam idem Victor post Principium ejusdem civitatis Episcopum, qui synodo Aurelianensi primæ interfuit, habeatur decessor in eadem sede Innocentii Episcopi, similiter & ut Marsus Nannetensis jaceat medius inter hos sedis hujus Episcopos, scilicet Epiphanium, qui eidem synodo primæ subscripsit, ac Eumerium, qui II. Aurelianensi adfuit: de tribus aliis dubium non est, proindeque conjicimus ex prædictis tempus hujusce conventus reponi debere inter duas priores synodos Aurelianenses, atque annum Christi 530. magis illorum omnium temporibus convenire.

ANNO CHRISTI 540.

CHILDEBERTI Regis 29.

CONCILIABVLVM AVRELIANENSE.

Sic appellatur hæc synodus hoc anno, in vita sancti Dalmatii Ruthenensis Episcopi; quæ habita pòst numerosior in eadem civitate anno sequente 541. vocatur Aurelianense Concilium, ordine quartum in editione Conciliorum; unde colligitur Conciliabulum Aurelianense sub Theodeberto Rege Austrasiæ antecessisse Concilium uno saltem anno. Sic habet etiam ejusdem Dalmatii vita, his verbis. *Posteaquam pia, atque inclyta & Christianæ Religionis cultrix Francorum natio Rutenam urbem conjurante sibi populi ejus favore subjecit, desiderio refectus Pontifex Dalmatius Christiani Regis Theudoberti ardebat videre præsentiam. Nec longo pòst tempore ad Aurelianensium urbem accersitus pro Conciliabulo Sacerdotali sanctus properabat Antistes*, &c. Nullâ inibi facta mentione ullius rei gestæ. Interfuisse tamen huic denotat eadem vita his sequentibus verbis. *Igitur postquam ab Aurelianensi urbe egressus est ad beatissimi Martini basilicam, quem pium sibi Confessorem Turonica urbs tenet membris conditum, sed toto orbe diffusa præstat virtute Patronum, pro glorificandæ orationis præmio beatissimus Christi pergebat Confessor Dalmatius*, &c. Illorum autem causam celebrandorum insinuat Gregorius Turonensis libro de vitis Patrum, scilicet propter Marcum Episcopum Aurelianensem recensitum inter Episcopos Concilii Aurelianensis IV. & successorem Antoniani ejusdem sedis Episcopi ante tres annos in Concilio Aurelianensi III. subscripti. Sic ergò loquitur cap. 6. *Apud Aurelianensem urbem incriminato ab iniquis Episcopo Marco, & in exilium truso* (forsan ab hoc Conciliabulo) *magnus Episcoporum conventus est aggregatus Childeberto Rege jubente, in qua synodo cognoscentes beati Episcopi hoc esse vacuum, quod contra eum fuerat mussitatum*, (scilicet in Conciliabulo) *eum civitati, & cathedra sua restituunt.* Ecclesiastico more, ut quæ à paucis perperam gesta sunt, ea rectiùs pòst à multis examinanda instaurentur.

ANNO CHRISTI 550.

CHILDEBERTI Regis 39.

CONVENTVS METENSIS,

In quo actum est de ordinatione Cautini Arvernorum Episcopi.

Synodi hujus nobis est author Gregorius Turonensis, qui nihil omittit in historia notatu dignum quod ad ejus patriam spectet Arvernam, & inter alia exhibet, quæ post mortem Galli Arvernorum Episcopi, Cato Presbyter, & Cautinus Archidiaconus ad illam sedem obtinendam gesserint. Tandem Cautinus in hac Metensi synodo jussu Regis Theodebaldi quamvis parvuli, ab Episcopis in jus plenissimum Episcopatus inducitur, ut videre est lib. 4. cap. 6. & 7. *Episcopi*, inquit, *qui advenerant sanctum Gallum sepeliendum, postquam eum sepelierant, dixerunt Catoni Presbytero: Videmus, quia te elegit pars maxima populorum; veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatum. Rex verò parvulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum proceribus & primis regni Theodobaldi Regis agemus, ne tibi ulla excitetur injuria. At ille cothurno vana conflatus gloriæ respondit*, &c. *Hac audientes Episcopi, & in eum vanam gloriam execrantes, discesserunt. Igitur cum consensu Clericorum ad Episcopatum electus, cùm adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino Archidiacono diversas minas intendere cœpit, qui Theodobaldum Regem petiit, adnuncians transitum sancti Galli. Quod ille audient, vel qui cum eo erant, convocatis Sacerdotibus apud Metensem civitatem, Cautinus Archidiaconus, Episcopus ordinatur. Cùm autem venissent nuncii Catonis Presbyteri, hic jam Episcopus erat; tunc ex jussu Regis,*

Regis, traditis ei Clericis, & omnibus, quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergerent Episcopis, & Camerariis, Arvernos eum direxerunt, qui à Clericis & civibus libenter exceptus, Episcopus Arvernis est datus.

* CONCILIUM ARVERNENSE II.

Theodebaldo in Austrasia regnante, non longè post synodum V. Aurelianensem celebratum, in quo & synodi ejusdem Canones sedecim renovati, atque promulgati sunt.

PRÆFATIO.

Ex cod. Ecclesiæ Urgelitanæ.

VBI B. Petrus divinitùs inspiratus, & confessione sua omnibus credentibus profuturus, *Tu es Christus*, inquit, *Filius Dei vivi*; nec immeritò beatus pronuntiatur à Domino, & à principali ad divinam gratiam referendum est, quando vota Principum concordant animis Sacerdotum, ut dum fit Pontificale Concilium, normam vivendi teneat recapitulatio antiqua Canonum, vel ut locus, tempusque est, in quibuscumque titulis veteribus adhærens nova constitutio sanctionum. Igitur cùm clementissimus Princeps, & invictissimus dominus Theodebertus Rex per amorem sacræ fidei, & statum Religionis, in Aurelianensi urbe congregasset in unum Domini Sacerdotes, cupiens ex ore Patrum audire quod sacrum est, ut quod pro Ecclesiastico ordine, auctoritate promitur pastorali, & advenientibus sit norma, & præsentibus disciplina, quæ conveniat à præsenti tempore in posterum custodiri, præstante Deo, signanter est titulis renovatum.

CANONES.

I.

ITAQUE nefarias sectas sacrilegi Eutychetis & Nestorii, quas sanctæ Sedes Apostolicæ condemnant, nos quoque cum earum auctoribus & sectatoribus pariter anathematisamus, atque damnamus.

II.

Nullus quemquam pro parvis & levibus culpis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesia separari jusserunt.

III.

Nullus Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus, extranearum mulierum intra domum habeat solatium. Similiter prohibemus, ne sub concessa sibi licentia propinquarum, ab earum pedisequis, earum vita vel opinio polluatur. Quod si contigerit, Episcopus anno uno à Metropolitano, vel à Coepiscopis, officio suspendatur, Clerici verò à propriis Episcopis corrigantur.

IV.

Ministri altaris, si ad conjugalem torum denuò jam sibi illicitum redire præsumpserint, usque in ultimum vitæ suæ deponantur, communione tantùm concessâ.

V.

Nullus Clericum alienum, sive sui concessione Pontificis sibi vel vendicare, aut promovere audeat. Quod si evenerit, promotus juxta Episcopi sui arbitrium ab officio suspendatur; qui verò eum promovit, septem mensibus Missam facere non præsumat.

VI.

Nullus servum vel libertum absque domini voluntate Clericum ordinet: alioquin is à domino revocetur; & qui eum scienter ordinavit, sex mensibus Missam non faciat. Si verò sæcularium servus est, benedictione servatâ, honesto ordine domino suo serviat. Quod si eum in tantùm inclinaverit, ut sacro ordini videatur injuria, sicut antiqui Canones habent, Episcopus domino restituat, & eum ad suam Ecclesiam revocet.

VII.

Quæcumque mancipia in Ecclesiis à dominis suis libertatem perceperunt, libertas eorum ab Ecclesiis cum justitia defendatur, præter eas culpas, quibus leges collatam libertatem revocant.

VIII.

Episcopo in civitate viduata nullus consecrationem facere audeat, nec in parœciis, nec de rebus Ecclesiæ quicquam præter humanitatem auferat: quod si fecerit sive sponte, sive coactus precibus vel timore, substituto Episcopo satisfaciat, & anno integro Missas non faciat.

IX.

Nullus Laïcus ante annuam conversionem Episcopus ordinetur, ita ut intra annum disciplinis & regulis spiritualibus instruatur: alioquin ordinator anno uno, officio suo & caritate privetur.

X.

Consensu Cleri & plebis à Metropolitano, vel quem vice sua permiserit,

Anno Christi 550. Childeberti Regis 39.

& à Comprovincialibus ordinetur Episcopus. Is verò qui præmio consecratus fuerit, removeatur.

XI.

Iuxta antiquos Canones, nullus invitis ordinetur Episcopus, sed nec oppressione potentium ad consensum Cives, aut Clerici inclinentur, quod nefas est. Quod si fiat, Episcopus violenter, & non legitimo decreto promotus, perpetuò deponatur.

XII.

Vt nullus vivente Episcopo alius supponatur, nisi ei quem capitalis culpa dejecit.

XIII.

Ne cui liceat res Ecclesiæ vel Xenodochiorum alienare: quod si fecerit, tanquam necator pauperum juxta antiquos Canones ab Ecclesia excludatur, donec satisfaciat.

XIV.

Nullus Clericus vel Laïcus alterius cujuscumque Ecclesiæ res vel petat, aut accipiat: quod si fecerit, altaris communione, & omnium fratrum caritate privetur, nisi satisfaciat.

XV.

Qui Sacerdotibus, vel Ecclesiis, vel sanctis locis suas vel parentum donationes subtrahit, ut necator pauperum communione privetur.

XVI.

Qui contra Episcopum vel actorem Ecclesiæ habet negotium, priùs ab eo caritatis studio satisfactionem perat; quam si Episcopus distulerit, & litteris à Metropolitano secundò admonitus satisfacere, vel ad Metropolitanum venire noluerit, ab ejusdem caritate sit alienus, donec veniat, & rationem reddat. Quòd si putaverit Episcopum injustè fatigari, pulsantem anno uno à communione Ecclesiæ privet. Si verò Metropolitanus à Coepiscopo bis in sua causa fuerit interpellatus, & eum non audierit, in proxima synodo à Coepiscopis causa audiatur, & finiatur.

Subscriptiones Episcoporum.

Hesychius Ecclesiæ Viennensis Episcopus, subscripsi.

Nicetius Ecclesiæ Trevericæ Episcopus, subscripsi.

Desideratus Ecclesiæ Bituricæ Episcopus, subscripsi.

Aspasius Ecclesiæ Elosensis Episcopus, subscripsi.

Agricola Ecclesiæ Cabilonensis Episcopus, subscripsi.

Vrbicus Ecclesiæ Vesuntiensis Episcopus, subscripsi.

Rufus Ecclesiæ Octodorensis Episcopus, subscripsi.

Basilius Ecclesiæ Glannaticæ Episcopus, subscripsi.

Avolus Ecclesiæ Aquensis Episcopus, subscripsi.

Hilarius Ecclesiæ Diniensis Episcopus, subscripsi.

NOTA.

Fidem huic synodo Gratianus, Burchardus & Ivo adstruunt, qui Canones secundum, duodecimum, & decimum tertium citant titulo Concilii Arvernensis; vetus quoque Conciliorum collectio Hispanica, cujus meminit Antonius Augustinus, in codice Vrgelitano contenta, quæ inter Gallicanas synodos xxx. postremo loco statuit Arvernicam secundam. De hujus autem anno nihil est quod affirmare liceat: verisimile tamen, ut dixi, non longè post synodum V. Aurelianensem videri & ab Episcopis quoque regni Austrasiæ celebratam, cùm Canones quidam Aurelianenses renovati sint in hac Arvernensi secunda. Mirum porrò illud quòd desideretur Gallus Arvernorum Episcopus inter illos in propria civitate congregatos; ille, inquam, Gallus, qui vivens omnibus interesse Conciliis, & præsertim Arvernensi primo, ubi legitur primus post Metropolitam suum subscriptus, aut saltem ad illa vicariam mittere personam nusquam omisit, ut patet ex illorum subscriptionibus. Vnde conjectura est id Arvernense Concilium post ejus mortem habitum fuisse, atque forsan ab Episcopis, qui ad illum sepeliendum convenerant, ut ait Gregorius Turonensis; quod quidem accidit, cùm Theodebaldus Rex parvulus esset; hoc scilicet anno 550. eandem subsequente synodum quintam Aurelianensem, quæ ante Theodeberti patris ejus mortem coacta patet ex præfatione hujus Arvernensis secundæ, ubi de illo tunc vivente loquuntur Episcopi ditionis suæ, qui suo jussu venerant ad Concilium Aureliæ celebrandum ex omni Francorum regno jam tripartito inter fratres: & adhuc cùm post prędictam Aurelianensem quintam synodum mentio deinceps nulla sit de Gallo eodem Arvernorum Episcopo, qui spatium viginti septem annorum in Episcopatu post Quintianum valde senem è Ruthenis translatum explevit. Theodebaldi verò nomen adscripsimus, quia in illius regno Arverni censebantur: & hæc omnia superiùs dicta, quæ ab eodem Gregorio relata, passim in historia sunt, Concilii hujus Epocham confirmare videntur.

Anno Christi 553. Childeberti Regis 42.

Admonitio ad lectorem de Vigilii Papæ Encyclica.

VT hanc Vigilii Papæ Epistolam hoc loco subjiceremus, id permovit, quod cum edita jam fuerit in Conciliis Galliæ altera Clericorum Italiæ ad Francorum legatos de ipsomet Vigilio scripta; tum quòd ab instituto nostro minimè aliena sit, atque ad illustrandam ejusdem Vigilii rerum historiam multa contineat, quæ alibi vix occurrunt; quæ quidem cuncta confirmantur ac exponuntur uberiùs in hacce Vigilii Papæ Encyclica antehac desiderata, quæ cùm mutila sit in vulgatis exemplaribus, integra hîc describitur ex codice sanctæ Mariæ Remensis, beneficio laudatissimi Iacobi Sirmondi felicis memoriæ, qui anteà edidit illam.

ANNO CHRISTI 553.

CHILDEBERTI Regis 42.

* EPISTOLA VIGILII Papæ Encyclica ad universam Ecclesiam.

Exponit causas secessus sui ad sanctam Euphemiam, & quid ibi egerit cum legatis Iustiniani; simulque fidei suæ confessionem interserit.

Vigilius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ, universo populo Dei.

Ex Codice Remensi.

DVM in sanctæ Euphemiæ basilica gravi laborantes ægritudine detineremur, piissimus atque clementissimus Imperator, dominicorum die, id est, V. Kalendas Februarii, gloriosos judices suos ad nos destinare dignatus est, id est, Belisatium & Cethegum exconsules atque patricios, necnon & Petrum exconsulem patricium atque magistrum, sed & Iustinum exconsulem & curapalatii, & Marcellinum quæstorem; qui nobis dicerent, ut sacramenta percipere deberemus, & de sanctæ Euphemiæ ecclesia ad civitatem regiam remeare. Quibus tale dedimus Deo adjuvante responsum, dicentes: Nos quidem in hanc basilicam pro nulla pecuniaria vel privata causa confugimus, sed pro Ecclesiæ tantùm scandalo, quod jam in toto mundo pro peccatis innotuit. Et ideo, si causa Ecclesiæ ordinatur, ut pacem ejus, quam avunculi sui piissimus Princeps fecit temporibus, & modò restituat; ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior. Si autem causa Ecclesiæ finita non fuerit, item sacramentis opus non habeo: quia nunquam de sanctæ Euphemiæ basilica exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum. Nam posteaquam edicta sua piissimus Princeps jussit appendi, omnibus Episcopis diversarum partium, sed & Presbyteris atque Diaconibus, necnon & Clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ ad nos venientibus, in Placidiana domo, antequam ad sancti Petri confugeremus basilicam, facie ad faciem ita loquuti sumus: Rogate piissimum Principem, ut edicta sua quæ præcepit appendi, removere dignetur, & constitutum commune debeat expectare, id est, ut scandalizati Episcopi Latinæ linguæ, aut ad synodum veniant, aut certè remotâ omni violentiâ, suas scripto declarent sententias. Quòd si fortè preces vestras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad divisionem tendit Ecclesiæ, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis; quia si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noveritis vos ex præsenti die, ut prævaricatores, à beati Apostoli Petri sede per ministerium vocis meæ communione suspensos. Et quoniam his actis non solùm ea quæ commissa fuerant, nullomodo sunt correcta: sed etiam ex aliis causis die ipso, in præjudicium regularum Ecclesiasticarum, vel injuriam Sedis Apostolicæ, pejora præsumpta sunt, nec ulteriùs eos communionis nostræ permisimus esse participes, nec aspectus eorum, post tot prævaricationes, nostri oculi receperunt. Ea enim quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, aliisque Clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ voce pu-

A blica dixeramus, postea etiam die 19. Kalendarum Septembrium nuper præteritarum, in beati Petri basilica in Ormisda scripto firmavimus, in quo etiam illum, * qui sub habitu Episcopali lupi rapacis dominico gregi semper tetendit insidias, & assumens totius ducatum scandali, universalem Dei perturbavit ac perturbat Ecclesiam, de Episcopatus ordine deponentes damnavimus: alios verò qui superiùs memorati sunt, à communione suspendimus. Sed ob hoc hactenus paginam ipsius damnationis proferre noluimus, quoniam & clementissimum Principem pro tali ac tanto scandalo ea quæ facta sunt divini consideratione judicii, revocare confidimus, & prædictis omnibus

* Theodorum Cæsariensem.

B oportebat nos spatium pœnitentiæ reservare, imitantes beatum Petrum, cujus sedem tenemus etsi immeriti. Chartam verò ipsam excommunicationis, atque damnationis, cuidam Christianæ personæ tradidimus conservandam: ut si forsitan hi qui excesserant, nullo modo corrigere voluissent, aut si nobis vis aliqua irrogaretur, sivequælibet inquietudo fieret, vel certè humanâ sorte transitus de hac luce contingeret, mox eam in celeberrimis locis proponeret, quatenus ejus notitia Christianis omnibus patefacta servaretur in posterum. Dum hæc autem præfatis judicibus diceremus, rogavimus & conjuravimus eos, invocato omnipotentis Dei ju-

C dicio, ut clementissimo Imperatori hoc quoque ex nomine nostro suggererent, quia illis, qui à nobis excommunicati sunt, in quibus, & is quem prædiximus, est damnatus, communicare non debet, ne grave, quod absit, peccatum incurrat. His ita se habentibus, per magnificum Petrum Referendarium die pridie Kalendas Februarias quædam charta nobis est allata, quam à clementissimo Principe nullomodo credidimus destinatam, quia nec fuerat pietatis ejus manu subscripta; & dum memorato Referendario diceremus, ut in ea subscriberet, diemque quo ab ipso fuerat allata, pariter designaret, omnino refugit hoc facere. Quæ res suspicionem nostram, quia charta ipsa à piissimo Principe

D nesciretur, apertè firmavit. Tantis enim à veritate sepositis rebus, atque injuriis probatur esse plenissima, ut hanc imperialis oris nunquam credatur mansuetudo dictasse; maximè contra illius primi Apostolorum Vicarium, cujus olim reverentiæ se frequentibus scriptis professus est debitorem. Memorata autem charta licèt per se nullas vires obtineat, tamen contra eam ad singula, Deo juvante, veraciter atque simpliciter respondetur; quatenus ejus falsitas, quæ sapientibus viris semper est odiosa, à cunctorum animis pleniùs excludatur. Nunc autem omnibus hominibus hoc quoque curavimus indicandum, quoniam nos ad sanctæ Euphemiæ basilicam sub magno timore atque anxietate discessimus. Nam cùm ad beati Petri basilicam in

E Ormisda fundatam Augusto mense nuper præterito fugissemus, nullum latere confidimus, quia cùm in eadem Ecclesia à comitatu Prætoris, cum multitudine armatorum militum veniente tanquam ad bellum instructa acie, à sancto ejus altare tracti pedibus traheremur, tenuimus, & super nos etiam ipsa alteris mensa ceciderat, nisi Clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata. Postea verò dum nobis dicitur, quòd exinde, nisi sacramenta voluissemus accipere, sub omni violentia traheremur; & memorati

G iij judices

Anno Christi 553.

judices à piissimo Imperatore directi voluissent nobis sacramenta præstare, indiculum dedimus, per quod dari personæ nostræ scripto petivimus jusjurandum. Quod clementissimus Princeps non quale nos voluimus præberi concessit, sed quale ipsi placuit per judices suos dandum esse dictavit. Et dum sæpedicti judices, posito indiculo super altare & cataracta beati Petri Apostoli, & super crucem quæ de ligno passionis Domini habet inclausum, sed & super claves beati Petri Apostoli præstitissent corporale jusjurandum, ad Placidianas, tanquam nihil mali ulteriùs patientes, secundùm piissimi Principis redivimus voluntatem. In qua dum multa mala intolerabilia sæpius pateremur, quæ jam omnibus nota esse confidimus, prædictos judices tam verbo, dum ad nos sæpius à clementissimo fuissent Principe destinati, quàm etiam scriptis, semel, secundò & tertiò credidimus contestandos, ut sacramenta quæ dederant conservarent, & piissimo Imperatori suggererent, quatenus nullas inquietudines aut molestias, sicut nobis juratum fuerat, pateremur. Dumque nihil nostra toties vel verbo vel scripto contestatio profecisset; sed diebus singulis pejora etiam pateremur, ante biduum natalis Domini per nosipsos agnovimus, & auribus nostris audivimus, quia per singulos memoratæ domus custodirémur ingressus: ita ut illi qui nobis ponebant insidias; à nostris hominibus plurimis viderentur, & eorum clamores in cubiculo ubi manebamus, nocte qua discessimus audiremus. Quo facto, cum sub gravi desperatione nocturnis horis, maximi & pavoris ægritudine teneremur, diffugimus, sicut locus ille poterit cunctis hominibus indicare. Nam si circumspiciatur quale quantumque discrimen metu faciente despeximus, ut per parvam maceriem fabricantium transire compediti dolore nimio in nocturna obscuritate positi cogeremur, tunc poterit evidenter agnosci, quanta nobis fuerit temporis pro sola Ecclesiæ causa necessitas, aut quanta custodia, quæ nos sub tali discrimine coegit discedere. Sed ne quis forsitan, ut est perversorum hominum malitia, de prædicatione nostra religiosis animis, ac Deum timentibus, aliqua mentiatur, fidei nostræ prædicationem huic parvæ relationi malorum quæ pertulimus, credimus subjungendam. Sciant igitur universi, nos illam fidem prædicare, tenere, atque defendere, quam ab Apostolis traditam, & per successores eorum inviolabiliter custoditam, reverenda Nicæna synodus CCCXVIII. Patrum, sancto Spiritu sibi revelante, suscipiens redegit in Symbolum: ac deinde tres aliæ sanctæ synodi, idest Constantinopolitana CL. Patrum sub piæ memoriæ Theodosio seniore Principe facta, & Ephesina prima, cui beatæ memoriæ Papa Cælestinus decessor noster & Cyrillus Alexandrinus Episcopus præsederunt; sed & Calchedonensis DCXXX. Patrum, quæ sub piæ memoriæ Marciano Imp. convenit, cuique sanctæ recordationis decessor noster Papa Leo per legatos suos, vicariosque præsedit, & prout diversarum hæresum damnanda exigebat adversitas, eandem fidem uno eodemque sensu atque spiritu declarantes latissimè ediderunt. Hinc est quòd Deus noster contra errorum hujusmodi feritatem pastorale cælitùs armavit officium, quod beatissimo Petro Apostolo trina præceptione commendans, ait, *Pasce oves meas*: & rectè illi pascendarum Ioan. 21. 17.

Childeberti Regis 42.

A est cura commissa, cujus fidei præclara confessio Dei est ore laudata. Confitenti enim salutariter ac dicenti, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, perennis beatitudo rependitur, & Columbæ Filius vocitatur, & claves regni cælestis accipit. Matth. 16.
Interrogante siquidem Domino, quem eum dicerent esse filium hominis, eundem ipsum hominis esse Deique Filium, sub mirabili interrogationis responsionisque brevitate confessus est, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; sacratissimæ scilicet mysterium Incarnationis ejus aperiens, dum in unitate personæ, servata geminæ proprietate naturæ, homo, idemque Deus, & quod ex Matre semper virgine sumpsit in tempore, & B quod natus ex Patre est ante sæcula, permaneret. Inconfusè autem, & indivisè, atque inconvertibiliter & subsistentialiter uniens sibi carnem Deus Verbum Emmanuël noster, qui lege & Prophetis adnunciantibus expectabatur, advenit. Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Totus in suis, totus in nostris, adsumens ex vulva carnem cum anima rationali & intellectuali: & sicut scriptum est, *ædificans sibi domum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, ineffabili salutarique mysterio, qui in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, incarnatus Deus Dei Filius ex Spiritu sancto, & ex beata Maria sem- Prov. 9. 1. Psal. 18. 6.
C per virgine humanitatis sumpsit initium, ut nos æternitatis suæ faceret cohæredes. Nostræ consors dignatus est esse naturæ, ut nos suæ immortalitatis faceret esse participes. Pauper factus est cùm esset dives, ut ejus inopia ditaremur. Omnia quæ nostra sunt, evacuato noxarum nostrarum chirographo condonavit sicut Vas electionis edocuit. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit se, factus obediens usque ad mortẽ, mortem autem crucis.* Id peragens tam inscrutabilis mysterij & dispensationis arcano, ut mediator Dei & hominum homo Christus Iesus male- Philip. 2. 6.
D dicto, quo primus homo terrenus mortis vinculis tenebatur adstrictus, secundus homo cælestis, dum mortem morte calcaret, absolveret. Passus carne est pro nobis Dei Filius, crucifixus carne est, mortuus carne est, & die tertio resurrexit, ut divinâ impassibili permanente naturâ, & carnis nostræ veritate servatâ, unius ejusdemque Domini Dei nostri Iesu Christi & passiones & miracula fateamur. Vt glorificationem capitis nostri totius Ecclesiæ corpus aspiciens, quales primitias in capite nostro, id est in Christo Deo ac Domino intueretur ex mortuis, tales in his, qui ejus membra sunt, in futuræ gloriæ præstoletur adventum. Ipse igitur Redemptor noster
E sedet ad dexteram Patris, unus idemque sine confusione utriusque naturæ, sine divisione personæ, & ex duabus atque in duabus creditus permanensque naturis, inde venturus judicare vivos & mortuos. Pater autem cum eodem unigenito Filio, & Spiritu sancto, unus est in deitate, & æqualis, indiscretæque naturæ. Hujus fidei plenitudinem Dominus noster post resurrectionem mandavit Apostolis dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* In nomine, dixit, non in nominibus. Vt in quibus una virtus, una potestas, una deitas, una æternitas, una gloria, una omnipotentia, una beatitudo, una Matth. 28. 19.

una operatio est, unaque natura, unius quoque nominis existat integritas. Nihil in deitate quippe discretum est, cùm tantùm personarum proprietas manifesta distinctione signetur. Totùm ergo quod Trinitas est, permanet consubstantialis & indiscreta divinitas. Hanc fidem à me sub brevitate narratam, doctrinæ propheticæ atque apostolicæ crongruentem, suprascriptorum Patrum latiùs explanavit assertio. Cùm sicut diximus, aut hæreticorum infestantium convinceretur adversitas, aut rectorum dogmatum efficaciter declararetur auctoritas. Hanc quoque fidem præfatarum quatuor synodorum, sed & beatorum decessorum nostrorum epistolis de fidei integritate conscriptis, continet laudanda confessio, quæ doctrinæ sedis primi Apostolorum per omnia probatur adsimilis & nulla ex parte discordans: Huic ergo fidei vel omnibus quæ in supradictis quatuor Conciliis à sanctis Patribus nostris definita sunt, contradicentes hæreticos condemnamus, id est, Arrium, Macedonium, Eunomium, cum dogmatibus suis, & omnes, qui errori eorum consenserunt atque consentiunt. Anathematizamus etiam Paulum Samosatenum, Photinum, Bonosum, atque Nestorium, cum nefariis doctrinis suis, & quicumque eorum blasphemiis præbent aut præbuerunt aliquando consensum. Item anathematizamus Valentinum, Manichęum, Apollinarem, atque Eutychem, simulque Dioscorum defensorem, cum execrabilibus commentis & prędicationibus suis, & omnes qui erroribus eorum usque in die mortis suæ implicati manserunt. Sed si quos hæreticos nominatim omisimus, in cujuslibet erroris morbo pollutos, & usque ad suum exitum permanentes, cum propriis erroribus condemnamus, abjicimus, atque respuimus: solam fidem Catholicam, quam in suprascriptis quatuor sanctis Conciliis ab Apostolis traditam susceperunt, & suis expositionibus declaratam per successores suæ usque ad nostra tempora transmiserunt, inviolabiliter operante gratia Domini custodimus. Et quoniam nullus Christianorum usque ad præsentem diem gestarum rerum incertam debet habere notitiam, etiam quæ post tantæ relationis supplementum facta sunt, simili ratione narramus. Dum hesterna die, id est dominicorum, qui fuit pridiè Nonas Februarias, magnificus vir Petrus Referendarius ad nos cum mandatis clementissimi Principis remeasset, dicens: Quando vultis ut veniant judices, & vobis præbeant sacramenta, quatenus de hac in qua residetis, ecclesia egredi debeatis, & securi ad Regiam civitatem remeare? Ita ei publica voce respondimus: Et per gloriosos judices Palatii, sicut præfati sumus, cum quibus & tua Magnitudo ad sanctam Euphemiam venerat, quæ superiùs sunt dicta, mandavimus, & nunc per te denuò clementissimo Principi hæc dicimus suggerenda. Nos ad pietatem tuam festinantes ante septem annos de civitate nostra sic egressi sumus, ut nulla haberemus privata negotia. Nunc quoque suggerimus, & rogamus pro pace, quam per pietatem tuam pridem Deus donavit. Ecclesiæ, ut eam nullorum hominum turbari amplius insinuatione permittas: nec auctorem totius scandali Theodorum ultrà vexare fidem Catholicam patiaris. Quoniam ante sex menses à nobis inter alios communione sacra privatus est, & ab Episcopatu pro sua pravitate depositus, per eam videlicet paginam, quam adhuc pro mansuetudinis vestræ intuitu, & spe conversionis ejus, sicut dictum est, publicè proferre distulimus. Illud etiam pari modo per magnitudinem tuam ejus auribus intimamus, quia de causa Ecclesiæ per te nullum possumus dare responsum, ob hoc, quod quædam, quæ tibi dicimus nuntianda ejus clementiæ, profiteris te non posse suggerere. Et ideo si directis duobus judicibus, quorum nomina tibi in præsenti prodidimus, sacramenta pręstare dignetur, ut post hæc sine metu periculi fratrem nostrum Datium Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, vel alios quos cum eo transmiserimus, loco nostro suscipiat, parati sumus dirigere, ut per eos de Ecclesiastica causa quæcumque mandavimus veraciter innotescant. Si quidem Ecclesiæ causâ nulla sacramenta nobis dari deposcimus: sed mox pro gratiarum actione, ejus occurrimus pietati, quia nihil aliud est quod pręter scandalum nos Deo adjuvante perterreat, unde ampliùs in sanctæ Euphemiæ basilica sedeamus. Supplicamus enim Deo nostro, & precibus indefessis optamus, ut per eum sublata dissentione pax, quam piæ memoriæ avunculi sui fecit ipse temporibus, reparetur Ecclesiæ. Nam si ulla provenerit ultrà dilatio, nos necesse est causam modis omnibus definire. Quia neque proximos, neque alios parentes, aut quamlibet substantiam, animæ nostræ, vel piissimi Principis opinioni præponimus. Data Nonis Februarii, imperante domino Iustiniano PP. Aug. anno XXV. post consulatum Basilii v. c. anno X.

Nota.

* Vigilii Papæ Encyclica.] Hæc confirmat Epocham epistolæ ad Francorum legatos scriptæ anno præcedente, cùm Vigilius ipse dicat in illa se ante septem annos Romà egressum; unde constat post alteram, anno scilicet sequenti, hanc scriptam fuisse Encyclicam, & ideo debere adscribi anno Christi 553. quam quidem non abs re visum est cæteris adtexere, quod Vigilius in hacce, suammet historiam, simulque fidei suæ confessionem singulariter exhibeat, de quibus ipse ad Aurelianum Arelatensem Episcopum breviter conscripsit.

*CHILDEBERTI

Anno Christi 554.

* CHILDEBERTI REGIS CONSTITVTIO de abolendis reliquiis idololatriæ, & de sacrorum dierum festivitatibus castè celebrandis.

Childeberti Regis 43.

EPISTOLA CLEMENTISSIMI, ET BEATI REGIS NOSTRI Childeberti, data per Ecclesias Sacerdotum, vel omni populo.

Alias edit. CREDIMVS hoc, Deo propitio, & * ad nostram mercedem, & ad salutem populi pertinere, si populus Christianus relicta idolorum cultura, Deo, cui integram promisimus fidem, in quantùm inspirare dignatus fuerit, purè deservire debeamus. Et quia necesse est, ut plebs, quæ Sacerdotis præceptum non ita, ut oportet, custodit, nostro etiam corrigatur imperio: hanc cartam generaliter per omnia loca decrevimus mittendam, præcipientes, ut quicumque admoniti de agro, ubicumque fuerint simulacra constructa, vel idola dæmonibus dedicata ab hominibus, facto non statim abjecerint, vel Sacerdotibus hæc destruentibus prohibuerint, datis fidejussoribus non aliter discedant, nisi in nostris obtutibus præsententur. Qualiter in sacrilegis Dei injuria vindicetur, nostrum est pertractandum; quia fides nostra, ut verbum de altario à Sacerdote faciente, quodcumque de Evangelio, Prophetis, vel Apostolo fuerit adnuntiatum, in quantùm Deus dat intellectum. Ad nos querimonia processit multa sacrilegia in populo fieri, unde Deus lædatur, & populus per peccatum declinet ad mortem; noctes pervigiles cum ebrietate, scurrilitate, vel canticis, etiam in ipsis sacris diebus, Pascha, Natale Domini, & reliquis festivitatibus, vel adveniente die dominico dansatrices per villas ambulare. Hæc omnia, unde Deus agnoscitur lædi, nullatenus fieri permittimus. Quicumque post commonitionem Sacerdotum, vel nostrum præceptum, sacrilegia ista perpetrare præsumpserit; si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus; si verò ingenuus, aut honoratior fortasse persona est, districta inclusione digna. Sunt hi autem in pœnitentiam redigendi, ut qui salubria, & à mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem corporis, eos ad desiderandam mentis valeat reducere sanitatem.

NOTA.

* Ad nostram mercedem.] Vel in mercede se facere dicebant, quod spe fiebat divinæ remunerationis. Pippinus in diplomate pro sancto Dionysio: [Propterea in nostra mercede, & remedio animæ genitoris nostri Caroli donanius ipsum locum.] Et infrà Rex Clotarius in præceptis de immunitate, & fundatione Monasterii Corbeïensis, iisdem utitur verbis in eodem sensu. Porro alia est significatio hujus vocis (ad mercedem) apud antiquos, ut patet ex Hincmaro Laudunensi Episcopo sic loquente, quod mandaverit mihi se velle ad meam mercedem venire, unde Gallicè dicimus adhuc, *je rendre a la mercy de quelqu'un.*

Anno Christi 568.

CONCILIVM BRITANNICVM in Gallia.

Chariberti Regis 7.

In quo Macliavus Veneticensis Episcopus ob diversa scelera excommunicatus est ab Episcopis, scilicet provinciæ Turonicæ, simulque nationis Britannicæ unà congregatis, qui tunc Metropolitam Turonensem agnoscebant, ut patet ex historia Gregorii ejusdem provinciæ Metropolitani, lib. 6. cap. 15. ubi de nepote Felicis Namnetensis Episcopi ab ipsomet Gregorio ut Archiepiscopo provinciæ consecrando. Tandem Macliavus ille pòst Britannorum Comes miserè periit. Hæc omnia narrare incipit idem Gregorius lib. 4. ejusdem historiæ, cap. 4. *Chanao*, inquit, *Britannorum Comes volens Macliavum fratrem interficere, comprehensum atque catenis oneratum in carcere retinebat, qui per Felicem Nameticum Episcopum à morte liberatus est, quique de subterra consurgens, sub qua in loculo absconsus erat, composito desuper ex more tumulo, deinde Veneticem urbem expetiit, ibique tonsuratus, & Episcopus ordinatus est. Mortuo autem Chanaone apostatavit, & demissis capillis uxorem; quam post Clericatum reliquerat, cum regno fratris simul accepit, sed ab Episcopis excommunicatus est.* Cujus miserandam quoque necem postea describit idem auctor lib 5. cap. 16. his verbis. *Macliavus & Bodiccus Britannorum Comites sacramentum inter se dederunt, ut qui ex eis superviveret, filios partis alterius tanquam proprios defensaret. Mortuus autem Bodiccus reliquit filium, quo Macliavus oblitus sacramenti expulso à patria, regnum patris ejus accepit. Hic verò multo tempore profugus, vagusque fuit, qui tandem miserante Deo, collectis secum à Britannia viris, se super Macliavum objecit, eumque cum filio ejus gladio interemit, partemque regni quam quondam pater ejus tenuerat, in sua potestate restituit.* Porro ex conjectura hunc annum adscribimus huic Concilio, quòd hæc supradicta tempore Felicis Namnetensis Episcopi gesta sint, nec ab aliis quàm ab Euphronio Metropolita Turonensi, & Felice Namnetensi, Domitiano Andegavensi, Victorio Rhedonensi, Domnolo Cenomanensi Episcopis comprovincialibus foret excommunicandus ipse Macliavus; quos omnes Episcopos videre est tum in his Galliæ Conciliis simul evocatos, & semper ac ubique in unum convenientes hac ætate; tum etiam apud Fortunatum lib. 3. poëmate 4. ubi plura de prædictis Episcopis, & de Namnetensis Ecclesiæ dedicatione,

ANNO CHRISTI 568.

CHARIBERTI Regis 7.

dicatione, cui videtur inter cęteros adfuisse Macliavus ille tunc Veneticensis Episcopus; ut provinciæ Turonicæ Coepiscopus, qui propter declinatum feliciter necis periculum, tum Felice Episcopo intercedente, tum etiam per excogitationem felicem, appellatur à Fortunato quoque Poëta per antonomasiam metricam Macharius, (sic enim ante correctionem Christoph. Brouveri legebatur) nec extra rem, quod probatur his versibus ejusdem poëmatis;

Cùm Salomon coleret generosi encænia Templi,
Euphronius fulget Metropolita sacer.
Domitianus, item Victorius, ambo columnæ
Spes in utrisque manens pro regionis ope.
Latius inde caput, quia sunt sua viscera secum
Ecclesiæ juncto corpore crescit honor.
Domnulus hinc fulget meritis, Macharius inde
Iure SacerdotI, cultor uterque Dei.
Sed jam festus adest, solvatur sarcina curæ,
Felix, felici cum grege Pastor age.

En Ecclesiastica omnis provincia, & in capite & in membris, quæ constat ex Metropolitano, ac Episcopis comprovincialibus; en hi omnes Episcopi sunt provinciæ solius Turonicæ, jure quidem ac usu ad talem celebritatem convocati. Ad quid ergo adventitius ille Marachatius Engolismensis Episcopus, qui nec more solito invitatus, imò alterius provinciæ tam Ecclesiasticæ quàm Civilis existit, quem commentatur hîc confidenter Brouverus.

ANNO CHRISTI 572.

CHILPERICI Regis 2.

TESTAMENTVM SANCTI DOMNOLI Cenomanensis Episcopi

In gratiam basilicæ sanctorum Martyrum Vincentii & Laurentii.

Venerabili Ecclesiæ Cenomanicæ Clero, Domnolus Episcopus.

CONGRVVM nobis fuit, ut votum desiderabile in charitatis vestræ notitiam poneremus: quia si consensus vester desiderium cordis nostri & decreta annexuerit, credimus nullius ullo unquam tempore contrarietate à nobis pariter firmata posse convelli. Cùm ergo pro salute populi vel custodia civitatis reliquias sanctorum Martyrum Vincentii & Laurentii, intercedente pręsumptione ausi fuerimus deferre, cum Dei adjutorio vel vestro, eisdem locum, dignitatis ereximus in culmine. Ita petimus ut vestro pariter ditetur & munere: & si consensus vester nobis contulerit charitatem hanc, paginola donationis vestro quæsumus ut firmetur robore, ut quod per hanc paginolam donationis, quam Annulfum Diaconum perficere unanimiter rogavimus conscribendam, constat me delegasse, nuncupata basilica habeat, teneat, possideat: & quicumque loci hujus dignitatem perceperit, jure hęreditario perpetualiter sibimet vindicet possidendum. Si ullo unquam tempore, aut Pontifex civitatis, aut quęlibet persona, à nobis donata vel tradita de dominatione basilicæ hujus abstrahere voluerit, incurrat maledictionem pro benedictione, & Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Mariæ semper Virginis, & sanctorum Apostolorum, vel omnium sanctorum Martyrum, Confessorum atque Virginum incurrat offensam, & voluntas nostra perpetim auxiliante Domino capiat firmitatem. Hoc prętere a inserendum rogavi, ut qui voluntati meæ obvius esse voluerit, maledictionem illam incurrat, quam Propheta in Psalmo centesimo octavo Iudæ cantavit, & pręsens pagina maneat inconvulsa, quam pro rei firmitate manu propria subscripsi, & à dominis & fratribus meis muniendam rogavi. Actum in Cenomanica civitate, anno XI. regni domini nostri Chilperici Regis, pridie Nonas Martii.

Ex cod. bibliotheca L. Servinii Catholici Advocati.

Domnolus Episcopus subscripsit.
Audoveus Andegavorum Episcopus, rogante sancto Domnolo Episcopo, subscripsit.
Leodulfus Presbyter subscripsit.
Leodoricus Presbyter subscripsit.
Dinanius Presbyter subscripsit.
Injuriosus Presbyter subscripsit.
Romolus Diaconus subscripsit.
Sennonetus Diaconus subscripsit.
Germanus Episcopus, rogante Clero, subscripsit.
Annulfus Presbyter subscripsit.
Meterius Presbyter subscripsit.
Drantius Presbyter subscripsit.
Cennius Diaconus subscripsit.
Dardeus Diaconus subscripsit.
Nox Diaconus subscripsit.

ANNO CHRISTI 575.

CHILPERICI Regis 14.

CONVENTVS LVGDVNENSIS.

Qui & appellatur à Gregorio Turonensi placitum, forsan quòd à solis Episcopis habitum non sit, in quo tractatum est de Diaconi parricidii accusati purgatione per sacramentum duntaxat; quem quidem purgationis Clericorum morem postea observatum ac constitutum fuisse in Conciliis & in Capitularibus Regum legimus; sic autem historia narratur apud eundem Gregorium lib. 5. cap. 5. *Lampadius*, inquit, *ab honore & facultate privatus, in odio Petri Diaconi cum filio Silvestri Episcopi à Lingonicis ejusdem Petri fratris mei instinctu expetiti, post transitum beati Tetrici conjungitur, machinans atque confirmans patrem suum ab ipso fuisse maleficiis interfectum. At ille ætate juvenis, sensu levis, contra eum commovetur, ipsum impetens publicè parricidam. Porro ille hac audiens, facto placito in præsentia sancti Nicetii Episcopi avunculi matris meæ, Lugdunum dirigitur, & ibi Syagrio Episcopo*

ANNO CHRISTI 575.

coràm agente, & aliis Sacerdotibus multis, cum secularium Principibus, se sacramento exuit, numquam se in mortem Silvestri mixtum fuisse. Tempus verò illius placiti refert idem Gregorius ad annum, quo, inquit, mortuo Sygiberto, Childebertus filius ejus regnare cœpit, quem huic Christi anno 575. congruere liquet ex aliis ejusdem Gregorii locis.

CHILPERICI Regis 14.

ANNO CHRISTI 581.

CONCILIVM LVGDVNENSE,

CHILPERICI Regis 20.

In quo tractatum est de diversis Regum, ac Episcoporum causis.

Meminit hujus synodi Gregorius Turonensis, quidque in ea gestum sit, narrat initio lib. 6. hist. his verbis. *Anno sexto*, inquit, *regni sui Childebertus Rex, rejecta pace Guntramni Regis, cum Chilperico conjunctus est. Non post multum tempus Mummolus à regno Guntramni fuga dilabitur. Apud Lugdunum synodus Episcoporum conjungitur, diversarum causarum altercationes incidens, negligentioresque judicio damnans, synodus ad Regem revertitur, multa de fuga Mummoli Ducis, nonnulla de discordiis tractans.* Pręterea docet nos etiam synodi Epocham idem Gregorius in contextu ejusdem libri, cap. 14. ubi sic loquitur de anno septimo Childeberti Regis, qui scilicet erat Chilperici, & Guntramni vicesimus & primus. Vnde necesse est ipso Gregorii calculo, prædictum Childeberti annum sextum, esse Chilperici & Guntramni vicesimum, in quem cadit hic annus Christi 581. Rursus de hac synodo loquitur Aimoinus lib. 3. cap. 44. Hoc, inquit, tempore synodus apud Lugdunum congregata multos Episcoporum negligenter agentium coërcuit.

ANNO CHRISTI 584.

CHILPERICI Regis 23.

PELAGII II. PAPÆ EPISTOLA ad Aunarium Autissiodorensem Episcopum.

Laudat venerationem ejus erga Sedem Apostolicam, gratulaturque de constructis in Gallia Ecclesiis, seque suis commendat precibus.

Dilectissimo fratri Aunario, Pelagius.

Ex cod. Autissiodor.

QVANTVM Deo placitos Sedis Apostolicæ veneratione vos redditis, tantò commendatior illi, cujus sedes est, fit vestræ fiducia caritatis, nec aliter unam solamque Dei confitemur Ecclesiam, nisi omnes ad petram, super quam fundata est fides Catholica, construamur; propter quod dilectionis tuæ desideriis successit effectus, & celer, & facilis, quia eorum Sanctuaria quęruntur, à quibus principibus sumpsit pręedicatio, veritatis exordium. Quod verò in vestris regionibus abundare indicatis Ecclesias novas, gratulanter suscipimus: tamen si scienter expetere studium propheticæ vocis amplecteris, quęrite faciem ejus semper. Quantùm namque humanis intellectibus Incarnationis Domini nostri veritas aperitur, tantò ampliùs & honoratur, & colitur. Sicut autem vos cupitis Deo nostris orationibus commendari, vos etiam nostris necessitatibus & angustiis, quibus incessabiliter oneramur, intercessionis continuum ferte solatium, orantes, & quibuscumque valetis viribus id agentes, quatenus sicut prædicationi Sedis Apostolicæ consonatis, ita ejus paci vestra impetratio congaudeat, & quieti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Datum pridie Kalend. Novemb. imperante Mauricio Tyberio Aug. anno III.

AVNARII AVTISSIODORENSIS Epistola ad Stephanum Presbyterum Africæ provinciæ, qua rogat illum, ut Episcoporum Autissiodorensium sancti Germani metricè, & sancti Amatoris prosaïcè vitas conscribat.

Dilectissimo, atque amantissimo, & interna mihi vinculo caritatis connexo fratri Stephano Presbytero, Aunarius gratia Dei Episcopus in Domino æternam salutem.

TVÆ nobis doctrinæ multis jam experimentis adprobata prudentia compulit nos quandam tuis humeris imperiosam superponere sarcinulam, sed eam, quæ tibi non sit oneris, sed honoris, nec quæ deorsum iniquo pondere premat, sed quæ potiùs cælum ubique sustollat. Cognitum tibi est, carissime frater, quæ sit humanarum mentium diversitas, & quemadmodum studia in contraria non solùm inane vulgus, verùm etiam universa scindatur nobilitas; & quidam quidem prosaïco oblectantur stylo, quidam autem numeris se rythmisve, ac cantibus versum delectari fatentur. Ergo ut omnium votis occurrerem, & nullus suo desiderio fraudaretur, placuit mihi ut vitas beatissimorum Confessorum quasdam pede libero describerem, quasdam verò lege metrica impeditas digererem, ob quam rem obsecro unitam mihi tuæ dilectionis amicitiam, ut beatissimi Germani Episcopi vitam in versuum qualitatem commutare non desistas, sancti verò Amatoris prosaïca modulatione describas, ut sectatores Apostolicæ prædicationis effecti, omnibus omnia efficiamur, & nulli quicquam debeamus nisi ut invicem diligamus. Individuam mihi caritatem vestram divina custodiat pietas, venerabilis frater.

ADDITIO

Anno Christi 585. | Clotarii Regis 2.

ADDITIO AD CONCILIVM Matiſconenſe. II.

In eodem Concilio Matiſconenſi tractata eſt quæſtio de Fauſtiano ad Epiſcopatum Aquenſem ordinato à Bertechranno Burdegalenſi, Oreſte Vaſatenſi, & Palladio Sanctonico Epiſcopis, deque Vrſicino Cadurcenſi Epiſcopo, qui ad illud Concilium convenire juſſi ſunt; ibique diverſa pœnitentia unicuique illorum ob crimen illis commune impoſita eſt. Legitur quoque ibidem de Theodoro Maſſilienſi Epiſcopo, quorum ſanè omnium nomina leguntur in ſubſcriptionibus Epiſcoporum, de quibus ſic loquitur Gregorius Turonenſis lib. 8. hiſt. cap. 12. & 20. *Ratharius dux Theodorum Maſſilienſem Epiſcopum vallat, fidejuſſores requirit, & ad præſentiam Regis Guntchranni direxit, ut ſcilicet ad ſynodum quæ Matiſcone futura erat, quaſi ab Epiſcopis damnandus eſſet; ſed poſt hanc Theodorus ad urbem ſuam regreſſus, favente omni populo cum laude ſuſceptus eſt. Interim dies placiti advenit, & Epiſcopi ex juſſu Regis Guntramni apud Matiſcenſem urbem collecti ſunt. Fauſtianus autem, qui ex juſſu Gundobaldi, Aquenſis urbis Epiſcopus ordinatus fuerat, ea conditione removetur, ut eum Bertechramnus, Oreſteſque ſive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus paſcerent, centenoſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent. Nicetius tamen ex laïco qui priùs ab Chilperico Rege præceptum elicuerat, in ipſa urbe Epiſcopatum adeptus eſt. Vrſicinus Cadurcenſis Epiſcopus excommunicatur pro eo, quod Gundobaldum excepiſſe publicè eſt confeſſus; accepto hujuſmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abſtineret, Miſſas celebrare, Clericos ordinare, Eccleſiaſque & Chriſma benedicere, Eulogias dare penitùs non auderet; utilitas tamen Eccleſiæ per ejus ordinationem, ſicut ſolita erat, omnino exerceretur.* Hactenus de his Epiſcopis Gregorius, qui mox ſcribit de altero, quæ ſequuntur. *Extitit in hac ſynodo quidam ex Epiſcopis, qui dicebat mulierem, hominem non poſſe vocitari; ſed tamen ab Epiſcopis, ratione accepta, quievit.* Præterea referri debet ad hoc Concilium Matiſconenſe, quod legitur in ejuſdem Gregorii appendice, quæ Fredegarii epitome aliàs inſcribitur. *Guntramnus*, inquit, *anno* XXIV. *regni ſui ſynodum* XL. *Epiſcoporum fieri præcepit, & hujus ſynodi conjunctione, Monaſterii ſancti Marcelli inſtitutionem firmandam curavit.* Simile quid egerat adhuc ipſemet Guntrannus anno præcedente in Valentina ſynodo, præcipiens, ut quæcumque in Eccleſiam eandem contulerat, ab illa confirmarentur, & ſic majorem haberent authoritatem hæc oblata, conſervarenturque ſtudioſiùs. Quæ quidem ſupradicta, in his Conciliorum ſupplementis exponere volumus, ut nihil ad integram Concilii hujus hiſtoriam pertinens deſiderari videatur.

NOTÆ.

Epiſcopi non habentes ſedes.] Præter Fauſtianum legitur adhuc Frominius, qui fuerat Epiſcopus Agathenſis, ſed à Gothis dejectus, ſedem hoc tempore non habebat; poſtea ſucceſſit Deuterio Vencienſi, ut eſt apud Gregorium Turonenſem lib. 9. cap. 24. [Promotus verò ille eſt, quem in Dunenſi Caſtro non rite conſecratum ſynodus IV. Pariſienſis abſtinere juſſit.] De quo adhuc idem Gregorius lib. 7. cap. 17. ubi exponit hiſtoriam atque judicium ejuſdem ſynodi contra Promotum, docetque quid tandem ipſe poſtea obtinuerit, Rege pro eô etiam intercedente. [Promotus, inquit, qui in Dunenſi Caſtro, ordinante Sygeberto Rege, Epiſcopus fuerat inſtitutus, & poſt mortem Regis amotus fuerat, eo quod Caſtrum illud eſſet diœceſis Carnotenæ, contra quem ita judicium latum fuerat, ut presbyterii tantùm officio fungeretur, acceſſit ad Regem, deprecans ut ordinationem in antedicto Caſtro reciperet, ſed obſiſtente Pappolo Carnotenæ urbis Epiſcopo, ac dicente, quia diœceſis meæ eſt, oſtendente præſertim judicium Epiſcoporum, nihil aliud potuit obtinere cum Rege, niſi ea, quæ ſub ipſius Caſtri termino propria habebat, reciperet, in quo cum genitrice adhuc ſuperſtite moraretur.]

Prætextatus Eccleſiæ Rothomagenſis.] Hunc Epiſcopum ſuprà vidimus in Concilio Pariſienſi, ſeductum ab adulatoribus, atque in exilium à Chilperico Rege detruſum, ut narrat Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 18. unde oriri poſſet dubium, cur poſtea in hoc Concilio Matiſconenſi ejus ſubſcriptio legatur, ſed Gregorius idem lib. 2 cap. 16. ſolvit illud his verbis. [Prætextatum, inquit, Epiſcopum cives Rothomagenſes poſt exceſſum Regis Chilperici de exilio expetentes, cum grandi lætitia & laude civitati ſuæ reſtituerunt. Poſt reditum verò ſuum ad urbem Pariſiacam advenit, ac ſe Guntramno Regi repræſentavit, exorans ut cauſam ſuam diligenter exquireret. Adſerebat enim Regina eum non debere recipi, qui fuiſſet per judicium quadraginta quinque Epiſcoporum à ſacerdotali officio ſegregatus: cumque Rex pro hac cauſa ſynodum excitare vellet, Ragnemodus hujus urbis Epiſcopus pro omnibus reſponſum reddidit, dicens: Scitote ei pœnitentiam indictam à Sacerdotibus, non tamen eum prorsùs ab Epiſcopatu remotum. Et ſic à Rege ſuſceptus, atque convivio ejus adſcitus, ad urbem ſuam regreſſus eſt.] Liberum ergo fuit Prætextato, poſt hæc, intereſſe Conciliis, præſertimque Matiſconenſi proximè congregato poſt reditum ſuum ab exilio, in quo poſitus ipſe, ut ait etiam Gregorius idem lib. 8. cap. 20. orationes ſcripſit, & coram Epiſcopis, (hujus nempe ſynodi) recitavit, quæ quibuſdam quidem placuerant, à quibuſdam verò quia artem ſecutus minimè fuerat, reprehendebantur; ſtilus tamen per loca Eccleſiaſticus & rationabilis erat,

Anno Christi 588. | Clotarii Regis 4.

EPISTOLA QVORVNDAM CLERICORVM ad Polochronium Epiſcopum Sigeſtaricenſem.

Hæc epiſtola ſcripta eſt forſan occaſione peſtis, tempore Polochronii provinciam Romanorum depopulantis, de qua vide Gregorium Turonenſem lib. 9. hiſtor. cap. 21. Vnde ad hunc annum 588. ex conjectura referimus; quem Polochronium ex affinitate nominis eundem eſſe putamus cum Pologronio Eccleſiæ Sigeſtaricæ Epiſcopo in ſynodis Valentina & Matiſconenſi ſecundis ſubſcripto. Talis eſt in Codice Corbeïenſi hactenùs inedita.

Domino ſancto, & in Chriſti caritate meritiſſimo Epiſcopo Polochronio, Francus, Paulus, Valerianus Presbyteri, Seſinnus Archidiaconus, & omnes Clerici.

DE patria gravi ſumus exire neceſſitate compulſi, & caſus, qui vos extorres de patria

Anno Christi 588. — Clotarii II. Regis 4.

fecit, nos etiam compulit exulare: sed orationibus vestris, sancti Castori Episcopi sumus humanitate palpati, qui vestro intuitu ordinavit locum, in quo requiem habere possimus. Vos quem impensissima caritate erga nos esse scimus, gratiam ei pro nobis qui vestri sumus, convenit repensare, quia rutum nobis parum credimus, nisi in aliquo, tanto viro à vobis, quem multùm suspicit, gratia compensetur; cujus à nobis epistola per harum gerulos directa fuerat, nisi ipse fuisset alibi occupatus. Domine sancte, justum est, ut ad plebem vestram visitandam ad sanctum Paschæ diem venire dignemini, quia si benedictionis vestræ alimento fuerint repalpati, faciliùs se credent posse peregrinationis necessitatem sustinere, ut quibus longo tempore vestra præsentia denegatur, saltim visitatio Domino auxiliante præstetur, sperantes prece, qua nos valere confidimus, ut fatigationem vestram nobis tanti habeas non negare, ad nos usque discurras; & supramemorato Episcopo, necnon & aliis fratribus insinuare dignemini, quia scimus quantùm in vestra absentia, vestro intuitu prȩstare dignantur, tantùm per vestram prȩsentiam, peregrinationem nostram, impendentes majora credimus, debeant consolari.

Anno Christi 588. — Clotarii II. Regis 4.

CONCILIVM INCERTI LOCI.

Regis Guntramni jussu congregatum est hoc Concilium sub die Calendarum mensis Iunii, ad inquirendum in quorumdam crimina, & ad res diversas de Regni statu discutiendas; sed prȩcipuè propter Prȩtextatum Roromagensem Episcopum in Ecclesia occisum. Locus autem Concilii non legitur apud Gregorium Turonensem, qui cum Rege Guntramno colloquutus est de celebrandis more canonico Metropolitanorum synodis duntaxat, non autem de cogenda synodo nationali, absque causa & necessitate, quas ipsemet enumerat, totamque Concilii hujus historiam ad annum XIII. Regis Childeberti junioris, cui congruit annus Domini 588. refert lib. 9. c. 2. Et primùm quidem loquitur lib. 8. c. 43. historiæ de Palladio Santonicæ urbis Episcopo, qui ab Antestio Duce in via vallatur tempore Quadragesimæ sanctæ, dicens: *Non ingredieris urbem, sed exilio condemnaberis. Suscepisti nuntios reginæ Fredegundis inimicæ domini nostri Regis; nec adtinges limina Ecclesiæ tuæ, quia infidelis adparuisti domino nostro Regi. At ille, Nescio, ait, quid loquaris. Transactis igitur diebus sanctis, ad Regem pergit, adfuit & Antestius, sed nihil de his quæ opponebat Episcopo, potuit adprobare. Episcopus autem ad urbem redire jubetur, & usque ad synodum futuram dilatatur, si fortè aliqua de his quæ opponebantur, evidentiùs possint agnosci.* Colloquium verò Guntramni Regis & Gregorii Episcopi de causa atque modo cujusvis synodi habendæ dignum scitu videtur, & operi nostro minimè alienum. Gregorius igitur ait Guntramno. *Indicastis Childeberto nepoti vestro, ut omnes regni sui Episcopi in unum convenirent, quia multa sunt quæ debeant indagari; sed juxta consuetudinem Canonum placebat gloriosissimo nepoti vestro, ut unusquisque Metropolitanus cum Provincialibus suis conjungeretur, & tunc quæ irrationabiliter in regione propria fiebant, sanctione Sacerdotali emendaretur. Quæ enim causa extat, & quæ erit ista necessitas, ut tanti debeant in unum conjungi Domini Sacerdotes? Ecclesia fides periculo ullo non quatitur, hæresis nova non surgit. Cui Guntramnus. Sunt multa, inquit, quæ debeant discerni, quæ injustè gesta sunt; tam de incertis, & de iis qui pro luxuria accusantur, quàm de ipsis quæ inter nos aguntur causis debet esse discussio; sed præcipuè illa Dei causa extat omnibus major, ut inquirere debeatis cur Pretextatus Episcopus gladio in Ecclesia fuerit interemptus. Tunc jussit ut in Calendis mensis quarti hæc synodus prolongaretur.* Porro Guntramnus ipsemet ante synodum sollicitus vehementer de Prætextati Rothomagensis nece misetat tres Episcopos ad seniores regni Clotharii, qui parvulum regem nutriebant, ut perquirerent hujus sceleris personam; obtestantes omnino ut nunquam in Ecclesia illa Melantius, qui priùs in loco Prætextati à synodo Parisiensi pœnitentia mulctati, & pôst in exilium ejecti, subrogatus fuerat, Sacerdotis fungeretur officio. Nihilominus etsi Fredegundis Regina, & Melantius Episcopus accusarêtur de hoc crimine, ambo tandem culpa liberati videntur. Fredegundis verò Melantium, quem priùs Episcopum posuerat Ecclesiæ, instituit. Sic claudit hanc historiam Gregorius absque ulla canonum mentione. Cujus Melantii institutio pôst rata fuit, & ab omnibus comprobata, ut patet XLIV. epistola S. Gregorii Papæ scribentis ad eumdem Melantium Rotomagensem Episcopum, sicut & ad alios hujus ætatis Episcopos Francorum à patibus.

Anno Christi 589. — Clotarii II. Regis 5.

CONCILIVM PICTAVENSE IN BASILICA sancti Hilarii celebratum.

In quo indicta est excommunicatio Chrodieldi, & reliquis Monialibus, quæ à sanctæ Radegundis monasterio recesserant, juxta decretum Episcoporum, quod suscepta ejusdem beatæ Radegundis epistola conscripserant, & quod videre est apud Gregorium Turonensem lib. 9. cap. 39. historiarum.

Idem Gregorius Turonensis narrans dissidium æstatis tempore has inter Moniales exortum, meminit synodi hujus habitæ Pictavis à Metropolitano, tribusque provinciæ suæ Coepiscopis, eodem lib. 9. histor. cap. 41. *Dum autem*, inquit, *hæc agerentur, Gundegisilus Burdegalensis,*

Anno Christi 589.

Clotarii II. Regis 5.

degalensis, adjunctis secum Nicasio Engolismensi, & Saffario Petragorico, ac ipso Maroveo Pictavensi Episcopis, eò quòd hujus urbis Metropolita esset, ad basilicam sancti Hilarii advenit, arguens has puellas, & in monasterium reducere cupiens; sed cùm illæ obstinatius reluctarentur, & hic cum reliquis juxta epistolam superiùs nominatam, (sive decretum) eis excommunicationem indiceret, exurgens turba murionum præfatorum, tanta eos in ipsa sancti Hilarii basilica cæde mactavit, ut corruentibus in pavimento Episcopis vix consurgere possent, sed & Diaconi, & reliqui Clerici sanguine perfusi cum effractis capitibus basilicam sunt egressi. Gundegisilus autem cùm has à communione suspensas cum cæteris, ut diximus, reliquisset Episcopis, epistolam ex suo fratrumque præsentium nomine conscripsit ad alios Episcopos. Quæ quidem synodalis epistola non extat.

Anno Christi 590.

Clotarii II. Regis 6.

CONVENTVS DECEM EPISCOPORVM in Comitatu Regis Gunthcranni,

Habitus aliorum synodi Pictavensis causâ, illos consulentis de sententia excommunicationis ab ipsis in Moniales monasterii B. Rhadegundis latæ, qui rescribunt interim usque ad synodum Calendis Novembr. futuram, approbantes quæ ab Episcopis in Concilio Pictavensi adversùs illas gesta sunt.

Hæc omnia idem Gregorius Turonensis prosequitur iisdem lib. 9. histor. & cap. 41. ubi desideratur epistola Concilii Pictavensis. [Quam, inquit, Gundegisilus Burdigalensis ex suo, fratrumque præsentium nomine conscripsit ad Sacerdotes illos, qui tunc cum Rege Gunthcramno fuerant adgregati, à quibus hæc rescripta suscepit.]

EXEMPLAR RESCRIPTI.

Domnis semper suis, atque Apostolica sede dignissimis, Gundegisilo, Nicasio, Saffario, & Maroveo.: Ætherius, Syagrius, Aunacharius, Hesychius, Agræcola, Vrbicus, Felix, Veranus, item Felix & Berthcramnus Episcopi.

LITTERAS vestræ Beatitudinis, quantùm referante nuncio de vestra sospitate gavisi excepimus, tantùm de injuria, quam vos pertulisse signastis, non modico mœrore adstringimur, dum & regula transcenditur, & nulla reverentia religioni servatur. Sed quia judicastis Monachas quæ de monasterio bonæ memoriæ Radegundis, instigante diabolo, fuerunt digressæ, quod nullam à vobis acquieverint correctionem audire, nec infra monasterii sui septa, de quo egressæ fuerant, voluissent reverti; insuper basilicæ domni Hilarii per cædes vestras, vestrorumque injuriam intulisse. Quapropter ipsas à communionis gratia visi fueritis suspendere, ac per hoc nostram exinde mediocritatem elegistis consulere. Igitur quia optimè vos novimus statuta Canonum percurrisse, ac regulæ plenitudinem continere, ut qui in talibus excessibus videntur deprehendi, non solùm excommunicatione, verùm etiam pœnitentiæ satisfactione debeant coerceri, ea de re addentes cum venerationis cultu summæ aviditatis dilectionis instinctum, judicamus ea quæ definistis, nos concordanter vestræ sententiæ consentire, quoadusque in synodali Concilio Calendis Novembribus pariter positi debeamus consilio pari tractare, qualiter talium temeritas frenum districtionis possit accipere, ut deinceps nulli liceat sub hunc lapsum faciente jactantia similia perpetrare. Attamen quia nos sua dictione domnus Paulus Apostolus indesinenter videtur monere, ut opportunè, importunéque debeamus quoscumque excedentes sedulâ prædicatione corrigere, & pietatem protestatur ad omnia utilem esse; ideò suggerimus adhuc, ut oratione assidua Domini misericordiam deprecemini, ut ipse spiritus compunctionis ipsas inflammare dignetur, ut id quod per delictum visæ sunt contraxisse, dignâ satisfactione pœniteant, ut in monasterio suo vestra prædicatione, animæ, quæ quodammodo perierunt, propitio Christo revertantur. Vt ille qui unam humeris inlatam errantem ovem ad ovile reduxit, & de istarum transgressione, quasi adquisito gregi congaudere dignetur. Hoc specialiùs postulantes, ut pro nobis intercessionum vestrarum suffragia indesinenter, ut confidimus, tribuatis.

Peculiaris vester Ætherius peccator salutare præsumo.

Cliens vester Hesychius reverenter audeo salutare.

Amator vester Syagrius reverenter saluto.

Cultor vester Vrbicus peccator famulanter saluto.

Aunacharius peccator famulanter saluto.

Famulus vester Felix salutem præsumo.

Venerator vester Veranus Episcopus reverenter saluto.

Humilis vester atque amator Felix audeo salutare.

Humilis atque obediens vester Berthcramnus Episcopus salutare præsumo.

Agræcola peccator reverenter saluto.

NOTA.

Cùm discamus ex Gregorio Turonensi discordiam inter Moniales monasterii B. Radegundis inceptam fuisse circiter æstatem anni 589. continuatamque reliquo ejusdem anni tempore, quo Concilium Pictavense illarum causa congregatum est: igitur consequens est Episcopos regni Burgundiæ anno sequente ad alios rescripsisse, ut liquet ex mentione synodi celebrandæ Cal. Novembribus futuris facta in illorum rescripto, cujus synodi nec locus, nec Canon ullus, nec gesta quoque leguntur omnino in eadem Gregorii Turonensis historia.

Anno Christi 594.

CONCILIVM CABILONENSE

Clotarii II. Reg. 10.

APVD ECCLESIAM SANCTI MARCELLI MARTYRIS in suburbio, ab undecim Episcopis congregatum, à quibus certus ordo psallendi institutus in monasterio ejusdem sancti confirmatur.

Guntramnus Rex postremo vitæ anno, qui videtur hujus Concilii Epocha, ut infrà patebit, ecclesiam, seu monasterium sancti Marcelli Cabilonensis unicè sibi dilectum illustrare voluit, tum quòd suæ sepulturæ designaverit illud, tum quòd ibidem psallendi rationem constituerit ad formam monasterii sancti Mauritii, de qua in Concilio Agaunensi actum est, cui similem observatamquoque in monasteriis sanctorum Martini & Dionysii docet Aimoinus: quorum usus in psallendo is est, qui Canone 18. synodi Turonensis II. describitur, quique in præcepto Clodovei II. Regis de libertate monasterii ejusdem sancti Dionysii ordinatur. Quæ tamen omnia, ut firmiùs observarentur imposterum, Rex ipse ab hac undecim Episcoporum synodo, sicut & aliis, quæ ad pia loca contulit, ab aliis confirmari jussit. De quibus supradictis loquuntur Auctores rerum Cabilonensium, citantque Aimoinum Floriacensem eadem simul asserentem lib. 3. cap. 81. Apud quem sanè irrepsit mendum in Episcoporum Concilii numerum, ita ut ex hac nota XI. facta fuerit altera XL. in quo facillimus est scriptoris error, faciendo literam L. ex litera I. puncto signata, cùm præsertim non agatur hîc de nationali synodo numerosiore; cumque videamus à quatuor annis convenisse decem tantùm Episcopos in Comitatu Guntramni Regis, ex occasione sententiæ excommunicationis adversùs Moniales Pictavi latæ à Concilio, & ad illos qui tunc cum Rege Gunthcranno fuerant adgregati, conscriptæ, ut loquitur Gregorius Turonensis. Sunt autem verba Aimoini. *Anno, inquit,* XXXIII. *Guntramni, ipse Rex terrenum regnum pro cælesti commutans, in ecclesia sancti Marcelli Cabilonis sepultus est. Hanc denique basilicam ipse in suburbio prædictæ civitatis studiosissimè ædificavit, ubi Monachos aggregans, monasterium construxit, quod pluribus prædiis, facultatibusque ditavit. Synodum* XL. *Episcoporum aggregari præcipiens, ut ordo psallendi, qui in loco sanctorum Agaunensium temporibus Sigismundi Regis ab Avito & cæteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat, in Cœnobio quod ipse fabricarat, teneretur, effecit. Qui videlicet ordo etiam ad sepulchrum sancti Martini antiquitùs celebratur, necnon in monasterio sancti Dionysii à Dagoberto Rege agi præceptus, & à nobis cujusmodi esset exquisitus, ita se habere est repertus: in diebus namque festis ad matutinum sex antiphonæ binis Psalmis explicabantur,* & cætera, quæ leguntur in XVIII. Canone prædicto ejusdem synodi Turonensis II. qui totus est, ac inscribitur quoque de observatione psallendi. In aliis verò duobus monasteriis, ac etiam apud Sanbenignum Divionensem, eo videlicet ordine chorus psallentium per turmas fuit institutus, ut diu noctúque teneatur, sicque divinum persolvatur officium, & ita per omnia futura tempora celebretur, sicut nos docet superius Clodovei Regis præceptum, atque Divionense chronicon; Qui tandem postremus ordo psallendi vocatus fuit apud cœnobitas, laus perennis.

Anno Christi 618.

* CONCILIVM APVD BONOGELVM VILLAM in Agro Meldensi.

Clotarii II. Reg. 39.

Id nomen ex conjectura fecimus huic synodo, tum quia legimus apud Fredegarium, anno XXXIV. Regni Clotarii, ipso præcipiente, universos Pontifices Burgundiæ ad Faconis Bonogelum villam convenisse, ibique sanè Canones statuisse verisimile est, cùm videamus horum Conciliorum Patres pro quacumque re simul evocatos, hunc statuendi morem ex conventus occasione semper habuisse; tum etiam quòd ex synodi hujus Canone primo pateat ipsam non longo temporis intervallo abesse à Parisiensi V. anno Christi 615. sub die XV. Kal. Novembris celebrata, ubi quoque mentio fit de Clotario Rege. Quicquid sit autem de synodi nomine, supersunt nobis utiliùs decem Canones integri ex codice Remensis Ecclesiæ, in quo quidem hi titulo carent. Porrò duæ sunt ejusdem nominis de Bonogilo seu Bonogelo villæ, quarum una in Agro Meldensi, & altera in Parisiensi collocantur. De priore tamen opinari potiùs suadet nos Faconis quondam Episcopi Meldensis vocabulum.

Tituli Canonum.

1. *De servandis constitutionibus Concilii Pariensis & Clotarii Regis.*
2. *De altarium consecratione.*
3. *Vt Monachi juxta regulam vivant.*
4. *De nonnullis in Monasterio fieri vetitis.*
5. *De interdicta Clericis cohabitatione mulierum.*
6. *De iis, qui ad Ecclesias confugiunt.*
7. *De Abbatibus, & Archipresbyteris sine culpa non removendis, nec per præmia ponendis; & ne sæculares Archipresbyteri ponantur.*
8. *Vt Presbyteri & Diaconi uxores ducere non præsumant.*
9. *De excommunicatis per vicinas civitates paræciis indicandis.*
10. *De ingenuis, qui seipsos vendiderint, vel oppigneraverint.*

CANONES.

CANONES.

I.

De servandis constitutionibus Concilii Parisiensis & Clotarii Regis.

VT constitutiones illæ, quæ Parisiis sunt decretæ, hoc est tam à domnis Sacerdotibus quàm à domno Chlothacario Rege juxta priscas Patrum constitutiones in omnibus conserventur, quia in nullo fidei Catholicæ vel Ecclesiasticæ regulæ contrariæ sunt inventæ.

II.

De altarium consecratione.

Vt altaria alibi consecrari non debeant, nisi in his tantùm Ecclesiis, ubi corpora sepulta non sunt.

III.

Vt Monachi juxta regulam vivant.

Vt Monachi juxta regulam vivant, nec sequestrati per cellas habitent vel convivant, & peculiare nullum habeant; sed juxta Apostolum sint eis omnia communia, sicut Abbatis vel Præpositi dispensatio justa perpenderit.

IV.

De nonnullis in monasterio fieri vetitis.

Vt intra septa monasterii non baptisetur, nec Missæ defunctorum sæcularium celebrentur, nec sæcularium corpora ibidem sepeliantur. Forsitan permissu Pontificis.

V.

De interdicta Clericis cohabitatione mulierum.

Illud specialiter decernimus, ut nullus Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus, vel Clericus honore munitus, mulierem in domo sua habeat, præter matrem, sororem & avitam. Quod si quis super statuta Canonum deinceps habere præsumpserit, juxta arbitrium Pontificis sententia canonica feriatur, & illa, ut adultera condemnetur.

VI.

De iis, qui ad Ecclesias confugiunt.

De his, qui ad Ecclesias confugium faciunt, ut Ecclesiæ status in omnibus firmo robore persistat, nullus de Ecclesia violenter trahatur, nec confugiendi jus in Ecclesiam subtrahatur; sed nec vinculis, aut ferro qui in Ecclesiam confugerit, conligetur.

VII.

De Abbatibus & Archipresbyteris sine culpa non removendis, nec per præmia ponendis; & ne sæculares Archipresbyteri ponantur.

Vt Abbates vel Archipresbyteri absque culpa de Ecclesiastico ministerio removeri non debeant, nec per præmia nullus Abbas, vel Archipresbyter ponatur. Quod si quis facere præsumpserit, communione privetur. Nec sæculares Archipresbyteri ponantur. Forsitan si talis fuerit, quem pro merito personæ, in solatium Ecclesiæ Pontifex necessarium esse judicet, ut sine ejus defensione parœciani illi se defensare non possint.

VIII.

Vt Presbyteri & Diaconi uxores ducere non præsumant.

Presbyteri, vel Diaconi se nulla ratione nubere præsumant. Quod si præsumpserint, ab Ecclesia sequestrentur.

IX.

De excommunicatis per vicinas civitates vel parœcias indicandis.

De excommunicatis placuit, si quis pro crimine suo ab Episcopo vel Presbytero fuerit communione privatus, Episcopus vel Presbyter & facinus excommunicati, & privationem communionis vicinis civitatibus vel parœciis studeant indicare. Quod si quis, ad ejus postquàm notitiam venerit, usque audientiam cum ipso communicare præsumpserit, biennio communione privatus ab Ecclesia sequestretur.

X.

De ingenuis, qui seipsos vendiderint, vel oppigneraverint.

De ingenuis, qui se pro pecunia, aut alia re vendiderint, vel oppigneraverint, placuit ut quandoquidem pretium, quantùm pro ipsis datum est, invenire potuerint, absque dilatione ad statum suæ conditionis reddito pretio reformentur, nec ampliùs quàm pro eis datum est, requiratur. Et interim, si vir ex ipsis uxorem ingenuam habuerit, aut mulier ingenuum habuerit maritum, filii, qui ex ipsis nati fuerint, in ingenuitate permaneant.

CONCILIVM CLIPPIACENSE.

Debemus Aimoino Floriacensi Monacho notitiam hujus synodi, quæ legitur in lib. 4. historiæ Francorum cap. 15. his verbis. *Clotarius*, inquit, *anno 44. regni sui, filiorum seu*

Anno Christi 628.

seu procerum, Præsulum quoque Galliæ, Clippiaci Concilium congregat, ut quæcumque pacifica regno, vel utilitati Ecclesiæ congruerent, statuerentur. Statuta verò peculiaria non referuntur ab eodem auctore, nec ab aliis, qui tamen omnes clarè demonstrant Conventus Epocham ad hunc Christi annum, cui respondet alter regni Clotarii.

Clotarii II. Regis 44.

Anno Christi 636.

Dagoberti Regis 8.

DAGOBERTI REGIS EPISTOLA ad Sulpitium Bituricensem Archiepiscopum,

Qua petit, ut Desiderium consecret in Episcopum Cadurcensem.

Domino sancto & Apostolico domno Patri Sulpitio, Dagobertus Rex.

Ex cod. Maissiacensi.

DEo & sanctitati vestræ credimus esse compertum, qualiter fidelis noster, verè illustris Desiderius Thesaurarius nobis adolescentiæ tempore fideliter deservivit. Nos devotissimam ac monasticam conversationem ejus habemus bene compertam, ideo nos cognoscite taliter decrevisse, ut in civitate Caturca, ubi germanus ejus domnus Rusticus præivit, in locum ipsius, honorem Episcopatus in Dei nomine debeat accipere, quia divina inspirante potentia talis nostra devotio manet, ut eos, quos moribus ornatos, & sanctis operibus deditos perspicimus, sicut est iste fidelissimus Dei & noster Desiderius, hos ad Episcopale culmen provehere debeamus, quia sic decet regiam celsitudinem, ut quos cognoscit in Dei timore conversari, & fidem Catholicam integrè custodire, vel Evangelica præcepta, omnimodis ad Pontificale officium studeat promovere: proinde cùm vos Metropolitani locum scimus tenere, præsentes apices cum debito salutationis officio sanctitati vestræ studuimus destinare, petentes ut ad eum benedicendum properare debeatis, & litteras ad comprovinciales fratres vestros dirigatis, ut & illi adesse debeant, & ut canonicè & juxta Apostolicam institutionem sub vestri præsentia in sancta Paschali solemnitate, pontificali benedictione debeat esse consecratus: illud etiam ante omnia supplicamus, ut nos in sanctis, ac Deo placitis orationibus vestris Domino commendetis, & ad explendum hoc negotium nullam moram faciatis. Quod verò indicimus, manus nostræ subscriptione, ut mos est, decrevimus roborare. Data octavo Dagoberti Regis.

Dagobertus Rex subscripsit.

Anno Christi 641.

Dagoberti Regis 14.

TESTAMENTVM DAGOBERTI REGIS in gratiam Ecclesiarum.

ANNO XIV. Rex Dagobertus omnibus circumpositis gentibus, nationibusque sibi subjugatis, paceque per circuitum facta, ad pietatem intendit: utque se gratum cælestibus ipse supra modum fluentibus beneficiis demonstraret, universas penè Galliæ Ecclesias patrimonii sui heredes instituit. Convocatisque filiis, ac turba amicorum, generale indixit placitum in loco nuncupato Bigargio. Ad quod properè convenientibus cunctis Franciæ primoribus, x. Kal. Iunias Rex solio residens aureo, ut Francorum Regibus moris erat, sic apud eos exorsus est. Causa modò, mihi amantissimi filii, & quicumque adestis Francorum potentes, utilis ac fructuosa visa est vos convocandi intentio, ut de iis, quæ pro remedio animæ meæ agere institui, non ego solus mihi applauderem; quia etenim caduca gerimus corpora, animasque immortales. Magna nobis, si dissimulare nolumus, est indita probitatis necessitas, ne si (quod absit) minùs fuerimus intenti, non solùm corruptionem, quam speramus corporum, verùm & ipsam æternitatem animarum perpetuis tradamus incendiis. Ideoque ego reminiscens, justis repromissa præmia, & præparata iniquis supplicia, memor etiam malorum quæ gessi, testamentum scribere decrevi, quo omnes regni nostri Sanctorum basilicas isto tempore famosas, hæredes faciamus earum, quæ eis à nobis traditæ sunt, rerum. Constitui etiam quatuor fieri uno tenore exemplaria, & ea manibus subterfirmare, non tantùm meis, sed etiam filiorum meorum Sigeberti ac HLudovi, quos hodie Reges constituo, vestris quoque qui astatis sanctissimi Pontifices, necnon gentis nostræ Principes: è quibus unum Lugduno Galliæ, aliud Parisius, tertium Mettis in archivis Ecclesiarum custodienda dirigimus, quartum autem, quod præ manibus habemus, in thesauris nostris adservari præcipimus. Cumque post depositam à nobis carnis sarcinam unusquisque Præsulum, qui locis præcepto inscriptis præfuerint, sibi assignata susceperint, rogamus & obtestamur per terribile Domini nostri Iesu Christi nomen, ut memoriam nostri tribus in hebdomada diebus per sequentes annos faciant, ac pro requie animæ nostræ sacrificium offerant salutare, nomenque nostrum quasi perpetuum tenentes memoriale, libro inserant vitæ. Vos autem boni filii, considerantes primùm naturæ religionem, cujus gratia etiam bestias ligat, manete fratres, & nolite exuere, quod generati estis. Deinde reveremini me patrem vestrum, qui rogare malo, cùm possim jubere, ut statuta nostra inconvulsa servetis, si vestra à successoribus servari mavultis. Profectò scientes, quòd si à nobis sancita contemptui habueritis (quod non arbitror) pari modo & vestra à posteris contemnentur decreta.

Testamenti exemplar est hujusmodi.

IN nomine Trinitatis Domini Dei omnipotentis, Apostolicis Patribus, Pontificibus videlicet

Ex Archivo monasterii sancti Dionysii in Francia.

Anno Christi 642. videlicet ac Abbatibus & reliquis Sacerdotibus intra regnum nostrum consistentibus, Dagobertus Rex Francorum. Quantùm intellectualis sensus humanus potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in hujus sæculi luce, ac fugitivo gaudio lucrari, quàm quod de rebus transitoriis, locis venerabilibus quis studeat in alimoniam pauperum impendere, quatenus qui fragilitatem naturæ generaliter patiuntur, priusquam subita transpositio eveniat, pro salute animæ invigilent, ut non inveniatur quisquam imparatus, vel sine aliquo respectu discedat è sęculo, quin potiùs, dum propriæ libertatis jure subsistit, ex caducis substantiis intra externa tabernacula vitam studeat mercari perpetuam, ut inter justorum consortium desiderabilem valeat locum adipisci. Itaque nobis sana mente, sanoque consilio placuit, & devotio divina nos admonuit, ut pro salute nostra, & pro nostra retributione conscribendum præcipe remus testamentum; & pro immutabili beneficio quatuor uno tenore firmavimus instrumenta, & quicquid ubique per loca Sanctorum contulimus, inibi simili annotatione contexuimus. Dagoberti Regis 14.

Enumerat postea donationes à seipso factas Ecclesiis. Ibique pòst subscripserunt omnes.

His dictis & cunctis longævam Regi felicemque optantibus in hoc sæculo vitam, ac in futuro manentem, salutatis omnibus Conventum dimisit, ut rediret unusquisque ad sua.

Anno Christi 650. — Clodovei II. Regis 7.

SYGGIBERTI REGIS EPISTOLA ad Desiderium Cadurcensem Episcopum,

Qua prohibet ne ad Concilium eo invito proficiscatur.

Domno sancto, & apostolico in Christo Patri Desiderio, Syggibertus Rex.

Ex Turiana editione recognita.

DVM fabula currente, à pluribus & fidelibus nostris cognovimus quasi vocari vos ab Vulfoledo Episcopo, eodemque patre nostro, synodali Concilio Kal. Septemb. in regno nostro: ignoramus in quo loco unà, & reliquos fratres comprovinciales vestros debeatis conjungere. Licèt nos statuta Canonum, & Ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt, ita & nos conservare optamus; tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum, sic nobis, cum nostris proceribus convenit, ut sine nostra scientia synodale Concilium in regno nostro non agatur, nec ad dictas Kal. Septembres nulla conjunctio Sacerdotum, ex his qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur, non fiat: postea verò opportuno tempore, si nobis antea denunciatur, utrùm pro statu Ecclesiastico, an pro regni utilitate, sive etiam pro qualibet rationabili conditione conventio esse decreverit, non abnuimus; sic tamen, ut diximus, ut in nostri priùs deferatur cognitionem. Proinde præsentia scripta sanctitati vestræ destinare curavimus, per quæ petimus, ut pro nobis orare dignemini, & ad istam conjunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitùs accedere non debeatis: & ut certiùs credatis, hunc indiculum manu propria subtersubscripsimus.

Syggibertus Rex subscripsi.

NOTA.

Fidem Sygiberti epistolæ adstruit altera Martini Papæ ad Amandum Episcopum Trajectensem, quam videre est in Conciliorum editione, quatenus ex hac colligitur Martinum Amando rescribentem unà Eucyclicam suam cum gestis synodi Romanæ direxisse, ut hæc omnia per hunc Galliarum Episcopum cæteris innotescerent, & ut omnes illarum partium Episcopi synodali conventione, quæ jam pro fide orthodoxa & destructione hereticorum vesaniæ nuper exortæ statuta fuerant, ut loquitur ipse Papa, confirmarent. Consequens igitur est, ut Episcopus Vulfoledus Bituticensis Metropolitanus juxta hæc mandata convocaverit suos comprovinciales Episcopos, inter quos numeratur Episcopus Cadurcensis, qui Sygiberto Regi Francorum in Austria parebat; deinde cùm in Galliis utplurimùm absque Regum consensu non celebrarentur Concilia, ut patet ex illorum tum synodicis, tum pręfationibus, quamvis eo tempore civitas Bitutigum non esset in regno Sygiberti; attamen Rex ipse monuit hac epistola Desiderium Cadurcensem Episcopum, ne ad Vulfoledi licèt Metropolitani Concilium accedere absque suo assensu & licentia præsumeret.

Anno Christi 658. — Clodovei II. Regis 15.

CONCILIVM NANNETENSE.

CANONES.

I.

De alterius parochiano, & de discordantibus ad Missam non recipiendis.

VT dominicis & festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire; quem si invenerint, statim ab ecclesia ejiciant, & ad suam parochiam redire compellant: similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant; & si inventi fuerint, statim reconcilientur; quòd si renuerint pacem suscipere, ab ecclesia ejiciantur usquequò ad caritatem redeant: non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec priùs fratri reconciliemur. His ita peractis, Sacerdotes Missarum solennia ritè peragant.

Anno Christi 658.

II.

Quod alterius parochianum itineris vel placiti causâ recipere ad Missam liceat.

Vt nullus Presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

III.

Vt Sacerdos in domo sua fœminas non habeat, ne illas quidem quas Canones concedunt; & ut fœminæ ad altare non accedant.

Prohibendum, & modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos eas personas fœminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat; sed neque illas, quas Canones concedunt, quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur; aut etiam in pedisequis illarum, scilicet matrem, amitam, sororem: sed si quis de iis habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio Presbyteri, habeat in vico aut in villa domum longè à Presbyteri conversatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc secundùm auctoritatem Canonum modis omnibus prohibendum, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.

IV.

De visitandis infirmis à Presbytero.

Cùm Sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitiùs ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum & per omne cubiculum adspergat cum antiphona, *Asperges me Domine*, & versu, *Exurgat Deus*, deinde dicat orationem, *Deus qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti*, &c. deinde cantet septem psalmos cum precibus pro infirmis, post hæc omnes jubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blandè leniterque adloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem & castigationem suam provenire credat, ut peccata sua confiteatur, ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam pro culpis commissis spondeat, ut substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in eo vigent, disponat, ut peccata sua eleemosynis redimat, ut his qui in se peccaverunt, indulgeat, ut rectam fidem & credulitatem teneat, ut de Dei misericordia nunquam desperet. Cùm his & hujuscemodi allocutionibus fuerit mens in-

Clodovei II. Regis 15.

A firmi revelata, data benedictione recedat Sacerdos, non post multùm recensurus, detque locum ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

V.

De infirmis qui confitentur peccata sua, & se reconciliari exposcunt.

Infirmus qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit, secundùm qualitatem
B delicti omnimodis pœniteat.

VI.

Vt pro sepultura nihil exigatur, & ut in ecclesia nullus sepeliatur.

Præcipiendum secundùm Canonum auctoritatem, ut de sepulchris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi fortè qui sepelitur, vivens jusserit ecclesiæ in cujus atrio sepelitur, de suis aliquid tribuere, aut etiam post mortem illius, quibus commissum est ejus eleemosynam facere, de rebus illius aliquid
C dare sponte voluerint; tamen nullatenus à Presbyteris illis aliquid exigatur, sive ab illis, qui locis & vicis præsunt. Prohibendum etiam secundùm majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris ecclesiæ; infra ecclesiam verò, aut prope altare, ubi corpus Domini & sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi. Ex cod. Tiliano.

VII.

D *De Clericis alterius parochiæ non ordinandis.*

Omnibus ministris Ecclesiasticæ dignitatis interdicimus, ut nullus quocumque munere aut favore corruptus Clericum alterius parochiæ latenter aut furtivè ad ordinationem subintroducere præsumat: quod si fecerit, juxta Calchedonense decretum, is qui ordinatus est, donum sancti Spiritus quod furari conatus est, amittat; & qui mediator extiterit, si Clericus est, proprio gradu decidat, si Laïcus, aut Monachus, anathematisetur.

E

VIII.

Vt nullus Presbyter plures Ecclesias habere præsumat.

Sicut enim Episcopus non plus potest habere quàm unam civitatem, & vir unam uxorem; ita Presbyter unam tantùm Ecclesiam: itaque nullus Presbyter plures præsumat habere Ecclesias, nisi fortè alios Presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter

solemniter adimpleant, & Missarum celebrationes quotidianis expleant cæremoniis.

IX.

De Eulogiis populo dandis à Presbytero.

Hincmarus in capitulis 852.

Vt de oblationibus quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die dominico & in diebus festis exinde accipiant, & illa, unde Eulogias Presbyter daturus est antè in hæc verba benedicat oratio, Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem & spirituali benedictione, ut sit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & universas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum IesumChristumFlium tuum, panem vitæ qui de cælo descendit, & dat vitam ac salutem mundo, & tecum vivit & regnat per, &c.

X.

Vt de decimis quatuor fiant portiones.

Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenùs noverint decimas & oblationes quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti, de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus, & his qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros: qualiter verò dispensari debeant, Canones sancti instituunt, scilicet ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbytero cum suisClericis habenda, quarta Episcopo reservanda, ut quiquid exinde jusserit prudenti consilio fiat.

XI.

De examinandis illis qui sacros ordines accepturi sunt.

Episcopus quando ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feriâ quartâ ante ipsam ordinationem evocandi sunt ad civitatem, unà cum Archipresbyteris qui eos præsentare debent; & tunc Episcopus à latere suo dirigere debet Sacerdotes & alios prudentes viros gnaros legis divinæ, & exercitatos in Ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi

A educati sunt, si sint benè litterati, si in lege Domini instructi, diligenter investigent, ante omnia si fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant: ipsi autem quibus hoc committitur cavere debēr, ne aut favoris gratiâ, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti à vero devient, ut indignum & minùs idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent. Quod si fecerint, & ille qui indignè accessit, ab altari removebitur; & illi qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt, corde Deo jam condemnati, Ecclesiastica dignitate carebunt. B Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & sic Sabbatho qui probati inventi sunt, Episcopo repræsententur.

XII.

De pœnitentia adulterii.

Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa verò septem annis publicè pœniteat; vir verò ejus illa vivente nullatenùs aliam accipiat: quòd si C voluerit adulteram sibi reconciliari, licentiam habeat, ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia post septem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in muliere servabitur, si eam vir ejus adulteravit.

XIII.

De pœnitentia fornicationis.

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens uxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

XIV.

D *De pœnitentia eorum quorum alter est conjugatus.*

Quòd si vir non habens uxorem adulteravit, aut si qua mulier non habens virum cum alterius viro, ille qui fœdus violavit conjugii, septem annis ut supradictum est, pœniteat: neque enim æqualis pœnitentia danda est his quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam conjugum amplexus, & illis qui conjuge carentes, E ardore libidinis impellente in fornicationem inciderunt.

XV.

De quibusdam confraternitatibus.

De collectis vel confratriis, quas consortia vocant, sicut verbis monuimus, & nunc scriptis expressè præcipimus, ut tantùm fiat quantùm rectum ad authoritatem & utilitatem atque ad salutem animæ pertinet: ultrà autem nemo, nec Sacerdos,

Anno Christi 658.

neque fidelis quisquam in parochia nostra progredi audeat, id est ut in omni obsequio religionis, videlicet in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis, & cæteris pietatis officiis, pastus autem & comessationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ & rixæ sæpè etiam accidere solent, adeo penitus interdicimus, ut qui contra hoc decretum agere præsumpserit, si Presbyter fuerit, vel quilibet Clericus, gradu privetur; si laïcus est, aut femina, ab Ecclesia usque ad satisfactionem separetur. Conventus autem talium confratrum, necesse si fuerit ut simul conveniant, aut fortè aliquis contra parem suum discordiam habuerit, quem reconciliari necesse sit, & sine conventu Presbyterorum & cæterorum esse non possit, post peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ religioni conveniunt, & post debitas admonitiones si contigerit, ut veræ charitatis & fraternæ invicem consolationis omnes ad refectionem conveniant, sic talia fieri permittimus, ut servatâ modestiâ, & temperantiâ, & sobrietate, pacisque concordiâ, sicut decet fratres in ædificationem fraternitatis, & laudem & gloriam Dei & gratiarum actiones fiant; & hoc omnino caveatur, quòd Salvator ait, Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate. Qui voluerint Eulogias à Presbytero accipiant, & panem tantùm frangentes singulos accipiant biberes, & nihil ampliùs contingere præsumant: & sic unusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.

XVI.

Ecclesia vacans, non est per ambitionem petenda.

Ut si quilibet Presbyterorum defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud sæcularem seniorem nulla præcautione, vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, quia titulus per se constans antea extitit, sed neque capellam sine consultu Episcopi: quod si fecerit, definitam sententiam sibi prolatam suscipiat sicuti de Episcopo canonica decrevit auctoritas, ut si per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat quam usurpare tentavit.

XVII.

De pœnitentia homicidii voluntarii.

Si quis voluntariè & per insidias hominem interfecerit, jugi se pœnitentiæ submittat: & si hoc publicè actum constat, si laïcus est, communione orationum quinquennio removeatur, post quinquennium tantùm in orationum communionem recipiatur; non autem offerat, non corpus Domini contingat, in quo perdurans 14. annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur. Si quis de industria, & per insidias hominem interfecerit, ab altari meo evelles eum ut moriatur, dicit Dominus.

Clodovei II. Reg. 15.

XVIII.

De pœnitentia ejus qui non volens fecerit homicidium.

Si quis casu non volens homicidium perpetravit, 40. diebus in pane & aqua pœniteat, quibus peractis biennio ab oratione fidelium segregetur, non communicet, nec offerat; post biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet; post quinquennium ad plenam communionem recipiatur: abstinentia ciborum in arbitrio Sacerdotis maneat.

XIX.

Ne feminæ publicis conventibus & placitis se immisceant.

Cùm Apostolus dicat, mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui; turpe est enim mulieri loqui in ecclesia: mirum videtur, quòd quædam mulierculæ contra divinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conventus indesinenter adeant, & negotia regni utilitatesque reipublicæ magis perturbent, quàm disponant, cùm indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere, & quæ de lanificiis suis & operibus textilibus & muliebribus inter genitiarias suas residentes debuerant disputare, in conventu publico, ac si in curia residentes, senatoriam sibi usurpant auctoritatem, quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur quàm feminis: unde quia divinæ leges, ut suprà monstratum est, hoc contradicunt, & humanæ nihilominùs idipsum prohibent, ut feminæ nihil aliud prosequantur in publico, quàm suam causam: ait enim lex Theodosiana, nulla ratione feminæ ampliùs quàm suas causas agendi habeant potestatem, nec alicujus causam à se noverint prosequendam. Idcirco ex auctoritate canonica interdicimus, ut nulla sanctimonialis virgo, vel vidua, conventus generales adeat, nisi à Principe fuerit evocata, aut ab Episcopo suo, nisi fortè propriæ necessitatis ratio impulerit, & hoc ipsum cum licentia Episcopi sui.

XX.

De quodam cultu superstitioso abolendo.

Summo decertare debent studio Episcopi

ANNO CHRISTI 658.

ſcopi & eorum miniſtri, ut arbores dæmonibus conſecratæ, quas vulgus colit & in tanta veneratione habet, ut nec ramum vel ſurculum inde audeat amputare, radicitus exſcindantur atque comburantur; lapides quoque, quos in ruinoſis locis & ſilveſtribus dæmonium ludificationibus decepti venerantur, ubi & vota vovent & deferunt, funditus effodiantur, atque in tali loco projiciantur, ubi numquam à cultoribus ſuis inveniri poſſint, & omnibus adnuncietur, quantum ſcelus ſit idololatria, & quod qui hæc veneratur & colit, quaſi Deum ſuum negat, & Chriſtianitati abrenuntiat, & talem pœnitentiam inde debet ſuſcipere, quaſi idola adoraſſet, omnibuſque interdicatur, ut nullus votum faciat, aut candelam vel aliquod munus pro ſalute ſua rogaturus alibi deferat niſi ad eccleſiam Domino Deo ſuo; ſcriptum eſt enim, *Vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Nomimus ſiquidem, quanta Dominus antiquo populo per Prophetas ſuos interminatus eſt, qui in lucis ſacrificabant, & in excelſis immolabant. Si quis hoc transgreſſus fuerit, fidem perdidit, & eſt infideli deterior, & idcirco omni modo à ſanctæ Eccleſiæ conſortio abſcindatur; & niſi dignè pœnituerit, non recipiatur.

NOTÆ.

Hujus ſynodi meminit Flodoardus lib. 2. hiſt. cap. 7. ſcribens de ſancto Nivardo Rhemenſium Epiſcopo, qui cum aliis Galliarum Epiſcopis Nannetenſi Concilio interfuit, forſan haud minùs numeroſo, quàm fuit illud Rhemenſe à Sonnatio ejuſdem civitatis Epiſcopo ante viginti octo annos celebratum. Quid autem actum fuerit illic ex parte Nivardi narrat idem Flodoardus his verbis. [Hic beatus Nivardus, inquit, dum ex communi conſenſu totius Concilii Præſulum Galliæ, Nannetis, Romani juſſione Pontificis, exhibiti, Rege favente reſtruxiſſet eccleſiam monaſterii ſuper ripam Maternæ fluminis, in loco nuncupato Villari dudum ſiti, ſed à barbaris diruti, & ab eo conſtructa hæc funditus cecidiſſet eccleſia, in alio loco rurſus ab ipſo reſtructa, rurſum traditur corruiſſe. Mox idem Præſul ſuccidi ſilvam jubens, in honore ſancti Petri, & omnium Apoſtolorum ibi conſtruxit eccleſiam, & ubi reſediſſe columbam viderat, altare inſtituit, collectiſque ſervis Dei monaſterium ordinavit, & quidquid poſſeſſionum ante Epiſcopatum fuerat viſus habere, ad ipſum locum tradidit, cui privilegium quoque præſente Berecario Abbate contulit.]

ᵃ Concilium Namnetenſe.] Ex verbis igitur Flodoardi hoc unum intelligimus nempe habitum eo tempore fuiſſe, quo Nivardus Remenſi Eccleſiæ præerat. De anno autem nihil compertum: ſed cùm duo ejus Canones, tertius, & decimus inde tranſlati videantur in lib. 7. Capitularium, antiquius omninò dici neceſſe eſt, quàm exiſtimaverint ii, qui ſub annum Chriſti DCCCC. collocandum cenſuerunt. Quapropter mihi videtur Concilium iſtud Namnetenſe Vitaliani Papæ temporibus, hoc videlicet anno DCLVIII. celebratum fuiſſe, cùm nullum aliud appareat hujus nominis Concilium antiquum, quod poſſit referri ad hæc tempora, quodque nullus etiam inveniatur Canon de decimis alterius antiqui Concilii propiùs conſequentis Matiſconenſe II. anno Chriſti DLXXXV. congregatum (in quo primùm de ſolvendis decimis in Gallia ſtatutum fuit) niſi in hoc Namnetenſi Concilio, Canone X. à quo depromptum eſt poſtea caput CCLXXXX. lib. 7. Capitularium. De iiſdem denique quomodo potuit, quæſo, iſtud Concilium congregari opportunè in civitate Namnetica ſub finem noni ſæculi? cùm civitas hæc poſt medium hoc ſæculum jam funditùs diruta, & redacta cerneretur in eremum, ut ſcribit Carolus Calvus Nicolao Papæ circa annum 868. propter continua bella contra Britones & Normannos paganos, unde non potuit ſanè brevi tempore interjecto uſque ad finem hujus ſæculi civitas eadem reſtitui, cùm illorum feritas & vaſtatio, niſi multò pòſt, intra decimum ceſſaverit ſæculum, ut patet ex Francicæ ſcriptoribus hiſtoriæ.

CAN. I. Si alterius parochianus proprio contempto Presbytero] Hæc verba exponunt obligationem præcepti de Miſſis audiendis in parochia, ſimulque explicant quis ſit proprius Sacerdos: nam in prima parte hujus Canonis, quædam jubentur parochianis, quæ referri non poſſunt niſi ad proprium illorum Sacerdotem, qui ob hæc & aliqua id genus appellatur ab antiquis Canonibus Presbyter parochialis, & Civitatenſis, juxta duplex parochiarum genus, ſcilicet ruſticarum & urbanarum. Hodie verò hic proprius Presbyter ſive Sacerdos, ratione officii atque miniſterii ſui vocatur, tum Parochus & Rector, tum etiam Curatus & Paſtor, qui reverà proprius eſt Sacerdos Parochianorum, quique contemni non debet à quolibet, & in quocumque, ut ſtatuit hoc Concilium Namnetenſe, cui tandem, quæ poſtea ſimiliter loquuta ſunt Concilia, certum eſt voluiſſe omnino in cæteris parochorum, ſimul & parochianorum muniis definiendis conformari.

CAN. VI. Vt in eccleſia nullatenùs ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut in exedris eccleſiæ.] Rectiùs ex codice Puteano hæc ultima verba repoſuimus, loco vulgatæ lectionis, (aut extra Eccleſiam) quæ tamen deberet intelligi vel de loco adjacente, vel contiguo eccleſiæ, cujus tria erant loca olim exteriora ad ſepeliendum deſtinata, quæ in hoc Canone numerantur, ſcilicet atrium, porticus, & exedra, quorum ſitus erat in eccleſiæ proſpectu, fideliumque ad illam ingreſſu, quorumque hodie ſuperſunt veſtigia in antiquis monachorum clauſtris, atque etiam in quibuſdam eccleſiis tum urbanis tum ruſticis, in quibus ſimul omnibus inhumantur adhuc Chriſtianorum corpora.

CAN. IX. Eulogias omni die dominico.] Triplex olim erat genus Eulogiarum ſeu benedictionum, primum ſcilicet publicum & ſolemne, de quo in vita ſancti Melanii, & Canon IX. hujus Concilii. Secundum ab altero inter privatos exortum, qui benedictos panes invicem religioſæ obſervantiæ ſtudio miſſitabant, ut Paulinus Nolanus Severo epiſtolâ primâ, & Auguſtinus Paulino eidem 34. atque Alypio 35. epiſtolis. Tertium quodammodo Eulogiarum genus peperit conſuetudo loquendi, quæ apud Eccleſiaſticos ſcriptores nomen hoc tranſtulit ad cujuſcumque generis munera quælibet ſive gratuita ſive jure aliquo promerita, quæ ad quaſcumque perſonas & quovis tempore, ſed maximè ſolenniſſimis diebus natalis Domini & reſurrectionis dabantur ſeu mittebantur conſalutationis atque viſitationis causâ; cujus ultimi generis meminerunt Concilia Meldenſe & Duziacenſe II. quarumque leguntur etiam apud Marculfum formulæ generales lib. 2. numero 42. & ſeqq. Præterea ſolebant quoque antiqui Patres mittere ad ſe invicem epiſtolas per utramque tantùm prædictam feſtivitatem, unde vocabantur epiſtolæ natales & paſchales; quæ autem aliis diebus feſtis ſcribebantur, ex eo feſtales, ſeu feſtivæ dicebantur, & apud Græcos ἑορταστικαί. De quarum omnium genere videnda ſunt exempla inter epiſtolas Thodoreti, Aviti, ac Deſiderii Epiſcoporum, morem hunc, moriſque cauſas, mutuæ ſcilicet benevolentiæ caritatiſque ſtudium repræſentantes.

CLODOVEI II. Reg. 15.

ANNO CHRISTI 659. — CLODOVEI II. Reg. 16.

CONVENTVS CLIPPIACENSE,

In quo Rex Clodoveus præceptum de libertate Monaſterii ſancti Dionyſii in Francia conſcribi juſſit ex conſenſu Landerici Epiſcopi Pariſienſis Diœceſani, & aſſenſu cæterorum adſtantium.

Anno XVI. ſuſcepti regiminis Clodoveus Rex Pontifices & Optimates Clippiacum convenire jubens, regio ſtemmate ex more comptus, mediuſque inter eos ſolio reſidens hoc habuit

ANNO CHRISTI 659.

CLODOVEI II. Reg. 16.

sermonis exordium: *Quanquam*, inquit, *Francigenæ cives, terreni nos cura principatus admonuerit publicis vos consultores rebus advocare, tamen priùs nobis convenit, ea quæ Dei & Sanctorum ejus sunt disponere, ut postmodum quæ nostra sunt, dante Deo ex sententia cedant. Ille enim qui per semetipsum polliceri dignatus est dicens*, Primùm quærite Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis, *nobis suis obtemperantibus præceptis sua conferet promissa. Requiramus itaque quæ sunt placita Sanctis in regno jam consistentibus æterni Patris, & cuncta nobis evenient prospera in terris, si ea curaverimus adimplere factis. Intentionem igitur nostri cordis, vos Sacerdotes, qui Dii vocati estis, filii Excelsi omnes, attendite & audite, & auditam, si approbaveritis, unà nobiscum ad effectum adducere elaborate. Nostri itaque devotio hæc extat animi, ut monasterium Patroni nostri domini Dionysii, in quo ipse cum consortibus testimonii veritatis requiescit humatus, & pia memoria genitores nostri, dominus videlicet Dagobertus ac domina Nantildis, se sepelire mandaverunt, ab omni solvamus dominio mortalium, quatenus Abba, vel fratres eo loco commanentes, possessiones à parentibus nostris, sive ab aliis fidelibus Christianis sibi traditas absque ullius dominantis inquietudine possidentes pro salute nostra, ac statu regni nostri liberiùs Deum deprecentur. Huic autem nostræ suggestioni consensit venerabilis vir Landericus Parrisiacæ urbis Præsul, in cujus diœcesi cœnobium illud situm est, ut cui usque ad præsens tempus subjectum fuit. Hanc ergo libertatem servi Dei inibi constituti dum fuerint adepti, nulliusque præter Dei, ac Sanctorum ejus, nostrumque (cui etiam tota natio Francorum paret) fuerint perpessi dominatum, sciant se, debito tali, genitoribus nostris & nobis, eisque qui nostro, ut speramus, per Dei gratiam orientur ex semine, fore obnoxios, ut pro nostra, eorumque quos memoravimus, præsenti ac futura requie non desinant Deum exorare.* Itaque dum Regem hæc concionantem omnes attonitis auribus diligenter intenderent, Pontifices qui aderant, optimam devotionem Regis adprobantes, præceptum ab ipso Rege factum tam Rex, quàm Pontifices & Principes qui præsentes aderant, firmaverunt. Huic conventui interfuere propè omnes Gallicani Episcopi, inter quos nonnulli sunt quos hodie sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eò quòd ad eorum venerabilia sepulchra virtutes non modicas usque in præsens Dominus operetur; scilicet beatus Audoenus Rothomagensis, & sanctus Rado frater ipsius, necnon beatus Palladius Autissiodorensis, & sanctus Clarus Gratianopolitanus, atque domnus Eligius Noviomensis, vel sanctus Sulpicius, beatus quoque Aubertus, & domnus Castadius, sanctusque Etherius Ebredunensis, aliique quamplures, & venerabilis Landricus Parisiorum Episcopus, qui prędictum pręceptum sua sponte consensit & confirmavit.

ANNO CHRISTI 661.

CLODOVEI III Reg. 2.

CONCILIUM SENONENSE.

A QUO MONACHIS SANCTI PETRI VIVI SENONENSIS concessum est libertatis privilegium.

Ex editione Dacheriana.

Synodi hujus nobis est auctor Clarius in chronico ejusdem sancti Petri Monachus, qui loquens de morte sancti Emmonis Senonum Archiepiscopi, hæc de illo refert: *Hic privilegium libertatis unà cum comprovincialibus Episcopis Monachis sancti Petri synodaliter fecit temporibus Clotharii Regis, & Baltechildis matris ejus, in quo conventu fuerunt Antistites gloriosi sanctus Audoenus Archiepiscopus Rothomagensis, & sanctus Faro Episcopus Meldensis, sanctusque Eligius Noviomensis Episcopus, & sanctus Amandus Trajectensium, Episcopus cum aliis triginta Episcopis.* Privilegium autem non extat. Rursus & nomen, & Epocham Concilii congruenter huic Clotarii anno adscribimus, tum quòd hac ætate similia sint privilegia pleraque monasteriis concessa, quaque adhuc supradicti vixerint Episcopi; tum quòd honoris causa Emmo in provinciæ Metropolim opportuniùs illos congregaverit.

ANNO CHRISTI 670.

THEODORICI Regis 4

* ADDITIO AD CONCILIUM Augustodunense.

In Canonum collectione Andegavensi leguntur Canones Augustodunenses sancti Leodegarii Episcopi, de Monachis, qui sunt editi.

In Canonum collectione Divionensi, sunt etiam Canones Augustodunenses, quorum primus appellatur his verbis.

ÆRA I.

Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, & fidem sancti Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.

Quibus tandem Canonibus addendus est alter, qui nominatur XIV. Augustodunensis in veteri collectione antiquorum Canonum è Bibliotheca Thuana, ex cujus Canonis numero colligitur plures olim fuisse, ac etiam alterius generis, quàm de Monachis, & à sancto Leodegario quoque Augustodunensi Episcopo dictatos, sicut & primum Canonem proximè citatum, ut patet ex duobus hujusce collectionis indicibus, quorum prior continet capitula Canonum Græcorum & Latinorum

ANNO CHRISTI 670. THEODERICI Regis 4.

norum, in cujus fine sunt hæc verba. *Can. Augustodunensium sancti Leodegarii Episcopi.* Posterior autem index sic habet, *Episcopi, qui hos Canones dictaverunt*, quorum nomina desiderantur. Et ad calcem hujus legitur *Consensio & confirmatio Domini Leodegarii Episcopi Augustidunensis.*

Canonum Augustodunensium XIV.

Sæculares verò, qui Natale Domini, Pascha, Pentecosten non communicaverint, inter Catholicos non habitent. Nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino sacrificia contrectare, aut Missas facere præsumat: quod si quis præsumpserit, amittat honorem. Mulieres ad altare ingredi non oportet.

NOTÆ.

Can. Augustodun. Æra 1.] De hac voce superfluum est differere post Garsiam Loaisa, qui in sua collectione Concillorum Hispaniæ notat omnia, refertque ad Concilium Eliberitanum, quæ ad hujus vocis tum scripturam tùm notionem pertinent: duo tamen scitè observanda sunt per transennam in illius notis; unum est, quod rectè Faustum Reiensem in Gallia Episcopum producat auctorem librorum duorum de Spiritu sancto, qui Paschasii Diaconi nomine circumferuntur; alterum, quod malè librum de Conciliis tribuat Hincmaro Rhemensi. Tandem hoc vocabulum Æra, antiquum sanè ac barbarum est, cujus usus communis fuit in sola Hispania, nam in tota congerie antiquorum Galliæ Conciliorum duo extant solummodò, nempe istud, & Arelatense sextum, quæ hac voce utantur pro computo, seu annorum numero; nihilominùs lingua nostra mutuatur adhuc illud vocabulum pro altero numeri significatu, ex quo Musica constat, vocando Gallicè cantilenam (un Air) unde Pastor unus in Ecloga nona apud Virgilium sic alloquitur alterum.

Quid? quæ te pura solum sub nocte canentem
Audieram, numeros memini, si verba tenerem.

Et fidem sancti Athanasii.] intelligit Symbolum sancti Athanasii, quod solebat olim appellari fides Athanasii, vel sermo de fide, seu fidei catholicæ, aut expositio fidei Athanasii: atque hanc priscam, & veram fuisse appellationem ostendunt Græci, qui ἔκθεσιν, vel ὁμολογίαν τῆς καθολικῆς πίστεως interpretati sunt; Latini posteà Symbolum vocarunt, & inter hos Galli primùm. Porrò tanti apud nostros fuit illud, ut unà cum Symbolo Apostolorum memoriæ commendari, Clericis omnibus synodus hæc Augustodunensis præcipiat.

ANNO CHRISTI 679. THEODERICI Regis 15.

CONCILIVM IN GALLIA contra hæreticos Monothelitas habitum.

Concili hujus notitiam reperimus inter subscriptiones Episcoporum synodi Romanæ sub Agathone Papa, ad quam missi sunt tres legati è synodo Gallicana, scilicet Felix Arelatensis, Adeodatus Tullensis Episcopi, & Taurinus Tolonensis Diaconus, qui suam ita enuntiant subscriptionem. *Felix minimus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Arelatensis, legatus venerandæ synodi, quæ in regione Gallorum constituta est, huic suggestioni synodaliter à nobis factæ consentiens subscripsi. Adeodatus in nomine Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Leucorum, legatus venerabilis synodi, quæ in Gallia*, &c. *Taurinus indignus Diaconus sanctæ Ecclesiæ Telonensis, legatus venerabilis synodi*, &c. ut suprà. Ex quibus apparet celebratam fuisse tunc synodum ab Episcopis Galliarum, & quidem adversùs Monothelitas hujusce Agathonis mandato, ut patet ex ejus epistola; qui quidem sequutus est in his omnibus exemplum Martini quoque Papæ scribentis ad Amandum Trajectensem Episcopum, ut idipsum similiter agerent Episcopi Galliæ contra eosdem novatores. Porro de synodi hujus tempore non constat, unde visum fuit illam adscribere saltem anno 679. proximè antecedente hancce Romanam synodum habitam 680. juxta synodos alteras, quæ circum hæc duo tempora fuerunt congregatæ in aliis provinciis jussu ejusdem Agathonis, occasione hujusmodi hæresis, quas legere est in actis, quæ pertinent ad sextam synodum œcumenicam. Locus autem synodi in Gallia ignoratur. Rursùs ad hæc referre juvat alteram similem Ecclesiæ Gallicanæ legationem, & quidem majorem supradicta, propter numerum septem Episcoporum è Galliis missorum ante trecentos & ampliùs annos ad Concilium Aquileiense adversùs Arianos coactum.

ANNO CHRISTI 685. THEODERICI Regis 18.

* CONCILIVM APVD NOVIGENTVM villam Regiam,

In qua sanctus Lambertus Trajectensis, Desideratus cognomine Dido Cabillonensis, Bobo Valentinensis, Vvaymerus, & alii Episcopi partim gradu dejecti, partim exilio, morteque affecti sunt, & sanctus Leodegarius Augustodunensis Episcopus capitali sententia, Ebroïni Majorisdomus factione à Theodorico Rege damnatus est.

Hæc supradicta legimus passim in vita sancti Leodegarii Ermenario inscripta, & in chronico Sigeberti ad annum 685. *In Novigento villa*, inquit auctor vitæ, *jam recuperato regno, Theodoricus Rex residebat securus, & Ebroïnus iterum Majordomus efficitur synodo; multam Episcoporum turbam adesse fecerunt, ibique inter cæteros Desideratum cognomine Didonem, qui quondam Cabillonia habuit Episcopatum, & qui sanctum virum Leodegarium cum Vaymero expulit de suo Episcopatu, condemnatum ab ipsa synodo, calvaria accepta in capite expulsum segregant à sancta congregatione; deinde exilio condemnatus, morteque secuta,*

cata,

ANNO CHRISTI 685.

cuta, pœnâ capitis exsolvit, quidquid doli in sanctum virum exercuit. Alii verò Episcopi, inter quos Bobo anathemate de Episcopatu Valentiæ urbis dejectus, tunc à Rege per Ebroïnum in ipsa synodo pœnam similem sortiti perpetuo exilio sunt deportati; Vaymerus etiam, qui ad supradictum Dei famulum capiendum socius perniciei extiterat unà cum Bobone prædicto, postea quàm ab ipso Ebroïno, eo quòd in ejus ultione consenserat, Episcopatus gradu, dolo fuerat sublimatus, pòst paululùm in ejus offensam incidens, morte turpissima condemnatus est. Ebroïnus autem sanctum Leodegarium reduci præcepit ad palatium, ut in Episcoporum Concilio ejus disrumperet vestimentum, quatenus ob hoc ei esset interdictum, ut ultrà offerre præsumeret sacrificium; tunc & ipsum beatum virum ad eandem synodum accersierunt, nec tamen infra Concilium confirmatur fuisse, sed seorsùm eo tempore cum Rege eodem collationem fecisse dicitur, in qua ei multa futura prædixit, qua evenisse certum est; & cum ab eo diu percontati, ut de Childerici morte se conscium fateretur fuisse, aliud non valuissent elicere, ejus tunicam consciderunt à capite, eumque Chrodoberto, qui tunc Comes erat palatii, jussit tyrannus impius tradere, & præsentem vitam gladii percussione aufferri. Tandem consummatum est martyrium sancti Leodegarii Episcopi V. Nonas Octobris. Meminit & hujus synodi summatim Sigebertus his verbis. *Theodoricus Rex Ebroïnum in gratiam recipit, ejusque consilio synodum Episcoporum cogit, & in hac multos eorum ex sententia Ebroïni Episcopatu privat; aliquos etiam eorum irrevocabili exilio damnat. Sanctus etiam Lambertus à Trajectensi Episcopatu amotus, in cœnobio stabulans, monachicæ quietis expetit portum; ibique per septem annos habitavit secum; quem postea Dux Pipinus Junior in cathedra sua decentissimè relocavit*, ut legitur in hujus vita Majorisdomus.

THEODERICI Regis 18.

ANNO CHRISTI 688. — THEODERICI Regis 21.

CONVENTUS IN PALATIO THEODORICI Regis,

Ubi habita est collatio Episcoporum, ut in cujus diœcesim corpus sancti Leodegarii transferendum decerneretur, cùm tres ex illorum numero disceptarent inter se hac de re, ac quisque sibi ratione peculiari vindicaret; quid tandem decretum sit ab Episcopis, utraque docet ejusdem Sancti vita.

Transacto, inquit, spatio trium annorum à morte sancti Leodegarii, quod Epocham Conventus constituit; & postquam Ebroïnus infelix vitæ finem dedit, atque serenitati Regis, ejusque palatio de virtutibus sancti Martyris veraciter fuit percognitum, cum admiratione Rex credidit factum, & & cœpit verè venerari Martyrem, quem per accusationem tyranni crediderat priùs fuisse culpabilem. Aderat tum in palatio magna Episcoporum & Procerum frequentia, qui cùm inter se de sancto Martyre conferrent, admirarenturque ea, quæ de illo dicebantur; tunc vir vitæ sanctissimæ Ansoaldus urbis Pictaviensis Antistes verbum intulit; *Utinam*, inquit, *liceret mihi in mea parochia habere corpus ejus, quem meum constat fuisse parentem!* At verò Ermenarius beati viri in Episcopatu Augustidunensi successor, *Iure quidem*, inquit, *mihi dabitur viri hujus corpus, cùm justum sit illic eum requiescere, ubi fuit Episcopus.* Denique Vindicianus Præsul Atrabatensis, in cujus diœcesi interemptus fuerat, ita dixisse fertur; *Nequaquam ita fiet ut vos sancti Pontifices locuti estis, sed mihi fiat potestas sacrum beati viri corpusculum retinendi, quippe qui illo loco datus videatur, in quo dignatus est quiescere.* Adstante verò cunctorum turbâ Episcoporum decreverunt, ut jejunia & orationes in hoc conflictu fierent, ut per hoc dignaretur Dominus ostendere, in cujus diœcesi jure sacrum illud corpus condendum esset. Hæc audientes acquieverunt decreto. Indicto igitur jejunio, & facta oratione, in tribus parvis epistolis diffinitionem scriptam super altare posuerunt, ut transacta oratione per eas Dominus declararet, ad cujus sortem sanctum corpus Martyris perveniret. Crastina verò die, oratione completa, ac Missarum solemniis consummatis, unus ex ministris jussus à Pontificibus manum super pallam posuit, & cognitio veritatis ad manum suam pervenit; quod videntes acclamaverunt, Ansoaldi Pontificis esse justiores preces, cartulâ extracta id satis declarante. Ita ergo sine ullâ ambiguitate confirmato Concilio, jussit Abbati suo nomine Andulfo idem Pontifex Ansoaldus, ut festinus, & cum debita reverentia hoc sacrum corpus usque ad Pictavense solum perduceret. Translatio autem sancti corporis medio Martio mense facta est.

ANNO CHRISTI 7 5. — CHILPERICI II. Regis 1.

* DIPLOMA CHILPERICI II. REGIS in gratiam monasterii Corbeïensis.

In quo parentes hujus Chilperici hactenus incogniti declarantur.

CHILPERICUS Rex Francorum vir inluster, omnibus agentibus tam præsentibus quàm & futuris, quicquid in luminaribus, locis sanctorum vel opportunitate servorum Christi concedimus, & quæ parentes nostri pro eorum mercede concesserunt, pro nostris oraculis confirmamus, ad mercedem nostram, vel pro stabilitate regni pertinere confidimus. Igitur religiosus

ANNO CHRISTI 715.

religiosus & venerabilis Abbas Sebastianus de monasterio cognominato Corbeïa, qui ponitur in pago Ambianense, quem Præcelsus avunculus noster Chlodecarius quondam Rex, vel domna & ava nostra Baldechildis quondam Regina ob amorem Christi in honorem SS. Petri & Pauli principum Apostolorum, & sancti Stephani martyris visæ fuerunt construxisse, ad nostram accessit præsentiam, clementiæ regni nostri suggessit, eo quòd prefatus avunculus noster Chlottarius quondam Rex, seu etiam dicta ava nostra Baldechildis Regina, unde luminaria Monachi ibidem consistentes habere deberent de Teloneo de Fossis, annis singulis ipso monasterio concesserunt. (Enumerat hîc cuncta, de quibus sumere debent) ita ut telonaria hæc omnia ad missos ipsius monasterii, qui inde directi fuerint, dare, & adimplere, imò & evehere ad ipsius missos, qui ad hoc exigere ambularent, perpetualiter absque renovata tractoria annis singulis dare præcipimus; hoc est veredos sive paravedos decem, &c. (Refert hîc quoque quædam præstanda.) Hæc omnia superiùs commemorata locis convenientibus annis singulis eisdem tam euntibus quàm redeuntibus absque mora dare, & adimplere deberetis, etiam ad revertendum carra 12. de loco in loco per loca consuetudinaria, usque quod ipse cellarius ad ipsum monasterium perveniebat, eis dare deberetis, qualiter pro eorum mercede absque dispendio ipsius monasterii deberet provenire, unde & ipsam præceptionem subscripto avunculo nostro Clodecario, necnon & ava nostra Baldechilde Regina, sed & confirmationem à domno & genitore nostro Childerico quondam Rege, ipse venerabilis Sebastianus Abbas nobis in præsentiam de hoc protulit relegendas, vel se ex hoc præ manibus habere affirmat. Sed pro firmitate studium petiit ipse domnus Sebastianus à celsitudine nostra, ut hoc circa ipsum, vel ipsum monasterium Corbeïæ, aut successores suos, vel ipsam congregationem, quæ in ipso monasterio consistere videtur, pro nostra auctoritate pleniùs in Dei nomine confirmare, & concedere deberemus. Cujus petitionem gratante animo per mercedis nostræ compendium, vel pro reverentia ipso sancto loco ita prestitisse & confirmasse, seu & ad nostrum præceptum concessisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes ut ipso Cellario de jam dicto Teloneo Fossense, sed & ipsas tractorias, vel inspectas, ipsas præceptiones à memoratis Principibus; sicut per easdem declaratur, pro hac nostra auctoritate pleniùs in Christi nomine confirmatum Telonarium, quod & reliqui judices suscripto Cellario ad Missos ipsius monasterii dare & adimplere procureris; etiam dum in loco fuerint demorati, suprascripta prebenda eis dare studeatis: imò & reliqui judices pro locis convenientibus de constituta evectione tam carrale, quàm navale, & suprascripta præbenda eisdem, & omnimodis, nostris & futuris temporibus absque mora & dilatione dare & adimplere annis singulis faciatis, quatenus pro nobis beneficium ad integram, & perpetualem debeat pervenire mercedem. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manus nostræ subscriptionibus supter eam decrevimus roborare. Data sunt sub die III. Kal. Maii, anno primo regni nostri, Compendio. In Dei nomine feliciter.

CHILPERICI II. Regis 1.

NOTA.

In qua Parentes Chilperici II. & Clotarii IV. Regum hactenus incogniti demonstrantur.

Hac voce (Avunculi) pro altera, Patrui, utitur etiam longè pòst *Synodus II. Suessionensis Can.* 5. Porro legitur adhuc alterum ejusdem Regis Chilperici diploma pro monasterio sancti Mauri sub die VIII. Kal. Maias anno 2. regni Parisius civitate, in quo Chilpericus Regem Dagobertum juniorem appellat consobrinum suum, loco patruelis, ut suprà. Quæ omnia demonstrant hunc esse Chilpericum, cui antea nomen erat Daniel, post necem Regis Childerici patris in Clericum attonsum ab Ebroino Majore-domus, qui Theodoricum Patruum in regno prætulit Chilperico nepoti, cujus pater Childericus Ebroinum pariter in Luxovium monasterium retrusum totonderat; sed tandem post Dagoberti junioris obitum, Chilpericus hic à Ragenfrido altero Majore-domus in regni paterni solio constituitur; quem deinde Carolus Martellus etiam pro Rege ab omnibus haberi jussit, scilicet post mortem Clotarii IV. Regis, filii ejusdem Theodorici ex secunda conjuge, ut habent MSS. codices Thuanus & Bruxellensis (quod hactenus ignoratum est,) quem assumpserat in Regem Martellus idem, victo ac vivente Chilperico, (Francis Regem ex arbitrio suo imponens, pueris tamen Regibus deferebat honorem nominis regalis,) ut loquuntur Galliæ scriptores antiqui. Cætera verò de hoc Rege Clotario patent, tum ex brevi chronico Metensi, tum ex gestis Hugonis Fontanellæ Abbatis in chronico ejusdem monasterii ab eruditissimo Luca Dacherio in lucem edito. Et hæc prædicta confirmantur quoque ab Alberico, qui hunc Clotarium, Dagoberti Patruum vocat in chronico. Quem certè Chilpericum his fortunæ casibus obnoxium scriptores nostri referunt, & hæc ampliùs diplomata Childerico genitum docent.

ANNO CHRISTI 719.

CLOTARII IV. Regis 1.

CONCILIVM TRAIECTENSE.

De transmittendis Evangelii prædicatoribus in provincias paganorum.

Synodus hæc petitur ex vita S. Suviberti Episcopi apud Surium ab auctore coætaneo conscripta, qui cap. 13. & 14. hæc narrat; tum de S. Suviberto, tum etiam de sancto Vvilebrodo Trajectensi Episcopo. *Mortuo*, inquit, *Radbodo Rege Frisonum liberè permissi sunt ubique per Frisiam publicè Evangelium Christi prædicare. Quapropter sancti Pontifices Trajectum venerunt, quod Castrum sanctus Vvillebrodus ab illustri Principe Pippino de Herstallo, & à glorioso filio ejus Carolo Martello ex regali donatione cum suis appendicibus pro se, & suis successoribus Episcopis Trajectensis Ecclesiæ impetravit, deinde animadvertentes quòd multus populus Deo prosperante ab infidelitatis errore ad Christum conversus esset, convocata synodo in Novella Ecclesia Trajectensi Apostolici Pontifices, & Canonici egregii Prædicatores, ut potè sanctus Vvinfridus Sacerdos, qui postea Archiep. Moguntinensis consecratur, & Bonifacius appellatur, similiter sanctus Vviro Episcopus Merciorum, sanctus Pechtelmus Episcopus de Candida Casa, sanctus Othgerus Levita cum pluribus aliis gloriosis Sacerdotibus & Prædicatoribus (inter quos Marcellinus Presbyter hujus vitæ scriptor) cui sancta synodo præfuerunt sancti Vvillebrodus & Suvibertus Antistites constantiores. In qua conclusum & definitum fuit, ut omnes primi*

Prædicatores

Anno Christi 719.

Clotarii IV. Regis 1.

Prædicatores in exteras provincias prædicarent verbum Dei. Unde hac, illacque dispersi propter verbum Dei post conversionem multorum paganorum salubri fine in Christo quieverunt. Porro ex hoc contextu colligitur Concilium anno 719. celebratum fuisse, cùm Radbodus paulò post insignem à Carolo Martello victoriam ad Vinciacum anno præcedente reportatam mortuus legatur apud Sigebertum in chronico; cumque ille ipse Carolus fugato Rege Chilperico, Clotarium IV. sibi assumpserit in Regem, ipsomet anno 719. victoriam subsequente; proindéque appellari Novella potuerit Ecclesia Trajectensis sub finem anterioris sæculi ab eodem Vvillibrodo erecta.

Anno Christi 741.

Post mortem Theodorici II. Regis 9.

* CONCILIVM IN REGNO FRANCORVM ad ripam Danubii celebratum à Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato.

Asseritur hoc Concilium ex epistolis Gregorii III. Papæ, quibus permissum est eidem Bonifacio vice illius celebrare Concilia sive juxta Danubium, sive in civitate Augusta. Sed cùm idem Bonifacius, nomine Papæ duo hæc in Germania, quæ pars erat regni Francorum, habuerit; verisimiliùs est eum in his duobus locis illa coëgisse: quorum Canones videlicet prioris, quod est ad ripam Danubii, leguntur in epistola ejusdem Bonifacii ad Cuthbertum Cantuariæ Archiepiscopum, quæ hîc synodicæ loco inseri debet: posterioris autem Concilii Canones in civitate Augusta congregati, ac titulo synodi Germanicæ, editi releguntur, simulque confirmantur à synodo Liptinensi anno 743. celebrata. Porro omnes hi Canones horum trium Conciliorum diversi sunt numero, doctrina, & tempore, ut patet ex illorum, ejusdemque Bonifacii epistolæ contextu, qui mentione facta hujus prioris conventus synodalis, nempe juxta ripam Danubii, suum appellat, suoque nomine statuit omnia sub eodem Gregorio anno 741. Mox scribit in eadem epistola synodum alteram congregandam jussu Pontificis Romani & rogatu Principum Francorum & Gallorum, anno scilicet 742. & adhuc in civitate Augusta Germaniæ. Rursus hæc quoque conveniunt cum aliis Zachariæ Papæ, ac ejusdem Bonifacii epistolis hac de re vicissim rescriptis.

EPSTOLA SYNODALIS à Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, ad Cuthbertum Cantuariæ Archiepiscopum scripta.

Spiritalis affinitatis necessitudine copulando fratri Archipontificatus infula sublimato Coëpiscopo Cuthberto, Bonifacius Legatus Germanicus Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo intimæ caritatis salutem.

Ex editione Spelmani recognita.

SCRIPTVM est in libro Salomonis: Beatus homo, qui invenit amicum cum quo loqui possit quasi cum semetipso. Cum muneribus munificentiæ vestræ dulcissimas literas vestras fraterna caritate intercalatas, magnas Deo, & vobis gratias agentes, filio vestro Diacono Cynebertho offerente, suscepimus. Vivæ vocis quoque melliflua conloquia vestra de fraternis consiliis per illum nobis caritas vestra mandavit, quæ consiliorum spiritalia conloquia optamus, ut Deo volente, quamdiu in hac mortali vita vivamus, inter nos igitur insinuentur, illo præstante, à quo solo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera, vos meliùs & pleniùs, quibus Deus in multis donavit, & prudentiùs nosse, & meliùs & pleniùs posse, nos quasi in paucis fideles, tamen & devoti studeamus instrui aureo cælestis amoris vinculo, quod rumpi non potest invicem catenati; nam labor nostri ministerii unius, & ejusdem causæ esse dinoscitur; & æqualis speculatio in curis Ecclesiarum sive populorum creditę sunt sive in docendo, sive in hortando & monendo, sive in defendendo canonicos gradus vel plebeos; idcirco humillima prece deposco, ut dum vobis salubre consilium Deus inspiraverit, vel suo spiritu, vel colloquio synodalium consultum nobis insinuare non pigeat; & nos similiter si parvitati nostræ Deus aliquid tale vobis necessarium vel amabile insinuaverit, similia faciemus. Major enim nobis sollicitudo Ecclesiarum, & cura populorum propter pallia credita, & recepta, quàm cæteris Episcopis, qui proprias tantùm procurant parochias, incumbit. Propterea carissime frater, non quia vestræ prudentiæ opus sit, rusticitatis nostræ statuta audire vel legere, sed propter bonam, & humilem, & sanctam voluntatem vestram putamus vos libentiùs scire velle, quàm nescire, quæ hîc Sacerdotes nobiscum servanda decreverunt, vobis emendanda atque corrigenda destinamus. Venerandam fraternitatis vestræ dilectionem contra omnia adversa inlæsam pro nobis intercedentem dextra Dei custodire dignetur.

CANONES.

I.

Quòd fides Catholica, & Romanæ Ecclesiæ subjectio tenenda sit.

DECREVIMUS hæc in nostro synodali Conventu, & confessi sumus fidem Catholicam & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ velle servare, sancto Petro & Vicario ejus velle subjici, synodum per omnes annos congregare, Metropolitanos pallia ab illa sede quærere, & per omnia, præcepta sancti Petri canonicè sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur; & istæ confessioni universi consensimus & subscripsimus, & ad corpus sancti Petri Principis Apostolorum direximus, quod gratulando Clerus Romanus & Pontifex suscepit.

II.

Quòd recitentur singulis annis in synodo decreta Ecclesiæ.

Statuimus ut per annos singulos Canonum

Anno Christi 741.

nonum decreta, & Ecclesiæ jura, & norma regularis vitæ in synodo legantur & repetantur.

III.

De cura Metropolitani.

Decrevimus ut Metropolitanus, qui sit pallio sublimatus, hortetur cæteros, & admoneat, & investiget quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisve negligens servus Dei.

IV.

Venatio prohibita.

Venationes, & silvaticas vagationes cum canibus, & ut accipitres & falcones habeant, prohibemus.

V.

Quòd Presbyteri annuò sint examinandi.

Statuimus ut per annos singulos unusquisque Presbyter Episcopo suo in Quadragesima rationem ministerii sui reddat, sive de fide Catholica, sive de baptismo, sive de omni ordine ministerii sui.

VI.

Quòd Episcopus annuò suam Diœcesim visitet.

Statuimus ut singulis annis unusquisque Episcopus parochiam suam sollicitè circumeat, studeatque populum confirmare, & plebes docere, & prohibere paganas observationes, divinos vel sortilegos, auguria, filacteria, incantationes, vel omnes spurcitias Gentilium.

VII.

Usus armorum prohibitus.

Interdiximus servis Dei, ne pompatico habitu, vel sago vel, armis utantur.

Post mortem Theodorici II. Regis 9.

VIII.

De Archiepiscopo.

Statuimus quod proprium sit Metropolitani juxta Canonum statuta subjectorum sibi Episcoporum investigare mores, & sollicitudinem circa populos, & quales sint, moneat.

IX.

Quòd Episcopus statuta synodi publicet, & observare faciat.

Ut Episcopi à synodo venientes in propria parochia cum Presbyteris & Abbatibus conventum habentes, præcepta synodi servare insinuando præcipiant: & unusquisque Episcopus, si quid in sua diœcesi corrigere, vel emendare nequiverit; idem in synodo coram Archiepiscopo & palam omnibus ad corrigendum insinuet, eodem modo, quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum Sacramento constrinxit.

X.

Quòd incorrigibiles, Papæ sistendi sint.

Ut si Sacerdotes, vel plebes à lege Dei deviasse viderim, & corrigere non potuerim, fideliter semper Sedi Apostolicæ, & Vicario sancti Petri ad emendandum indicem. Sic enim, nisi fallor, omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere; & sic alieni fient à sanguine animarum perditarum.

Anno Christi 743.

INDICULUS SUPERSTITIONUM ET PAGANIARUM,

Childerici Regis 4.

A quibus populum Episcoporum sollicitudine revocandum statuit Concilium Liptinense Can. IV. & Germanicum Canone V. confirmatum ab eodem Liptinensi, cui subjungitur indiculus ille in codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ.

De his paganiis videndus est sermo ad omnem plebem sancti Eligii in vita sua, editionis Dacherianæ.

De sacrilegio ad sepulchra mortuorum.
De sacrilegio super defunctos, id est Dadsisas.
De spurcalibus in Februario.
De casulis, id est fanis.
De sacrilegiis per Ecclesias.
De sacris silvarum, quæ Nimidas vocant.
De his quæ faciunt super petras.
De sacris Mercurii, vel Iovis.
De sacrificio, quod faciunt alicui sanctorum.
De phylacteriis & ligaturis.
De fontibus sacrificiorum.
De incantationibus.
De auguriis vel avium, vel equorum, vel boum stercoracibus.
De sternutationibus.
De divinis vel sortilegis.
De igne fricato de ligno, id est Nodfyr.
De cerebro animalium.
De observatione Paganorum in inchoatione rei alicujus.
De incertis locis quæ colunt pro sanctis.
De petendo, quod boni vocant sanctæ Mariæ.
De feriis quas faciunt Iovi vel Mercurio.
De Lunæ defectione, quod dicunt Vinceluna.
De tempestatibus, & cornibus, & cochleis.
De sulcis circa villas.
De pagano cursu, quem Yrias nominant scissis pannis vel calceis.
De eo, quod sibi sanctos fingunt quoslibet mortuos.
De simulacro de conspersa farina.
De simulacris de pannis factis.
De simulacro, quod per campos portant.
De ligneis pedibus, vel manibus pagano ritu.
De eo quod credunt, quod fœminæ Lunam co-

medant, quòd possint corda hominum tollere A juxta Paganos.

Ex eodem codice Palatino. Sequitur deinde in eodem Palatino codice duplex allocutio Episcoporum ad plebem, tum de incestis matrimoniis fugiendis, quæ idem Concilium Liptinense prohiberi ab Episcopis Can. 3. præcepit, tum de Sabbato non observando juxta Iudæorum morem. Quæ allocutiones paulò post Concilium prolatæ sunt, ut patet ex vtroque contextu.

PRIOR ALLOCVTIO ad plebem de conjugiis inlicitis.

Ezech. 3. 17. FILI hominis, *speculatorem posui te in populo meo: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me, non ex te. Si me dicente ad impium:* B *Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur: tu autem animam tuam lucrifecisti. Sed etsi conversus justus à justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei, in peccato suo morietur, & non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit: sanguinem verò ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, & ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti.* Videte filii carissimi, quale nobis incumbit periculum, si tacemus. Absit, absit, ut nostrum silentium, vestrum fiat exitium. Si vos amamus, prodere debemus quod lædit, ne veniat quod occidit. Ergo diligenter advertite voces Dei nostri, quibus vos vetat à conjugiis criminalibus, ut vivatis æternis ejus muneribus. *Levit. 18.* Clamat ecce Deus noster, & humanæ libidinis inlicitam rabiem prævidens, contestatur, ne quis polluatur cum matre; non cum noverca; non cum sorore ex patre nata; non cum sorore ex matre nata, sive intùs, sive foris nata sit; non cum filia filiæ; non cum nepte ex filia nata; non cum filia novercæ; non cum sorore patris; non cum sorore matris; non cum D uxore patrui; non cum nutu; non cum uxore fratris; non cum filia uxoris; non cum filia filiæ uxoris tuæ; non cum filia filiæ ejus; non cum sorore uxoris tuæ; non cum menstruata muliere; non cum uxore proximi; non cum duabus simul mulieribus, sive ancillæ sint, sive liberæ; seu libera, & ancilla; non cum masculo coitu fœmineo; non cum pecore aliquo; non cum socru tua; non mulier succumbat jumento; non vir cum filia & matre; non cum uxore avunculi sui. Dicit etiam de Sacerdote futuro, non cum repudiata à marito; non cum scorto; non cum vidua, sed virgine. Ecce carissimi, qualem legationem ad vos perferimus, non cujuscumque, qui pretio possit redimi, sed cujus sangui- E ni pro vobis fuso estis obnoxii. Ammonemus sanctitatem vestram, vivite cum conjugibus licitis, vivite continenter; nemo se ulteriùs inlicitis maculet; nemo talibus sociatus ante pœnitentiæ dignum servitium, ad tanti Domini corpus accedat, ne non remedium, sed vulnus, accipiat; quia quod indignè sumitur, pœna est, non medela. Carissimi homines, sumus pleni squaloribus, & tamen nolumus ab inquinatis membra nostra contingi; & credimus quòd unigenitus Dei Filius nostrorum criminum sordes in suum corpus libenter excipiat. B. fratres, ecce Rex noster, qui nos dignos hac legatione credidit, post nos continuò sequitur; paremus ei mundas domos nostras, si eum in ipsis corporibus nostris volumus habitare.

POSTERIOR ALLOCVTIO ad plebem de Sabbato.

ROGAMVS vos, carissimi filii, rogamus vos viscera sanctæ matris Ecclesiæ, ut qui soletis leges sæculi formidare, legem Dei nostri audire patienter dignemini. Ille est qui ad vos per linguæ nostræ servitium loquitur; cujus paulò antè Paschalia beneficia celebrastis. Qui Vnigenito suo inter manus persequentium parcere noluit, ut nos in hæreditatem adscriberet filiorum. Si agnovistis quantum nobis munus in passione ejus præstitum, celeriùs ipsius audite præceptum. Nedum jussionibus ejus inobedientes existimus, ingrati beneficiis judicemur. Non est dubium, filii carissimi, esse quosdam, atque utinam paucos, qui de nostra negligentia conquerantur, quare tardiùs salutis vestræ remedia prædicamus, quorum tamen justis dolor est, si vel modò voluerint facilè percipere medicinam. Nam qui nec tardiùs curari se patitur, de medici tarditate quid queritur? imò quantò longior præcessit infirmitas, tantò major succedere C debet humilitas. Nam quis ferat ægrotum superbum, qui & incurrisse se causatur in ægritudinem, & non vult recipere sanitatem? Quàm multos invenimus, filii carissimi, qui cùm turpiter vivant, tamen calumniâtur dicentes, quare tardiùs Christus advenerit; quare tot millia hominum ante incarnationem suam periisse perpessus sit. Horum si querelam recipimus, etiam post tanti munus Medici necesse est ægrotemus. Quid accusas, homo, Solem justitiæ, quòd tardiùs ortus sit, qui post ortum quoque ejus in tenebris ambulas? an quia frequenter nubes diutiùs occupant cælum, non debemus gaudere rediisse tranquillum? Quid fluctuatis frater, quid fluctuaris inaniter? Ecce jam licet ad serenitatis quietem reverti, quid iterum scopulosa desideras? nemo te in tempestate periturum retinere voluit, quia tardiùs portus occurrit. Magnificentissimi Patres nostri apud Laodiceam Phrygiæ congregati, memores salutis nostræ multa censuerunt, quæ nos observare convenit. Inter cætera, filii carissimi, de Christianis qui sabbatisare, vel juxta quendam modum judaïzare noscuntur; quia sub anathemate decreverunt, qui eos imitari noscuntur. Nam & nos vobis de eo insinuare curamus; qui baptisati, & regenerati estis in Christo, ecce facti estis membra Christi. Admonemus vos, timemus vos non tantùm à paganis, non tantùm ab hæreticis, sed etiam à perfidis Iudæis, qui vos cupiunt judaïzare, & otiati in Sabbato, ut nomen Christi, quod accepistis, in vobis maculetur; sed ita agendum est secundùm Patrum definitionem, qui nobis jubent operari in Sabbato secundùm Domini sententiam, qui in Evangelio ait; *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum*; itaque Dominus est *Marc. 2. 27.* Filius hominis etiam Sabbati. Et cùm in Synagoga observassent eum Iudæi, si in Sabbato curaret, ut accusarent eum, ait homini habenti manum aridam, surge in medium. Et dicit eis: Licet Sabbatis bene facere, an malè? animam

ANNO CHRISTI 743. | CHILDERICI III. Regis 4.

salvam facere, an perdere? at illi tacebant; & circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitatem cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam, & extendit, & restituta est manus illius. Item secundùm Lucam Evangelistam; erat Iesus docens in Synagoga eorum Sabbatis; & curavit ibi mulierem, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo. Dum ergo indignè ferrent Iudæi, ait eis: *Hypocritæ, unusquisque vestrûm Sabbato non solvit bovem suum, aut asinum à præsepti, & ducit adaquare?* Hanc autem filiam Abrahæ non oportuit solvi à vinculo isto die Sabbati: etiam pro hoc erubescebant Iudæi. Videtis carissimi nobis, quia Dominus non pro hoc Sabbatis operabatur, quia nos qui Christiani sumus, secundùm litteram Sabbatum observare non debemus. Christiani enim Sabbatum observare ita debemus, abstinere nos à rapinis, à fraudibus, à perjuriis, à blasphemiis, ab inlicitis rebus, à munere accipiendo super innocentes, à jurgiis: fornicationes enim sic timeamus sicut mortem, non quæ animam solvit à corpore, sed ubi anima semper ardet cum corpore. Obsecro vos per nomen, quod super vos invocatum est per Sacramenta quæ accepistis, ut eos imitemini, quos in populo Dei bene agere videbitis, ut illius Sacramentum maneat in vobis, qui de ligno descendere noluit, sed de sepulchro resurgere dignatus est. Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum.

Luc. 13. 15. 16.

ANNO CHRISTI 748. | CHILDERICI III. Regis 9.

CONCILIUM DURIENSE.

Hujus meminerunt Annales Metenses summatim his verbis: *Pippinus omnium Francorum generaliter Princeps,* (scilicèt post Carlomanni fratris abdicationem,) *anno dominicæ Incarnationis* 748. *placitum suum habuit in villa, quæ dicitur Duria, in qua synodum congregare jussit pro Ecclesiarum restauratione, & causis pauperum, viduarumque, & orfanorum corrigendis, justitiisque faciendis.* Qui autem de his omnibus Canones fuere sanciti, non exant. Porro ex prædictis patet discrimen inter placitum & synodum; quale verò sit, dicemus infrà.

ANNO CHRISTI 751. | PIPPINI Regis 1.

PIPPINI REGIS EPISTOLA AD BONIFACIUM Archiepiscopum,

QUA CONFIRMAT DONATIONEM ET PRIVILEGIUM Monasterii Fuldensis à Sede Apostolica concessum.

Pippinus Rex Francorum Bonifacio Archiepiscopo & Legato Germanico ab Apostolica Sede directo.

Ex editione Serrariana.

QUIA veneranda paternitas tua nostram excellentiam postulavit pro monasterio, quod à te noviter constructum est in solitudine Buchonia juxta fluvium Fuldæ, in loco, quem beatæ memoriæ Karlomannus germanus noster legitima donatione tibi concessit, ut sicut ex authoritate sancti Petri Principis Apostolorum, pro quo legatione fungeris, privilegio Sedis Apostolicæ sublimatum esse constat, ita etiam nostræ authoritatis præcepto roboretur: placuit nobis, petitionibus tuis assensum præbere; & ideo hanc nostræ præceptionis seriem ob honorem Dei & venerationem sancti Petri conscribi jussimus, per quam privilegium Sedis Apostolicæ à beato Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum, cæterorumque fidelium nostrorum per omnia roboramus, præcipientes ut nullus Sacerdotum in regno nostro divinitus nobis concesso, in præfato monasterio jurisdictionem aliquam sibi vendicet præter Sedem Apostolicam, ita ut nisi ab Abbate monasterii fuerit invitatus, nec Missarum solennia ibi quisquam præsumat celebrare; sed juxta id quod subjectum constat Apostolicæ Sedi, firmitate privilegii inconcussè roboratum permaneat; locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet, vel possidet, quàm quas futuris temporibus, juribus ipsius monasterii divina pietas augere voluerit, ex donis & oblationibus, decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Si autem quispiam nostræ auctoritatis præcepto repugnare voluerit, sententiam Apostolicæ districtionis, quæ in privilegio expressa est, experiatur; ut tamen hoc, quod ob amorem Dei, & venerationem sancti Petri nostra auctoritate firmavimus, stabile permaneat, manu nostra roboratum, & tam annulli nostri impressione, quàm fidelium nostrorum adstipulatione subnixum. Vale.

ANNO CHRISTI 754. | PIPPINI Regis 3.

* ADDITIO AD REVELATIONEM Stephani II. Papæ,

Quæ extat in editione Conciliorum Galliæ.

Ex Codd. Ecclesiæ Senonensis & sancti Germani Pratensis.

GESTA sunt hæc à beato Stephano Papa divinâ clementiâ, adjuvantibus sanctis Apostolis Petro & Paulo, per beatissimum Martyrem Dionysium hoc anno, qui est ab Incarnatio Domini nostri Iesu Christi. DCCLIV. V. Kal. Augusti. *Deinde mox sequitur in iisdem codd.*

Anno Christi 754.

Quoniam Christi roboratus virtute inter celebrationem consecrationis præfati altaris, & oblationem sacratissimi sacrificii vnxit in Reges Francorum florentissimum Regem Pippinum, & duos filios ejus Carolum, & Carolomannum, sed & Bertradam conjugem ipsius inclyti Regis Pippini indutam cicladibus regiis, gratia septiformis Spiritus sancti in Dei nomine consignavit, atque Francorum proceres Apostolica benedictione sanctificans, authoritate B. Petri sibi à Domino Deo Iesu Christo tradita obligavit, & obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe per succedentium temporum curricula, ipsi, vel quique ex eorum progenie orti Regem super se præsumant aliquo modo constituere, nisi de eorum propagine, quos & [a] divina providentia ad sanctissimam Apostolicam Sedem tuendam eligere, & per eum videlicet Vicarium sancti Petri, imò Domini nostri Iesu Christi, in potestatem Regiam dignata est sublimare, & unctione sacratissima consecrare.

NOTÆ.

De illorum furcariis.] Sic restituimus ex his duobus pervetustis codd. loco furtatiis, ac etiam ex Reginone Abbate paulò antè reposuimus tota mente, loco nota mente; quæ ambo legebantur in editione Conciliorum. Porro vox illa furcarium, ex Glossariis significat tum quoddam tunicæ interioris genus, quasi supra carnem indutæ, tum etiam exterioris, ac superioris genus alterum, singulare quidem ac illustre vocatum jam Gallicè, *cotte d'armes*, vel olim *surcot*, quod dicitur hodie de fecialibus.

Pippini Regis 3.

[a] Divina providentia ad Apostolicam Sedem tuendam.] Quod primùm Clodoveo nuper ad fidem converso Anastasius II. Papa scripsit, hoc de Regis hujusdem posteris Pelagius II. Papa prædixit, atque concupivit, scribens ad Aunacharium Episcopum Autissiodorensem his verbis. [Non credimus otiosum, nec sine divinæ providentiæ admiratione dispositum, quod vestri Reges Romano Imperio in orthodoxæ fidei confessione sint similes, nisi ut huic urbi, ex qua fuerat oriunda, vel universæ Italiæ, finitimos, adjutoresque præstaret, & quod Regibus vestris juvandi nos (scilicet Papam, & Sedem Apostolicam) virtus sit data divinitùs.] Idipsum etiam in secundæ Regum nostrorum stirpis honorem contestatus est ibi Stephanus II. Papa. Ac insuper ipsemet expertus est ob protectionem, & donationem Pippini Regis, ita ut cæteri Pontifices Romani, atque Reges Francorum simul ac invicem sequuti fuerint tum illas Anastasii atque Pelagii prænuntiationes, tum quod Stephani exemplum, nempe illi confugiendo, & acceptando, hi autem protegendo, atque donando: quodque longè pòst ab Innocentio II. Papa inter alios actum est apud Reges nostros tertiæ stirpis adversùs Petri Leonis schisma, de quo Abbas Sugerius in vita Ludovici Francorum Regis cognomento Grossi. [Cùm, inquit, Petri Leonis pars, tum parentum suffragio, tum Romanæ nobilitatis præsidio prævaleret, dominus Papa Innocentius cum suis urbem relinquere deliberat: descendens itaque navali præsidio ad partes Galliarum, tutum & approbatum eligit personæ & Ecclesiæ post Deum defensionis asylum, regnum nobilissimum Francorum, nunciisque suis ad Regem Ludovicum destinatis, & personæ, & Ecclesiæ opitulari exflagitat.]

Anno Christi 756. Pippini Regis 5.

EPISTOLA STEPHANI PAPÆ II. AD DOMNVM Pippinum Regem, & Carolum & Carolomannum,

Qua certum facit Pippinum Regem, ac ejus filios, quòd Aistulfus Longobardorum Rex juramentum restituendi civitates & loca sibi donata, violaverit; eosque simul adjurat, ut cum festinatione illum cogant justitiam facere de his promissis.

Domnis excellentissimis filiis Pippino Regi, & nostro spiritali Compatri Carolo, & Carolomanno item Regibus, & utrisque Patritiis Romanorum, Stephanus Papa.

DVM regni vestri nomen inter cæteras gentes erga sinceram fidem B. Petri Principis Apostolorum lucidissimè fulserit, valde studendum est ut unde gloriosiores cæteris gentibus in servitio B. Petri vos omnes Christiani asserunt, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus pro defensione sanctæ suæ Ecclesiæ, perfectiùs placeatis, ut fidem quam erga eundem Principem Apostolorum colitis, adjutricem in omnibus habeatis. Optaveramus quidem, præcellentissimi filii, ampliùs protelando nostram locutioně dilatare: sed quia pro multis ab iniquo Haistulfo Rege Longobardorum nobis ingestis tribulationibus cor nostrum omnino atteritur dolore, & tædet spiritus noster, ideo à multorum sermonum prolixitate declinavimus, & unum quod est necessarium, excellentissimæ Christianitati vestræ innotescere studuimus, à Deo protecte, nosterque spiritalis compater, & vos dulcissimi filii, pro mercede animarum vestrarum, quemadmodum misericors Deus noster cælitùs victorias vobis largiri dignatus, justitiam B. Petri, in quantum potuistis, exigere studuistis, & per donationis paginam restituendum confirmavit bonitas vestra. Nunc autem sicuti primitùs Christianitati vestræ de malitia ipsius impii Regis ediximus, ecce jam mendacium & iniqua perversitas, atque ejus perjurium declaratum est. Antiquus quippe humani generis hostis diabolus ejus perfidum juvasit cor, & quæ sub vinculo sacramenti adfirmata sunt, irrita facere ausus est; nec unius enim palmi terræ spatium beato Petro sanctæque Dei Ecclesiæ, vel reipublicæ Romanorum reddere passus est: tanto quippe à die illo, à quo ab invicem separati sumus, nos affligere, & in magna ignominia sanctam Dei Ecclesiam habere conatus est, quantò non possunt hominum linguæ enarrare: quia etiam & ipsi lapides, si dici potest, tribulationem nostram magno ululatu flerent, & ita nos visus est affligere, ut denuò in nobis innovata fuisset infirmitas: nimis namque lugeo, excellentissimi filii, cur verba nostræ infelicitatis non audientes, mendacium plusquam veritatem credere voluistis, illudentes vos & irridentes. Vnde & sine effectu justitiæ B. Petri ad proprium ovile, & populum nobis commissum sumus reversi. Omnes denique Christiani ita firmiter credebant, quòd B. Petrus Princeps Apostolorum nunc per vestrum fortissimum brachium suam percepisset justitiam, dum tam maximum ac præfulgidum miraculum vestris felicissimis temporibus demonstravit, talemque vobis immensam victoriam Dominus Deus, & Salvator Iesus Christus per intercessiones sui Principis Apostolorum pro defensione sanctæ

suæ

ANNO CHRISTI 756.

suæ Ecclesiæ largiri dignatus est; sed tamen boni filii credentes eidem iniquo Regi, quod per vinculum sacramenti pollicitus est propria vestra voluntate per donationis paginam beato Petro, sanctæque Dei Ecclesiæ, & reipublicæ, civitates & loca restituenda confirmastis: sed ille oblitus fidem Christianam, & Deum, qui eum nasci præcepit, irrita, quæ per sacramentum firmata sunt, facere ausus est, quapropter; *Iniquitas in verticem illius descendit, patefactus quippe est laqueus, quem effodit, & in eo pro suo mandato & perjurio incidit.* Conjuro vos, filii excellentissimi, & à Deo protecti, per Dominum Deum nostrum, & sanctam ejus gloriosam semperque virginem genitricem Mariam Dominam nostram, omnesque Virtutes cælorum, & per beatum Petrum Principem Apostolorum, qui vos in Reges unxit, ut doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, & juxta donationem, quam eidem protectori vestro Domino nostro beato Petro offerre jussistis, omnia reddere, & contradere sanctæ Dei Ecclesiæ studeatis, & nequaquam jam ipsius nequissimi Regis vel ejus judicium seductoria verba, & illusionis mandata credatis: ecce enim patefactum est mendacium ejus, ut nequaquam ulteriùs vires credendi habere possit, sed magis, cognito ejus iniquo ingenio & iniqua voluntate, ejus fraudantur insidiæ, & quod semel beato Petro polliciti estis, & per donationem vestra manu firmatam pro mercede animæ vestræ beato Petro reddere & contradere festinate. Beatus denique Paulus Apostolus ait; *Melius est non vovere, quàm post votum non reddere.* Etenim nos omnes causas sanctæ Dei Ecclesiæ in vestro gremio commendavimus, & vos reddetis Deo & B. Petro rationem in die tremendi judicii, quomodo decertaveritis pro causa ejusdem Principis Apostolorum, & restituendis ejus civitatibus & locis. Vobis denique, multis jam devolutis temporibus, hoc bonum opus reservatum est, ut per vos exaltetur Ecclesia, & suam Princeps Apostolorum percipiat justitiam. Nullus meruit de vestris parentibus tale præfulgidum munus, sed vos prælegit, & præscivit Deus ante tempora æterna, sicuti scriptum est; *Quos præscivit, & prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, illos & justificavit.* Vocati estis, justitiam ipsi Principi Apostolorum sub nimia festinatione facere studete, quia scriptum est, *fides ex operibus justificatur.* De omnibus verò tribulationibus nostris, quas passi sumus, vel denuò patimur, Deo auxiliante Folradus filius, vester consiliarius, & ejus socii enarrabunt vobis, & ita agite de causa beati Petri, ut & in hac vita victores favente Domino existatis, & in futuro, intercedente ipso Principe Apostolorum beato Petro gaudia possideatis æterna. Bene valete, excellentissimi filii.

Psal. 7. — PIPPINI Regis 5. — Ex sensu Ecclesiast. 5. 4. — Rom. 8. — Iac. 2.

ANNO CHRISTI 756. — PIPPINI Regis 5.

CONCILIUM LIPTINENSE,

A quo juxta primum ejus nominis sub Carlomanno Francorum Duce res Ecclesiæ iterum precariæ fiunt sub annuo censu duodecim denariorum, prætereáque illarum nonas & decimas solvi deinceps Ecclesiis constituit.

Hujus synodi meminerunt Episcopi in epistola è synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum Regem Germaniæ his verbis. *Carli Principis filius Pippinus Rex synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum sancto Bonifacio legatus Apostolicæ Sedis Georgius nomine. Nam & synodum ipsam habemus, & quamtùmque de rebus Ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, Ecclesiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesiis à quibus ablata erant, restituere propter concertationem quam cum Vvaifario Aquitanorum Principe habebat, non prævaluit, precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, & de unaquaque casata duodecim denarios ad Ecclesiam unde res erant beneficiata, dari constituit, usquedum ipsa res ad Ecclesiam revenirent.* Patet ex hoc contextu Episcopos hæc duo ejusdem nominis Concilia ibi confundere, in eo quòd asserant sanctum Bonifacium cum Georgio Sedis Apostolicæ legato adfuisse huic secundo Liptinensi, cùm passus fuerit anno 754. In quo conveniunt omnes scriptores; qui certè solus Concilio Liptinensi primo ut legatus Apostolicus præfuerat anno 743. quo tempore Pippinus non erat Rex, & Georgius quoque legatus nondum erat Apostolicus, sed anno duntaxat prædicto 756. quo missus est in Gallias à Stephano II. Papa, vice sua loquens, ut ipse scribit Pippino Regi; unde fecimus Epocham hujus secundæ Liptinensis synodi, quam tandem patet adhuc diversam esse à prima, cujus Canon secundus auctior est in secunda, statuto de nonis & decimis præstandis. Præterea patet adhuc utriusque synodi Liptinensis confusio, ex hoc quòd Pippinus tempore synodi apud Liptinas primæ, anno scilicet 743. congregatæ nullam habuerit concertationem cum Vvaifario, ut legitur in eadem epistola, qui tunc non erat Aquitanorum Princeps.

ANNO CHRISTI 758. — PIPPINI Regis 7.

CONVENTUS COMPENDIENSIS.

Conventus seu placiti, hoc anno apud Compendium habiti meminit Ado Viennensis in chronico, ubi adfuit Tassilo dux Bajovariorum, simulque horum proceres, qui fidem Pippino Regi, ejusque filiis cum juramento etiam super reliquias sanctorum, ob ducatum Bajovariæ in beneficium sibi concessum polliciti sunt. *Tenente*, inquit Ado, *placitum Pippino Rege in Compendio, Tassilo dux Bajovariorum ad illum ibi venit, seque illi in vassallum commisit, atque super corpora sanctorum Martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii, simul & super*

Anno Christi 758. | Pippini Regis 7.

super corpora sanctorum Confessorum Martini, & Germani juravit, ut in omnibus diebus vitæ suæ Regi, filiisque ejus integram fidem cum subditione servaret, omnesque majores Bajovariorum unà cum ipso sacramentis jurationum obstricti sunt. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini DCCLVIII. Præcedente tamen anno hæc omnia evenisse in Conventu ejusdem loci narrat Eginhardus, ubi de gestis Pippini Regis antiquo computandi more.

Anno Christi 761. | Pippini Regis 10.

CONCILIVM VOLVICENSE in agro Ricomagensi Arvernorum, præsente Pippino Rege celebratum.

Ex codice Liriniensi.

Sub finem actorum sancti Austremonii primi Arvernorum Episcopi, mentio est hujus synodi à Pippino habitæ, & hoc loco, ut videtur, & hoc anno secundæ in Aquitaniam expeditionis ab eo susceptæ, in qua cepit omnem pagum Arvernicum, urbemque Arvernam incendit, ut asserunt Annales nostri, quæ post inędificata, Clarus-mons abhinc appellari cœpit. Inter illa verò, quæ ibi gesta sunt, enituit maximè pietas ejusdem Pippini Regis erga Ecclesias Dei atque reliquias Sanctorum, ac pręsertim sancti Austremonii Arvernorum Apostoli, pro quarum translatione Lanfridus Abbas Mauzaci non longè distantis à Volvico loco, qui olim pagus Violvascensis Sidonio Arvernorum Episcopo dictus est, ac hodie nomen retinet vulgò *Volvic*, & adhuc nunc est Prioratus à Mauzacensi Abbatia dependens; quem in locum, corpus ejusdem sancti Austremonii primò fuerat translatum, convenit ipsum Regem, petiitque coram synodo, ut illinc iterum illud exportaretur ad suum monasterium; quod tandem illi post annos aliquot ab ipsomet Rege concessum est, ut fert secunda corporis ejusdem sancti translatio ex eodem codice. Hæc igitur acta sic habent; *Avitus*, inquiunt, *Arvernicæ sedis Episcopus, successor beati Projecti, auferens ab Iciodoro corpus beatissimi Austremonii, juxta corpus sui antecessoris, Vulvicum transposuit, sed Deus omnipotens colla Regum Francorum jugo fidei subjugavit, victoriamque eis clementi dignatione contra barbaros concessit: sicque ipsorum, cæterorumque virorum saniori mente viventium, & probitati operam dantium suffragamine paulatim mater Ecclesia, quæ, ceu homo ignobilis, inculta manebat, pristinum decorem cœpit resumere, & suum infortunium pedentim abjicere; sacraque religio certatim augmentum resumere, inter quos reges, unum divina sublimitas prælegit Pippinum cognomine, qui sicut Titan suo jubare, Lauricomorumque vibratione tetrum tegimen nebularum facescit & detegit: ita suo auxilio, & labore nocuum destruxit, & proficuum, immo salutiferum cultum auxit. Qui venerandus Rex, nimiumque solers, & industrius, Deo gratam jussit aggregari synodum, in qua fuere Præsules clarissimi & Comites innumeri. Cum his ergo jam dictus plurima, prout divina sublimitas concessit, de fide sanctæ Trinitatis contra Deo contrarios hæreticos disputavit, & incorrigibiles quosque de suo regno cum suis complicibus exturbavit. Aperto quoque demùm proprio ærario, infinita munera Dei fidelibus pro suo libito ad restaurationem Ecclesiarum, & Sartatectorum reparationem devotissimè contulit. Abbates igitur, qui regia majestati aderant ab eo perceptis muneribus gratanter ad propria rediere: inter quos extitit quidam præclarus, ipsi Regi admodum dilectus nomine Lanfridus Abbas monasterii vocabulo Mauziaci, qui omnigena prece sibi tribui poposcit almi Austremonii corpus, quem diu continuerat humatum Vvolvicense cœnobium.*

Anno Christi 763. | Pippini Regis 11.

CONVENTVS NIVERNENSIS.

Huic placito, pręter Francos, interfuisse Tassilonem Bajoariorum ducem, & quæ solemniter pollicitus fuerat Pippino Regi, scilicet in conventu Compendiensi non pręstitisse, auctor est qui chronicon S. Arnulfi conscripsit. *Anno*, inquit, DCCLXIII. *Pippinus Rex habuit placitum generale Francorum in Nivernis. Inde ob infidelitatem Vvaifarii perfidi ducis, quartum iter in Aquitaniam direxit. In eodem placito Tassilonem ducem Bajoariorum habuit; qui postmodum de eadem expeditione, postpositis sacramentis, & jusjurando, quod quondam Regi Pippino avunculo suo promiserat, sine licentia ejus se subducens ad usque Bajoariam fugit, & nunquam faciem Regis videre meruit.*

Anno Christi 767. | Pippini Regis 16.

CONCILIVM BITVRICENSE.

Refert etiam Regino synodum alteram, & loco, & tempore diversam à Gentiliacensi ad ipsummet annum 767. his verbis. *Eodem anno*, ait, *mense Augusto, Rex Pippinus iterum Aquitaniam ingressus usque Bituricas venit, ibique synodum tenuit. Additque Fredegarius, Natale Domini nostri Iesu Christi & sanctæ Epiphaniæ apud Bitoricas urbem per consilium Episcoporum & Sacerdotum venerabiliter celebrasse.* Quid autem in ea gestum sit, ignoratur. Narrat quoque Pippinum ibidem placitum suum Campo-Maii tenuisse.

ANNO CHRISTI 770.

CAROLI MAGNI Regis 2.

EPISTOLA STEPHANI III. PAPÆ AD DOMNVM Carolomannum Regem directa.

Obnixè rogat, ut fiat ejus compater ſpiritalis, imitando ſuorum exempla prædeceſſorum in re ſimili erga patrem atque fratrem ejus.

Domno excellentiſſimo filio Carolomanno Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa.

DVM tantam piæ conſiderationis gratiam, atque efficacem ſolertiam Creator noſter omnipotens Dominus veſtro mellifluo regali cordi pro defenſione & exaltatione ſanctæ ſuæ Eccleſiæ infundere dignatus eſt, pręcellentiſſime fili, ac benigniſſime Rex, idcircò opinatiſſimi nominis tui pręclara memoria, & indita cælitùs prudentia in toto terrarum orbe divulgata permanet, etiam in cæleſtibus regnis digna operum tuorum refulgent merita. Vnde beatus es, bone Chriſtianiſſime Rex, quod quidem nos conſpecta fidei tuæ conſtantia, quam in Apoſtolicis cauſis, & noſtri amoris fervore habere dignoſceris, firmi in tua dilectione permanentes ſedulò eidem noſtro Conditori pro immenſa veſtra lætitia, & à Deo inſtituti regni veſtri ſtabilitate, preces fundere nequaquam deſiſtimus. Interea conjungentes ad nos Beraldus religioſus Abbas, & Audbertus vir inluſter, detulerunt nobis honorandas, nimiſque deſiderabiles ſyllabas à Deo protectæ excellentiæ veſtræ, quas cum magno honoris affectu ſuſcipientes atque relegentes, quæ in eis ferebantur, omninò agnovimus, ſed & ipſi veſtri fideliſſimi miſſi ea, quæ à veſtra à Deo protecta excellentia, injuncta habuerunt, nobis ſubtiliùs retulerunt, de quibus, ſicut veſtris fidelibus ad ſingula eis reſponſum reddidimus, veſtro à Deo inſpirato culmini liquidò enarrandum. At verò, quia amoris veſtri fervor in noſtris firmiter viget præcordiis, magna nobis deſiderii ambitio inſiſtit, præcellentiſſime Regum, ut Spiritus ſancti gratiâ ſcilicet compaternitatis affectio inter nos adveniat, pro quo obnixè quęſumus Chriſtianitatem tuam, à Deo inſtitute bone Rex, excellentiſſimeque fili, ut de præclaro ac regali veſtro germine, quod vobis Dominus pro exaltatione ſanctæ ſuæ Eccleſiæ largiri dignatus eſt, in noſtris ulnis ex fonte ſacri Baptiſmatis, aut etiam per adorandi chriſmatis unctionem ſpiritalem ſuſcipere valeamus filium, ut eadem Deo proſperante, compaternitatis gratia in medio noſtrûm corroborata, magna lętitia ex hoc tam nos quàmque univerſus noſter populus pariter relevati, exultare valeamus in Domino. Deus autem omnipotens, per quem Reges regnant, & Principes imperant, ſuâ vos protegat gratiâ, & victoriam vobis de cęlo pro ſuæ ſanctæ Eccleſiæ defenſione tribuat, atque longęvos & ſoſpites in ſolio regni pariter cum excellentiſſima & Chriſtianiſſima filia noſtra Regina, dulciſſima veſtra conjuge, & amantiſſimis natis conſervare, & cęleſtis regni æterna gaudia concedere dignetur poſſidenda. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

ANNO CHRISTI 774.

CAROLI MAGNI Regis 6.

* EPISTOLA CATHVVLPHI AD DOMNVM Carolum Regem Didaſcalica.

Domino Regi piiſſimo, gratiâ Dei celſiſſimo Carolo verè cariſſimo, regno Chriſti rectiſſimo, ultimus namque Cathuulphus, tamen veſter ſervulus, intimo corde puro in Spiritu ſalutem ſancto.

Ex Quercetana editione recognita.

DOMINE mi Rex, igitur precor te, ut illius ſemper recorderis ſicut credo, qui de nihilo te creavit, etiam ex minimo fecit maximum. Nam terreni nihil eſt parentis, niſi tantùm ut humorem corporis, in quo eſt naſcendi cum ſenſu voluptatis materia, emittat, vel recipiat; cætera namque à Deo ſunt omnia. Conceptus ſcilicet ipſe, & corporis informatio, & inſpiratio animæ, & partus incolumis, & quæcumque deinceps ad hominem conſervatum, volentis Dei eſt; & illius munus eſt quod vivimus, quod ſpiramus juxta illud; Flatus hominis in manu Dei eſt; item, Manus tuæ fecerunt me, & reliqua. Et hæc ſunt communia omnibus hominibus. Propriis etiam beatitudinibus & ſpecialibus, ô, ô Rex mi, honoravit te Rex tuus ſuper alteros coætaneos tuos, & ſuper anteceſſores tuos corona gloriæ beavit te. Prima, de Regis dignitate, Reginaque ſed & inſuper. Illorum namque precum ſpecialiter Deum precantium, maximè matris, ſicut Deo placuit, inde conceptus & natus, imò à Deo, Rex mi, & hoc verbum diligenter conſidera. Secunda, quòd primogenitus es, & benedictionem illius accipies ſicut ſcriptum eſt juxta illud, Omne primogenitum qnod aperit vulvam, ſanctum Domino vocabitur. Tertia, ut de fratris tui inſidiis, in omnibus Deus te conſervavit, ut de Iacob & Eſaü legitur. Quarta, quòd ſortiſti regnum cum fratre tuo, Francorum. Quinta, non minimum eſt beatitudinis ſignum, quòd Deus tranſtulit illum de regno terreno, & exaltavit te ſuper omne hoc regnum ſine ſanguinis effuſione. Mira pietas & magna clementia Dei in illa die cum exercitu Francorum. Sexta, quòd Langobardorum exercitus ante faciem tuam ſine publico bello in fugam converſus. Septima, Alpes intraſti inimicis fugientibus, opulentiſſimam quoque civitatem etiam Papiam cum Rege ſine cruoris effuſione cum omnibus theſauris ejus

L adprehendiſti.

adprehendisti. Octava, quòd auream & imperialem Romam intrasti, & Italiorum regna cum omnibus preciosis à Rege regnorum suaviter accepisti. Quantis etiam modis ante faciem tuam inimicis in fugam conversis & victor extitisti; & hoc impletum est de te, quod in Psalmis legitur, quamquam de Christo & de David maximè intelligitur, Persequar inimicos, & comprehendam illos. Item ex persona Dei Patris, Et inimicos ejus in fugam convertam. Et iterum, Et ego primogenitum ponam illum. Et item in Moyse, Deus pugnat pro nobis. Item sanctus Paulus, Si Deus pro nobis, quis contra nos est? Sic de Iosuë, de David, de Ezechia, de Iuda Machabeo, & reliq. Nunc igitur, domine mi Rex, B pro his modis beatitudinum, nocte, & die cum omnibus exercitibus tuis da gloriam Deo Regi regnorum, & gratiarum actiones cum omni regno tuo, quòd ipse te exaltavit in honorem gloriæ regni Europæ, & adhuc etiam majora præstat tibi horum namque prædictorum, si illum exaltas cum tuis hoc modo. Memor esto ergo semper, Rex mi, Dei Regis tui cum timore & amore, quod tu es in vice illius super omnia, membra ejus custodire, & regere, & rationem reddere in die judicii etiam per te. Et Episcopus est in secundo loco, in vice Christi tantùm est. Ergo considerate inter vos diligenter legem Dei constituere super populum Dei, quod Deus tuus dixit tibi, cujus vicem tenes, in Psalmo, Et C nunc Reges intelligite; item, Servite Domino in timore; item, Adprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus. Exempla perplurima sunt, ut legem exaltetis. Primùm, pauca vobis scribo, sicut Canones promunt, & totius Christianitatis lex continet per Dei mandatum. Post fidem Dei, & amorem, & timorem, ut sæpiùs habeas Enchiridion, id est librum manualem, legem Dei tui scriptam in manibus tuis, ut legas illam omnibus diebus vitæ tuæ; ut tu sis in sapientia divina, & sæcularibus literis imbutus, sicut David, & Salomon, & cæteri Reges fuerunt. Item dixit Deus ad Moysem de Regibus: Cùm sederit in solio regni sui, nunquam recedet liber legis de manibus suis; non D uxores plures habeat, non superbum super coætaneos suos, non elatum, non invidiosum, & reliq. sed discat judicare inter pauperem & potentem, & pauperem eripere de manu potentis, nec Christianum vendere, nunquam in paganam gentem dimittere, væ, væ, Christi membrum conjungere membro diaboli, animam perdere, redditor pretii ejus ante thronum Christi. Sponsam Christi vestire cum ornamentis super omnia, id est Ecclesiarum privilegia constituere maxima, Monachorum vitam, & Canonicorum cum Episcopis tuis, simul Virginum monasteria regere, & non per laïcos, quod scelus est, sed per spiritales pastores emendare. Super omnia Deum timentes, E sicut scriptum est in lege, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & reliq. Comites, Centenarios, Quinquagenarios, Decanos, & reliq. munera non accipientes, ut lex Dei destruatur amore pecuniæ, sed rerum omnia disponentes in timore Dei secundùm legem; quia non sunt omnes Episcopi, qui dicuntur Episcopi, sic Comites, sic & reliqui. O, ô, væ, væ! paucas firmiter columnas, ut timeo castra Dei, tecum habes sustentare. Sunt autem octo columnæ Regis justi propriæ. In his attende diligenter.

Deuter. 17.

A Prima est veritas in rebus regalibus. Secunda, patientia in omni negotio. Tertia, largitas in muneribus. Quarta, persuasibilitas in verbis. Quinta, malorum correptio, & constrictio. Sexta, bonorum elevatio, & exaltatio. Septima, levitas tributi in populo. Octava, æquitas judicii inter divitem & pauperem. Has ergo octo columnas si obnixè servas, eris tunc Rex, quod Rex dicitur à regendo, sicut regnum à Regibus: & regnum tuum erit benedictum cum diebus tuis, cum uxore, & filiis. Et tunc erit aëris & tempestatum tranquillitas, terræ, maris cum omnibus in eis nascentibus fœcunditas, & dominaberis etiam multis feliciter gentibus, & inimici tui ante faciem tuam cadent. E contrà sicut dixit sanctus Patricius pro Regis injustitia, sui ipsius infelicitas erit, uxoris, filiorum quoque, dissensio populorum, fames, pestilentia, infœcunditas terræ, maris quoque, tempestatibus fructus terrarum diversis percussi, & ab inimicis suis superatus, & expulsus de regno. Et sicut habes exempla sufficienter in his diebus, & patrum tuorum, sicut de Vvaepeto, & de Desiderio, filioque ejus, regnisque illorum. Sicut Roboan, Achaz, Achab, & reliqui Reges Iudæorum, qui fecerunt malum in conspectu Domini, & non ambulaverunt in mandatis Dei. Tu ergo Rex mi, hæc omnia lege, & diligenter considera, ne honorem tuum hîc & in futurum perdas. Sed bonum consilium cum sapientibus tuis ini, pone consilium maximè cum timentibus Deum, & ex illis elegeris per civitates & monasteria, & per omne regnum tuum leges renovare, & injusta destruere, & legem scientibus, munera non accipientibus, sed recta disponentibus, id est cum Episcopis & Comitibus probatis & reliquis, ut spinas & tribulos & scandala vitiorum possis de regno tuo extirpare, & exercitum Christianorum membra Christi piè regere. In primis ergo Pastoribus prædictis Canones namque mandant, & lex totius mundi prima Romana, imò Deus, ut sepulchra Christianorum pacem habeant; sin aliter, puniantur per legem: maleficos, veneficos, tempestarios, strigas, pithonissas, fures, homicidas, maximè in Ecclesiis Dei, adulteros, rapaces, falsidicos in publico, vel qui rapiunt Christianos in gentilitatem, perjuratores maximè in Ecclesia Dei, & falsa moneta abutentes, Ecclesiarum spoliatores, vel raptores viduarum, pupillarum, & orphanorum vel virginum, & sanctimonialium, omnibus his injuriam facientes, & omnia incesta, hæc, & his similia corrigere vel damnare pro vindictæ legis divinæ amore cura. Administer Dei es in his omnibus, & vindex; & illum exalta in his omnibus prædictis in laude, quod ipse te honorificè super omnes antecessores tuos gentis tuæ exaltans, juxta illud, exaltate Dominum Deum nostrum; Item, jubilate Deo omnis terra; Item, omnis terra adoret te; item, confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, & cantent in Canticis Domino. Ergo, mi Rex, si vobis placeat hoc consilium pro his omnibus, pro te & pro exercitu Christianorum, ut unum diem post jejunium in anno, in honore sanctæ Trinitatis, & unitatis, & Angelorum, & omnium Sanctorum, celebrem constituas super regnum tuum, cum consilio Synodi Francorum, & Missam sancti Michaëlis, & sancti Petri passionem in publico celebrare regno tuo constitues. Hæc, & his similia te faciente,

tunc

ANNO CHRISTI 774. — CAROLI MAGNI Regis 6.

tunc certè cum magna felicitate & beatitudine, tu & membra Christi tecum hîc & in futuro regnabitis in gaudio in sæcula sæculorum Amen. Hæc verò pauca, Domne Rex mi, de multis excarpsi, quæ ad memoriam venerunt; placuit, mihi rustico verbo quamvis, sicut sum ignarus, tamen vobis scribere in vestram pietatem confidens, ut meæ stultitiæ venia detur, & vestra merces apud Deum copiosior fiat. Valete apud Deum. Vive feliciter semper in avum.

ANNO CHRISTI 775. — CAROLI MAGNI Regis 7.

EPISTOLA HADRIANI PAPÆ AD BERTHERIVM Viennensem Episcopum Metropolitanum.

Qua monet illum de iis, quæ gessit Romæ cum Carolo Magno Rege pro Ecclesiarum statu ac honore tum Episcoporum, tum Metropolitanorum à longo tempore in Galliis deformato, & neglecto.

Hadrianus servus servorum Dei, Bertherio Viennensi Episcopo salutem.

DILECTUS & illustris, ac religiosus filius noster Karolus Rex, Patricius Romanorum Romam venit, & Pascha Domini apud sanctum Petrum nobiscum egit; ubi inter alia eum monuimus de Metropolitanorum honore, & de civitatibus quæ laïcis hominibus traditæ erant, & quia Episcopalis dignitas ferè per LXXX. annos esset conculcata. Cùm hæc, & alia similia gloriosus Rex audisset, promisit ante corpus B. Petri Apostoli, quòd omnia ad emendationem nostram venirent; unde placuit nobis, ut omnibus Archiepiscopis & Episcopis, authoritatem nostrarum litterarum mitteremus, ut sicut antiquis privilegiis singulæ Metropolitanæ urbes fundatæ sunt, ita maneant, ut habeat unaquæque Metropolis civitates sibi subditas, quas beatus Leo & alii prędecessores, ac successores ipsius post Calchedonensem Synodum singulis Metropolitis distinxerunt. Nec propterea ulla Metropolis pręjudicium patiatur, si alicui suffraganeorum, aut nos, aut prædecessor noster, rogantibus piis Francorum ducibus, pallium largiti sumus. Nec debet & Ecclesia ullum damnum sui ordinis inde sustinere, si per 60. aut 80. & eò ampliùs annos incuria quorumcumque Pręsulum, & vastatione barbarorum dignitatem antiquam, & Romanorum Antistitum firmitate roboratam perdidit & amisit, quando innumeris penè annis illa, spiritu Dei disponente, usa fuerit. Auctoritate igitur B. Petri Principis Apostolorũ singulis Metropolitis, antiquo more potestatem suam reddidimus, & filium nostrum gloriosum & inclytum Regem Karolum ante corpus beati Petri inde rogavimus, ut antiquam dignitatem omnis Metropolis haberet; ideò hanc epistolam auctoritatis nostræ omnibus misimus, quam & tu, ut habeteş, volumus, & ut tu nosceres Ecclesiæ tuæ privilegium, quod à tempore beati Papæ Leonis habuit, esse integrè reformatum. Datum Kalendis Ianuarii, imperante piissimo Augusto Constantino, annuente Deo, coronato piissimo Rege Karolo, anno primo Patriciatus ejus.

NOTA.

Fides hujus epistolæ, rerumque in ea descriptarum asseritur ex epistolis tum Zozimi, Bonifacii, Leonis, Hilari & Symmachi Romanorum Pontificum pro Metropolitis provinciarum Viennensis, Arelatensis, Ebredunensis, atque Narbonensium duarum distinguendis, tum etiam ex aliis Gregorii Magni Papæ ad Syagrium Æduensem, & Desiderium Autissiodorensem Episcopos pro pallii concessione. Rursus de neglectu Ecclesiarum, seu Episcoporum vel Metropolitarum contemptu videndæ sunt epistolæ Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, quibus respondet Papa Zacharias in tomo I. Concil. Galliæ. Cæterùm observanda est Æra Patriciatus Caroli Magni, cui hanc revera dignitatem, atque tunc utilem concesserunt, anno 774. Hadrianus Pontifex & Synodus Romana, ut legere est in Decreto, dist. 63. Can. 22. ac in vita ejusdem Caroli. Qualis autem fuerit hæc dignitas, Hadrianus ipse demonstrat ex illius usu in epigraphe ac subscriptione epistolarum, simulque illarum contextu. Quanti verò Carolus fecerit, is quoque denotat in epistola sua Leoni III. novo Papæ congratuloria. Pręterea notandum est discrimen aliquod inter Patriciatus Caroli Martelli, Pippini Regis, ejusque filiorum vivente Patre, & Patriciatum Caroli Magni post mortem quoque fratris, in eò quòd Pontifices Romani merum, nudumque Patricii nomen, & honoris causa tantùm, absque ulla jurisdictione in Senatum, Populumque Reipublicæ Romanorum illis concesserint. In Carolum autem solum, omnimodam illam jurisdictionem, prædicto duntaxat anno causa donationis mutuæ contulerint: unde illi nusquam hoc Patriciorum titulo in suis epistolis usi sunt. Contrà verò Carolus Magnus Rex hunc Patriciatus titulum nunquam omisit in quibuscumque dictis & factis, donec Imperatoris dignitatem fuerit adeptus, imò junxit frequenter hujus notam cum regni tempore. Tandem honor iste Patriciatus Carolo Magno irrefragabiliter ab Hadriano Papa conservatur, quique plus etiam & ampliùs honorificè ab ipsomet honoratur, (scilicet præ aliis) ut loquitur idem Hadrianus ad eundem Carolum Magnum. Porrò Episcopus ille Viennensis, cui scribit Hadrianus Papa, vocatur ab Adone etiam Viennensi, Metropolitâ in chronico Berterius, homo simplex, qui jure ac meritò doceri debuis à Summo Pontifice de Canonum disciplina.

ANNO CHRISTI 777. — CAROLI MAGNI Regis 9.

CONCILIVM PADERBVRNENSE,

In quo Saxones baptisati sunt, fidemque Carolo Magno, solenni sacramento polliciti sunt.

Meminerunt Concilii hujus, simulque publici Placiti ad hunc annum authores vitæ Caroli Magni post duo similia Vvormatiæ adhuc habita anno prędecedente 776. his verbis. *Anno sequenti, scilicet 777. inquiunt, Domnus Rex Karolus Synodum habuit, & Concilium publicum ad Paderburnen, ubi Franci omnes, & ex omni parte Saxones convenerunt, exceptò quod Vvidochindus rebellis extitit, & cum paucis aliis sociis suis in Normandiam confugit. Ad idem etiam Placitum venerunt Sarraceni de Hispania tres Reges, ibique etiam multitudo Saxonum baptisata est, & secundùm morem illorum omnimodo se obligaverunt, quòd ampliùs non immutarentur secundùm malam consuetudinem illorum, sed Christianitatem in omnibus conservarent, & Domno Regi Karolo, vel filiis ejus fidelitatem.*

L ij CONCILIVM

Anno Christi 779.

CONCILIVM IN VILLA DVRIA.

Caroli Magni Regis 11.

Ad huncce annum 779. meminit Regino Synodi hujus post authorem vitæ Karoli Magni, *eodem*, inquiens, *anno*, *Carolus synodum tenuit in villa nuncupata Duria, quam vocat alibi Castrum, quod Coloniæ civitati contiguum est; & post hæc Saxoniam ingressus, usque ad Lippam venit.* Addunt quid ampliùs Annales Francorum, scilicet, *cùm Carolus Saxonum rebellionem compescere firmiter constituisset, more suo optimo, primùm curans quæ Dei sunt, quàm bellica inchoaret, pro reformandis subditorum moribus & Sacrosanctæ Ecclesiæ ritibus hanc synodum in villa Duria congregavit.*

Anno Christi 780.

CONCILIVM LIPPENSE.

Caroli Magni Regis 12.

De hac Synodo sic loquitur Regino Abbas Prumiensis cum auctoribus Vitæ Karoli magni, *anno Dominicæ Incarnationis 780. Carolus Saxoniam ingressus ad Heresburgh venit, & inde ad locum, ubi Lippa fluvius consurgit, ibique synodum tenuit, de sedibus in Saxonia Episcopalibus erigendis.* Quod patet tum ex Regiis Ecclesiarum diplomatibus apud Krantzium, tum ex codice Moissiacensi; simulque Francorum Annalibus, ubi legitur hoc anno Carolum Regem divisisse Saxoniam inter Episcopos, Presbyteros & Abbates, ut in eo habitarent, baptisarent, & prædicarent.

Anno Christi 782.

CONCILIVM AD LIPPIAM FLVVIVM.

Caroli Magni Regis 14.

Memoratur etiam ad hunc fluvium altera Synodus hoc anno habita, simulque placitum, tum apud auctorem vitæ Karoli magni, tum etiam apud Reginonem his ferè similibus verbis. *Anno Dominicæ Incarnationis 782. Carolus Coloniam veniens, Rhenum transiit, & synodum tenuit, ubi Lippia oritur; ibique omnes Saxones convenerunt, excepto rebelle Vuidichindo. Illuc etiam venerunt legati Godefridi Regis Nortmannorum, nec non etiam Legati Avarorum, peractoque ibi placito reversus est Rex in Franciam;* quam Synodum Baronius & sequaces malè colligunt Coloniæ habitam ex annalibus Eginhardi, non distinguentes sensum verborum, quæ sic habent, *ad ipsummet annum 782. Rex in Saxoniam eundum, & ibi, ut in Francia quotannis solebat, Generalem conventum habendum censuit; trajectoque apud Coloniam Rheno cum omni Francorum exercitu, ad fontem Lippiæ venit, & castris ibi positis per dies non paucos ibidem moratus est, ubi inter cætera negotia Legatos Regum audivit.*

Anno Christi 785.

CONCILIVM PADERBRVNENSE.

Caroli Magni Regis 17.

Synodi hujus & mensem & locum designat Regino ad annum 785. *Rex*, inquit, *multis vicibus Scarai per Saxones misit, & eorum castra deprædatus est, & in Maio synodum ad Paderbrunam habuit, & inde iter peragens, nullo contradicente Saxoniam circuivit.* Idem narrat author vitæ Karoli Magni, additque baptisatos esse postea Vvidochindum & Abbionem Saxonum Principes vnà cum sociis eorum, & tunc tota Saxonia subjugata est. Cujus regionis Ecclesiarum status in hac Synodo dispositus est, ut habent illarum Annales, idque colligitur ex his verbis vitæ S. Sturmi primi Abbatis Fuldensis. *Circa hæc tempora Rex Carolus totam Saxonum provinciam in parochias Episcopales divisit, & Sacerdotibus, Abbatibus & Presbyteris servis Domini ad docendùm & baptisandum potestatem dedit.*

Anno Christi 786.

* CONCILIVM VVORMATIENSE IV.

Caroli Magni Regis 18.

IN QVO BRITTONVM PRINCIPES CAROLO REGI Supplices oblati sunt, atque nonnulli etiam in Austrasiæ partibus conjurationis crimine damnati fuerunt.

Hoc anno, ut scribunt Annales Francorum, *Carolus Rex misit exercitum in partes Britanniæ, cui præfecit Audulfum virum illustrem Senescalcum suum; ubi multa castella conquisierunt Franci, victisque Britonibus totam regionem subegerunt; eorumque Principes secum adducentes apud Vvarmatiam Regis obtutibus in synodo præsentarunt.* Aliquid ampliùs addit Chronicon vetus Moissiacensis Cœnobii, scilicet quorumdam conjurationem Comitum atque nonnullorum nobilium in partibus Austriæ contra ipsummet Carolum, mensemque Synodi hujus indicat his verbis. *Ad huncce annum 786. rebellare conati sunt quidam Comites, nonnulli etiam nobilium in partibus Austriæ, ac conjurantes coëgerunt quos poterant, vt contra Regem insurgerent. Quo comperto, Rex jussit eos ad se venire, procedente tempore, mense Aprili in Vvormatia synodum Episcoporum ac conventum magnificum coire fecit, ubi decrevit quòd hi, qui potissimùm in hac conjuratione devicti sunt, honore simul ac luminibus privarentur; eos autem, qui innoxii in hac conjuratione seducti sunt, clementer absolvit.*

CONCILIVM

Anno Christi 788.

CONCILIVM NARBONENSE,

Caroli Magni Regis 20.

In quo actum est de Feliciana hæresi, atque de confiniis Narbonensis, Biterrensis, ac Elnensis Episcopatuum, nec non de administranda Diœcesi Ausonensi pendente Paganorum persecutione.

Ex schedis Ecclesiæ Narbonensis.

ANNO Incarnationis Dominicæ septingentesimo octagesimo octavo indictione XI. gloriosissimoqne Domino rege Carolo regnante anno vigesimo, quinto Kalendas Iulii, dum pro multis & variis Ecclesiasticis negotiis pręsertim pro Felicis Vrgelitanæ sedis Episcopi pestifero dogmate grassante per suæ authoritatis litteras domno Apostolico Adriano ac Domino rege per Missum suum nomine Desiderium convenissemus urbem Narbonam intra basilicam sanctorum Iusti & Pastoris, Ego scilicet Daniel licèt indignus atque peccator, gratiâ tamen Dei, sanctæ Metropolitanæ pręmissæ urbis Episcopus, nec non Elefantus Arelatensis Episcopus complurimorum collegio venerabilium Episcoporum unà cum anthoritate Domini Apostolici, Missoque prædicto Domini Regis Caroli inter cætera quæ veraci sermone acceperunt, orta est querela coram nobis omnibus de Parochia Narbonensi, quam pręcipiens Dominus Rex subtili examinatione & speciali ob prolixas altercationes terminari jusserat. De qua Daniel Episcopus per testes idoneos Iustum scilicet Agathensem Episcopum, & Vviteringum Nemausensem Episcopum, atque Amicum Magalonensem comitem cæterosque complures discutiendo elucidans, totum Redensem pagum super Vvenedarium Elenensem Episcopum evindicavit, & marginem parochiæ Narbonensis ex alia parte usque ad fluvium qui vocatur Orbus quamdiu vocabulum suum idem comitatus retinet superius & inferius perduxit, plenissimè ratione Vvlfegarii Episcopi Beterrensis cum prędictis testibus superata. Pręterea idem Daniel Archiepiscopus de Ausonensi parochia rationem adhibens ostendit. Quod nullo modo Episcopatum ponere illic potuisset ob paganorum infestationem & quemadmodum Deo inspirãte per antecessoris sui industriam quondam ibidem hęresis extincta fuerit, & quia ejusdem pagi plebs, sicut quidam eorum in pręsentia retulerunt, nulli parochiæ adhęrere vellet nisi Narbonensi ob principalitatem tantæ sedis, cujus pręcipuè Archepiscopi salubrem esse rationem comprobantes prędictis commoditatibus & ne in confinio Hispaniæ occasionem tristitiæ ingereremus unanimiter justo perpendimus examine; ut nulli sedi deinceps sociata habeatur nisi Narbonensi, servata verumtamen authoritate, si per se, Episcopum habere nequiverit. Rogamus igitur cunctos subsequentes nos & hoc nostræ authoritaris decreto confirmamus, sancimus, stabilimus tam de Redensi pago, quàm etiam de Ausonensi, sive confinio Narbonensi, & Biterrensi, quod est Orbus, ut sicut coram nobis discussum & comprobatum est ita inconcussum & incontaminatum nullius contradictione valenre in perpetuum permaneat. Si quis verò nostram communem contemnens diffinitionem per aliquam insidiam aut subreptionem hoc nostræ firmitatis decretum infregerit aut aliqua machinatione violaverit, si in ordine Ecclesiastico est, Canonica censura aut sententia irrecuperabiliter feriarur, sicut temerator tanti Concilii & decreti: quod si laïca potestas, in hoc se per atrocitatis violentiam miscuerit, nisi à temeraria pręsumptione se citissimè substraxerit, satisfaciendo quod deliquit, digna ultione totius anathematis sit undiqe & ubique mulctatus Domini Iesu Christi authoritate & nostra vigente, ut autem hoc nostræ firmitatis decretum certiorem obtineat roboris vigorem, manuum nostrarum subscriptione illud roborare voluimus in Christi nomne.

Daniel Dei miseratione Narbonensis Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus hujus decreti institutionem confirmavi & subscripsi.

Ego Elifantus Primæ sedis Arelatensis Episcopus confirmavi.

Ego Desideratus Diensis Episcopus subscripsi.

Ego Salicus Arausiensis Episcopus subscripsi.

Ego Arruso Tolosanæ sedis Episcopus confirmavi in Dei nomine.

Dona-Deus Vapincensis Episcopus subscripsi.

Ego Francolinus Consetanensis Episcopus subscripsi.

Ego Lupus Cavalionensis Episcopus subscripsi.

Ego Armadus Vceticensis Episcopus subscripsi.

Ego Hiscepio Carcassensis Episcopus subscripsi.

In Christi nomine Magnicus Episcopus Aptensis subscripsi.

Vviteringus Nemausensis Episcopus confirmavi.

Felix Episcopns Vrgelitanæ sedis subscripsi.

Ego Bonitus Valentinæ sedis Episcopus subscripsi.

Ego Iustus Agathensis Episcopus subscripsi.

Ego Adaulfus Gerundensis Episcopus subscripsi.

In Christi nomine Vvenedarius Elnensis Episcopus subscripsi.

Ego Seruus-Dei Barcinonensis Episcopus subscripsi.

Ego Aribertus Antipolitanæ sedis Episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Magalonensis Episcopus subscripsi.

Ego Asmarins Vicojuliensis Episcopns subscripsi.

Abraham Conmencæ sedis Episcopus subscripsi.

Ego Amatus Carpentoratensis Episcopus subscripsi.

Ego Dominicus indignus Presbyter ad vicem Vvlfegarii sedis Birerrensis Episcopi subscripsi.

Ego Ausebrandus Diaconus ad vicem Laudeberti Engolinensum Episcopi subscripsi.

Ego Artico Cancellarius ac si indignus Presbyter hoc decretum scripsi die & anno quo supra.

NOTA.

Duo sunt hujus Concilii capita, vnum de Felice Vrgelitano Episcopo, qui tunc solus, id est, absque Elipando Toleti Archiepiscopo, pravitatem omnem dogmatis sui

Anno Christi 788.

contra humanitatem Iesu Christi disseminare detectus, & convictus est, propter quam ab honore Episcopatus depositus fuit, ut refert Agobardus Lugdunensis; attamen damnata pòst ab ipsomet hæresi sua, in pristinam sedem restitutus apparet ab hac synodo ex ejusdem Felicis inter alios Episcopos subscriptione. Huic insuper Concilio fidem conciliat Abbas Regino, qui scribit ad annum 794. in Synodo Franconofurt tertiò condemnatam esse hæresim Felicianam, quod in Galliarum Conciliis hoc gestum fuisse intelligendum est, scilicet in isto primùm Narbonensi, deinde in Ratisponensi, tandem in Francofordiensi. Alterum Synodi caput, est controversia de pago Redensi Narbonensem inter atque Elnensem Episcopos orta illi tandem adjudicato, deque confinis prædictorum, simulque Biterrensis Episcopatuum, necnon etiam quæsitum est, à quo foret Ausonensis administranda Diœcesis ob paganorum persecutionem destituta Episcopo. Quod autem statutum est in hoc Conventu, de his diœcesium finibus pro Daniele Narbonensi Archiepiscopo, id posteà confirmatum fuit à Stephano Papa VI. scribente ad Arnustum sedis illius successorem, qui propterea suis voluit epistolis inseri hunc Redensem titulum, dicique insuper Archiepiscopus Ecclesiæ Narbonensis & Redensis, in quo imitati sunt illum aliqui ex successoribus, cujus loci, & situs meminit quoque Theodulfus Aurelianensis Episcopus in sua Missi Dominici à Carolo Magno Rege præfectura in utramque Narbonensem provinciam unà cum Laïdrado Lugdunensi Archiepiscopo descripta his versibus.

Caroli Magni Regis 20.

Præfectura mihi fuerat peragenda tributa,
Rex dedit hanc Carolus primus ad omne bonum.
Hæserat hac nobis Laïdradus forte sodalis,
Cederet ut magnus hoc relevante labor.
Inde revisentes te Carcassona, Redasque
Manibus inferimus nos citò Narbo tuis.

Anno Christi 794.

ADDITIO AD CAPITVLARE THEODVLFI Episcopi Aurelianensis.

Caroli Magni Regis 26.

Sub initium.

Ex Bibliotheca Bigotiana.

DILECTISSIMI fratres, sanctissimi Consacerdores, & nostri ministerii adjutores, obsecro vos supplici animo in præsentia Domini nostri Iesu Christi & sanctorum ejus, ut digni Deo in omni religione charitatis & castitatis deserviatis, & sitis populo Dei doctores & ductores in omni exemplo bono, ut populus Dei utrumque & per vestram sanctam conversationem & devotam prædicationem erudiatur in laudem & in gloriam sancti nominis Domini nostri Iesu Christi, & in salutem sempiternam animarum vestrarum. Conversamini coram Deo & coram omni populo in castitate corporis vestri & humilitate animæ vestræ, & sanctam caritatem ad omnes, nihil facientes unde Sacerdotium sanctitatis vestræ reprehensibile fiat, nec aliquid in vestra reperiatur vita quod justè à quolibet detrahi possit. Sint mores vestri sine cupiditate mala, sine avaritia, sine commessatione & ebrietate, sicut decet sanctos Dei Sacerdotes, qui populo Dei præesse debent & gubernare Ecclesias Christi. Discite fidem Catholicam, prędicate diligentissimè, & eam populo prędicate, unusquisque in Ecclesia vestra, & facite officia vestra in Dei omnipotentis honore statutis temporibus, ut Deus omnipotens honorificetur, & nomen ejus sanctum ab omnibus laudetur, qui vos vident honorificè facere Sacerdotium vestrum & servitium omnipotentis Dei. Dignè prędicate populo, ut confessionem faciant peccatorum suorum, & pœnitentiam accipiant qualiter à Deo remissionem habere non possunt delictorum suorum, nisi puram faciant confessionem & pœnitentiam justam, & abstineant se à peccatis quæ antè fecerunt, quia hæc est vera pœnitentia & certissima indulgentia, ut iterùm eadem non faciat homo delicta pro quibus veniam poposcit. Abstineant se à fornicatione; & qui fœminas habent, legitimè temporibus statutis eis utantur, & honorificè habeant fœminas suas, & sic fidem castitatis conservent vxoribus, sicut velint quòd vxores suæ illis custodiant. Filios vel filias quas habent, erudiant illos in timore Dei, & in sanctitate sua, ut non sint fures, nec latrones, nec fornicatores, nec alias quaslibet immundicias faciant in corpore suo ad implendam libidinem: ut sint obedientes parentibus suis in omni bono, ut digni sint benedictionem accipere à Domino; & prędicate omnibus veritatem amare, benignos esse ad pauperes, peregrinosque & miseros, de substantia quam illis dederit Deus, non solùm aliena non excipiant, sed etiam sua benignè tribuant. Si velint benedictionem Dei habere, non falsum testimonium dicant, ne perjuria faciant, quia falsos testes & perversos Deus damnat in æternum: & ammonete eos ut faciant fideliter quæcumque dominis suis debeant facere in omni labore & opere quod injunctum sit eis; ut sæpius ad Ecclesias veniant, maximè festivis diebus, ad orationem, ad audiendum verbum Dei, & non otiosis verbis ibi maneant in orationem. Puram & sanctam habeant humilitatem inter se, & patientiam & charitatem, quæ est totius boni caput, & firmamentum. Prędicate eis quòd est unus Deus omnipotens Creator cæli & terræ, qui in filio suo Domino nostro Iesu Christo mundum redemit, regnumque cælorum omnibus fidelibus aperuit, in quo judicaturus est mundum. Prędicate illis de futuro judicio, de pœnis impiorum perpetuis, confessionem & pœnitentiam facere de peccatis suis, vel eadem dimittere peccata. Nominate illa peccata quæ beatus Paulus Doctor gentium enumeravit, dicens, An nescitis quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt; nolite errare, quoniam neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concupitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledicti, neque perjuri, neque rapaces regnum Dei possidebunt: qui verò hæc vel his similia agunt, si confiteri, & pœnitentiam agere negligunt, æternis tormentis & flammis cum diabolo condempnabuntur: qui verò regnum Dei intrare cupiunt, faciant justitiam, misericordiam, veritatem, benignitatem, obedientiam, necnon & eleemosynam prout habent facultatem: jejunia quoque, & orationes exerceant, habentes charitatem Dei omnipotentis, & bonum facientes omni homini, prout possint. Vivant in castitate, & pietate, in humilitate, & obedientia, & fide bona, & confidant in Dei misericordia, ut indulgeat illis omnia delicta sua, & æterna gaudia illis perdonare cum sanctis suis dignetur. Hæc, sanctissimi Sacerdotes Christi, ad æternam vitam cum sanctis Episcopis

ANNO CHRISTI 794.

ſe opis & Apoſtolis cōvocati prędicate populo, & A vosmetipsos dignos facite in omni religione, & caſtitate in conſpectu omnipotentis Dei, quatenus concedat vobis cum multiplici laboris veſtri fructu æternæ beatitudinis gloriam recipere. Omnipotens Deus vos proficere faciat in omni opere bono, dilectiſſimi fratres.

ADDITIO AD CAPITVLARE Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis ſub finem.

Duo poſteriora capitula rediguntur in unum in codice Sueſſionico, auctiora editis, quæ talia ſunt.

Ex Codice Sueſſionico.

SANCITVM, ut Miſſæ, quæ per dies dominicos, peculiares à Sacerdotibus fiunt, ne ita in publico fiant, ut populus eas audire queat, & prętcrea à publicis Miſſarum ſolenniis, quæ hora tertia canonicè fiunt, ſe abſtrahat; nam peſſimum uſum quidam in hoc habenr, quando in diebus dominicis, ſive in aliis ſolennibus diebus Miſſas, licèt pro defunctis, ſive alias quaſcumque, quæ familiariter à Sacerdotibus fiunt, audire reſpiciant & à primo manè per totum diem ebrietatibus, comeſſationibus atque vaniloquiis potiùs quàm Deo deſerviunt. Propterea providendum eſt, ut omnes ad publicam ſanctam Matrem Eccleſiam, ad Miſſarum ſolennia, & prędicationem audituri conveniant. Simul & hoc ſtatutum eſt, ut in civitate, in qua Epiſcopus conſtitutus eſt, omnes Presbyteri, & populi tam civitatis, quàm & ſuburbani reveſtiti in ipſa Miſſa uſque ad benedictionem Epiſcopi, & communionem devota mente ſtare debent, & poſteà ſi voluerint, cum licentia ad ſuos titulos benedictione & communione percepta revertantur. Et hoc ſummopere cavendum eſt Sacerdotibus, ut per Oratoria neque per ſuburbana monaſteria, vel Eccleſias ſuburbanas, Miſſas nequaquàm niſi tam cautè ante ſecundam horam, foribuſque reſeratis celebrare D pręſumant, ut populus à publicis ſolennitatibus tali occaſione accepta, à Miſſa ſive à Prædicatione Epiſcopi ſe minimè ſubtrahere poſſit, ſed omnes tam Sacerdotes ſuburbani quàm & in urbe conſtituti, & populus cunctus ut prædiximus, unà cum illis ad publicam Miſſarum celebrationem conveniant, & nulli extra parvulos & infirmos, licèt Miſſam auditam habeant, tam in civitatibus, quàm & in parochiis edere, & bibere præſumant ante publicum peractum officium. Si quis hæc ſtatuta tranſgredi tentaverit, canonico judicio uſque ad ſatisfactionem ſubdatur.

NOTA.

Librum hunc Theodulfus, & poſt illum, ſimiles alios Hincmarus Remenſis, Herardus Turonenſis Archiepiſcopi, Vualterius Aurelianenſis & Riculfus Sueſſionenſis Epiſcopi, eò quòd capitulatim ſive capitulis diſtincti eſſent, Capitula, & Capitularia, appellarunt. Sic enim apud Græcos κεφάλαια dicta ſunt, Diadochi Photicenſis Epiſcopi, ac Nili, Marcique Monachorum opuſcula Aſcetica, & cætera id genus διὰ κεφαλαίων compoſita. Idem temporum illorum mos obtinuit, ut Legum Regiarum Codices nuncuparentur Capitularia, quia per capitula concepti, atque digeſti ſunt, unde Regis edictum ſeu conſtitutio Regia dicebatur, duntaxat Capitulare; quod alii cum additione minimè neceſſaria vocant, Decretum Capitularis.

CAROLI MAGNI Regis 26.

EIVSDEM THEODVLFI Aurelianenſis Epiſcopi fragmenta Sermonum aliquot.

Quos edidit ad Clerum & populum, ut legitur in Codice Vaticano, ex quo deſcripſit Eruditiſſ. Emericus Bigotius antiquitatis ſtudioſiſſimus illorum fragmenta, & à quo accepit edenda D. Lucas Dacherius in tomo 5. Spicilegii Script. vet.

AD virtutes difficilè conſurgimus, ad vitia ſine labore dilabimur. Iſta enim prona, illa ardua ſunt. Grandes enim ſudores perpeti- B mur, ut ad cælum conſcendere valeamus. Quemadmodum ad virtutum tendentes culmen non à ſummis inchoant, ſed à modicis, ut ſenſim ad altiora pertingant, ita & qui dilabuntur ad vitia non ſtatim à magnis criminibus incipiunt, ſed à modicis adſueſcunt, & ſic in maximis proruunt.

Nihil prodeſt admixto malo agere bonum, ſed priùs eſt cohibendum à malo, deinde exercendum bonum; hoc enim indicat Propheta *Iſai. 1. 16.* cùm dicit. Quieſcite agere perverſè, dicite benefacere. Priùs vitia extirpanda ſunt in homine, deinde inſerendæ virtutes. Nam cohærere & conjungi non poteſt veritas cum mendacio, pu- C dor cum petulantia, fides cum perfidia, caſtitas cum luxuria; luxuria verò carnis ideò notabilis eſt omnibus, quoniam ſtatim per ſe turpis eſt, & tamen penſante Deo, ſuperbiâ minor eſt: ſed qui detinetur ſuperbia & non ſentit, labitur carnis luxuria, ut pro hac humilietur, & à confuſione ſurgat & à ſuperbia; omnis peccans ſuperbus eſt, eo quòd faciendo vetita, contemptim habeat divina pręcepta. Rectè ergo initium omnis peccati, ſuperbia, quia niſi præceſſerit mandatorum Dei inobedientia, tranſgreſſionis non ſequitur culpa. Superbia ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Ipſa eſt enim in peccato prima, ipſa in conflictu poſtrema. Hæc enim aut in exordio mentem per peccatum proſternit, aut noviſſimè de virtutibus dejicit. Inde omnium peccatorum eſt maxima, quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat: ex culpa ſuperbiæ plerumque in abominandam carnis immunditiam itur: nam alterum pendet ex altero: ſed ſicut per ſuperbiam mentis itur in proſtitutionem libidinis, ita per humilitatem mentis ſalva fit caſtitas carnis. Deus autem nonnumquam dejicit occultam mentis ſuperbiam per carnis manifeſtam ruinam. Libidinis naſci immunditiam de animi occulta ſuperbia, exemplo primi hominis aperitur; qui mox ut per ſuperbiam contra Deum tumuit, ſtatim carnis libidi- E nem ſenſit, & pudenda operuit.

Nonnunquam gemino vitio Chriſtianus à diabolo appetitur, & occulto per elationem, & publico per libidinem; ſed Dei ſervus diſcretè utrumque penſans ſic cavet libidinem, ut non incurrat elationem; & ſic tremit elationem, ut non reſolvat animum ad libidinem. Luxurioſis atque ſuperbis dęmones plus fautores exiſtunt, dumque in cæteris vitiis ſpiritus maligni deſerviunt, his tamen majori familiaritate junguntur, eiſque ampliùs juxta deſiderium famulantur; principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur, id eſt, per ſuperbiam mentis, & luxuriam carnis. Vnde & Dominus ad Iob loquitur

loquitur de diabolo, dicens: Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Per calamum enim inanis superbia; per loca humentia, *Job. 40. 16.* carnis demonstratur luxuria; per hæc enim duo vitia diabolus humanum possidet genus, vel dum mentem in superbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem corrumpit; ex corde enim primùm fornicationes sunt auferendæ, ut non prorumpant in opere. Hinc est quod per Prophetam dicitur: *Isai. 32. 11.* Accingite lumbos vestros super ubera vestra; hoc est, in corde libidines resecate. Quando ergo impulsu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur; divini judicii etiam & æterni tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna tentationis gravioris supplicii formidine coercetur, recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ.

A Deo datur continentia, sed petite & accipietis. Tunc autem tribuitur, quando Deus gemitu interno pulsatur. Amanda est pulchritudo castitatis, cujus gustata delectatio dulcior invenitur quàm carnis. Castitas enim fructus suavitatis est; pulchritudo inviolata Sanctorum, sanitas corporis, securitas mentis. Nam qui se continentiam habere confidit, & ab aliis terrenis desideriis se non subtrahit, quamvis hunc luxuria carnis non polluat, diversa tamen mundanæ conversationis operatio maculat. Omne tamen peccatum per pœnitentiam recipit vulneris sanitatem. Non potest quisquam spiritalia bella transire, nisi priùs edomaverit ardorem cupiditatis. Non potest ad contemplandum Deum mens esse libera, quæ cupiditatibus hujus mundi incumbit. Omni peccato pejor est avaritia, & amor pecuniarum; unde & per Salomonem dicitur: Nihil est scelestius quàm amare pecuniam, cupiditas omnium criminum materia *1. Tim. 6. 10.* est. Vnde & Apostolus ait: Radix omnium malorum est cupiditas. Si ergo succiditur radix criminum, non pullulant cæteræ soboles peccatorum. Cupiditas enim Christum vendidit, vendidit vitam, comparavit mortem; nec mirum, quia morientes inferni ignibus deputantur, qui viventes flammam cupiditatis suæ non extinxerunt.

Vtile est cavere gulam, ciborumque concupiscentiam. Quid enim tam noxium, quàm ut animus serviat ventri & escis, quæ sunt de- *1. Cor. 6. 13.* struenda, testante Apostolo: Deus autem & hunc & hæc destruet. Non ad luxuriam, nec ad satietatem, sed tantummodo ut corpus sustentetur ad opus Dei, epulis est utendum. Sicut enim omnes carnales cupiditates abstinentiâ resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. Neque enim potest quispiam virtutum perfectionem adtingere, nisi priùs edomaverit ventris ingluviem. Nemo potest dominari ceteris vitiis, nisi priùs restrinxerit vitium gulæ. Non potest quisquam à semetipso facilè spiritus immundos expellere, nisi per abstinentiam gulæ. Tunc enim hostes, qui extra nos sunt, à nobis fortiùs superantur, cùm priùs quæ intra nos sunt vitia extinguntur. Nam frustra foris agit bellum, qui intus habet periculum; esca crapulam, potus ebrietatem generat.

Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi sit nesciat. Vnde *Prov. 31.* & in Proverbiis: Potentes, inquit, iracundi sunt; vinum non bibant, ne cùm biberint, A oblivischantur sapientiam. Plerisque laus est multùm bibere & non inebriari. Audiant hi adversùm se Prophetam dicentem: Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. *Isa. 5. 22.* Vino multo deditos, & luxuriosè viventes, Esaïas sic arguit dicens: Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, *Ibid. 11.* & potandum usque advesperam, ut vino æstuetis. De talibus alio in loco dicitur: Væ tibi civitas, cujus Rex juvenis est, & cujus Principes manè comedunt. *Eccl. 10. 16.* Multi etiam à manè usque ad solis occubitum ebrietati & gulæ voluptatibus serviunt, nec intelligunt cur nati sunt, sed B consuetudine belluina detenti, luxuriæ tantùm tota die, epulisque inserviunt. Clamat Ioël Propheta his qui ebrietati serviunt, dicens: Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.

Sollicitè igitur cum discretione moderanda est carnis cura, ne quid nimis: nam quicquid nimis & ultra modum est, perniciosum est; quicquid autem cum modo & temperamento fit, salutare; in omni opere ergo modum & temperamentum oportet habere. Ideo alia sunt pręcepta quæ dantur fidelibus communem in sæculo vitam degentibus, atque alia sęculi hujus renunciatoribus. Illis enim dicitur, ut sua omnia benè gerant; istis, ut sua omnia derelinquant: C ad perfectum enim non sufficit abnegatis omnibus suis, nisi & seipsum abneget, secundùm Evangelium; id est, nisi voluptates proprias relinquat, ac moribus pravis renunciet, ut qui erat superbus, sit humilis; qui erat adulter, sit castus; qui erat iracundus, esse studeat mansuetus; qui erat animosus, patiens esse contendat; qui avarus, sit largus; qui contra proximum suum odio vel invidiâ tabescit, dilectionem Dei & proximi puram in corde retineat; sicque singulis vitiis singulas virtutes contrarias opponat, & bonis se moribus adornare studeat, ut de vitiis veniam, & de bonis actibus pręmium mereatur. Namque Dominus ait: Qui vult venire post D me, abneget semetipsum. Ergo qui non rigida intentione professionem monachi sectantur, quantò superni amoris propositum dissolutè appetunt, tantò procliviùs ad mundi amorem denuò reducuntur. Nam professio non perfecta præsentis vitæ repetit desideria, in quibus etsi nondum se opere jam alligat, tamen cogitationis amore; ideò malis est bonum cogitationibus fortiter repugnare. Qui enim ad hoc professionem sanctitatis pretendit, ut aliis quandoque præesse desideret, iste non discipulus Christi, sed pravitatis sectator existit, quia non pro Deo, sed pro sęculi amore portare studet crucis Christi laborem. Qui mundum deserunt, sed tamen virtutes præceptorum sine cordis humilitate se- E quuntur, isti quasi de excelso graviter corruunt, quia deteriùs per virtutum elationem dejiciuntur, quàm per vitia prolabi potuissent. Omnis Dei servus de suis meritis non debet attolli, dum posse videat ex inferioribus sibi prelatiores alios fieri. Semper conscientia servi Dei humilis esse debet & tristis, scilicet, ut per humilitatem non superbiat, & per utilem mœrorem cor ad lasciviam non dissolvat.

Dei servum sine intermissione legere & operari oportet, ne fortè mentem otio deditam spiritus fornicationis subripiat. Cedit enim labori voluptas, animum autem vacantem citò præoccupat. Contuere Salomonem per otium multis fornicatio-

ANNO CHRISTI 794.

CAROLI MAGNI Regis 26.

fornicationibus involutum, & per fornicationis vitium uſque in idololatriam lapſum. Hi verò qui pro Dei timore ſæculo renuntiant, & tamen curis rerum ſęcularium implicantur, quantò ſe rerum ſtudiis implicant, tantò ſe divinæ ſubtrahunt caritati. Qui ſimul & terrenis parere curis, & divinis ſe exercere ſtudent, utrumque complecti non valent, ſicut Chriſtus ait: Nemo poteſt duobus dominis ſervire; niſi enim priùs à ſecreto cordis expellatur importuna ſęcularium multitudo curarum, anima quæ intrinſecùs jacet, nequaquam reſurgit.

Arguitur eorum tepor, qui Deo vacare volentes, mundoque renuntiant, & curas proprias aſpernantur; ſed dum propinquorum utilitates procurant, à Dei amore ſe ſeparant. Vir ſpiritualis prodeſſe debet ſuæ propinquitati, tamen cavere, ne dum illis gratiam carnis prẹſtare ſtudet, ipſe à ſpirituali propoſito non declinet. Multi enim Monachorum amore parentum non ſolùm terrenis curis, ſed etiam forenſibus jurgiis involuti, & pro ſuorum temporali ſalute ſuas animas perdiderunt. Sicut noſtra nobis non odienda eſt anima, ſed ejus carnales affectus, ita nec parentes à nobis odiendi ſunt, ſed eorum impedimenta, quæ nos ab itinere recto prẹpediunt. Dum tamen Dominus ita prẹcepit à nobis parentes odiri, ſicut animas noſtras. Nemo enim perpendere poteſt, quanti ſit ponderis declinare à bono & facere malum, niſi priùs toto mentis annisu convertitur ad Deum.

Tripartitum deſcribitur eſſe uniuſcujuſque converſi profectum, id eſt, primùm corrigendi à malo, ſecundùm faciendi bonum, tertiùm conſequendi boni operis prẹmium. Ideoque feſtinare debet ad Deum pœnitendo unuſquiſque dum poteſt, ne ſi dum poteſt, noluerit, cum tardè voluerit, omnino non poſſit. Proinde Propheta ait: Quęrite Dominum dum inveniri poteſt, Invocate eum dum prope eſt: & ubi inveniri poteſt, niſi in hac vita, in qua etiam propè eſt omnibus invocantibus ſe in veritate Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui omnibus in ſe veraciter fideliterque credentibus vitam & gloriam ſempiternam prẹparabit? Iſai. 55. 6.

NOTA.

Cùm nil certi habeamus de illorum tempore, certum autem ſit ex epiſtola Alcuini 4. Epiſcopum jam fuiſſe Theodulfum ante Synodum Francofordienſem hoc anno 794. habitam, circiter ſui Epiſcopatus exordium. Patres autem antiqui cùm primis ordinationum annis ob zelum domus Dei ferventiores, atque ob plebis inſtitutionem diligentiores eſſent: ideò conjicimus Theodulfi Capitularia eodem anno, ac eadem ratione edita fuiſſe, ad cujus exemplum Valterius, ejus in Aurelianenſi cathedra poſt Agium ſucceſſor, ſua quoque Capitula edidit anno quoque ordinationis ſuæ 2. quæ videbimus infra.

ANNO CHRISTI 797.

CAROLI MAGNI Regis 29.

CONCILIVM AQVISGRANENSE,

In quo agitur de conſtruendo Romæ monaſterio ſancti Pauli.

Memoratur id Concilium in brevi chronico ex codice monaſterii ſancti Dionyſii in Francia ad annum 797. his verbis. *Carolus Rex*, inquit, *ad Aquis-palatium habuit Concilium cum Epiſcopis, Abbatibus, Monachis de Cœnobio ſancti Pauli, qualiter conſtituere deberet. Et in ipſo anno perrexit in Saxoniam, & ibidem hyemavit.* De quo etiam conſtruendo monaſterio egerat ipſe Carolus antea cum Hadriano & Leone Pontificibus Romanis, ut paret ex epiſtola ejuſdem Caroli ad Angilbertum Abbatem.

ANNO CHRISTI 799.

CAROLI MAGNI Regis 32.

*CONCILIVM AQVISGRANENSE.

Hujus ſynodi nomen, annum ac hiſtoriam Alcuino maximè dębemus, qui ſcribit in hæc verba lib. 1. adversùs Elipandum. [Sed & idem Felix, ait, anno præfati glorioſi Principis XXXII. advocatus, voluntariè veniens ad Aquis-palatium, ibique in præſentia optimatum illius ſive ſacerdotum Dei, rationabiliter auditus & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confeſſus fidem, in partem Catholicæ unanimitatis reverſus eſt cum ſuis diſcipulis, qui ibi tunc temporis erant præſentes.] Nec diſſimilia ſunt, quæ Felix ipſe in fidei ſuæ confeſſione perſequitur, quam poſt hæc ad ſuos Vrgelitanos ſcripſit, quæ talis eſt.

CONFESSIO FIDEI FELICIS Orgelitanæ ſedis Epiſc. quam ipſe poſt ſpretum errorem ſuum in conſpectu Concil. edidit, & eis qui in ipſo errore ei dudum conſentientes fuerant, direxit.

Ex cod. Eccleſiæ Remenſis.

IN Dei nomine Felix olim indignus Epiſcopus, domnis in Chriſto fratribus Emani Presbytero, Ildeſindo Presbytero, atque Exſuperio, Gundefredo, Sidonio, necnon & Ermegildo, ſeu cæteris Presbyteris, ſimiliter Vittildo Diacono, & Vvitirico, ſeu cæteris Clericis in parochia Orgellitanæ Eccleſiæ degentibus, ſeu cæteris fidelibus Eccleſiæ inſuperdicto commiſſo commorantibus, in Domino Deo Patre & Ieſu Chriſto vero Filio ejus, Domino ac Redemptore noſtro, & in Spiritu ſancto æternam ſalutem. De cętero ad agnitionem veſtram reducimus, quia poſtquàm ad prẹſentiam Domini noſtri ac piiſſimi glorioſique Caroli Regis perductus ſum, & ejus conſpectui præſentatus, licentiam ab eo ſecundùm quod & venerabilis domnus Laidradus Epiſcopus nobis in Orgello pollicitus eſt, accepimus; qualiter in ejus præſentiam in conſpectu Epiſcoporum, quos ad ſe ordinatio glorioſi Principis noſtri convenire fecerat, ſententias noſtras, quas ex libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, ſeu nuncupatione in humanitate ejus credebamus, repræſentaremus: qualiter non in violentia, ſed ratione veritatis, noſtra adſertio rata judicaretur, ſi ab illis per authoritatem ſanctorum Patrum minimè repudiarentur. Quod ita factum eſt, nam prolatas à nobis ſententias de ſuperdicta contentione, hoc eſt de adoptione carnis atque nuncupatione: ita illi ex authoritate de libris ſanctorum Patrum, id eſt, Cyrilli Epiſcopi, & B. Gregorii Papæ urbis Romæ, ſeu beati Leonis, ſive & aliorum ſanctorum Patrum, qui nobis priùs incogniti erant, ſeu per authoritatem Synodi, quæ nuper in Roma hac intentione præcipiente glorioſiſſimo ac piiſſimo domino noſtro Carolo adversùs epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Turonenſis Eccleſiæ ſcripſeram, congregata eſt. In qua Synodo præſente Leone Apoſtolico, & cum eo cęteri Epiſcopi numero LVII. reſidentes, & plerique Presbyteri

M

Presbyteri ac Diaconi cum eis in domo beatissimi Petri Apostoli, per quorum omnium authoritatem istas jam dictas sententias nostras non qualibet, ut dictum est, violentia, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluserunt. Quorum authoritate veritatis & totius Ecclesiæ universalis consensu convicti ad universalem Ecclesiam Deo favente ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit: sed, ut dixi, vera cordis credulitate & oris professione. Quod etiam in conspectu multorum Sacerdotum & Monachorum professi sumus, pœnitudinem gerentes de pristino errore & sacramento, quam pro hac intentione olim pævaricatus sum: profitentes nos deinceps adoptionem carnis in Filio Dei, sive nuncupationem in humanitate, nullomodo credere vel prędicare; sed secundùm quod dogmatibus sanctorum Patrum informamur, eundem Dominum nostrum Iesum Christum in utraque natura, Deitatis videlicet & Humanitatis, proprium ac verum Filium profitentes, unigenitum videlicet Patris unicum Filium ejus: salvas tamen utriusque naturæ proprietates, ita dumtaxat ut nec divinitas Verbi Dei in natura credatur humana conversa, vel humana à Verbo adsumpta invidia mutata: sed utraque, id est, divina atque humana, ab ipso conceptu in utero Virginis, ita in singularitate personæ sibimet connexæ atque conjunctæ sunt, ut unicus Filius Patri, & verus Deus ex ipso utero gloriosæ Virginis absque ulla corruptione editus proditetur. Non ita homo adsumptus à Verbo de substantia Patris, sicut ipsumque Verbum à fidelibus genitus credatur, cùm sit ex substantia matris; sed quia, ut dictum est, in ipsa vulva sanctæ Virginis ab ipso conceptu ab eo qui secundùm divinitatem verus & proprius Dei Filius existit, in singularitate personæ suæ susceptus est, atque conceptus, verus & proprius Dei Filius, ex eadem sancta Virgine natus est. Non alius Dei Filius & alius hominis filius, sed Deus & Homo, unicus Dei Patris verus ac proprius Filius, non adoptione, non appellatione, nuncupatione; sed in utraque natura, ut dictum est, unus Dei Patris secundùm Apostolum verus ac proprius Dei Filius credatur.

Hæc est confessio fidei nostræ, quam Deo juvante à sanctis Patribus per eorum scripta cognovimus, & ab universali Ecclesia post pristinum errorem nostrum accepimus & tenemus. Quod & vos omnes credere & confiteri, per eundem Dominum nostrum exhortamur, nil diminuentes aut addentes ex sensu vestro, sed hoc quod vobis innotescimus, cum universali Ecclesia indubitanter retinentes: & ut pro me misero, per quem usquenunc in Ecclesia Dei contentio versa est, ex totis pręcordiis vestri Domini misericordiam implorare non dedignetis: qualiter propter vestram emendationem & orationem Catholicorum Sacerdotum, qui in simili pręvaricatione, ut ego, nequaquam obnoxii sunt, Domini misericordiam, priusquam de hoc mortali corpore egrediar, consequi valeam. Quod per hoc me magis consequi à Domino confido, si scandalum seu error in fide, qui per me in usque nunc, inter utrasque partes duravit, per me iterum omnia correcta atque sedata fuerint, atque omnis Ecclesiæ membra in unitate fidei & concordia charitatis velut in unum corpus compaginata, itaut nemo ex nobis in Ecclesia Dei ultra scandalum, vel quodlibet schisma intromittere audeat, sed omnes nos cum universali Ecclesia, quæ in toto mundo dilatata noscitur, similiter sentientes, & ea quæ dudum orta intentio est, id est, adoptionem carnis seu nuncupationem in humanitatem Filii Dei anathematizantes; pacem, ut dixi, & unitatem fidei cum omnibus fidelibus Ecclesiæ absque ulla simulatione inconvulsa fide retineamus, nè cum Nestorii impietate concordantes, qui purum hominem Christum Dominum credidit, alicubi deinceps labamur, qui dixit: oportet verò & de Dei dispensatione quam pro nostra salute in dispensationem Domini Christi Dominus Deus perfecit, scire, quoniam Deus Verbum Hominem perfectum adsumpsit ex semine Abrahæ & David secundùm pronunciationem divinarum Scripturarum: hoc constitutum naturâ, quòd erant illi, ex quorum erat semine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali & carne humana constantem, perfectum hominem constitutum secundùm nos per naturam, Spiritus sancti virtute in Virginis vulva formatum, factum ex muliere, & factum sub lege, ut omnes nos à servitutis lege redimeret, ante jam prędestinatam adoptionem accipientes, inenarrabiliter sibimet veniens, mortuum quidem eum secundùm legem humanam faciens, suscitans verò ex mortuis, & perducens in cælum, & consedere faciens ad dexteram Dei: unde personam constitutos principatus, & potestates, & dominationes, & virtutes, & omne quod nominatur nomen, non solùm in hoc sæculo, verùm etiam & in futurum, ab omni creatura accepit adorationem, sicut inseparabilem à divina natura habens copulationem, relationem Dei, & intelligentiam omni creaturæ adoratione exhibentem. Et neque duos filios dicimus, neque duos dominos: quoniam unus Filius Patris secundùm substantiam, Deus Verbum unigenitus Filius Patris sicut iste conjunctus & particeps constitutis Filii communicat nomine & honore. Dominus secundùm essentiam Deus Verbum, cui iste conjunctus honore communicat. Et ideo neque duos filios hos dicimus, neque duos homines: quia manifesto constituto secundùm substantiam Domino & Filio inseparabilem, tenet ad eum copulationem, qui causâ nostræ salutis adsumptus confertur nomine & honore Domino & Filio, non sicut unusquisque nostrûm secundùm seipsum constitutus est Filius. Vnde & multi secundùm beatum Paulum dicimur filii, sed solus habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptionem & dominationem participans: aufers quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum & dominorum. Pręstato verò nobis in copulationem ad Domini Verbum bonam haberet ipsius fidem, & intelligentiam, & theoriam: pro quibus & adorationem, per relationem Dei ab omnibus cœpit creatura. Vnum igitur Filium dicimus & Dominum Christum, per quem omnia facta sunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes substantialiter Filium Dei & Dominum, conspirantes autem adsumptum Nazaret quem unxit Deus spiritu & virtute, sic in Verbi Dei copulationem adoptionis participantem & dominationis, qui & secundus Adam. Hæc est sententia Nestorii hæretici, qui purum hominem absque Deo Virginis utero genitum impiè adstruebat. In quem hominem ex eadem sancta Virgine

Virgine procreatum & genitum post nativitatem ejus Verbum Dei, hoc est divinitatem Filii Dei, descendisse & habitasse præ cæteris Sanctis impudenter prędicabat. Et ob hoc sicut in Christo duas naturas, ita & duas personas in eo satis improbè vindicare contendebat. Nos verò ejus impietatem anathematizantes, quædam testimonia ex libris sanctorum Patrum, quos Ecclesia venerabiliter recepit decerpentes, huic epistolæ subnectimus, per quæ nos ad viam veritatis post pristinum errorem nostrum reversi sumus, vobis subter ascriptam direximus: per quæ & vos de dicta intentione veritatem fidei pleniùs agnoscere potestis, & ad rectum tramitem fidei reverti. Contra quas sententias Patrum dissentiens, aliter quàm illas nos informant credere aut docere voluerit, & adoptionem & nuncupationem in carne Salvatoris credere vel prædicare præsumpserit, anathema sit. A quo jaculo anathematis ipse verus ac proprius Dei Filius, de quo loquimur, tam vos quàm nos, & hîc & in futuro liberare dignetur. Cui cum Patre in unitate Spiritus sancti similis & coæqualis extat gloria, ante omnia sæcula, & nunc & in dies æternitatis.

Beatus denique Cyrillus in tractatu suo inter alia ita dicit: immo multum interest & incomparabilibus differentiis gloriæ & eminentiæ Salvatoris nostri munimentis, ea quæ nostra sunt. Nos enim famuli sumus: ille verò naturaliter Dominus & Deus, licèt factus sit nobiscum, & in his quæ sunt nostra dispensativè. Præterea & Beatus Paulus Christum eum nominavit & Deum, ita dicens, Scitote cognoscentes quia omnis fornicator, &c. non habet hæreditatem in regno Christi & Dei: solus autem Christus etiam Deus verè, qui Emmanuel est. Etenim nos per gratiam Dei, verumtamen non ita Deus Filius, sed natura magis & veritate; licèt caro sit factus. Item ipse in eodem tractatu post aliqua ita dicit: Quomodo proprius Dei Filius nominatus est Christus, qui etiam traditus est à Deo & Patre, causa omnium salutis & vitæ; traditus est enim propter peccata nostra, & ipse iniquitates multorum portavit in corpore suo, in ligno secundum Prophetæ vocem. Palam ergo est, quia unitatis res adsumpta necessariè proprium Filium declaravit Dei, qui ex sancta Virgine est. Corpus enim erat non alterius cujuspiam secundum nos, sed magis proprium ex Patre existentis Verbi, natum ex ea. Item ipse post paululùm contra Nestorium: sicut enim in Adam omnes morimur, sic & in Christo omnes vivificamur. Si enim non pateretur humanè pro nobis, neque operaretur divinè quæ ad salutem sunt. Dicitur enim priùs quidem mori, ut homo: reviviscere autem posteà, eò quòd sit naturaliter Deus. Si igitur non est passus mori carne secundum scripturas, neque vivificatur spiritu, hoc est non revixit. Et si hoc est verum, vana est fides nostra, adhuc sumus in peccatis nostris. Baptizati enim sumus in mortem ejus, secundum beati Pauli vocem: & remissionem peccatorum habuimus per sanguinem ejus. Sed si est Christus neque Filius verè, neque naturaliter Deus, sed homo purus secundum nos, & divinitatis organum: salvati quidem sumus non in Deo, quodam modo, sed in uno magis secundum nos moriente pro nobis & virtutibus alienis resuscitato. Quomodo ergo destructa est mors per Christum? & infrà. Colimus autem non hominem purum? Absit, sed Deum potiùs naturaliter, non ignorantes ejus gloriam, licèt factus sit secundum nos. Item beati Gregorii Papæ urbis Romæ super Moralia; Eratque ille vir magnus inter omnes Orientales, Omnes, inquit, qui in hunc orientem fide pleni consistunt, rectè orientales vocantur, sed quia omnes homines tantummodo homines, ipse autem Oriens Deus & homo, rectè dicitur, Erat magnus inter omnes Orientales. Ac si apertè diceretur: Omnes qui in fide Deo nascuntur superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat. Et rursus alibi idem ipse, Quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus & Homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit. Item in libro beati Iobi Mediatori verò nostro in legislatoribus similis nullus est, quia isti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt. Redemptor autem noster, Homo sine peccato est, Filius sine adoptione, nec perpetravit umquam quod redarguit. Quas quidem sententias priùs non rectè intelligebamus. Item beati Athanasii Alexandrini Episcopi: Si quis verò adversùs divinas Scripturas docet, alium dicens Filium Dei, & alium qui ex Maria Virgine Hominem secundùm gratiam adoptatum, sicut nos quasi esse duo filii, unus secundùm naturam qui ex Deo, & unum secundùm gratiam qui ex Maria. Et si quis Domini nostri carnem desursum dicit, & non ex Virgine Maria, aut mutatam deitatem in carnem, & confusam aut alienatam aut passibilem Domini deitatem, aut inadorandam Domini nostri carnem sicut hominis, & non adorandam Domini & Dei carnem; hunc anathematizat Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia. Item sancti Gregorii Nazianzeni Episcopi ad Cledonium: Si quis introducit duos filios, unum quidem qui ex Deo Patre; secundum verò qui ex matre, & non unum eundemque, & adoptione excedat gratia quæ promissa est iis qui credunt; alienum eum à nostro consortio judicamus. Naturæ verò duæ Deus & homo: nam & anima, & corpus. Filii verò duo neque dii, neque duo homines. Item beatus Leo Papa urbis Romæ ita dicit: Exultet rectarum mentium fides, & verum unumque Dei Filium non solùm secundum deitatem, qua à Patre est genitus, sed etiam secundum humanitatem qua de Matre Virgine est natus, intelligunt. Item ipse alibi. Adsumpta est de Matre Domini natura, non culpa: creata est forma servi sine conditione servili, quia novus temperatus est veteri, ut & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.

Anno Christi 800. | Caroli Magni Regis 33.

CONCILIVM TVRONENSE,

In quo Rex Carolus Magnus regnum suum cum filiis partiri visus est; quod idem factum est ab ipsomet Carolo pòst Imperatore erga eosdem de Imperio suo.

Memoratur hæc Synodus in chronico Moissiacensis Cœnobii, his verbis. *Anno*, inquit, *Incarnationis Domini* DCCC. *Karolus Rex circa Quadragesima tempus circuit corpora Sanctorum, qui sunt in Francia, usquedum post Pascha venit Turonos, ubi corpus beati Martini Confessoris quiescit, & fuere cum eo filii sui Karolus & Pippinus & Ludovicus. Et habuit ibi magnum Concilium & Conventum populi, & disposuit regnum filiis suis, & facta ibi oratione, sublimiter reversus est cum pace ad propriam sedem in Aquis.* Quænam autem fuerint partes uniuscujusque, non constat, nisi forsan eædem regni fuerint, ac imperii, de quibus ultimis ad annum 806. erit sermo.

Anno Christi 801. | Caroli Magni Imp. 1.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS ad Pipinum filium in Italia regnantem scripta.

In gratiam Ecclesiarum Dei, & illis servientium.

Carolus serenissimus Augustus à Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator Romanorum gubernans Imperium, ac per misericordiam Dei Rex Francorum; & Longobardorum, dilectissimo filio suo Pipino glorioso Regi sempiternam in Domino salutem.

Ex Quercetana editione recognita.

PERVENIT ad aures clementiæ nostræ, quòd aliqui duces, eorumque juniores, Castaldii, Vicarii, Centenarii, Venatores & cęteri per singula territoria habitantes, vel discurrentes; Mansionaticos, & Paraveredos accipiunt; non solùm à liberis hominibus, sed etiam ab Ecclesiis Dei, monasteriis videlicet virorum, ac puellarum, & xenodochiis; atque diversas plebes, insuper & servientes Ecclesiarum Dei, in eorum opera, id est in vineis, campis, seu pratis, necnon in eorum ædificiis illos faciunt operari; sed & carnaticum & vinum contra omnem justitiam ab eis exactare non cessant, & multas patiuntur oppressiones ipsæ Ecclesiæ Dei, vel servientes earum. Ideoque carissime fili, has literas ad tuam dilectionem direximus, ut hoc anno hanc causam diligenter & prudenter inquirere facias, & si veritas est, quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere studeas, quatenus in diebus nostris citiùs pax Ecclesiarum Dei, sive illarum servientium in omnibus conservetur; & ut merces copiosa nobis & tibi exinde jugiter accrescat. Audivimus etiam quod quędam capitula, quæ in lege scribi jussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt, quod nos nequaquam hanc causam per nosmetipsos conditam habeamus, & ideò eis nolunt obedire, nec consentire, neque pro lege tenere. Tu autem nosti quomodo vel qualiter tecum locuti sumus de ipsis capitulis. Et ideò admonemus tuam amabilem dilectionem, ut per universum regnum tibi à Deo commissum ea nota facias, & obedire atque implere pręcipias. Bene vale semper in Domino fili dilectissime.

Anno Christi 802. | Caroli Magni Imp. 2.

*CONCILIVM AQVISGRANENSE,

In quo actum fuit de præstando Imperatori sacramento ab omnibus quibuscumque, & de disciplina Ecclesiastica inter Clericos & Monachos.

Mentio Concilii hujus in chronico brevi Sandionysiano habiti hoc anno suadet, ut supleamus locum nomine Aquisgrani, in quo capitula Missis dominicis data sunt anno 2. imperii Caroli Magni, de quibus in editione Conciliorum, ubi agitur de Synodis & Capitularibus Caroli Augusti per singulos Imperii ejus annos & loca digestis, inter quæ sine loci nomine posita fuerant ibi capitula hæc Missorum per universum regnum juxta chronicon vetus Moissiacensis Cœnobii, ut Ecclesiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo justitiam facerent. Meminit etiam hujus Synodi chronicon idem Moissiacense ad hunc annũ 802. habitæ, designatque adhuc mensem. *Imperator Carolus*, inquit, *mense Octobri congregavit Synodum universalem in Aquis, & ibi fecit Episcopis, Presbyteris, Diaconibus prælegi universos Canones quos sancta Synodus præcepit & decreta Pontificum, ut Canonici juxta Canones viverent, & quicquid in Clero, aut in populo de culpis, aut de negligentiis apparuerit, juxta Canonum auctoritatem emendarent. Similiter in ipsa Synodo congregavit universos Abbates & Monachos qui ibi aderant, & ipsi inter se conventum fecerunt, & legerunt regulam sancti Patris Benedicti, & quicquid in monasteriis seu in monachis contra illam factum fuisset, hoc ipsum juxta eandem emendare facerent.* Quid autem ampliùs gestum fuerit in eodem

ANNO CHRISTI 802.

eodem Concilio, exponit idem breve Chronicon Monasterii sancti Dionysii in Francia his verbis, ad ipsummet annum 802. *Carlus*, inquit, *Imperator, ad Aquis Palatium, Concilium habuit, ut ei omnes generaliter fidelitatem jurarent: Monachi, Canonici, ita & fecerunt.* Hujus autem juramenti formulas hîc promere visum fuit ex codice manuscripto Bibliothecæ Collegii Claromontani Parisiensis Soc. Iesu, quæ sic habent.

Sacramentum.

Sacramentale qualiter promitto Ego, quòd ab isto die in antea fidelis sum Domno Karolo Piissimo Imperatori, filio Pippini Regis, & Berthanæ Reginæ, pura mente, absque fraude, & malo ingenio de mea parte ad suam partem & ad honorem regni sui sicut per drictum debet esse homo Domino suo. Sic me adjuvet Deus, & ista sanctorum patrocinia quæ in hoc loco sunt, quia diebus vitæ meæ per meam voluntatem, inquantum mihi Deus intellectum dederit, sic adtendam & consentiam.

CAROLI MAGNI Imp. 2.

Item aliud.

Sacramentale qualiter repromitto Egó, Domno Karolo Piissimo Imperatori filio Pippini Regis & Berthanæ, fidelis sum, sicut homo per drictum debet esse Domino suo, ad suum Regnum & ad suum Rectum, & illud Sacramentum quod juratum habeo, custodiam, & custodire volo, in quantum ego scio, & intelligo ab isto die & in antea. Sic me adjuvet Deus, qui cælum & terram creavit, & ista sanctorum Patrocinia.

ANNO CHRISTI 803.

CAROLI MAGNI Imp. 3.

CONVENTVS VVORMATIENSIS,

In quo, quæstione jam habita de Sacerdotum reorum purgatione, consultu ac exemplo Leonis III. Papæ iterum à Carolo Magno, & ab Episcopis eadem tractata atque sopita est.

Decretum hujus Synodi hac de re legitur in Capitularibus Caroli Magni, lib. 7. cap. 105. quod est tale. *Omnibus vobis tam præsentibus, quàm & futuris scire cupimus, quia ideò consultu Sedis Apostolicæ, & omnium nostrorum Episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum, atque maximè cunctorum fidelium nostrorum de purgatione criminatorum Sacerdotum tanta tractavimus, eamque cum testibus, sicut in altero Capitulari nostro* (lib. 5. cap. 14.) *continetur, fieri decrevimus, quoniã nesciebamus eandem causam à beato Gregorio Papa esse definitam. Nam cum Vvormatiæ generalem Conventum habuissemus, allata est nobis à Riculfo Moguntiacensi Metropolitano Epistola beati Gregorii Papæ, in qua inter cætera continebantur hæc.* De Presbytero verò, si quilibet Sacerdos à populo fuerit accusatus, si certi non fuerint testes, qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum testem proferat, de innocentiæ suæ puritate, cui nuda, & aperta sunt omnia; sicque maneat in proprio gradu. *Ista verò omnia, quia vires nostras excedunt, in judicio Episcoporum juxta Canonicam sanctionem definienda relinquimus; ut hæc quando orta fuerint, ita definire satagant, ut nec secundùm sæculum justam reprehensionem, nec penes Deum (quod absit) damnationem, sed æternæ beatitudinis, ipso auxiliante qui omnia infucata præstat, præmia consequantur.* Porrò hunc Conventum adscribimus huic anno 803. ex conjectura probabili; cùm enim constet Leonem III. Papam Romæ anno 801. purgatum esse de criminibus objectis, ac ejus exemplo Carolum in Gallia, Capitulare suum de purgatione Sacerdotum anno sequenti fecisse. Verisimilius est igitur ex occasione decretalis Epistolæ Gregorii II. Papæ super eâdem materia ipsomet anno 803. alterum Capitulare ab eodem Carolo Imperatore tunc in Germania degente, sancitum in Concilio apud Vvormatiam fuisse. Simile judicium vidimus suprà usurpatum ab Episcopis in Conventu Lungduni habito de Diaconi purgatione accusati, cujus meminit Gregorius Turonensis lib. 5. Hist. cap. 5.

Epistola B. Gregorii II. Papæ. Desiderabilem.

ANNO CHRISTI 806.

CAROLI MAGNI Imp. 6.

EPISTOLA PRIMA LEONIS III. PAPÆ, ad Carolum Magnum Imperatorem,

Qua votis Caroli obsequitur, volentis Fortunatum Episcopum è sua sede Aquileïensi pulsum, in Ecclesiam Polanam transferri, monétque ampliùs observandos esse Fortunati ejusdem mores.

Ex editione Hermanni Conringii.

DOMINO Piissimo & Serenissimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei. Dum vestræ Imperiales syllabæ de civitate in civitatem ad nos pervenissent, quæ & à nobis susceptæ ac relectæ fuissent, reperimus in eis, quatenus à Gradensi insula, ubi Fortunatus Archiepiscopus suam propriam sedem habere videbatur, propter persecutionem Græcorum seu Veneticorum exul esse dignoscitur; & si congruè nobis apparuisset pro causa necessitatis in Pola, ubi jam dudum Æmilianus quidam Episcopus præfuit, quæ & Diœcesis prędicti Fortunati Archiepiscopi existit,

Anno Christi 806.

ſtit, illic ſuam ſedem haberet: & qualiter veſtra à Deo protecta Imperialis potentia ſine conſultu Apoſtolatus noſtri nequaquam eum alibi collocare voluit. Nos verò de hac repertractantes providimus, ut ſecundùm qualiter veſtræ imperiali clementiæ complacuit, ut in Polana Eccleſia peſiſteret, ita maneat, ſub eo prorſus tenore: ut ſi, Domino annuente & B. Petro Apoſtolo protegente, per veſtram in triumphis victoriam, ipſa ſua ſedes illi reſtituta fuerit, ſecundùm qualiter prędicta Polana Eccleſia integra, cùm omnia ſibi pertinentia ſuſceperit, ſic iterum ea reſtituatur, & non de rebus ejus aut pecuniâ ad ſuam debeat ſubtrahere ſedem, ſed neque cuiquam ex ipſis rebus ſeu pecuniis atque ſpeciebus dare quoquomodo pręſumat, ut ipſa Eccleſia ſemper inrefragabiliter cum ſuo Antiſtite ſalva exiſtere poſſit. Reſervatur ſi quidem in ipſis veſtris imperialibus apicibus, quomodo in Aquis Palatio nobiſcum providiſtis de Aquileïenſi Eccleſia velut una quæ ſuam ſedem haberet, credat enim nobis veſtra clementia, & quod quicquid ibidem unà vobiſcum vel cum fratribus & Coepiſcopis noſtris oratores veſtri pertractavimus, omnia ad mercedem animæ veſtræ ſeu filiorum veſtrorum eſſe conſpicitur. Omnipotens & miſericors Deus per interceſſionem ſanctæ ſuæ Genitricis, ſuorumque Apoſtolorum Petri & Pauli diu vos in hoc mundo conſervare dignetur, & per multorum annorum curricula cæleſtia Regna cum ſuis faciat adipſci. Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.

Caroli Magni Imp. 6.

Embolum.

ET hoc veſtræ ſerenitati intimare curavimus de pręfato Fortunato, & ſicut ſemper pro illius honore temporali laboratis, ita & de anima ejus curam ponatis, ut per veſtrum pavorem, ſuum miniſterium meliùs expleat: quia non audivimus de eo ſicut decet de Archiepiſcopo, neque de partibus iſtis, neque de partibus Franciæ, ubi eum beneficiaſtis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles veſtros, & omnia vobis nota fient, eò quod illi, qui vobis eum collaudant, hoc per munera & calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile eſt, quàm veſtra dulciſſima anima? & Deus cognitor eſt, quia poſt ſalutem animæ veſtræ hæc omnia vobis inſinuamus, eò quod de tanto amore quem erga veſtram ſerenitatem gerimus, ideo ſilere non poſſumus. Poteſtis interrogare fratrem noſtrum Hildibaldum Archiepiſcopum & Ercanbaldum Cancellarium. Fortaſſis exinde aliquid cognoveritis, quia cognovimus eos animæ veſtræ fideles in omnibus.

Anno Christi 806.

CONVENTUS APUD THEODONIS VILLAM.

Caroli Magni Imp. 6.

In hoc Conventu Carolus Magnus Imperator diviſit omne ſuum Imperium inter filios, eorumdemque cuilibet Partem ſuam, ad exemplum Pippini parentis, deſtinavit, ſicut & alteram poſteà diviſionem fecit theſaurorum, de quibus Eginhardus, & quidem de Regni partitione ſic in ſuis Annalibus. *In Theodonis villa*, inquit, *palatio ſuo Conventum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum, de pace conſtituenda & conſervanda inter filios ſuos, & diviſione Regni facienda in tres partes, ut ſciret unuſquiſque illorum quam partem tueri & regere deberet, ſi patre mortuo ſuperſtitem eſſe contingeret. De hac partitione & teſtamentum factum eſt, & jurejurando à Francis confirmatum, & conſtitutiones pacis conſervandæ cauſa, facta: atque hæc omnia litteris mandata ſunt, & Leoni Papæ, ut his ſua manu ſubſcriberet per Eginhardum Miſſa, quibus Pontifex lectis & aſſenſum prabuit, & propria manu ſubſcripſit.* Qualis autem fuerit hæc partitio, breviter atque ſummatim ex antiquis auctoribus deſcripſit etiam Poëta Saxonicus in Annalium lib. 4. de geſtis Caroli Magni Imperatoris ad eundem annum 806. Indictione decima tertia, his verſibus.

Pars Pippini.

Italico Regi Bajoariam ſimul omnem
Pippino addiderat, nec non Burgundia, quantum
Parte ſub extrema celſas interjacet Alpes,
Cum paucis Alamannorum quoque finibus, illi
Traditur.

Pars Caroli.

——— At Carolo reliquos Alamannos,
Saxones ac Freſones ſubjecit eidem,
Cui ſimul ex magna fertur data Gallia parte,
Oceanis donec vaſtis concluditur undis,
Hunc in Francorum ſibimet ſuccedere Regnum
Diſpoſuit, ſi non aliter Domino placuiſſet.

Pars Ludovici.

Subjicitur verò ſceptris Burgundia penè
Tota Pii Regis Ludovici jure tenentis,
Poſt hoc imperium, necnon Aquitania cuncta
Quæ commiſſa priùs fuerat, nunc traditur illi,
In regnum proprium ſtabili ditione regendum.

Anno Christi 807. — Caroli Magni Imp. 7.

EPISTOLA SECUNDA LEONIS III. PAPÆ ad Carolum Magnum Imperatorem.

Excusat se de munusculis, quæ mittit Carolo per legatos, ac expostulat adversus Missos ejusdem, tum ob causam Palatii Ravennatis, tum etiam ob aliarum donationem rerum.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori filio, Amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi Karolo Augusto, Leo Episcopus, servus servorum Dei.

Ex editione Hermanni Conringii.

AD hoc omnipotens & invisibilis Deus noster vestram à Deo potestatem Imperialem sanctæ suæ Ecclesiæ fecit esse custodem, ut ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriæ vestræ vigilantior existeret, & quos consilio exteriùs regitis, perire interiùs non permittatis, quatenus per fructum piæ solicitudinis vestræ ad æterna quæ sanctis suis daturus est, gaudia pertingere mereatis, atque ex bonorum vestrorum actibus dignam retributionem multipliciter percipiatis. Misimus itaque præsentes Oratores nostros, Ioannem videlicet reverendissimum Episcopum, & Basilium religiosum Egumenum visitationis causa ad vestram imperialem clementiam, cum benedictione beati Petri Apostoli fautoris vestri; sed petimus Serenitatem vestram, ne injuriosum ducatis quod non aliquid dignum munificentiæ vestræ vobis dirigere volumus. Verumtamen de beati Petri Apostoli rebus, quamvis parvæ sunt quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipiendæ sunt, quoniam & hîc vobis valebit majora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præsentare. Dum enim in hominibus post Deum & sanctos suos non nisi in vestram Imperialem potentiam fiduciam habemus, justum prospeximus, ut & gaudium nostrum, & angustias quas assiduè patimur, vestris priùs intimaremus auribus, ut oblationem quam vestri dulcissimi parentes & vos ipsi beato Petro Apostolo obtulistis, accepta atque secura sit in in conspectu ejus, quatenus ab ipso Clavigero Regni cælorum, qui vos in suis utilitatibus defensores constituit, dignam retributionem percipere mereamini, & vestra opinatissima Imperialis munificentia in universo fideli populo laudabiliter diffametur, & nos pro causa negligentiæ ante tribunal Dei cum ipso Domino & nutritio nostro beato Petro Apostolo in judicio minimè provocemur, pro eo quod oppressiones populi Dei vestræ non nunciaverimus clementiæ. Misit igitur pia Serenitas vestra Missos suos, ut justitiam nobis facere debuissent, sed magis damnum quàm profectum nobis fecerunt. Verumtamen Missos vestros qui ad nos venerunt, interrogare dignemini, & ipsi viva voce insinuare possunt ea quæ in nostris hominibus audierunt vel viderunt peracta. Sed & præsens Ioannes Episcopus Missus noster per singula vestræ potest innotescere Imperiali potentiæ; quia omne quicquid per vestrum pium ac legale judicium de causa videlicet Palatii Ravennatis recollectamus, unde & jussistis, ut nullus quilibet homo imposterum conquassare aut in judicio promovere præsumeret, tam de vulgaria quàm etiam de mansis, quos per vestrum dispositum Herminus fidelis vester nobis reconsignavit; omnia cum casis, vineis seu laboribus atque peculiis abstulerunt, & nihil exinde nobis remansit. Quamobrem quæsumus vestram Imperialem clementiam, ut sic de vestra à Deo accepta donatione, quam prædicto Dei Apostolo obtulistis, peragere jubeatis, quatenus in nulla minuatur parte, sed maximè per vestrum laboriosum certamen firma atque stabilis & inconcussa perennis temporibus persistere valeat: & nos, licèt impares, tantùm Deo miserante vicem ejusdem discipuli tenentes, securiter ac patienter Dei omnipotentis possimus exorare clementiam, ut vestrum robustissimum brachium fortiter contra inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ extendat, & omnes barbaras nationes pede fortitudinis opprimatis. Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Anno Christi 807. — Caroli Magni Imp. 7.

EPISTOLA TERTIA LEONIS III. PAPÆ, ad Carolum Magnum Imperatorem.

Mendacii accusat Missos Caroli, atque de illis conqueritur, quòd dicerent nullos inveniri posse sibi gratos.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei, ac Domini nostri Iesu Christi Karolo Augusto, Leo Episcopus, servus servorum Dei.

Ex eiusdem editione.

REMEANTES ad nos fidelissimi Missi nostri, quos ad vestram Imperialemp orentiam direximus, retulerunt nobis de vestra benignissima bonitate, quam erga beatum Petrum Apostolum & ejus Vicarium geritis ex intimo cordis amore. Intereà obtulerunt nobis honorabiles vestras epistolas & capitularem.

Quod verò capitularem, post relectionem & duarum epistolarum referantes, inter cætera gaudia, quæ præfatæ epistolæ cordi nostro effuderunt, sic primum capitulum ejusdem capitularis cor nostrum relevavit: ut cum Propheta dicere cœpimus. *Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te.* Cumque

per

Anno Christi 807.

per ordinem ad sextum conjungeremus capitulum, quantum gaudium & lætitiam prædictæ epistolæ atque cætera capitula nobis ingesserunt, tantùm mœrore & tristitia postmodùm sumus repleti. Continebatur enim in ipso præfato sexto capitulo, quòd Missos invenire non valeatis qui nobis placent, de qua re valdè tristatur vestra Serenitas; & nullus de ipsis qui jam ad nos fuit directus per suam voluntatem ampliùs missus erit, exceptò quod obedientiam vestram voluntariè unusquisque adimplere cupit: & non solùm Missi vestri timent vestram portare legationem ad nostram pusillitatem, verùm etiam alii jam non sunt ausi quærere à vobis auxilium, quia nullus est, qui vestram quæsivit clementiam, ut dicunt, qui postmodum ad plenam potuisset pervenire gratiam nostram; & quia plures directos habuistis Missos fideles, ex quibus jam alii mortui sunt, & ipsi blasphemati fuere, & de ipsis qui vivunt nullus jam sine blasphemio esse videtur. Vnde nobis, fili dulcissime, quid aliud agendum est, nisi preces pro his, qui talia vobis mentiti sunt, ad Dominum fundamus? sicut scriptum est, *Orate pro inimicis vestris*. Credat enim nobis vestra Serenitas, quia ea, quæ ad animæ vestræ salutem cognoverimus, nullo modo tacemus; & si antè tacuimus, nunc autem non cessamus, sive de bonis sive de malis, vestræ intimare potentiæ. Nam qui per mendacium & malas machinationes vult filium separare à matre, judicium habebit cum ipso Clavigero Regni cælorum beato Petro Apostolo. Quia mihi in hoc mundo nihil pretiosius est quàm animæ vestræ salus. Sed quia omnia quæ de vestra prosperitate atque exaltatione in corde nostro gerimus, per singula exarare non valemus, sic nobis omnipotens Deus retribuat, sicut de vestro honore & sospitate cupimus. Verumtamen cum multo amore multaque fide erga vos constringimur, tacere nullo modo possumus, ut vos ipsi pro anima vestra vigiletis, scientes quia ista misera & caduca vita in modicum exterminatur & finem habet, & omnes rationem redditturi sunt Domino de vaniloquiis. Igitur hominibus non citiùs credat ante satisfactionem; sed tamen si nos benè suscepimus, & bene honoravimus pro vestro amore, Deus nobis retribuat bona, & vos satisfaciat, ut in causis beati Petri Apostoli ampliùs & ampliùs decertetis: & si non vobis nunciaverint quomodo eos honorificè suscepimus, quid aliud dicamus, nisi ut Deus illis indulgeat? Verumtamen si propè fuissemus, adjuvante Dei omnipotentis misericordia, vos habuissetis veritatem & mendacium discernere, quia talem vobis à Deo datam esse sapientiam credimus, ut tale improperium atque confusionem non habuissemus in faciem nostram. Recordari credimus vestram Serenitatem, quia vicibus nobis misistis, quod neminem de nobis malè loqui permitteretis, neque locū illi tribueretis. Sed quid igitur restat, nisi ut inter tantas accusationes quæ de nobis & fidelibus nostris, qui aliquod profectum sanctæ nostræ Ecclesiæ faciebant, vobis dictæ sunt, cum lacrymis gratias agam Deo omnipotenti. Nam de illo amore quem erga vos gerimus, nullus in hac vita nos separare potest nisi sola mors, quandoque nobis obvenerit. Sed quid tantum fastidium facimus auribus vestris? certè inquantum Deus nobis largiri dignatus est, sic in nostro sensu cogitamus, quòd nullus de antecessoribus nostris, partibus istis cum tanto amore servierit, quantùm nos servivimus. Sed nostrum servitium, ut videmus, nemini acceptum fuit. De autem accusatoribus Missorum vestrorum, de quibus nobis emisistis, ut aut in nostram aut in vestram præsentiam ad discutiendum veniant; si placet pietati vestræ Missum vestrum dirigite absque illis, qui omnia liquidiùs inquirat, & vestræ Imperiali potentiæ fideliter nunciet, quid aut quomodo istis in partibus egerint, qualem profectum exinde sancta Dei Ecclesia mater vestra habeat. Verumtamen omnia in vestro committimus sagacissimo arbitrio. His præmissis: Omnipotens & misericors Deus, per intercessionem sanctæ suæ Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, & beatorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli, tale cordi vestro salubre consilium inspiret, ut oblatio quam dulcissimus genitor vester Dominus Pippinus Rex beato Petro Apostolo obtulit, & vos confirmastis, ipse Claviger regni cælestis ante conspectum Dei cum ipsa donatione vobis præsentetur, quatenus gaudia æterna percipere mereatis. Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Caroli Magni Imp. 7.

Anno Christi 808.

EPISTOLA QVARTA LEONIS III. PAPÆ, ad Carolum Magnum Imperatorem,

Caroli Magni Imp. 8.

Conqueritur obiter etiam de Missis Caroli, sed ampliùs ipsi gratias agit, quod laboret de componendo inter Reges, & Archiepiscopum Anglorum dissidio, pro quo cupit etiam Legatum suum mittere in Britanniam cum Caroli Misso.

Domino piissimo & serenissimo victori ac triumphatori filio, amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei.

Ex eiusdem editione.

EXPLERE verbis, clementissime fili, non valeo, quantùm vestro opere vestraque vita delector. Magnas igitur omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis experimento dulcis sit sapor charitatis. Cùm impleatur quod scriptum sit: sicut aqua frigida sitienti, sic nuncius bonus de terra longinqua. Serenitatis namque vestræ suscepta plena consolationis epistola continuò, ut decuit, gratiarum actiones omnipotenti Deo retulimus, qui vestram Imperialem potentiam pacis Ecclesiasticæ fecit esse custodem: ipsa namque fides vos servat, quam erga sanctam Dei Catholicam & Apostolicam Ecclesiam fautricem & auxiliatricem in omnibus petitionibus vestris, atque in Sacerdotali unitate servatis. Cumque vos jugo pietatis cor vestrum humilitet

humiliter nostræ pusillanimitati subditis, cælesti A gratiâ agitur, ut omnia quæ circa Deum ex vestra putissima voluntate agere cupitis divino adjutorio suffragati, ad perfectionem secundùm vestrum benevolum desiderium deducitis, & vestrum brachium forte contra inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ & vestros extenditis. Dilectionem igitur atque firmam caritatem, quam erga serenitatem vestram gerimus, est Deus in cælis, scrutator cordis & renum, qui scit qualem amorem & sollicitudinem de vestra diutissima prosperitate quotidie habemus. Quia post Deum & sanctos suos nullum consolatorem habemus nisi solam vestram à Deo protectam Imperialem potentiam, unde semper expectamus defensionem B & consolationem. Relectis namque vestris Imperialibus syllabis, reperimus in eis, quatenus Helmengaudus Comes vester, nosterque fidelis omnia, quicquid à nobis audivit, vobis per singula nunciavit. Sed si omnia quæ quotidie patimur vobis insinuasset tam ipse quàm etiam cæteri Missi vestri, qui istis partibus veniunt, fastidium credimus eos auribus vestris facere. Nescimus enim si vestra fuit demandatio, quod Missi vestri qui venerunt ad justitiam faciendam, detulerunt secum homines plures, & per singulas civitates constituerunt, quia omnia secundùm quod solebat dux qui à nobis erat constitutus, per distractionem causarum tollerent, C & nobis more solito nunc tribuere ipsi eorum homines peregerunt, & multam collectionem fecerunt de ipso populo, unde ipsi Duces minimè possunt suffragium nobis plenissimè præsentare. Sed valde nobis gravis esse videtur, si vobis fastidium facimus: confidimus enim in Dei misericordia, quia in vestris temporibus sancta Dei Ecclesia tranquilla atque pacifica persistere habebit.

De autem omnibus bonis & prosperis quæ circa Missum nostrum, quem in partibus Britanniæ ad Anglorum gentem direximus, omnia pro amore B. Petri Apostoli Fautoris vestri operati estis sicut solita est vestra clementia. Magnas gratias vestræ pietati exinde agimus, quia semper D insolatio sanctæ Dei Ecclesiæ & adjutorio orthodoxæ fidei decertatis. Sed sicut nobis per vestram honorabilem epistolam insinuastis, quod Eardulphus Rex de regno suo ejectus fuisset, jam hoc per Saxones agnoveramus, unde maximè ipsum Missum nostrum pro ipsa nequitia illic direximus. Magnum enim gaudium & magna lætitia in corde nostro ascendit, pro eo quod vestra pietas misit Missos suos, & vivum eum ad vos usque perduxistis; & valde de vita ejus delector, quia & vester semper fidelis existit, & ad nos Missos suos dirigebat, pro qua re vestra Imperialis defensio ubique multipliciter resonat.

De verò epistolis quas vobis Eambaldus E Archiepiscopus, & Cænulfus Rex atque Vvado emiserunt, relegentes reperimus eorum dolositatem quam inter se habent, unde valdè contristamur, quia iste Cænulphus Rex nec suum Archiepiscopū pacificum habet, nec istum Eambaldum item Archiepiscopum: nam & de eorum divisione quotidie in B. Petri Apostoli licèt velut immeriti, preces fundimus, ut eos omnipotens Deus pacificet, & discordiam quam inter se habent, absolvat, & sicut cœpit vestra serenitas in ipsam pacem nobiscum decertare, sic incessanter elaborare dignemini, quatenus vestra merces copiosa accrescat in cælis. Misistis siquidem nobis ut nos ratione Apostolicæ auctoritatis adhortatoriam epistolam sæpefato Eambaldo Archiepiscopo per idoneum Missum nostrum mitteremus, ut ad hanc sanctam Apostolicam Sedem cum suis consentaneis venire debuisset, aut in vestra pręsentia rationes deducendum. Nos verò ipsam epistolam dictavimus, & vobis emisimus; sed si placet serenitati vestræ quod ipsam nostram epistolam per vestrum idoneum Missum ipsis in partibus admissum quem itidem direximus, misissetis, ut unà cum prædicto Misso nostro ipsum Archiepiscopum adhortasset, quatenus aut hîc in nostra præsentia, aut ibidem in vestra unà cum sociis suis conjunxisset, valde nobis rectè visum fuisset, quia Missum nostrum nondum suscepimus, & ipsi homines dolosi sunt, ut ne Missos super Missos suscipientes in dolositate eveniant: verumtamen nos Missum nostrum pręparamus, donec secundùm vestrum placitum demandetis, & si placet Imperiali potentiæ ut Missum nostrum ibidem dirigamus, vos nobis per vestram insinuationem significare jubeamini, & nos statim ipsum Missum nostrum dirigemus secundùm vestram voluntatem. Omnipotens enim & misericors Deus sua vos protectione longa per tempora conservare dignetur, atque æterna gaudia cum sanctis omnibus faciat possidere. Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Embolum.

PRo tanto amore tantaque dilectione atque fide, quam erga vestram serenitatem gerimus, eaque agnoscere valemus, silere non possumus. Iesse verò Episcopus serviens vester aliud servitium vobis facere potest; nam Missaticum per patrias deportare non nobis videtur quod idoneus sit, neque ad secretum Concilium provocandus, sed rogamus vestram clementiam, ut de hac re clementer considerare debeatis, quia nos omnes in vestro servitio salvi existere cupimus. De autem Sacerdotalibus causis unde nobis ad detrimentum venire speramus, quæ nos non sic possumus emendare, vobis insinuamus, ut interrogetis Helingaudum & Hunfridum fideles vestros, quando à nobis absoluti sunt, & in Ravenna conjunxerunt, & ab Archiepiscopo ad prandium invitati sunt, id est dominico die ad Palmas: quales lectiones & quales admonitiones ante ipsam mensam recitatas audierint, sicut decet in sancto quadragesimali tempore, quando omnes de suis facinoribus Deum deprecantur, ut mereantur emendare. Sed & ea quæ ibidem audierunt, nobis turpitudo est vobis in scriptis insinuare.

Anno Christi 808. | Caroli Magni Imp. 8.

EPISTOLA QVINTA LEONIS III. PAPÆ, ad Carolum Magnum Imperatorem.

Multas agit gratias Carolo tum de muneribus, tum de beneficiis ab eo acceptis: præterea summo gaudio se excepturum testatur Pippinum Regem ejus filium destinantem iter ad limina Apostolorum, seque ad illum honorificè suscipiendum cuncta disponere.

Domino piissimo, & serenissimo victori ac triumphatori filio, amatori Dei Domini nostri Iesu Christi Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei.

Ex eiusdem editione.

MAGNO munere misericordiæ Dei totius mundi multiplicata sunt gaudia, cum pio & glorioso clementiæ vestræ studio erga sanctam Dei Ecclesiam nostramque pusillitatem geritis, largifluæ tuæ munificentiæ susceptis pulcherrimis munusculis, relectisque scriptis serenitatis vestræ, quæ in nostro corde melle condita sapuerunt, illico, ut decuit, gratiarum actiones tripudiantes gratulanter Deo retulimus. Quia non solùm lætitæ verba in ea repperimus, verùm etiam & nostræ prosperitatis solertissimam curam agnovimus. Sed de tantis immensis beneficiis & muneribus, quibus jugiter nos ditatis, optamus ut ab ipso Clavigero Regni cælorum, cujus vicem, Deo miserante, gerimus, dignam retributionem suscipiatis, cui tantum honorem assiduè exhibetis. Scimus namque, & fideliter scimus, quia per omnia & in omnibus vobis pertinentibus nostrum gaudium vos esse facturos: sed commutatio Excelsi quæ pia facta probat, & benigna solitâ pietate repensat, ipsa pro nobis digna prǽmia vestræ pietati retribuat. Post verò munerum offertionem insinuaverunt nobis fidelissimi Missi vestri, Helmengaudus videlicet atque Hunfridus gloriosi Comites, quòd filius noster Domnus Pippinus Rex ad limina Apostolorum per vestram largitatem media quadragesima cupit venire, atque conloquium nobiscum habere. Vnde in magnum gaudium cor nostrum relevatum est, quod ipsi fidelissimi Missi vestri viva voce vobis insinuare possunt, & continuò omnia cum ipsis dispposuimus de prǽdicti dulcissimi filii nostri itinere; Missumque statim nostrum direximus, qui omnem prǽparationem facere deberet, quatenus cum lætitia ad limina Apostolorum nostræque pusillitati conjungeret. Igitur post modicos dies, octavo scilicet Kalend. Apr. conjunxerunt ad nos Missi prǽfati filii nostri Domni Pippini Regis, & obtulerunt nobis honorabilem epistolam vestram, quam relegentes repperimus vestræ prosperitatis salutem atque solertissimam curam quam erga tranquilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ vestra serenitas semper gerit, atque de adventu filii nostri Domni Pippini, ut non anteà esset venturus nisi post diem sanctum Paschæ, apto videlicet tempore. Credat enim nobis vestra clementia, quia quocumque tempore ad nos conjunxerit, cum tanto gaudio tantâque lętitiâ eum suscipiemus, quantùm condecet filio tam magni defensoris sanctæ Dei Ecclesiæ: quia scimus, Domino opitulante, eo quod & nobis & illi profectum erit si nos conjunxerimus. Iterum postquam conjunxerunt ad nos ipsi prǽdicti Missi filii nostri Domni Pippini Regis, & dixerunt nobis, quòd in media quadragesima minimè conjungere potest, porrexerunt nobis prǽfati Missi vestri, videlicet Helmengaudus & Hunfridus gloriosi Comites, aliam epistolam serenitatis vestræ, ubi continebatur ut ipsi fidelissimi Missi vestri apud filium nostrum Domnum Pippinum priùs adirent, & de vestro verbo ei prǽciperent, ut ubi ambobus placuisset nobis obviam occurrisset, ut quod vos omnimodo optatis, cum Dei adjutorio veniat ad perfectionem, id est ut pax & concordia inter nos firma & stabilis Deo mediante constituatur. In veritate enim dicimus, quia donavit nobis Dominus pacificum Imperatorem, de quo Apostolus dicit: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Nam omnipotens Deus vestrum potest cor satisfacere; quia nullam discordiam nullamque iniquitatem circa eum habemus, sed sic eum diligimus, & illius profectum cupimus, sicut de carissimo filio: sed qui zizania portant in conspectu vestro vel filii nostri Domni Pippini Regis, quod nos nec in corde habemus; omnipotens Deus qui justus judex est, ante cujus conspectum omnia occulta patefiunt, ipse judicet inter nos & ipsos. De Ecclesiis verò Dei ut suas habeant justitias, atque littoraria nostra & vestra ab infestatione paganorum & inimicorum nostrorum tuta reddantur atque defensa, nos quantùm Dominus virtutum donaverit, cum ipso prǽdicto filio nostro studium ponimus: sed vestrum consilium & vestrum solatium & nobis & illi necesse est. De autem insula Corsica, unde & in scriptis & per Missos vestros nobis emisistis, in vestrum arbitrium & dispositum committimus, atque in ore posuimus Helmēgaudi Comitis, ut vestra donatio semper firma & stabilis permaneat, & ab insidiis inimicorum tuta persistat, per intercessionem sanctæ Dei Genitricis & beatorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli, & vestrum fortissimum brachium, & Domino miserante, tempore apto, quantùm plus celeriùs valuerimus, per fidelem Missum nostrū omni utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ vestræ Imperiali potentiæ liquidiùs innotescimus. Omnipotens igitur & omnium futurorum præscius Deus ipse vos faciat prosperis exaltari triumphis, & post longǽvam vitæ ætatem gaudia tribuat sempiterna. Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, atque omnium gentium colla substernat.

EPISTOLA

Anno Christi 808.

EPISTOLA SEXTA LEONIS III. PAPÆ, ad Carolum Magnum Imperatorem,

Caroli Magni Imp. 8.

Intercedit pro Legatis, de quibus in epist. IV. qui è Britannia redeuntes Romam, Legationis suæ rationem Carolo non subjecerunt.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei & Domini nostri Iesu Christi Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei.

OMNES enim qui se nobis fideles asserunt, si vestræ Imperiali potentiæ sic fideles non existerint, ita ut omnes pacem atque dilectionem, quam Deo miserante, erga sanctam Dei Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam Matrem vestram & nos geritis, cognoscere valeant, vacua est spes eorum, & labor eorum sine fructu, & inutilia sunt opera illorum, exceptis his qui per ignorantiam in aliquod ut homo fefellerint. Veruntamen & ipsos corrigendos esse judicamus. Misit siquidem nobis vestra Serenitas, eò quod Adulphus Diaconus, Missus nostræ Apostolicæ Sedis, cùm à vobis more solito benignè ac honorificè susceptus esset, & usque ad portum maris deductus, atque exinde ad navigationem commodè absolutus, & cùm verteretur ad vos, primùm se velle venire profiteretur; noluit Missum vestrum expectare qui eum usque ad vos deduceret, sed arrepto itinere quasi fugiens, cùm vos illum per dies aliquot expectaretis ad vos venturum sperantes, spem vestram delusit. Et quòd Missum Eambaldi Archiepiscopi, qui ipse litteras suas ad vos misit, petens ut prędictum legatum ejus ad vos venientem benignè susciperetis, & eum ad vos venire permitteretis, sed neque ille secundùm domini sui pręceptum peragere studuit. Quamobrem, credat nobis vestra Serenitas, carissime ac dulcissime fili, quia per nullum iniquum quodlibet consilium hoc facere perpessi sunt, sed ignorationes sæculi hujus solertiæ hanc stolidam occursionem perfecerunt. Nos verò Apostolica suffulti auctoritate, secundùm vestram voluntatem vestræ Imperiali potentiæ eos dirigere non omittimus. Sed precamur clementiam vestram ut pro amore beati Petri Apostoli Fautoris vestri, in cujus servitio prędictum Adulphum Diaconum emisimus, immo etiam in ipsum quod nobis sub jurejurando pollicitus est, ut ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ & vestrum atque nostrum decertare debuisset, & pacem in ipsa insula seminare studuisset, iterum ipsis in partibus remittamus, nullam pro hoc sustineat tribulationem, ut cum Propheta dicere valeat, *corripit me justus in misericordia.* Quis enim vestram à Deo datam sapientiam illudere valebit? cum superna gratia sicut vos procul dubio credimus ut habeatis. Sed quia homines sumus & fallimur, petimus pietatem vestram, ut hanc eorum noxam beato Petro Apostolo concedere non dedignemini, ut ab ipso Clavigero regni cælestis pręmium mercedis suscipere mereatis. De eo autem quod nobis emisit vestra Serenitas, fraudulentam eos habere Legationem quam vobis ostendere timuerunt, & quia propter hoc tam festinanter profecti sunt, ut Ardulphi Regis iter Romam pręvenire potuissent, omnes epistolas quæ de partibus illis nobis perlatæ sunt, pro vestra satisfactione vobis emisimus legendas. Prędictum verò Missum Eambaldi Archiepiscopi in quantum Deo auspice agnoscere valuimus, in omnibus Dei famulum eum comperimus. Vnde obnixè quæsumus vestram Imperialem potentiam, ut pro eo quòd ad fautorem vestrum beatum Petrum Apostolum directus est, melius illi sit & non deterius, sicut modis omnibus esse credimus, quanquam ignoranter fefellit. Quia valdè pertimescimus ne ipse populus adquisitionis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per quamlibet occasionem, & certamen prædecessoris mei Domni Gregorii beatissimi Papæ quod ipsis in partibus posuit, meis temporibus infructuosum existere videatur, nec mihi in judicio eveniat. Quid plura dicimus? sicut per eorum stultitiam agnovimus in aliquod vestrum furorem, ita per infusionem sancti Spiritus velociùs à vobis vestram sentiamus misericordiam. His præmissis, omnipotens & misericors Deus sua vos à malis omnibus protectione custodiat; & quoniam vita vestra bonis omnibus valdè est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad cælestis patriæ gaudia perducat. Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat. Prædictæ verò epistolæ quæ de Saxoniæ partibus nobis missæ sunt, magnoperè precamur clementiam vestram, ut eas nobis remittere jubeatis, quia eorum verba pro pignore retinemus. Absolut. prid. Kal. Ianuar.

Anno Christi 809. | Caroli Magni Imp. 9.

EPISTOLA SEPTIMA LEONIS III. PAPÆ ad Carolum Magnum Imperatorem.

Respondet tribus à Carolo propositis quæstionibus.

Domino piissimo & serenissimo victori ac triumphatori filio, amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei.

Ex ejusdem editione.

REMEANTE ad nos, Domino annuente, Sabino religioso Episcopo de partibus transmarinis, obtulit nobis serenitatis vestræ epistolam continentem de injuncta sibi legatione vel captu atque redemptione Adulphi Diaconi Missi nostri, de quo in magno mœrore manemus, quousque omnipotens Deus illum ad nos usque per vestrum deducat solatium. Reperimus etiam in ipsa honorabili vestra epistola tres quęstiones subjunctas. Vnam quidem de eo quod scriptum est in Evangelio secundùm Matthęum, ubi dicitur de Domino nostro Iesu Christo: *Et veniens Nazareth habitavit ibi, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas; quoniam Nazarenus vocabitur.* Alteram de eo, quod in principio Evangelii secundùm Marcum testimonium propheticum ita positum est: *Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaïa Propheta; Ecce mitto Angelum meum, qui praeparabit vitam tuam ante te.* Tertiam de epistola egregii doctoris Pauli Apostoli priore ad Corinthios, ubi dicit: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ praeparavit Deus diligentibus se.* Scribit enim beatus Hieronymus de quęstione prima, id est secundùm Matthęum, quod in Isaïa scriptum habeatur: sed id magis juxta sensum, usum fuisse beatum Evangelistam quàm juxta sermonis proprietatem. Scriptum namque est in commentario ipsius Evangelistæ ab eo, beato Hieronymo: Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur. Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret, quod dictum est per Prophetas; sed simpliciter, quod dictum est per Prophetam. Nunc autem per Prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaręus enim sanctus interpretatur; sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Possumus & aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta Hebraïcam veritatem in Isaïa scriptum sit: Exiet virga de radice Iesse, & Nazaręus de radice ejus conscendet.

De testimonio verò beati Marci Evangelistæ quod in principio sui profert Evangelii, dicens: Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaïa Propheta: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui pręparabit viam tuam ante te. Et iterum: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Sciendum est quod è duorum testimoniis Prophetarum unum contexuit corpus, Malachiæ videlicet & Isaïæ, quorum unius edixit, alterius verò tacuit nomen. Quod enim ait, *Ecce mitto Angelum meum*, de Malachia protulit. Quod verò adjecit: *Vox clamantis in deserto*, &c. Isaïæ vaticinium est. Sicut in ipsius Malachiæ expositione beatus profert Hieronymus dicens: Marcus Evangelista duo testimonia Malachiæ & Isaïæ sub unius Prophetæ sermone contexens, ita exorsus est. Initium Evangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaïa Propheta: Ecce mitto Angelum meum ante te, qui parat viam tuam. Hoc, licèt verbis aliis in Malachia legimus. Quod autem sequitur, Vox clamantis in deserto, &c. ab Isaïa Propheta dicitur. Item verò in commentario Matthęi idem beatus dicit Hieronymus: Cùm enim testimonium de Isaïa, Malachiaque contextum sit; quęritur quomodo velut ab uno Isaïa exemplum putemus adsumptum: de quo Ecclesiastici viri plenissimè responderunt.

At verò testimonium beati Pauli Apostoli, quod in epistola ad Corinthios protulit, dicens: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit*, &c. in Isaïa Propheta scriptum habetur aliis quidem verbis, eodem tamen sensu. Sic namque scriptum est ibidem: A sęculo non audiverunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ pręparasti expectantibus te. Requirat prudentissima vestra imperialis potentia in capitulo centesimo septuagesimo, & ita inveniet. Quanquam beatus Ambrosius hunc sermonem in expositione ejusdem epistolæ, juxta scriptum Apostoli in Apocalypsi Heliæ in apocryphis scriptum esse adfirmat.

His pręmissis, omnipotens & misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque per multorum curricula annorum, vitam tribuat sempiternam. Piissimum Domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Anno Christi 809. | Caroli Magni Imp. 9.

EPISTOLA CAROLI MAGNI IMPERATORIS ad Leonem III. Papam vrbis Romæ directa,

A Zmaragdo Abbate sancti Michaëlis in diœcesi Virdunensi edita de processione Spiritus sancti.

Ex cod. Reginæ Suecensis.

QVÆSTIO, quæ de Spiritus sancti processione est nuper exorta, jamdudum est diligentissimè à sanctis Patribus ventilata. Sed quia jamdiu à quęrentibus neglecta jacebat, non quievit quasi antiquitùs ventilata, sed quasi quędam his temporibus nobis subitò emersit occulta;

ANNO CHRISTI 809. culta; quod divinitùs ſpiratum fideliter credens non dubito. Crebris etenim quęſtionum ictibus pręſens Eccleſia tunditur, ut doctrinis Catholicis erudita, ſanæque fidei confeſſionibus elimata, in æternum quandoque hæreditate filiorum percepta vivere cum Domino valeat feliciter regnatura. Sed quia, ut præfatus ſum, hæc quæſtio diu à quærentibus indiſcuſſa jacebat, voluit omnipotens Deus in eandem ſuſcitare corda paſtorum, ut negligentiæ torpore ſublato exercitationis ſanctæ brachio cæleſtem valeant perfodere theſaurum. Sermonis etenim dominici ſarculo ſæpius divinarum Scripturarum paſtores debent proſcindere campum, ne zizania ſatoris iniqui, ſemenque malignum formoſi tritici valeat opprimere fructum: aut volans paſſim volucris hæretica ſemen Catholicum à cordibus rapiat parvulorum: horridaque ſpinarum emerſio, Domini nitidam poſſit ſuffocare ſegetem. Lectionis etenim ſacræ cognitio imbecillis baculum, nervoſis arma miniſtrat, hoſtium ſubdolas fortiter premit inſidias, & victoribus æternas feliciter promittit coronas. Ergo procul à paſtoribus negligentiæ torpor abſcedat, procul à mentis acumine inertia damnoſa recedat, molliſque laſcivia corporis membra relinquat, & altus ſopor, molliſque ſomnus in rigidas, lucroſaſque lectionis emergat excubias, ut Eccleſiæ ager opimus, doctorumque ſemine ſatus, valeat centenos omnipotenti reddere fructus. Iam nunc aggrediar de Spiritus ſancti proceſſione. Quòd Spiritus Patris ſit in Filio; denique Spiritus & Patris ſit, & Filii, Eſaïas teſtatur, ubi vox Patris ait ad Filium:
Iſa. 59. 21. *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo & uſque in ſempiternum.* Item in Eſaïa ſcriptum eſt: Ibi obviaverunt ſibi cervi, & viderunt facies ſuas mutuò. Tranſierunt, unus ex eis non periit, & ſpiritus ejus congregavit eos. Cervos hìc Apoſtolos priſci Patres intellexerunt, quos Spiritus Chriſti in Hieruſalem congregavit, ubi ſe obviantes mutuò ſalutaverunt. Igitur quòd Patris ſit Spiritus, ipſe Do-
Matth. 10. 20. minus Apoſtolis ait: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et quòd idem Spiritus Filii ſit, Paulus te-
Rom. 8. 9. ſtatur, dicens: *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Itemque in epiſtola ad
Gal. 4. 6. Galatas ait: *Quoniam autem eſtis filii Dei, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater.* Beatus quoque Petrus in epiſtola
1. Petr. 1. 9. ſua ait: *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.* De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret qui in eis erat Spiritus Chriſti, prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias. Et Dominus in
Ioan. 15. 20. Evangelio ait: *Cùm venerit Paraclitus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Vbi ſuum eſſe Spiritum docuit, quia ipſe eſt veritas, & Patris à quo eam dixit procedere. Quòd Spiritum ſanctum dedit Pater Apoſtolis, in epiſtola ad Corinthios ſecunda ſcriptum eſt. Ait enim inter
c. 1. 21. cætera: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Item in epiſtola ad Theſſalonicenſes prima:
c. 4. 8. *Non enim vocavit nos*, ait, *Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum; qui

A etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. CAROLI MAGNI Imp. 9.
Et quod eundem Spiritum ſanctum dedit & Filius, in epiſtola Ioannis ſcriptum eſt. *In hoc intelligimus, quoniam in eo manebimus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* 1. Ioan. 4. 13. Quòd Spiritum ſanctum effudit Pater in Diſcipulos, in epiſtola ad Titum ſcriptum eſt: *Cùm autem benignitas & humanitas apparuerit Salvatoris noſtri,* c. 3. 5. *non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Quod & eundem Spi-
B ritum ſanctum effudit Filius, in actibus Apoſtolorum ſcribitur: aiunt enim Apoſtoli inter cætera; *Hunc Ieſum reſuſcitavit Deus, cujus nos omnes teſtes ſumus.* c. 2. 33. Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus acceptâ, à Patre effudit hunc quem vos videtis & auditis. Item quòd una ſit à Patre & Filio Spiritus ſancti effuſio, Ioële teſtante didicimus: Ait enim vox Patris ſimul & Filii; *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii & filiæ veſtræ.* Ioël. 2. 28. *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt: ſed & ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & dabo prodigia in cælo & in terra.* Quòd Spiritus ſanctus oris ſit Patris, in Pſalmo 32. le-
C gitur: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Pſ. 32. 6. Et quòd os ſit Filii, in Eſaïa ſcriptum eſt: ait enim idem Propheta de Filio; *Percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Eſ. 11. 4. Cui ſententiæ concordans Paulus in epiſtola ad Theſſalonicenſes ait: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui.* 2. Th. 2. 8. Quòd Spiritus à Patre procedat, ipſe Dominus teſtatur dicens: *Spiritus qui à Patre procedit, ille me clarificabit.* Ioan. 15. 26. Et cætera talia plura in Evangeliis inveniuntur teſtimonia. Et quòd idem Spiritus procedat à Filio, liber Iob ore dominico ſacratus teſtis eſt, ubi hæc
D inter cætera ait: *Et audite auditionem in terrore vocis ejus, & ſonum de ore illius procedentem.* Iob. 37. 2. Hoc in loco os Patris Filius eſt intelligendus. Sonus verò de ore illius procedens, Spiritus ſanctus, qui à Filio procedens cum ſonitu ſuper Apoſtolos in igne deſcendens apparuit, ſicut Apoſtolorum teſtantur actus, ubi ſcribitur: *Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam advenientis Spiritus validiſſimi; & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Act. 2. 1. Beatus autem Gregorius hunc ſupradictum libri Iob verſiculum exponens, inter cæ-
E tera ſic ait: Poteſt autem per os Dei unigenitus Filius deſignari; perſonam verò oris poteſt ejuſdem Spiritus ſanctus deſignari. Sonus igitur de ore Domini procedit, cùm conſubſtantialis ejus Spiritus ad nos per Filium veniens, ſurditatem noſtræ inſenſibilitatis ſumpſit. De hac igitur ipſa proceſſione, qua Spiritus ſanctus à Filio procedit, ſicut procedit à Patre, beatus Athanaſius in libro quem ſcripſit contra Arrium, inter cætera ſic ait. Ego credo Filium in Patre, & Patrem in Filio: Spiritum quoque Paracletum, qui procedit à Patre, & Filii eſſe, & Patris, quia & à Filio procedit: ſicut in Evangelio ſcriptum eſt, quod per inſufflationem ſuam dederit Di-

ANNO CHRISTI 809. — CAROLI MAGNI Imp. 9.

scipulis suis Spiritum sanctum, dicens: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Cyrillus quoque de hac ipsa Spiritus sancti processione contra Nestorium inter cetera sic ait: Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus, & ejus intelligatur in persona proprietas, juxta id quod Spiritus est, & non Filius: attamen alienus non est ab illo; nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Vnde & ab isto similiter sicut & à Deo Patre procedit. Ambrosius inter cetera de Spiritu sancto sic ait: Non enim quasi ex loco mittitur Spiritus, aut quasi ex loco procedit, quando procedit ex Filio. Hieronymus quoque de hac ipsa Spiritus sancti processione in Symboli expositione inter cætera sic ait: Spiritus qui à Patre & Filio procedit, Patri, Filioque coæternus, & per omnia coæqualis est. Hæc est sancta Trinitas: id est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, una est deitas & potentia, una & essentia, id est Pater qui genuit, Filiusque genitus, & Spiritus sanctus qui ex Patre, Filioque procedit: hæc tria unus Deus est. Augustinus quoque in expositione fidei Catholicæ inter cetera sic ait: In illa igitur sancta Trinitate unus est Pater, qui solus de se ipso essentialiter unum genuit Filium: & unus Filius qui de uno Patre solus est essentialiter natus: & unus Spiritus qui solus essentialiter de Patre, Filioque procedit. Item ipse adversùs Maximinum hereticum: Queris à me si de substantia Patris est Filius; de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus; cur unus Filius, & alius non sit Filius? Ecce respondeo, sive capias, sive non capias. De Patre est Filius; de Patre & Spiritus sanctus; sed ille genitus est, & iste procedens: ideò ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit. Et post paululum, ipse amborum ergo est Spiritus procedendo de ambobus. Item ipse in libro de Trinitate inter cetera ait: Cùm per Scripturarum sanctarum testimonia docuissem de utroque procedere Spiritum sanctum: si ergo, inquam, & de Patre, & de Filio procedit Spiritus sanctus; cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre, & quod ipsius est, de quo ipse est? Vnde illud est quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. Si igitur hîc intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit esse non suam, sed Patris; quantò magis illic intelligendus est, & de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait; De Patre procedit, ut non diceret; de me non procedit. A quo autem habet Filius, ut sit Deus: si enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de illo procedat sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Item ipse Spiritus sanctus. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita quoque de illo procedat. Hæc à nobis summo opitulante Opifice de Spiritus sancti processione, multiplicia sanctarum Scripturarum adgregata sunt testimonia, ut divinorum librorum sententiis victus, multorumque orthodoxorum nube testium pressus, veritati non valeat resistere inimicus, sed potiùs sententiis Catholicis, veridicisque suasus testimoniis, revertatur ad tutissimum Ecclesiæ sinum, ut pariter Catholico educatus in gremio, quandoque æternum cum filiis mereatur percipere regnum.

Ioan. 20. 19. — Ioan. 7.

ANNO CHRISTI 813. — CAROLI MAGNI Imp. 13.

EPISTOLA LEDRADI LUGDUN. ARCHIEPISCOPI ad Carolum Magnum Imperatorem,

Qua reddit illi rationem omnium, quæ gessit in Episcopatu à promotione sua.

Summo Carolo Imperatori, Ledradus Episcopus Lugdunensis S.

DOMINE noster, constans, & sacer Imperator, supplico clementiæ celsitudinis vestræ, ut hanc brevem suggestiunculam meam vultu serenissimo audiatis, quatinus quæ hîc incerta sunt, piissimæ prudentiæ vestræ nota fieri queant, & intentio meæ postulationis ab ingenua clementia vestra reminiscatur. Olim me exiguissimum famulorum vestrorum ad regimen Ecclesiæ Lucdunensis destinare voluistis: cùm ego huic officio impar existerem, & indignus; sed vos, qui non attenditis hominum merita, sed vestram solitam clementiam, egistis de me sicut ineffabili pietati vestræ placuit, nullo existente merito meo; meque admonere dignati estis, ut ego sollicitudinis curam gererem, & ut negligentiæ, quæ in predicta Ecclesia perpetratæ noscebantur, emendarentur, & perpetrandæ vitarentur; erat enim dicta Ecclesia multis in rebus destituta, interiùs, exteriusque, tam in officiis, quàm in ædificiis, & ceteris Ecclesiasticis ministeriis. Ego humillimus servulus vester, postquàm ibidem perveni, quæ cum Dei adjutorio & vestro peregi, audite. Quoniam ut inspector conscientiarum Dominus omnipotens mihi testis est, non tali intentione, ea vobis patefacio quæ dicturus sum, ut propterea in rebus augeri merear, neque aliud tale in cogitatione mea composui, ut acquisitionis mihi occasio sit, neo suggero, quoniam quotidie exitum à rebus humanis suspicor, propter infirmitatem meam, & incessanter de morte suspectus sum; & ideò hæc suggero, ut cùm benignissimis auribus vestris presentata fuerint, & clementer inspecta, si qua benè, & secundùm voluntatem vestram gessi, post meum discessum non deficiant, aut pereant. Denique postquam secundùm jussionem vestram, sæpedictam Ecclesiam suscepi, juxta vires parvitatis meæ: omni industria egi, ut Clericos officiales potuissem, sicut jam Deo favente, ex magna parte, mihi habere videor. Et ideò officio vestræ pietatis placuit, ut ad petitionem meam mihi concederetis redditus, qui ab antiquo fuerant de Lucdunensi Ecclesia per quam, Deo juvante, & mercede vestra annuente, in Lucdunensi Ecclesia est ordo psallendi instauratus, ut juxta vires nostras (secundùm

ANNO CHRISTI 813. | CAROLI MAGNI Imp. 13.

ritum sacri Palatii) omni ex parte agi videatur, quicquid ad divinum persolvendum officium ordo exposcit. Nam habeo scholas cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint. Prӕter hæc verò, habeo scholas lectorum, non solùm qui officiorum lectionibus exerceantur, sed etiam in divinorum librorum meditatione, spiritalis intelligentiæ fructus consequantur; ex quibus nonnulli de libro Evangeliorum sensum spiritalem ex parte adipisci possunt; plerique verò librum Prophetarum secundùm spiritualem intelligentiam adepti sunt; similiter libros Salomonis, vel libros Psalmorum, atque etiam Iob. In libris quoque conscribendis in eadem Ecclesia, in quantum potui, elaboravi. Similiter vestimenta Sacerdotum, vel ministeria procuravi. De restauratione etiam Ecclesiarum in quantum valui, non cessavi, ita ut ejusdem civitatis maximam Ecclesiam, quæ est in honorem sancti Ioannis Baptistæ, à novo operuerim, & macerias ex parte erexerim. Similiter Ecclesiæ sancti Stephani tegumentum de novo instauravi. Ecclesiam quoque sancti Niceti de novo etiam reædificavi; similiter Ecclesiam sanctæ Mariæ. Prӕter monasteriorum restaurationes, domus quoque Episcopales, inter quas unam restauravi, quæ jam penè destructa erat, quam operui. Aliam quoque domum cum solario ædificavi & duplicavi, & hanc propter vos paravi, ut si in illis partibus vester esset adventus, in ea suscipi posseris. Claustrum quoque Clericorum construxi, in quo omnes nunc sub uno conclavi manere noscuntur. In eadem civitate alias restauravi Ecclesias, unam quidem in honorem sanctæ Euladiæ, ubi fuit monasterium puellarum in honorem sancti Georgii, quam de novo operui, & ex parte macerias ejus à fundamentis erexi. Alia quoque domus in honorem sancti Pauli de novo operta est. Monasterium quoque puellarum in honorem sancti Petri dedicatum, ubi corpus sancti Anemundi martyris humatum est, quod ipse sanctus Martyr & Episcopus instituit, ego à fundamentis tam Ecclesiam, quàm domum restauravi, ubi nunc sanctimoniales numero triginta duæ secundùm institutionem regularem viventes habitare videntur. Monasterium regale insulæ barbaræ (situm in medio Araris fluvii, quod antiquitùs est dedicatum in honorem sancti Andreæ Apostoli, & omnium Apostolorum, nunc autem in honorem sancti Martini recens videtur esse fundatum jussu domini Caroli Imperatoris, qui ibidem præfecit domnum Benedictum Abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices) ita restauravi, ut recta de novo fuerint, & aliqua de maceriis à fundamentis erecta, ubi nunc Monachi secundùm regularem disciplinam numero nonaginta habitare videntur. Cui etiam Abbati tradidimus potestatem ligandi & solvendi ubi habuerunt prӕdecessores sui, scilicet Ambrosius, Maximinus, Licinius clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt, quos Eucherius, Lupus, atque Genesius, cӕterique Episcopi Lucdunenses, ubi ipsi deerant, aut non poterant adesse, mittebant concognituros utrum Catholica fides rectè crederetur, ne fraus hӕretica pullularet; quibus illis in tantùm erat commissa cura, ut si Ecclesia Lucdunensis viduaretur proprio Patrono, ipsi in cunctis adessent rectores & consolatores, quousque Ecclesia à Domino, dignissimo illustraretur Pastore. Non similiter posteris illorum hanc potestatem tradidimus. Insuper jussimus fieri decreta priscorum Regum Franciæ, ut quemadmodum ipsi statuerunt monimenta emendi & augendi locum in omnibus rebus, quas ad præsens habere videntur, vel in futuro (Deo auxiliante) acquirere poterunt sine ulla querimonia, per sӕcula possideant.

ANNO CHRISTI 814. | LVDOVICI PII Imp. 1.

CONCILIVM LVGDVNENSE,

In quo Agobardus Ecclesiæ Lugdunensis Chorepiscopus, post secessum Leidradi ejusdem Ecclesiæ Episcopi ad monasterium Suessionense successor ei designatus est.

Meminit hujus Synodi Ado Viennensis in chronicorum breviario ad annum 814. quidque gestum fuerit, edocet. Nos autem Lugdunensem appellamus, ex eo quod totus in ea sermo sit de hoc Metropolitano Episcopo, in cujus urbem convenisse hujus Coepiscopos provinciæ verisimilius est. Sunt igitur Adonis verba. *Leidradus, inquit, Lugdunensis Episcopus erat, qui initio Imperii Ludovici Imperatoris, Suessionis monasterii locum petiit, & in loco ejus Agobardus ejusdem Ecclesiæ Chorepiscopus, consentiente Imperatore, & universa Gallorum Episcoporum Synodo, Episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes, dixerunt, eundem venerabilem Agobardum à tribus Episcopis in sede Lugdunensi, jubente Leidrado, fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est in una civitate duos Episcopos non esse, nec vivente Episcopo, successorem sibi debere eligere, ac idcirco illa quacumque causa, regula Ecclesiæ prӕteriri in tanto ordine fixa non debent.*

ANNO CHRISTI 816. | LVDOVICI PII Imp. 3.

EPISTOLA HETTI TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPI ad Frotharium Tullensem Episcopum.

In executionem mandati Imperatoris pro Aquisgranensi Concilio 816. de regula & officinis Canonicorum & Monialium.

Ex schedis Carnotensibus.

HETTI gratiâ Dei Archiepiscopus, venerabili in Christo, & cum summa reverentia nominando Frothario Episcopo Tullensi, saluberrimam in Domino implorat salutem. Meminisse

ANNO CHRISTI 816. — LUDOVICI PII Imp. 3.

nisse volumus sagacitatem vestram monitionis, quam instanti anno simillimis apicibus suscepistis expressam. Non nescitis cum qua cautela mandatum suscepimus domni Imperatoris nos in diœcesi nostra, & Episcopi singuli in parochiis suis, id est de regula augendæ religionis, & de ministratoriis Canonicorum officinis, ut si quibus in locis benè comptæ essent, deinceps cum summa diligẽtiâ ornarentur. Nunc autem in proximo est placitum, quo sine dubio sciscitabitur de obtemperatione mandati Dominus mandati. Quapropter scrutemini diligenter in parochia vestra, in vestris aliorumque monasteriis, si prefacta regula dignè per omnia conservetur, & si officinæ juxta ipsius decreta constructæ, atque innovatæ contineantur, ut cùm Imperiali solertiæ presentabimur, dejecto procul molimento aliorum, unà vobiscum ex omnibus illi à nobis veritas nuncietur; per triennium enim hæc monitio facta est, idcirco nulla potest inveniri occasio; ideoque quantò cuique fuerit imperfectior, tantò & fragilior. Valete in Domino, & parvitatis nostræ nolite oblivisci. Deus pacis & dilectionis sit vobiscum. Amen.

ANNO CHRISTI 817. — LUDOVICI PII Imp. 4.

EPISTOLA SECUNDA HETTI ARCHIEP. Trevirensis ad Frotharium Tullensem Episcopum.

Monet, ut qui militiam Imperatori debent, sine mora proficisci ad bellum parati sint ad dictum factum ejusdem.

Ex ed: monasterii S. Petri Carnotensis.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Hetti misericordia Dei Archiepiscopus diœcesεos Trevirensis, necnon legatus Ludovici serenissimi Imperatoris, venerabili fratri Frothario Tullensi Episcopo æternam salutem. Notum sit tibi quia terribile Imperium ad vos pervenit domni Imperatoris, ut omnibus notum faciamus, qui in nostra legatione manere videntur, quatenus universi se preparent, qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam: quoniam insidiante Satana Bernadus Rex disponit rebellare illi; propterea tibi mandamus atque præcipimus de verbo domni Imperatoris, ut solerti sagacitate provideas cum summa festinatione omnibus Abbatibus, Abbatissis, Comitibus, vassis dominicis, vel cuncto populo parochię tuę, quibus convenit militiam Regiæ potestati exhibere, quatenus omnes preparati sint, ut si vespere eis adnuntiatum fuerit, mane; & si manè, vespere absque ulla tarditate proficiscantur in partes Italiæ, quia domnus Imperator suum iter preparat, ut quantò citiùs poterit, in partes illas unà cum fidelibus suis pergat.

ANNO CHRISTI 817. — LUDOVICI PII Imp. 4.

STATUTUM LUDOVICI PII IMPERATORIS De Monasteriis Regni Francorum,

Quæ Regi dona, & militiam, vel tantùm dona, vel solas orationes debent.

ANNO Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXVII. Ludovicus serenissimus Augustus divinâ ordinante Providentiâ Conventum fecit apud Aquis sedem Regiam, Episcoporum, Abbatum, seu totius Senatus Francorum; ubi inter cæteras dispositiones Imperii statuit, atque constitutum scribere fecit, quæ Monasteria in Regno vel Imperio suo dona & militiam facere possunt, quæ sola dona sine militia, quæ verò nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate Imperii.

Hæc sunt quæ dona & militiam facere debent, numero XIV.

Monasterium sancti Benedicti.
Monasterium Ferrerias.
Monasterium Nigelli.
Monasterium sanctæ Crucis.
Monasterium Corbeïa.
Monasterium S. Mariæ Suessionis
Monasterium Stablaus.
Monasterium Flaviniacum.
Monasterium sancti Eugendi.
Monasterium Novalicium.
Ultra Rhenum.
Monasterium sancti Nazarii.
Monasterium Offunvvilarii.
In Bavaria,
Monasterium Mavauster.
Monasterium Tegnauser.

Hæc sunt, quæ tantùm dona dare debent sine militia, numero XVI.

Monasterium sancti Michaëlis, Maris periculi.
Monasterium Balma.
Monasterium sancti Sequani.
Monasterium Natuadis.
Ultra Rhenum.
Monasterium Suarisaha.
Monasterium sancti Bonifacii.
Monasterium sancti Vvigberti.
In Alemannia.
Monasterium Clehenvvanc.
Monasterium Fruhelinvvanc.
Monasterium Nazarecda.
Monasterium Campita.
In Bavaria.
Monasterium Altemburc.
Monasterium Alcane.
Monasterium Crenuza.
Monasterium Mathasco.
Monasterium Buria.

Hæc sunt, quæ nec dona, nec militiam dare debent, sed solas orationes pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate Imperii.

Monasterium Melaredum.
Monasterium Fossatus.
Monasterium Ludra.

Monaste-

Monasterium sancti Gregorii.
Monasterium sancti Mauri.
Monasterium Eborreheim.
Monasterium Clinga.
Monasterium Saviniaco.
Monasterium Crudaris.
Monasterium Dusera.
Monasterium Lorvvim.

Vltra Rhenum.

Monasterium Scevvanc.
Monasterium Scultzurburna.

In Bavaria.

Monasterium Berch.
Monasterium Mechema.
Monasterium Scovenauva.
Monasterium Alosseburch.
Monasterium Vveizzenbrunico.

In Aquitania.

Monasterium sancti Philiberti.
Monasterium sancti Maxentii.
Monasterium Carrofinii.
Monasterium Brantosmense.
Monasterium sancti Savini.
Monasterium sanctæ Crucis Puellarum.
Monasterium sanctæ Mariæ in Lemovicas.
Monasterium Mastracurii.
Monasterium Menadinii.
Monasterium Magnilocum.
Monasterium Conquas.
Monasterium sancti Antonii.
Monasterium Musciacum.

In Septimania.

Monasterium sancti Egidij in Valle Flaviana.
Monasterium Psalmodium.
Monasterium Anianum.
Monasterium sancti Tiberii.
Monasterium Villa-magna.
Monasterium sancti Petri in Lunate.
Monasterium Caunas.
Monasterium Castelli-Malasci.
Monasterium sanctæ Mariæ Capariensis.
Monasterium sanctæ Mariæ ad Orubionem.
Monasterium sancti Laurentii.
Monasterium sanctæ Eugeniæ.
Monasterium sancti Hilarii.
Monasterium Valle-Asperii.

In Tolosano.

ᵃ Monasterium sancti Papuli.
Monasterium Surizinum.
Monasterium Mansi Asilis.
Monasterium Venercha.

In Vvasconia.

Monasterium Cella Fraxilii.
Monasterium Cimorra.
Monasterium Piciano.
Monasterium Altum-fagitum.
Monasterium sancti Savini.

His prędictis Monasteriis pręfatus Imperator, sicut suprà dictum est, statutum scribi fecit, atque manu sua firmavit, & annulo suo imperiali sigillare fecit.

NOTA.

Illorum meminit adhuc Auctor MS. Annalium Anianensium (ut nobis asserit eruditissimus Baluzius ad Epistolam 32. Lupi Ferrariensis) his verbis. [Erant etiam quædam Monasteria ex eis, munera, militiamque exercentes.] Hæc sunt munera, vel dona, quæ vocabantur Regia, seu Regalia, & annua, sive annualia, quæ Regi quotannis offerri consueverant ab iis, de quibus loquitur Hetti Trevirensis Archiepiscopus in secunda Epistola. Hæc quoque dona Rex Carolus Calvus appellat donam, vulgò *la donné*, pro qua, inquit, liberanda, id est danda, unde hodiè *livrer*, quibusdam apud Carisiacum anno 8. 7. manere præcepit.

CONCILIVM AQVISGRANENSE,

In quo Theodulfus Aurelianensis Episcopus & alii damnantur.

De gestis in hoc Concilio, ac de hujus loco & tempore duo luculenta sunt testimonia. Alterum ex ipso Theodulpho Aurelianensi Episcopo, qui se in hac Synodo contra leges damnatum queritur, lib. 4. Carminum ᵃ his versibus.

Ad Ajulfum Episcopum.

Non Regi, aut Proli, non ejus, crede, jugali,
Peccavi, ut meritis hæc mala tanta veham.
Crede meis verbis, frater sanctissime, crede
Me objecti haudquaquam criminis esse reum.
Perderet ut sceptrum, vitam, propriumque nepotem,
Hæc tria sum nunquam consiliatus ego.

Deinde ad Moduinum Episcopum Æduensem.

Culpa facit sanum confessa perire latronem,
Non est confessus Præsul, & ecce perit.
Esto forem fassus, cujus censura valeret
Dedere judicis congrua frena mihi?
Solius illud opus Romani Præsulis extat,
Cujus ego accepi pallia sancta manu.

Alterum verò testimonium habetur ex Annalibus Eginhardi anno 818. *Detecta fraude*, inquit, *& conjuratione Bernardi Italiæ Regis patefacta, Imperator Ludovicus Aquisgrani revertitur. Transactoque quadragesimali jejunio, paucis post Pascha diebus, conjurationis auctores Episcopos scilicet Anselmum Mediolanensem, Vulfodum Cremonensem, & Theodulphum Aurelianensem Synodali decreto depositos Monasteriis mancipari, cæteros prout quisque vel nocentior, vel innocentior apparebat, vel exilio proscribi, vel detondi, atque in Monasteriis conversari jussit.*

NOTA.

ᵃ His versibus.] Ex his Theodulfi versibus liquet Ajulfum sive Agiulfum vel Aigulfum Bituricensem Archiepiscopum jam fuisse, cùm Theodulfus ipse Andegavis exularet, hoc est ante annum 810. Contrà quàm vulgò tradunt, qui de Episcopis Bituricensium scripserunt. Porrò videtur Theodulfus Synodale judicium declinasse propter Pallium à Stephano IV. Papa acceptum, cui obviam missus à Ludovico Pio fuerat, cùm veniret in Galliam. Sed nullo modo probatur hæc ratio, nec antè usquam audita est in hisce judiciis, nec adhuc unquam in Synodis ab ullo allegata fuit Episcopo, etiam è Metropolitanis quibus Pallium tribui propriè solet, nec proinde Romani Pontifices hoc titulo sibi voluerunt arrogare judiciorum cognitionem Episcopalium. Imò hæc Galliæ Concilia exhibent Archiepiscoporum sive Metropolitanorum exempla ab Episcopis non habentibus usum Pallii damnatorum ante ac post Theodulfum, unde ipse non debet tanti facere suam Pallii concessionem, quæ ad suc-

ANNO CHRISTI 818. — LVDOVICI PII Imp. 5.

cessores etiam non transiit; sicut aliàs idem à Romanis Pontificibus concessum fuit Syagrio Æduensi, Drogoni, & Vvalæ Metensibus Episcopis non Metropolitanis; nihilominus successores illius in Augustodunensi cathedra hodie Pallii usum retinent; forsan aliunde quàm ex concessionis epistola sancti Gregorii Papæ, ut scripsit longè pòst Leo IV. Papa ad Lotharium Augustum, cui Alteo Episcopo Augustodunensi Pallium non concederet.

ANNO CHRISTI 818. — LVDOVICI PII Imp. 5.

CONCILIVM VENETICVM IN MINORI BRITANNIA,

In quo actum fuit de diversis tum Ecclesiæ tum Regni negotiis.

Ex diverso ejusdem rei contextu à duobus descripto, nempe Ludovici Pii expeditionis in Britanniam, colligitur hujus Synodi notitia, nimirum ex auctore vitæ ejusdem Imperatoris, qui illum refert ad annum 818. ubi de habito Venetis generali Conventu loquitur; quæ verba fient clariora ex antiqua membrana fundationem Monasterii Rothonensis continente, in qua similiter *ipse Ludovicus dicitur cum insuperabili armatorum agmine Britanniam properasse, & fugatis Britannis atque perempto eorum pseudorege, patriam suis legibus subdidisse. Peracto igitur triumpho, in Venetia urbe generale Principum atque Pontificum celebrat Concilium, ubi ordinatis Regni negotiis, & causis discussis Ecclesiasticis, cùm in Gallias redire disponeret, beatum Covoium adiit, eique Imperator obtulit, pro sua, suorumque salute, & aterna remuneratione, locum Rothonensem ab omni onere liberum, & immunem, proprio confirmans donationem annulo. Anno Imperii sui.* V. *incarnati verò Verbi* DCCCXVIII. Porro ad constituendam Concilii hujus Epocham sequuti sumus auctorem suptadictum, altero quocumque meliorem, utpote qui coævus Ludovico fuit, & in Palatio ipsius versatus. Proindeque hujus auctoris calculo debuit etiam Imperii Ludovici Epocha restitui, loco editæ quæ ejus erat Imperii XXI. & Christi DCCCXXXIII. vel juxta Reginonē DCCCXXXVI. Quæ omnia nullatenus inter se conveniunt, neque sibi cohærere valent.

ANNO CHRISTI 819. — LVDOVICI PII Imp. 6.

CONCILIVM AQVISGRANENSE,

In quo Missi dominici de rebus Ecclesiæ rationem posuerunt.

De Synodo, seu Conventu publico, qui anno 819. habitus est in Palatio Aquisgrani, cùm Ludovicus Pius victis Britonibus ibi se ad Hiberna contulisset, atque de rebus in eo gestis, scribit Auctor vitæ ejusdem Ludovici, nomine Luitolfus, ut est in codice MS. Monasterii Trudonensis. *Quâ*, inquit, *hyeme Imperator in eodem Palatio Conventum publicum populi sui celebravit, & renunciantes sibi Missos de omni suo regno, quos pro statu sanctæ Ecclesiæ restaurando dejecto, vel confirmando stante miserat, audivit, & quicquid utile judicavit, sancta impellente devotione superaddidit, nihilque intactum reliquit, quicquid ad honorem sanctæ Dei Ecclesiæ proficere posse visum fuit. Intereà capitula quædam legibus superaddidit, in quibus causæ forenses claudicare videbantur, quæ hactenus veluti pernecessaria servantur.*

ANNO CHRISTI 824. — LVDOVICI PII Imp. 11.

CONVENTVS PARISIENSIS, DE CAVSA IMAGINVM, apud Parisios Kalendis Novembris habitus anno Christi DCCCXXIV. Eugenii II. Papæ anno I. Ludovici Pii Aug. XI.

Ex Codice sancti Remigii Remensis, qui est in Bibliotheca Thuana num. 270.

Elenchus eorum quæ ad illum spectant.

Epistola Imperatorum Orientis ad Ludovicum Pium Imperatorem Occidentis.
Epistola Episcoporum in hoc Conventu ad eundem Ludovicum Pium Augustum.
Collectio Sententiarum sanctorum Patrum.
Epistola ejusdem Ludovici Pii Imperatoris ad Eugenium II. Papam.
Commonitorium ejusdem Ludovici, Episcopis Hieremiæ & Ionæ.

EPISTOLA IMPERATORUM Orientis ad Ludovicum Pium Imperatorem Occidentis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unius soli veri Dei. Michael & Theophilus fideles in ipso Deo Imperatores Romanorum, dilecto & honorabili fratri H Ludovico glorioso Regi Francorum, & Longobardorum & vocato eorum Imperatori.

Notum esse non ambigimus vestræ spiritali dilectioni scriptum esse, omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum. Et iterum ait Spiritus sanctus per sapientissimum Salomonem: Per me Reges regnant, & potentes scribunt justitiam. Et per quemdam Prophetam ait: Ego suscitavi eis cum justitia Regem. Nam quidem hæc à Deo data Domini & Salvatoris nostri dona suscepimus, propterea hoc dignum putamus omnibus unius tribus nostræ fidelibus & orthodoxis Christianis, & maximè vestræ Christo dilectæ & pacificæ gloriæ omnia si possibile est subtiliter adnunciare. Attamen ut non multa loquamur, brevem in sermone hoc rationem vobiscum faciemus.

ciemus. Duo enim capitula magna & precipua A est nobis cordi intimare. Vnum quia dispositor omnium bonarum rerum Dominus Iesus Christus verus Deus noster adduxit ad Imperii dignitatem. Alterum, permisit propter quædam peccata subjecti populi sui provenire quasdam tribulationes. Sed ut faciliùs intellegi possit, breviori sermone comprehendi potest. Attamen necesse nobis videtur ut initium rei quam prosequuturi sumus, tractare incohemus hoc modo. Igitur tempore Leonis qui ante nos hoc Imperium tenuit, quidam homo Thomas nomine, antiqui Diaboli discipulus, & ejus operum promptus perpetrator fuit. Is cùm esset B cuidam ex maximis Patriciis subjectus, tempore quo Herena Imperium tenuit, fraudem operatus est in dominum suum, scilicet concubuit cum uxore domini sui. Cùm hæc res ad notitiam pervenisset, profugit in Persas, timens legalem subire sententiam. Qui cùm illic moras fecisset à diebus prefatæ Herenæ usque ad predictum Leonem, fidem Christi abnegans, & hoc modo proditor fidei Christianæ fuit, quo faciliùs potuisset multos infideles Sarracenorum & cæterarum aliarum gentium ad suam perducere voluntatem. Suggerebatque eis quòd ipse esset Constantinus filius sæpedictæ Herenæ Imperatricis, & quòd alter pro eo esset oculis privatus, & ipse inlesis oculis sanus evasisset. Pro qua re C predicti gentiles ei adheserunt. Primùm quidem cœpit cum eis exercere latrocinia, & alios vi sibimet sociare; quosdam verò perditione pecuniarum, quosdam quidem honorum & dignitatum promissionibus solicitavit; & ut hæc compendiosiùs expediam, idem Thomas exiens de Perside cum Saracenis & Persis, Hiberis, Armeniis & Avasgis, & reliquis gentibus alienigenatum tempore predicti Leonis, subitò cum predicta manu valida perpreliaret, direptione sibi subdidit totum Armeniæ ducatum, simul & ducatum Chaldeæ, quæ gens montem Caucasum incolit, necnon & ducem Armeniacorum D cum manu valida devicit. His ego ita gestis, ut plurima omittamus propter superfluitatem verborum, quæ in hac tempestate tribulationum contigerunt, cujus tyranni impetum non valens memoratus Leo Imperator sustinere, & in his angustiis constitutus de recuperatione desperans, à quibusdam improbis conjuratione in eum facta subitò occisus est. Quo interfecto & cùm nemo tunc imperasset, per adjutorium Patris & Filii & Spiritus sancti unius consubstantialis divinitatis, & per intercessiones dominatricis & intemeratæ Dei Genitricis & omnium sanctorum convenit universa multitudo secundùm antiquum morem, videlicet beatissimus Patriarcha, gloriosi Patricii nostri, inlustres Senatores & Principes qui illic tunc E affuerunt diversarum provinciarum, quorum omnium consensu ad hoc Imperium elevati sumus, maximè propter imminentes angustias & tribulationes quas faciebat homicida ille & proditor patriæ. Fuimus enim noti inlustribus Principibus nostris & cari. Hoc modo ad Imperium provecti, invenimus Christianos divisos & discordantes, & ut veriùs dicamus, plurimos invenimus illius impii tyranni errorem & impietatem sequentes, & ob hoc non potuimus facilè illos fideles nostros Christianos ad hoc adunare, ut eum expugnare valuissemus. Quibus casibus nos impediti, ille hac occasione accepta solicitando sibi plurimos sociavit, & ex classibus nostris & dromoniis collectis potestatem habuit veniendi partibus Thraciæ & Macedoniæ, & sic festinus veniens, civitatem nostram obsedit, & navali exercitu circumdedit eam in mense Decembri, xv. indictione. Nos autem quamvis nobiscum paucitas militum & pugnatorum esset, non pretermisimus, quin semper cum eis congrederemur in certamine, & eos à civitate repelleremus. Sed cùm ille ut superiùs dictum est, hostium validam manum habuisset, non solùm de his quos suprà memoravimus, sed etiam de Asiæ & Europæ partibus Thraciæ, Macedoniæ, Thessaloniæ & circumjacentibus Sclaviniis, hæc causa prolongavit obsidionem nostram, hæc eadem obsidio modò propior, modò longior usque ad unius anni spatium perseveravit. Nos autem videntes illius diaboli & homicidæ longam pertinaciam, & ignaviam, & seductionem Christianorum qui ab eo seducti sunt, posuimus spem nostram & virtutem in Christum verum Deum nostrum adjutorem & corroboratorem, atque cum sincera fide civitatem nostram ingressi sumus adversùs illum tyrannum, qui tunc ferè triginta millibus ab urbe nostra residebat. Cumque prelium committeremus, ipse Dominus Deus noster qui semper adjutor & protector Imperii nostri est, misit Principem militiæ virtutis suæ, sicut legitur fecisse Iesu Nave, & dissolvit ac dissipavit virtute eorum, & prevalere nos fecit adversùs eum. Volentes Christianis parcere, receptui canere jussimus, & nostros à cæde coërcuimus. Et hac occasione pagani & alienigenæ, qui cum Thoma perditionis eorum auctore fuerant, evaserunt, & in fugam versi sunt, & à nobis persecuti, in quadam civitate provinciæ Thraciæ nomini Arcadiopoli inclusi sunt; quidam autem ipsorum dispersi in montibus se occultaverunt. Pars autem eorum intraverunt in Panadus civitatem. Nos autem, missis exercitibus nostris, eos obsideri fecimus. Sed ipsa civitas in qua Deo odibilis & immemorabilis erat, cum suis sequacibus per quinque menses obsessa est. Volentes, sicut diximus, populo nostro parcere & civitati, vivum eum cepimus & omnes, qui cum eo erant tam contribules quàm etiam alienigenas. Et ipsum quidem Thomam amputatis manibus, & pedibus paribulo suspendi jussimus. Duo verò qui dicebantur ei filii esse adoptivi, alter eorum in Asia à fidelibus nostris interemtus est; & alterum eadem morte, qua pseudopatrem ejus condemnare jussimus. Et hoc modo deleta est memoria eorum de terra in seculorum secula, juxta id quod scriptum est, Inimici defecerunt frameæ in finem. Sarracenos quoque omnes, & Armenios & reliquos, qui de prelio evaserunt, omnes vivos cepimus, & secundùm Dei dispositionem, nos in eis ulti sumus. Deinde profecti pervenimus ad castellum, quod dicitur Panidus, in quo supramemoratam partem inimicorum nostrorum confugisse diximus, quibus nos vitam promisimus, si ad fidem nostram venire voluissent. Sed illi nostris jussionibus parere volentes, quia magis mori quàm in deditionem venire maluerunt, immisit eis Deus terræ motum, qui concussit civitatem, à quo muri ejus diruti sunt, sicut de Hierico accidisse legitur, & eo modo traditi sunt in manus nostras, & hoc omnipotentis Dei miraculum in nobis factum est, quod miraculum nequaquam existimavimus

mavimus esse celandum, sed ubique gloriam A Dei & magnalia ejus adnunciandum. Et hoc modo cum triumpho victoriæ ad palatium nostrum reversi sumus. Et ex eo tempore omnes Christiani Imperij nostri ad unitatem pacis & pristinam concordiam redierunt, glorificantes & magnificantes propugnatorem nostrum Dominum Iesum Christum, qui ad unitatem fidei coadunare populum suum dignatus est, in subjectionem, quod ab eo est Imperii nostri. Quocirca dignum existimavimus hæc quasi pacifico amico & spiritali fratri nostro, & ut credimus socio gaudii adeo Imperii nostri manifesta facere, quæ nobiscum acta sunt, ut pariter sicut unius ejusdemque fidei & religionis cultoribus B fa facere oportet, laudibus & hymnis conlaudemus & glorificemus Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum. Oportuerat enim statim in exordio Imperii nostri sicut spiritali fratri nostro & pacifico amico per veros apices nostros, quæ erga nos gesta sunt vobis manifestare: sed, sicut suprà dictum est, præfati tyranni & rebellis ac turpi morte condemnati Thomæ seditio nos facere prohibuit. At verò nunc dedit Deus nobis hoc præsens opportunum tempus post ejus interfectionem & coadunationem & concordiam populi nostri. Et ideo justum existimavimus mittere ad vestram gloriam Theodorum Protospatharium nostrum & Stratigon Niceram sanctissimum Metropolitanum Myrdensem Liciæ, Fortunatum Archiepiscopum Venetiæ, Theodorum reverendissimum Diaconum & Oeconomum istius sanctissimæ Dei Catholicæ & magnæ Ecclesiæ sanctæ Sophiæ, & Leonem nostrum candidatum. Et non tantùm per has syllabas, sed & per ipsos viros adnunciamus vestræ gloriæ omnia, quæ præposita sunt, ut tam per eos, quàm quæ & per Missos vestros iterum scire possimus vestræ dilectionis sanitatem, simulque fidelium vestrorum incolumitatem, necnon & omnium rerum vestrarum apud vos consistentium prosperitatem. Porro nunc per has nostras veras & fideles syllabas corroboramus & confirmamus priorem pacem & amicitiam inter vos & nos constitutam, deprecantes mediatorem ejusdem pacis Dominum qui dixit; Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, eandem pacem & caritatem splendidiorem & robustiorem facere, & ostendere temporibus & potestatibus præteritis, quoniam & nos sic tenemus & speramus quod & vestra gloriosissima potestas ita consentiat, sicut & nostra. Charitas enim & pax utramque potestatem secundùm dominicam vocem potest, & servatrices mandatorum ejus efficere. Dixit enim: Qui diligit me, mandata mea custodit. Et iterum; In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis si dilectionem habueritis ad invicem. Sed, & hoc vestræ Christo amabili dilectioni manifestamus, quia multa de Ecclesiasticis seu & Laïcis viris alieni de Apostolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos custodientes, facti sunt inventores malarum rerum. Primùm quidem honorificas & vivificas cruces de sacris templis expellebant, & in eadem loca imagines statuebant, ponebantque lucernas coram eis, simul & incensum adolebant, atque eas in tali honore habebant sicut honorificum & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. Psallebant & adorabant, atque ab eisdem imaginibus auxilium petebant. Plerique autem linteaminibus easdem imagines circumdabant, & filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices faciebant. Similiter & in tonsura puerorum, cùm capillos præciderent, eosdem capillos decidere super imagines sinebant. Alii verò religiosum habitum monasticum sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui priùs comam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus quasi in sinum earum decidere capillos illorum sinebant. Quidam verò Sacerdotum & Clericorum colores de imaginibus radentes immiscuerunt oblationibus & vino, & ex hac oblatione post Missarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manus imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli verò spreta Ecclesia in communibus domibus tabulis imaginum pro altariis utebantur, & super eas sacrum ministerium celebrabant, & alia multa his similia illicita & nostræ religioni contraria in Ecclesiis fiebant, quæ à doctioribus & sapientioribus viris satis indigna esse videbantur. Propterea statuerunt orthodoxi Imperatores & doctissimi Sacerdotes locale adunare Concilium ad inquisitionem super his habendam, qui in idipsum convenerunt sancto Spiritu inspirante. Talia ubique communi consilio fieri prohibuerunt, & imagines, de humilioribus locis auferri fecerunt; & C eas, quæ in sublimioribus locis positæ erant, ut ipsa pictura pro scriptura haberetur, in suis locis consistere permiserunt, ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur, sed neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodum & nos nunc sentimus & tenemus, abjicientes de Ecclesia Christi eos qui hujusmodi malignis inventionibus student. Propterea quidam illorum qui noluerunt suscipere Concilia localia, & à veritate redargui, fugerunt hinc, & venerunt ad antiquam Romam à Deo conservatam, injuriam & calumnias Ecclesiæ inferentes, & veræ religioni detrahentes, quorum pessima verba & D blasphemiis plena postponentes, nostra potiùs orthodoxa gloriæ tuæ manifesta facimus, quia nos Symbolum sanctarum & universalium sex Synodorum quod ab omnibus orthodoxis Christianis tenetur, non tantùm prædicamus, sed etiam inviolabiliter corde tenemus. Trinitatem in tribus personis divisam colimus, unitam unius divinitatis naturam confitentes ex Virgine temporalem Verbi nativitatem prædicamus, divinitatis & humanitatis duas voluntates & operationes gloriamur, postulantes intercessiones & interpellationes inviolatæ dominatricis nostræ Dei genitricis semper virginis Mariæ & omnium sanctorum. Gloriosas autem & sanctas reliquias eorum cum fide veneramur, & quicquid E aliud à beatissimis Apostolis traditũ, & à sanctissimis Patribus in eisdem sex Synodis constitutum est, & confitemur & tenemus. Vnde honorem Ecclesiæ Christi quærentes, fecimus litteras ad sanctissimum Papam antiquæ Romæ, & eas misimus per prædictos Missos nostros ad eum, dantes eis Evangelium aureum ex lapidibus pretiosis ornatum, similiter & patenam auream, & ipsam ex lapidibus pretiosis ornatam, & calicem simili modo ornatum, ambobus inscripta Imperii nostri nomina, ut Deo jubente illuc pervenientes offerant ea ad templum sanctissimi & beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui intercedat pro nobis

nobis & vobis. De cętero ordinet vestra spiritalis dilectio, ut cum omni honore & illęsione ad eum veniant, auxilium eis ferentes in his, quæ Deo placeant, & ad honorem ejus pertineant in satisfactionem caritatis, quæ inter nos est, jubentes ei, ut si amodo manifesti fuerint quidam seductores pseudochristiani Ecclesiæ calumniatores, illuc eos expellere, ut quod scriptum est de his adimpleatur. Dicit enim Scriptura; Ejicite malum de medio vestri, ut non tantùm in republica ad invicem concordemus, sed etiam & de magna re, quæ ad salutem animæ pertinet, id est, Ecclesiastica & Deo amabilia consentiamus. Causa memoriæ dilectionis, quæ inter nos est, misimus per prędictos Missos nostros prasinovultim unum, milinovultim unum, tyrea II. blattas veras II. dirodina II. diventa II.

Absolut. mense April. die 10. indict. 11. à Deo conservata Regia urbe.

EPISTOLA EPISCOPORUM In hoc Conventu ad eundem Ludovicum Pium Augustum.

Conventus Parisiensis, excellentissimis ac victoriosissimis, Deoque amabilibus, augustis Dominis H Ludovico & H Ludhario serenissimis Imperatoribus.

NOs servi ac fidelissimi oratores vestri, qualiter proximis kalendis Novembris apud Parisiorum urbem juxta pręceptum vestræ magnitudinis in unum convenimus, qualiterque de negotio à vestra pietate nobis injuncto, de causa videlicet imaginum egerimus, ad memoriam vestræ celsitudinis reducimus. Sed ut meliùs nobis manifestum fieret, ob quam causam vestra pietas, quæ erga Dei, sanctæque suæ Ecclesiæ amorem ardentissimè flagrat, ad hoc inquirendum primùm accensa fuerit, necessarium duximus initium hujusce rei cognoscere, & ideo primùm epistolam domini Hadriani Papæ, quam pridem pro imaginibus erigendis, Constantino Imperatori, & Herenæ matri ejus ad eorum deprecationem in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus, & quantum nostræ parvitati res patuit, sicut justè reprehendit illos, qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere, & penitus abolere pręsumserunt, sic indiscretè noscitur fecisse in eo quod superstitiosè eas adorare jussit. Pro quarum etiam causa Synodum congregari pręcepit, & sua auctoritate sub jurejurando censuit ut erigerentur, adorarentur, & sanctæ nuncuparentur, cùm eas erigere licitum, adorare verò nefas sit. Inseruit etiam in eadem epistola quędam testimonia sanctorum Patrum, quantùm nobis datur intelligi valde absona, & ad rem de qua agebatur minimè pertinentia. Ex hujus namque epistolæ textu Imperator & Clerus, simulque & populus auctoritatem sumentes, Synodum fecerunt, in qua sicut illi multùm deviaverunt, qui imagines Sanctorum in illa alia Synodo, quæ sub Constantino avo memorati Constantini facta est, penitus abdicandas esse decreverunt: sic isti non mediocriter erraverunt, qui eas non solùm coli & adorari, & sanctas nuncupari sanxerunt; verumetiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt. Et ut id verum esse quod nitebantur adstruere, demonstrarent, quędam sanctarum Scripturarum testimonia, & sanctorum Patrum dicta ad suum superstitiosum errorem confirmandum violenter sumserunt, & eidem suo operi incompetenter aptaverunt, quoniam non eo sensu quo dicta, nec eo intellectu quo à sanctis Patribus exposita, ab illis esse produntur prolata vel intellecta. Eandem porro Synodum cùm sanctæ memoriæ genitor vester, coram se, suisque perlegi fecisset, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendisset, & quędam capitula quæ reprehensioni patebant, prænotasset, eaque per Angilbertum Abbatem, eidem Hadriano Papæ direxisset, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur, ipse rursus favendo illis qui ejus instinctu tam superstitiosa, tamque incongrua testimonia memorato operi inseruerant, per singula capitula in illorum excusationem respondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus est. Talia quippe quędam sunt, quæ in illorum objectionem opposuit, quæ remota Pontificali auctoritate, & veritati, & auctoritati refragantur. Sed licèt in ipsis objectionibus aliquando absona, aliquando inconvenientia, aliquando etiam reprehensione digna testimonia defensionis gratia proferre nisus sit, in fine tamen ejusdem apologiæ sic se sentire, & tenere, & prædicare ac præcipere de his quæ agebantur, professus est, sicut à beato Papa Gregorio institutum esse constabat. Quibus verbis liquidò colligitur, quòd non tantùm scienter, quantùm ignoranter in eodem facto à recto tramite deviaverit. Nisi enim in conclusione objectionum suarum retinaculis veritatis, beati scilicet Gregorii institutis, adstrictus, iter devium præcavisset, in superstitionis pręcipitium omnino labi potuisset. His igitur pro captu ingenii animadversis & intellectis, ut pleniùs etiam nobis cuncta patescerent, fecimus epistolam nobis relegi, quam vobis legati Græcorum anno præterito detulerunt. Venerabilis namque Freculfus Episcopus subtiliter, prudenterque qualiter ipse & Adegarius socius illius de hac re cum domno Apostolico, & cum venerandis Episcopis & ministris illius egissent, viva voce parvitati nostræ innotuit. Sed cùm prudenti relatu illius cuncta cognovissemus, qualiter partim veritatis ignorantia, partim pessimæ consuetudinis usu, hujus superstitionis pestis illis in partibus inolevisset; & priora, & posteriora studiosissimè considerassemus, intelleximus, quantùm nobis res patuit, quo zelo ad hæc consideranda vestra sancta devotio excitata fuerit. Non enim ignoramus animum vestrum magno tædio posse affici, cùm illos à recto tramite quoquomodo conspicitis deviare, qui summa auctoritate præditi, deviantes quoque debuerant corrigere. Illo nempe zelo accensi estis, de quo beatus Paulus Apostolus dicit, Quis scandalizatus, & ego non uror? Cum enim duos in periculo constitutos conspexistis, & à via regia declinantes, unum scilicet ad sinistram in abruptum confringendarum imaginum prolapsum: alterum verò ad dexteram, in superstitiosam videlicet earumdem imaginum adorationem proclivem, voluistis vos affectu pietatis medium opponere, & utriusque partis morbo salutiferam medicinam conferre. Sed quoniam maximum vobis in eo obstaculum erat, eo quod pars illa quæ debebat errata corrigere, suaque authoritate hujusce superstitionis

 errori

errori obniti, ipsa prorsus eidem superstitioni non solùm resistere, verùm etiam incauta defensione contra auctoritatem divinam, & sanctorum Patrum dicta, nitebamur suffragari: aperuit vobis Dominus ostium juxta optatum vobis desiderium, ut licentia vobis ab eadem tribueretur auctoritate tantæ rei cum vestris quærendi familiariter veritatem, ut quoniam inerat vobis voluntas consulendi, & deerat auctoritas quærendi, ejus auctoritate quæreretis veritatem, cujus auctoritas deviare videbatur ab ipsa veritate, quatenus sancto vestro desiderio ac vigilanti studio veritas patefacta, dum se in medium ostenderet, etiam ipsa auctoritas volens nolensque veritati cederet atque succumberet. Verùm quoniam fratrum salus non est negligenda, & eminens auctoritas non est facilè reprehendenda, visum est extremitati nostræ, ut omnis vestræ serenitatis sermo ad illos specialiter ex Apostolicarum auctoritate literarum dirigatur, quorum primùm causa ad hæc quærenda estis excitati, & quicquid reprehensione in utrisque partibus dignum cognoscitur, ad illorum personam potiùs referatur, qui liberè admoneri possunt, & quorum scandalum si pro veritate ortum fuerit, faciliùs tolerari potest. Credimus itaque quòd illos reprehendendo, illisque compatiendo; istos verò demulcendo, laudando & præferendo, eorumque auctoritatem magnis laudum præconiis efferendo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ condignam laudem deferendo; veritatem tamen ex testimoniis sanctarum Scripturarum, & sententiis sanctorum Patrum in medium proferendo, & veraciter sobrieque exponendo, poterit vestra sanctissima devotio, sicut optat, utrisque consulere. Sic quippe refragator vinculis veritatis modò blandiendo, modò honorando, modò secundùm rationem veritatem demonstrando subtiliter adstrictus, non audebit aliter docere quàm quod veritas habet, nec poterit aliter tenere, quàm quod veritatis documento aliis tenendum tradiderit. Tali nempe modo visum est nostræ mediocritati, ut utriusque partis saluti commodissimè prodesse, magnamque vobis à Domino remunerationem hujus rei gratia præparare possitis. Credimus sanè, quia quanquam aliqua ex parte superstitiosam sibi consuetudinem fortè vindicare velint, nullatenus tamen ab eadem sede aliter quàm auctoritas & veritas se habet, mandare in aliquam partem præsumet. Verebitur siquidem potestatem vestram, auctoritatem sedis, & testimonia veritatis. Cùm igitur à vestra sancta devotione ita peracta fuerint, licèt quod non optamus, in aliquo aut isti aut illi deviare voluerint, & vestram saluberrimam admonitionem, quæ tota ex auctoritate veritatis profertur, audire contemserint, non minor ob id vobis à Domino recompensatio fiet, quia totum secundùm verba beati Heliæ Prophetæ, quod vestrum fuit facere studuistis. Nos denique servi vestri, sicut superiùs præmissum est, in unum convenientes, & de nobis injunctis pro captu intelligentiæ nostræ familiariter conferentes testimonia ex auctoritate divina, & sententias sanctorum Patrum, quas prout temporis angustia permisit collegimus, & coram nobis legi fecimus, & quicquid in his de negotio de quo agitur necessarium, aptumque judicavimus, & in unum congerere studuimus, vestræque imperiali potentiæ per venerabiles

A viros Halitgarium & Amalarium dirigere præsumsimus, ut videlicet vestra à Deo vobis conlata sapientia ex his eligat quicquid necessarium, dignumque ad idem negotium pertinens judicaverit. Obsecramus itaque humiliter abundantissimam pietatem vestram, ut non nobis adscribatur quicquid ibi minùs aut indecens aut inventum fuerit. Verè enim fatemur quia angustia temporis præpediente, nec quanta voluimus, nec quanta potuimus, collegimus: sed tantùm vestris sacris jussionibus, ut decet & oportet, totis nisibus parere cupientes, quæ parvo in tempore ad manus nobis occurrere potuerunt, breviatim collegimus, & huic operi usque ad vestram sagacissimam examinationem inseruimus. Nam quidam nostrorum de longè B venientes non habuerunt spatium temporis quærendi: quidam verò nec causam pro qua ad hunc Conventum venire jussi sunt, donec pervenerunt, veraciter nosse potuerunt. Moduinus namque infirmitate, in qua diutissimè laborat, detentus venire nequivit. Scit itaque plenissimè excellentia vestra, quia illud quod per omnes Catholicorum libros indagari necessitas urget, prolixi temporis spatio ad legendum indiget. Nam si sufficiens spatium temporis nobis tributum fuisset, tanto Domino opitulante poteramus colligere, quæ huic operi copiosè poterant abundare. Tamen in his quæ collecta sunt, C summam hujus negotii de quo agitur discretè comprehensam esse juxta auctoritatem divinam & sanctorum Patrum sententias arbitramur: ita videlicet, ut unusquisque fidelis ea perlegens & intelligens, animadvertere queat, quòd imagines Sanctorum stulta præsumtione non sunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ, & penitùs dispiciendæ, nec assertione superstitiosa colendæ aut adorandæ, sed potiùs hujuscemodi superstitione remota juxta veram religionem memoriæ & amoris causa ob recordationem eorum, quorum imagines habendæ, sicut à beatissimo Gregorio satis catholicè, perspicueque dictum declaratur. Quia igitur nos D his qui in sacra Sede beati Petri Apostoli resident, dignam honoris reverentiam jure tribuendam non dubitamus, & illorum erga imagines superstitiosam venerationem quidam visu, omnes verò aliorum relatu cognoscimus, voluimus primùm contra illos sententias ponere, quod imagines præsumtiosa temeritate confringere præsumserunt, quatenus inde isti animati aliorum errata valentiùs vobiscum corrigerent, & ad suam superstitionem cognoscendam veritatis testimonia suscipienda animum faciliùs flecterent. Sicut igitur nobis videtur, & superiùs præmisimus, apertè sermo vestræ correctionis contra illos usquequaque dirigi potest, à quibus vobis illa epistola quam relegimus directa esse cognoscitur. E Quoniam ejus textus utramque partem reprehensione dignam demonstravit, & illam scilicet quæ indebito ac superstitioso cultu imagines venerabatur, & illam quæ ab inferioribus locis easdem imagines avertere ac delere præcepit. Et ideò credimus quanquam cetera alia secundùm auctoritatem veritatis, sicut in suis scriptis continetur, idem Imperator fecerit, propter hoc tamen factum quosdam illarum partium infirmos scandalizasse, necnon quosdam nostræ urbis Romanæ perturbasse. Ad exaltationem & pacem sanctæ suæ Ecclesiæ humillimam, Deoque amabilem, ac Christianæ religioni

gioni necessariam dominationem serenitatis vestræ Dominus Iesus Christus incolumem dexteram suæ pietatis tueri, ac felici protectione per immensum conservare, & post hujus vitæ cursum supernis civibus consortem dignetur efficere.

COLLECTIO SENTENTIARUM sanctorum Patrum, facta à Conventu Parisiensi.

CAPUT PRIMUM.

Congruum necessariumve judicavimus primùm sententias sanctorum Patrum colligere contra eos qui imagines non solùm ab ædibus, sed etiam à sacris vasis indiscretè abolere præsumunt.

Ex libro Eusebii Ecclesiasticæ historiæ 7. cap. 15.

VERÙM quia urbis hujus fecimus mentionem, justum videtur commemorare etiam illud in ea gestum, quod historiâ dignum duximus. Mulierem, quam sanguinis profluvio laborantem à Salvatore curatam Evangelia tradiderunt, hujus urbis civem constat fuisse, domusque ejus in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus verò domus ipsius basis quædam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris ipsius velut genibus provolutæ, palmasque simpliciter tendentis imago ære videtur expressa. Adstat verò alia ære nihilominus fusa statua habitu virili, stola comta circundata, & dexteram mulieri porrigens. Hujus ad pedem statuæ, è basi herba quædam nova specie nascitur, quæ cùm exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet, quam cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos, languoresque conquirit, ita ut quæcumque illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omninò virium gerens, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesus formatam tradebant, quæ permansit ad nostra usque tempora, sicuti ipsi oculis nostris inspeximus: & nihil mirum si hi, qui ex gentibus crediderunt, pro beneficiis quæ à Salvatore fuerant consequuti, hujusmodi velut munus videbantur offerre; cùm videamus etiamnunc & Apostolorum Petri & Pauli, vel ipsius Salvatoris imagines designari, tabulisque depingi, sed & antiquas ipsorum imagines à quibusdam conservatas non vidimus. Quod mihi videtur ex gentili consuetudine indifferenter observatum, quod ita soleant honorare quos honore dignos duxerunt, insignia etenim veterum reservari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum verò amoris indicium est.

In actibus Sylvestri Papæ leguntur.

Apparuisse Constantino Imperatori in visione Apostoli sanctus Petrus & Paulus, eique ita dixisse: Quoniam flagitiis tuis posuisti terminum, & effusionem innocentum sanguinis horruisti, missi sumus à Christo illorum Domino, dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo monita nostra, & fac quæcumque indicamus tibi. Sylvester Episcopus civitatis Romanæ ad montem Firapri persecutiones tuas fugiens, in cavernis petrarum cum suis clericis latebram fovet: hunc cùm ad te adduxeris, iste tibi pietatis piscinam ostendet, in quam dum te tertiò merseris, omnis te valetudo ista deseret lepræ; quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo salvatori compensa, ut omnes jussu tuo per totum orbem Romanum Ecclesiæ restaurentur: tu autem in hac parte purifica te, ut relicta superstitione idolorum, Dominum unum, qui solus & verus est, adores & excolas, & ad ejus voluntatem attingas. Exsurgens itaque à somno, statim convocat eos qui observabant palatium, & secundùm tenorem somnii sui misit ad montem Syrapti, ubi sanctus Sylvester in cujusdam Christiani agrum persecutionis causa cum suis Clericis receptus, lectionibus & orationibus insistebar. Ac ubi à militibus se conventum vidit, credidit se ad martyrii coronam evocari. Et conversus ad Clerum qui cum eo erat, dixit: Ecce nunc tempus adspectabile, ecce nunc dies salutis. Profectus itaque, ut dictum est, pervenit ad Regem, cui nunciatus cum tribus Presbyteris & duobus Diaconibus ingressus, dixit: Pax tibi & victoriæ de cælo ministrentur. Quem cùm Rex alacri animo & vultu placidissimo suscepisset, omnia quæ illi facta, quæ dicta sunt, quæ etiam relata secundùm textum superiùs comprehensum exposuit. Post finem verò narrationis suæ, præcontabatur, qui isti essent Dii Petrus & Paulus, qui illum visitarent, ob quam causam salutis suæ, ejus latebram detexissent. Sylvester respondit: Hos quidem Dominus noster sibi idoneos servos Christi, & Apostolos elegit ab eo missos ad invitationem gentium, ut credentes salutem consequantur. Cumque hæc & his similia Augusto diceret Papa, interrogare cœpit Augustus, utrumnam istos haberet aliqua imago expressos, ut ex pictura disceret hos esse quos revelatio docuisset. Tunc sanctus Sylvester misso Diacone imaginem Apostolorum exhiberi præcepit, quam Imperator aspiciens ingenti clamore cœpit dicere ipsos esse quos viderat, nec debere jam differre Episcopum ostensionem piscinæ, quam istos promisisse suæ saluti memorabat.

Ioannes Chrysostomus in homelia de superscriptione Psalmi quinquagesimi.

Pictores imitantur arte naturam, & colores coloribus permiscentes, visibiles corporum depingunt imagines, & faciunt homines, & animalia, & arbores, & reges, & rusticos, & barbaros, & pugnas, & rixas, torrentes sanguinum, & lanceas, & loricas, & scuta, & sedem Regalem, & Imperatorem sedentem, & barbarum subditum, & gladium acutum, & fluvios decurrentes, & campos variis floribus adornatos, & omnia quæ videntur per artem imitantes, mirabilem historiam videntibus præstant.

Paulinus lib. 9.

Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas, pauloque supina fatiges.
Colla reclinato dum perlegis omnia vultu,
Qui videt hæc vacuis agnoscens vera figuris,
Non vacua fidem sibi pascit imagine mentem.
Omnia namque tenet serie pictura fideli
Quæ senior scripsit per quinque volumina Moses,
Quæ gessit Dominus signatus nomine Iesus.

Et

Et post pauca.

Fortè requiratur quanam ratione gerendi,
Sederit hac nobis sententia pingere sanctas
Raro more domos animantibus adsimulatis,
Accipite, & paucis tentabo exponere causas.
Quos agit huc sancti felicis gloria cœtus
Obscurum nulli, sed turba frequentior his est
Rusticitas non cassa fide, neque docta legendi
Hæc assueta diu sacris servire prophanis,
Ventre Deo tandem convertitur advena Christo
Dum Sanctorum opera in Christo miratur aperta.
Cernite quàm multi coëant ex omnibus agris,
Quamque piè rudibus decepti mentibus errent,
Longinquas liquere domos, sprevere pruinas,
Non gelidi fervente fide, & nunc esse frequentes
Per totam vigiles extendunt gaudia noctem
Lætitia somnos, tenebras funalibus arcent.

Et paulò pòst.

Dum fallit pictura famem, sanctasque legenti
Historias castorum operum subrepit honestas,
Exemplis inducta piis, potatur hianti
Sobrietas, nimii subeunt oblivia vini,
Dumque diem ducunt spatio majore tuentes
Pocula rarescunt, quia per miracula tracto
Tempore, jam pauca subeunt epulantibus horæ.

Et infrà.

De Genesi, precor, hunc orandi collige sensum,
Ne maneam terrenus Adam, sed virgine terra
Nascar, & exposito veteri nova former imago.

Beatus Gregorius Nyssenus Episcopus, inter cætera, ubi de Abraham sermonem instituit.

Vidi, inquit, imaginem passionis, & non sine lacrymis visionem præterii, opere artis ad faciem deducens historiam, &c.

Item idem in interpretatione Cantici Canticorum.

Qui, inquit, imaginem conspicit, ex eadem arte per colores completam tabulam, non tinctionis præfert contemplationem, sed ad visionem depictam conspicit tantummodo, quam per colores magister demonstravit.

Augustinus in libro 16. de Civit. Dei.

Quosdam sine cervice oculos habentes in humeris, & cætera hominum, quasi genera hominum, quæ in maritima platea Carthaginis musirio puta sunt, ex libro depromta velut curiosioris historiæ.

Item ipse post pauca.

Quapropter, aut illa quæ & alia de quibusdam gentibus scripta sunt, omninò nulla sunt, aut si sunt, homines non sunt, apparet liquidò, quoniam sicut per picturam utiles & veræ recordationes ad memoriam aliquando redeunt, quæ componctionem ingerant, ita & jam nocivæ falsæ, humanis mentibus semper imagines ludificando ingerunt.

Item Augustinus in libro de decem Chordis, inter cætera, sic ait.

Quomodo facio ipsi Domino injuriam? Corrumpis teipsum, & unde facio Domino injuriam, quia corrumpo meipsum? Vnde tibi facit

A injuriam, qui fortè voluerit lapidare tabulam tuam pictam, in qua tabula imago tua est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns; si quis illam lapidet, nonne tibi facit contumeliam?

In lib. tripartita historiæ 10. cap. 30.

Neque enim sanctus Paulus dum venisset Athenas, & civitatem repletam idolis conspexisset, aras ab illis honoratas destruxit, sed ratione ignorantiam redarguit, veritatis jura monstravit.

Item in eodem libro sexto.

B Illud quoque quod sub Iuliano pervenit, narrare non sileo: fuit enim signum quidem virtutis Christi, & judicium contra principem iracundiæ Domini. Cùm enim agnovisset in Cæsarea Philippi civitate Phœniciæ, quam Paneam vocabant, insigne Christi esse simulachrum, quod sanguinis liberata profluvio constituerit, eo deposito, suam ibi statuam collocavit, quæ violento igne de cælo cadente, circa ejus pectus divisa est, ut caput cum cervice una parte dejectum atque in terra fixum, reliqua verò pars hactenus restitit, atque fulminis indicia reservavit. Statuam verò Christi tunc quidem pagani trahentes confregerunt. Postea verò Christiani colli- C gentes in Ecclesiam recondiderunt, quod hactenus reservatur.

Nunc qualis discretio sit tenenda erga Sanctorum imagines habendas, & historiarum picturas, sanctissimi & egregii, atque admirabilis, totiusque Catholicæ Ecclesiæ doctissimi viri beati Gregorii Papæ sequentia dicta declarant.

Scribit autem ad Serenum Massiliensem Episcopum.

D Indico, inquit, ad nos dudum pervenisse, quòd fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem in Ecclesiis imagines confregit, atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas, & illa servare, & ab eorum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literarum nescii haberent unde scientiam historiæ E colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.

Item idem ad eundem.

Perlatum, inquit, siquidem ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione ne adorari debuissent, confringeres. Et quidem quia eas adorare vetuisses, omnino laudavimus, fregisse verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te sanctum esse crederes & sapientem? Aliud est enim

enim picturam adorare, aliud picturæ historia A quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis prestat pictura cernentibus, quia in ipsa adorantes vident quid sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt, unde precipuè gentibus pro lectione pictura est, quod magnopere ad te, qui inter gentes habitas, attendi decuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum: & quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses, B sine dubio, & ea quæ intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere; sed potiùs poteras congregare, ut Pastoris in te meritò nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Hinc autem dum in hoc animi tui incautè nimis motus exsequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, ut maxima eorum pars à tua se communione suspenderet. Quando ergo ad ovile dominicum errantes omnes adducas, qui quas habes detinere non prevales? Proinde hortamur ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque ab hac te presumptione compescas, & eorum animos, quos à tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine, omni adnisu, omnique studio revocare festines. C Convocandi enim sunt diversi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ sanctæ testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat, quoniam scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi servies. Ac deinde subjungendum, quia picturæ imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi factæ fuerant, ut nescientes literas, ipsam historiam intendentes, quod dictum sit discere, transisse in adorationem videras. Idcirco commotus es, ut eas imagines frangi preciperes, atque eis dicendum si ad hanc instructionem ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesiis, eas D modis omnibus & offerri & haberi permittas. At judica quod non tibi ipsa visio historiæ, quæ pictura teste pandebatur, displicuerit, sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita, atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam revoca. Et si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare verò imagines omnimodis devita. Sed hoc sollicitè fraternitas tua ammoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adorationem solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.

Item idem ad Iannarum Episcopum.

Iudæi, inquit, de civitate vestra huc venientes, questi nobis sunt, quod Synagogam eorum, E quæ Taralis sita est, &c. Petrus, qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Domino volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est, Dominica ipsa festivitate Paschali, cum gravi scandalo sine vestra occupaverit voluntate, atque imaginem illic Genitricis Domini nostri, & venerandam crucem vel birrum albam, qua fonte surgens indutus fuerat, apposuisset.

Et post pauca.

Considerantes, inquit, hac de re vestræ voluntatis intentum, ac magis judicium, his hortamur affectibus, ut sublata exinde Cumea, quia dignum est veneratione, imagine atque cruce debeatis, quod violenter ablatum est, reformare.

Item idem ad Secundinum servum Dei inclausum.

Imagines, inquit, quas à nobis tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum tuum rogasti, valde nobis tua postulatio placuit, quia illum in corde tota intentione quæris, cujus imaginē præ oculis habere desideras, ut visio corporalis quotidiana reddat exortum, ut dum picturam vides, ad illum animo inardescas, cujus te imaginem videre consideras, abs te non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus: sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amando desiderat, quam videre conatur, si contingit eam ad balneum ire, aut ad Ecclesiam procedere, festinus in via se preparat, ut de visione hilaris recedat; scimus quia tu imaginem Salvatoris nostri ideo non petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei, ut in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras, & nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, vel in throno sedentem recordamur: & dum nos ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducimus, animum nostrum aut de resurrectione letificat, aut de passione mulcet. Ideoque direximus tibi Syrterias duas, imaginem Salvatoris, & sanctæ Mariæ Dei Genitricis, beati Petri & Pauli Apostolorum per supradictum filium nostrum Diaconem, & unam crucem cum clavo pro benedictione, ut ab ipso maligno defensus sis, cujus sancto ligno te esse munitum credis.

Hæc contra eos qui imagines sanctorum abominando evertunt, breviter dicta sufficere credimus. Nunc contra eos qui indebito cultu eas colunt, & adorant, & sanctas nuncupant, & sanctimoniam se per eas adsequi fatentur, sicut in illa Synodo Grecorum insertum invenimus, sanctorum Patrum dicta adnectendo subjecimus: sed unde primùm adorandarum imaginum origo inoleverit, ponerè necessarium judicavimus.

Scribit itaque beatus Augustinus in libro de diversis heresibus.

Simoniani à Simone Mago, qui baptizatus à Philippo Diacono, sicut in actibus Apostolorum legitur, pecunia voluit à sanctis Apostolis emere, ut etiam per impositionem manuum ei daretur Spiritus sanctus. Hic magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autem detestandam turpitudinem indifferenter utendi feminis, nec Deum mundum fecisse dicebat: negabat etiam carnis resurrectionem, & asseverabat se Christum, idemque Iovem se credi volebat, Minervam verò meretricem quandam Helenam, quam sibi sociam scelerum fecerat, imaginesque & suam & Helenæ discipulis suis prebebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorum simulacra auctoritate publica constituerat, in qua urbe Apostolus Petrus eum vera virtute Dei omnipotentis extinxit.

Item idem post pauca.

Sectæ Carpocratis fuisse creditur, quadam Marcel-

Marcellina, quæ colebat imaginem virorum & A Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo.

Item ipse in Epistola ad Dioscorum, inter cætera.

Demonstrat quondam Epicurus per imagines plures se finxisse, & suis tradidisse. Democritus etiam justè reprehenditur, qui per imanes quamvis aliter quàm Epicurus sentiret, ad interiorem cultum pervenire arbitratus est. . . .

Item post pauca.

De Epicuro, quæ tamen ut cogitet, imagines dictæ ab ipsis rebus, quas atomis formari putat defluere, atque in animum introïre subtiliores quàm sunt illæ imagines, quæ ad oculos veniunt: B nam & videndi causam hanc esse dicit quasdam imagines, ita ut universum mundum complectantur extrinsecus.

Item post pauca.

Ille quare non vidit, non opus esse, nec fieri posse, ut incorporeus animus, adventu atque contractu corporearum imaginum cogitet, de visu certè oculorum ambo pariter redarguuntur.

Item ipse in lib. 8. de Civitate Dei.

Ermes Ægyptius, quem Trismegiston vocant, sensit ita & scripsit. Quoniam ergo proavi nostri increduli & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem qua efficerent Deos, cui inventæ adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miscentes, quoniam animas facere non poterunt, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis divinisque mysteriis, per quas idola, & benefaciendi, & malè, vires habere potuissent.

Idem ipse in Epistola ad Marcellinum.

Quando primùm insuevit exercitus populi Romani armare, portare signa, tabulas pictas, vasa celata, miratica, privatim & publicè rapere, tunc cœpit perire laudabile illud decus salusque reipublicæ.

Item ipse in libro 7. de Civit. Dei.

Vnum verum Dominum, id est, omnis animæ D corporisque creatorem colere quisque contendat; non ideo peccat, quia non est colendus quem colit, sed quia colendum, non ut colendus est, colit. Qui verò & rebus talibus, id est, turpibus & scelestis, & non Dominum verum, id est, animæ corporisque factorem, sed creaturam, quamvis non vitiosam colit, sive illa sit anima, sive corpus, sive anima simul & corpus, bis peccat in Dominum, quod & pro ipso colit, qui non est ipse, & talibus rebus colit, qualibus nec ipse colendus est.

Et paulò pòst.

Vnde remotis constat ambagibus nefarios dæmones atque immundissimos spiritus hac omni civili Theologia invisendis: stolidis imaginibus, & per eas possidendis, & jam stultis cordibus invitatos.

Hæc de initiis adorandarum imaginum dicta sint.

Nunc verò quid nostri Doctores de indebito superstitionis cultu sentiant, breviter exsequendum est.

Origenes in homilia 8. de initio Decalogi, inter cætera.

Ego sic arbitror accipiendum quod verbi causa, si quis in quolibet metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis facit speciem quadrupedis, alicujusve serpentis vel avis, & statuat illam adorandam, non idolum, sed similitudinem fecit; vel etiam si picturas ad hoc ipse statuat, ipse nihilominus similitudinem fecisse dicendum est.

Et infrà.

Sermo Dei universa complectens simul abjurat & abjicit, & non solùm fieri idolum vetat, sed & similitudinem omnium quæ in terra sunt, & in aquis, & in cælo; addit autem & dicit, Non adorabis ea, neque coles: aliud est colere, aliud adorare. Potest quis & interdum, & invitus adorare, sicut nonnulli regibus adulantes, cùm eos in hujusmodi studia deditos viderint, adorare se simulant idola, cùm in corde ipsorum certum sit, quia nihil sit idolum. Colere verò est toto vis affectu & studio mancipare. Vtrumque ergo resecat sermo divinus, ut neque affectu colas, neque specie adores.

Hieronymus in expositione Daniel. Prophetæ.

Notum sit tibi, inquit, Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexisti non adoramus, sive statuam, ut Symmachus, sive imaginem auream ut cæteri transtulerunt, C voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo judices & Principes sæculi cùm Imperatorum statuas adorant, & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo. Et notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt, quod utrumque servis Dei non convenit.

Idem Origenes in homilia 6. de Cantico quod cantavit Moyses.

Licèt Apostolus Ioannes dicat, Filioli, nondum scimus quid futuri sumus. Sin autem revelatum nobis fuerit de Deo scilicet dicens, Similes illi erimus; similitudo tamen hæc non ad naturam, sed ad gratiam revocatur. Verbi causa, ut si dicamus picturam similem esse ejus, cujus imago in pictura videtur expressa, quantùm ad gratiam pertinet, visus similis dicetur, quantùm ad substantiam longè dissimilis; illa enim species carnis est & corporis vivi, ista colorum fucus est, & ceta tabulis sensu carentibus superposita.

Isidori ex lib. Etymologiarum.

Pictura autem est imago exprimens speciem rei alicujus, quæ dum visa fuerit, ad recordationem mentem reducit. Pictura autem dicta quasi fictura. Est enim imago ficta, non veritas, hinc & fucata, id est, quodam fuco inlita, nihil fidei & veritatis habentia, unde & sunt quædam E picturæ, quæ copora veritatis studio coloris excedunt, & fidem dum augere contendunt, ad mendacium provehant.

Item ipse post pauca.

Picturam autem Ægyptii excogitaverunt, primùm umbram hominis lineis circumductam, itaque initio talis, secunda singulis coloribus, posteà diversis, sicque paulatim se se ars ipsa distendit, & invenit lumen atque umbras, differentias colorum, &c.

Item

Item Hieronymus in expositione Ezechiel. Prophetæ.

Et septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Iechonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & unusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulæ de thure consurgebat, quando dicit septuaginta viros fuisse de senioribus domus Israël, qui tenerent thuribula manibus, ostendit multos & alios fuisse probos qui hoc non faciebant, sed forsitan peccatis aliis tenebantur, unumque nomen Iechoniam filium Saphan stetisse in medio eorum quasi principem sceleris eorum atque B sacrilegii, qui omissa religione Dei colebant idola, & in templo non adorabant Deum, cujus erat templum, sed picturas parietum.

Firmianus Lactantius in lib. 1. de falsa Religione, inter cætera inquit.

Illa quæ sunt extra hominem, quid opus est ea colere quibus careas? virtus enim colenda est, non imago virtutis, & colenda est non sacrificio aliquo, aut thure, aut precatione solemni, sed voluntate sola atque proposito, nam religio ac veneratio nulla alia nisi unius Dei tenenda est. Quid igitur opus est, ô vir sapientissime, tantos sumptus vel fingendis vel colendis imaginibus impendere? firmius & incorruptius templum C pectus est humanum, hoc potius ornetur, hoc veris illis numinibus impleatur, has enim falsas consecrationes sequitur quod necesse est, qui enim sic virtutes colunt, id est, qui umbras & imagines virtutum consectantur, ea ipsa quæ vera sunt tenere non possunt, &c.

Augustinus in lib. quæstionum veteris & novi Testamenti.

Christiani, utpote pauperes, quos stultos vocant, unum Deum colunt in mysterio, ex quo sunt omnia, nec aliquid quod ab eo conditum est, venerantur, ipsum enim solum sufficere D sibi & abundare sciunt ad salutem.

Item idem post pauca.

Non ergo nobis videtur, ut quod homo fecit, adorari debeat, factor enim à factura, non factura à factore adorari judicatur.

Item Firmiani Lactantii de falsa Religione lib. 2.

Duplici ergo ratione peccatur ab insipientibus; primùm, quòd elementa, id est, Dei opera Deo præferunt. Deinde quòd elementorum ipsorum figuras humana specie comprehensas colunt.

Item ipse in eodem libro.

Nihil aliud adoremus, nihil colamus, nisi E solius artificis, parentisque nostri unicum nomen.

Item ipse in eodem libro.

Suprà ergo non infrà est Deus, nec in ima potiùs, sed in summa Religione, qua credendus est.

Et infrà.

Nihil potest esse cælestе in ea re, quæ fit ex terra; quicquid enim simulatur, falsum esse necesse est, nec potest unquam veri nomen acci-A pere, quod veritatem fuco & imitatione mentitur.

Idem ipse eodem libro.

Vt intelligas nihil colendum esse, quod oculis mortalibus cernitur.

Augustinus in Psalmum 113.

Noli ergo addere manus hominum, ut ex eo metallo quod fecit verus Deus, velis facere falsum Deum, imò falsum hominem, quem pro vero venereris Deo, quem quisquis pro vero homine in amicitiam reciperet, insaniret. Ducit enim, & affectu quodam infirmo rapit infirma corda mortalium formæ similitudo & membrorum imitata compago.

Fulgentius in lib. de fide ad Donatum.

Quia ipse Deus sibi soli præcipiens tantummodo serviendum, seque jubens à fidelibus adorandum, prorsus interdixit, ne quis audeat creaturam adorare, creaturæque servire, propterea in fine primi illius præcepti de omnibus quæ creavit ita loquitur, Non adorabis ea, neque eis servies.

Et post pauca.

Vera Religio in unius constat Dei servitio.

Item ipse post pauca.

Sic veraciter unum Deum cum Patre Filium vera fides adorat, quæ sic Deo novit à creaturis omnibus serviendum, ut noverit creaturæ non deberi divinæ servituris obsequium.

Augustinus in epistola ad Maximum Grammaticum.

Scies à Christianis Catholicis, quorum in vestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique adorari, quod sit factum & conditum à Deo, sed unum ipsum Deum qui fecit & condidit omnia.

Item Augustinus in libro de quantitate animæ.

Deus autem immortalem animam fecit, ut opinor, nisi fortè tibi aliter videtur. Ergo tu velles talia fieri ab hominibus, qualia Deus: non equidem hoc dixerim, sed quemadmodum ipse immortalis immortale quiddam fecit ad similitudinem suam, sic & nos immortales facti à Deo, ad similitudinem nostram quod facimus immortale esse deberet, rectè diceres si ad imaginem ejus pingeres tabulam, quod in te immortale esse credis. Nunc verò in ea exprimis similitudinem corporis, quod profectò mortale est. Quomodo ergo sum similis Deo, cùm immortalia nulla possum facere ut ille? quomodo nec imago corporis tui potest hoc valere, quod tuum corpus valet, sic anima non mirandum est, potentiam tantam non habet, quantùm ille ad cujus similitudinem facta est, &c.

Si enim imago humani corporis nec tantùm valere asseritur, quantùm veraciter ipsum corpus valere perhibetur.

Qua causa sibi suffragari posse putant nonnulli reprehensione digni, qui in illa Synodo Græcorum meditationem imaginum sibi necessariam esse dicere præsumpserunt.

August. lib. 8. de Civitate Dei.

Quapropter meritò homo deficit ab illo qui

 cum

eùm fecit, cùm sibi præficit ipse quod fecit. Demonstrat enim idem Ermes, quod homines mortui divino colebantur honore, velut Æsculapius atque Mercurius, quem suum esse dicit avum, & reliqui. Hac enim occasione accepta, dæmones ut intercessores existerent apud bonos Deos, quos nos Angelos sanctos seu Archangelos, vel Potestates dicimus; tali enim ratione, nubiloso velamine sapientes gentilium sua numina obtexere nitebantur.

Ambrosius in expositione Epistolæ ad Romanos.

Numquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vindicet Comiti, cùm de hac re, si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnantur majestatis; & isti se non cogitant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid quod plus reservet Domino. Nam ideo ad Regem per tribunos aut comites itur, quia homo utique est Rex, & nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem promerendum, quem nihil utique latet: omnium enim merita novit, suffragatione non est opus, sed mente devota.

Item Augustinus in libro de vera Religione, inter cætera dicit.

Ad percipiendam veritatem nihil magis impedire, quàm vitam libidinibus deditam, & falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ, varias opiniones errores que generant. Nec errorem ullum in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua, quæ nihil sunt aliud, quàm de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta.

Item in eodem.

Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricant, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius enim qualemcumque virum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi potest, & tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cùm falsa imaginatur, colere non debemus: melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata; & tamen stipulam quam sentimus & tangimus, dementis est credere colendam.

Item idem lib. 10. de Civitate Dei.

Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferrentur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera, ita tamen ut quibus ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem eis multùm additur adorandi, quis verò sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit.

Item August. in lib. quæstionum 84.

Minoribus rebus intenta anima, quas per corpus corporaliter facit, minùs inhæret ipsi summæ sapientiæ: qui verò talia opera colunt, quantùm deviaverint à veritate, hinc colligi potest, quia si ipsa animalium corpora colerent quæ multò excellentiùs fabricata sunt, & quorum sunt ea imitaméta, quid eis infeliciùs diceremus?

Qua ratione, quave auctoritate imagines Sanctorum adorandæ sint, eisque, ut fertur, incensum ponendum, cùm ipsi Angeli vel sancti homines vivos se adorari noluerint.

Vnde beatus Augustinus in lib. 11. de Civitate Dei sic ait.

Putaverunt quidem deferendum angelis honorem vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo, & eorum sunt ammonitione prohibiti, jussique hoc ei deferre, cui uni fas esse noverunt, imitati sunt Angelos sanctos, & jam sancti homines Dei. Nam Paulus & Barnabas in Lycaonia, facto quodam miraculo sanitatis, putati sunt Dii, eisque Lycaonii victimas immolare voluerunt, quod à se humili pietate removentes, eis in quem crederent annuntiaverunt Deum.

Et post pauca.

Quæcumque igitur mortalis potestas quantalibet virtute prædita, si nos diligit sicut seipsam, ei vult esse subditos, ut beati simus, cui & ipsa subdita beata est. Si ergo non colit Deum, misera est, quia privatur Deo. Si autem colit Deum, non vult se coli pro Deo; illi enim potiùs divinæ sententiæ suffragatur, & dilectionis viribus favet, quia scriptum est, Sacrificans Diis, eradicabitur, nisi Domino soli. Nam ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obsequium quo colitur Deus sacrificium, certè nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo.

Item idem in Psalmo 96. inter cætera.

Homines autem sanctos attendite, qui sunt similes Angelis, cùm inveneris hominem aliquem sanctum servum Dei, si volueris illum colere & adorare pro Deo, prohibe te, non vult sibi arrogare honorem Dei, non vult tibi esse pro Deo, sed esse sub Deo.

Et post pauca.

Sic & Angeli sancti illius gloriam quærunt quem diligunt, ad ejus cultum, ad ejus orationem, ad ejus contemplationem, omnes quos diligunt rapere & inflammare student, ipsum illis adnuntiant non se, quoniam Angeli sunt, & quia milites sunt, non norunt gloriam quærere nisi Imperatoris sui.

Item post pauca.

Nemo dicat, Timeo ne irascatur mihi Angelus, si non illum colo pro Deo meo. Tunc tibi irascitur, quando ipsum colere volueris; bonus est enim, & Deum amat: quomodo dæmones irascuntur, si non colantur; sic Angeli indignantur, si pro Deo colantur.

Item lib. 10. de Civitate Dei.

Non itaque debemus metuere, ne in mortales & beatos uni Deo subditos, non eis sacrificando offendamus: quod enim nonnisi uni vero Deo deberi sciunt, cui & ipsi adhærendo beati sunt, proculdubio neque per ullam significantem figuram, neque per ipsam rem, quæ Sacramentis significatur, exhiberi sibi volunt. Dæmonum est hæc arrogantia, superborum atque miserorum, à quibus longè diversa est pietas subditorum Deo.

Item idem in eodem.

Nos autem Martyribus nostris non templa sicut

sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivum species fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum, & nostro, ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, vice & ordine nominantur. Non tamen à Sacerdote qui sacrificat invocantur, Deo quippe sacrificat non ipsis, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, & non illorum, ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.

Item August. in sermone Evangelico, de potestate quam dedit dæmonibus, ut abirent in porcos.

Noli inclinari Angelis, ut eis sacrificandum putes, nec bonis & sanctis, nolunt enim; quando facis; non te diligunt, diligunt autem, si cum eis adores quem adorant.

Item idem in libro de quantitate animæ.

Homo autem quilibet alius quanquam sapientissimus & perfectissimus, vel prorsus quælibet anima rationis compos atque beatissima est amanda tantummodo atque imitanda est, eique pro merito atque ordine quod ei congruit deferendum. Nam Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

Origenes in Epistola ad Romanos.

Cùm possent homines Deum agnoscere ab ejus cultu declinantes, ad imagines hominum adorandas, & animalium deverterunt, ut enim breviter & omni in unum collecta definitione dicamus adorare alium præter Patrem & Filium & Spiritum sanctum, impietatis est crimen.

Item August. in lib. de vera relig.

Non sit ergo nobis religio cultus corporum ætheriorum atque cęlestium, sed ejus, cujus contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelum beati sumus, sed videndo veritatem, qua ipsos etiam diligimus Angelos, nec invidemus, quod ea paratiores, & nullis molestiis interpedientibus perfruuntur, sed magis eos diligemus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino jussi sumus, quare honoramus eos charitate, non servitute, nec eis templa constituimus, nolent enim sic honorari à nobis, qui nos ipsos cùm boni sumus, templa summi Dei esse noverunt.

Item ipse in libro octavo de Civitate Dei.

Sanè nec Martyribus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus: honoramus sanè memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis fictisque convictis, quod etiamsi qui antea sentiebant timendo reprimebant, quis autem audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad altare, & jam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus, Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit? ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex illorum memoriæ renovatione adhortemur. Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum.

Hieronymus ad Riparium Presbyterum.

Acceptis primùm literis tuis, non respondere superbiæ est, respondere temeritatis. De his enim rebus interrogas quæ & proferre & audire sacrilegium est. Ais Vigilantium, qui κατ' ἀντίφρασιν, hoc vocatur nomine, nam Dormitantius rectiùs diceretur, os fœtidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra sanctorum Martyrum proferre reliquias, & nos qui eas suscepimus, appellare cinerarios & idolatras, qui mortuorum hominum ossa veneramur. O infelicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens non se intelligit esse Samaritam & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vasa quæ in eadem domo fuerint, pollui suspicantur, sequentes occidentem literam, & non Spiritum vivificantem. Nos autem non dico Martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Seraphim, non Cherubim, & omne nomen quod nominatur, & in pręsenti sæculo, & in futuro colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula; honoramus autem reliquias Martyrum, ut ejus cujus sunt Martyres: honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, quia qui vos suscipit, me suscipit.

Idem ipse adversùs Vigilantium.

Quis enim, ô insanum caput, aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum? nonne Paulus & Barnabas cùm Lycaonibus Iupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, & se homines esse dixerunt, non quòd meliores non essent olim mortuis hominibus Iove atque Mercurio, sed quòd sub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur, quod & de Petro legimus, qui Cornelium se adorare cupientem, manu sublevavit, & dixit, Surge, nam & ergo homo sum.

August. in libro de solutione quæstionum cap. 3.

Proinde sicut impia superbia sive hominum sive dęmonum, sibi hos divinos honores exhiberi vel jubet vel cupit, ita pia humilitas vel hominum vel Angelorum sanctorum hæc sib oblata recusavit, & cui deberentur ostendit.

In libro 19. de Civit. Dei dicit August.

Sed Deus ille, quem coluerunt sapientes Hebræorum, & jam cęlestibus sanctis Angelis & virtutibus Dei, quos beatissimos tanquam cives in hac nostra peregrinatione mortali veneramur & amamus, sacrificari vetat & coli, intonans in lege sua, Sacrificans diis eradicabitur.

Hæc contra eos, qui annorum numero superstitionem imaginum vindicare volunt, consuetudinem sequi cupiunt potiùs, quàm veritatis auctoritatem.

August. in lib. quæstion. veteris & novi Testamenti.

Irrationabile, inquit, vulgus, aut apparentes

umbras, aut dæmonia, aut simulacra mortuorum, ut deos colere cœperunt, quæ res in consuetudine vetustatis deducta arbitratur rationis sibi veritatem posse defendi, cùm veritatis ratio non ex consuetudine atque ex vetustate, sed ex Deo sit, quia non vetustate Deus probatur, sed æternitate, quamobrem fides non cœpta res, sed sine initio est; in Deum enim credere nostrum incipere est, nam quod creditur æternum est.

Et post pauca.

Quod colunt pagani post Deum est, opus post opificem est, pagani colunt opera, nos opificem; illi creaturam, nos Creatorem. Factus homo cœpit venerari suum Conditorem, quia & dignum est, & causa hoc exigit.

Hieremias Propheta.

Post Baalim, inquit, abierunt, quos didicerunt à patribus suis.

Vnde Hieronymus.

Ergo nec parentum, nec majorum error sequendus est, sed auctoritas Scripturarum, & Dei docentis imperium.

August. in Psalmum 113.

Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, nec simulacrum, nec dæmonium colo, sed effigiem corporalem ejus rei signum intueor quam colere debeo.

Item post pauca.

Audent respondere, non ipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident numina. Si enim, sicut præmissa sanctorum Patrum documenta declarant, sancti Angeli, & sancti viri non sunt colendi nec adorandi, hoc enim & ipsi refugiunt, sed sola caritate, non autem servitute honorandi, nec sanctis martyribus templa sacra & sacrificia, sed soli Deo constituenda, prǽsertim cùm honorandi sint propter imitationem, non adorandi propter religionem, qua ratione antiqua auctoritate adoratio, incensum, luminaria, & cetera, quæ in epistola Græcorum adnumerantur, eis exhibenda sunt? Quapropter omissa omni superstitione convenit sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ religioni erga Sanctorum imagines hanc discretionem tenere, sicut eximius doctor beatus Papa Gregorius docuit, & in suis scriptis nobis tenendum, sequendumque reliquit.

Ne igitur ex superstitione aut ex qualibet alia occasione scandalos infirmioribus fratribus provenire possent, hoc summopere sancti viri provida consideratione vitare studuerunt, & dictis, factisque suis nobis vitandum usquequaque evidenter ostendunt.

Hinc enim B. August. in lib. 4. de Civit. Dei.

Majores, inquit, nostri superstitionem à religione separaverunt.

Item idem in lib. 10. de Civit. Dei, ejusdem operis.

Legimus serpentum morsus mortiferos, pœnam justissimam peccatorum in ligno exaltato atque prospecto æneo serpente sanatos, ut & populo subveniretur afflicto, & mors morte destructa, vel ut crucifixæ mortis similitudine significaretur, quem sanè serpentem propter facti memoriam reservatum, cùm postea populus errans, tanquam idolum colere cœpisset, Ezechias Rex religiosa potestate Deo serviens, cum magna pietatis laude contrivit.

Tale quid, & beatum Epiphanium virum sanctissimum & doctissimum, zelo divino succensum, in epist. quam ad Ioannem Constantinopolit. Episcopum scribit, & B. Hieronymus de græco in latinum sermonem transtulerat, legimus fecisse.

Audivi, inquit, quosdam murmurare contra me, quando simul pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem, venissem ad villam, quæ dicitur Anablata, vidissemque ibi prǽteriens lucernam ardentem, & interrogassem qui locus esset, didicissemque esse Ecclesiam, & intrassem ut oratem, inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam. Non enim satis memini cujus imago fuerit. Cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra authoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem, ut pauperem mortuum eo obvolverent & efferrent: illique contra murmurantes dicerent, si scindere voluerit, justum erat ut aliud daret velum, atque commutaret: quod cùm audissem, me daturum esse pollicitus sum, & illico se missurum, paululum autem fuit moratum in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere, arbitrabar enim de te pro mihi esse mittendum. Nunc autem misi quod potui reperire, & precor ut jubeas Presbytero ipsius loci suscipere velum à lectore, quod à nobis missum est, & deinceps præcipere in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi.

Nam & beatus Paulus Apostolus in epistola prima ad Corinthios ob scandalum infirmiorum fratrum vitandum ita scripsit.

De his autem quæ idolis sacrificantur, scimus, quia omnes scientiam habemus, & quia idolum nihil est.

Quod beatus Ambrosius ita exponit.

Hi, inquit, inflati erant per scientiam, qui idolo contra salutem fratrum imperitorum carnes sacrificatorum edebant, scientes licere carnem edere, & quod nihil est idolum, ideò non contaminari edentem, hi scandalum fratribus erant, caritatem præ oculis non habentes, quia plus erat carnem contemnere, quàm fratri scandalum facere.

Et post pauca.

Propter quod si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ut non fratrem meum scandalizem. In tantum caritati studendum docet, ut licita pro inlicitis habeantur, ne obsint fratri; quantùm enim mali est per illicita non delinquere, & per ea quæ concessa sunt offendere, ut lex servetur in illicitis, & non in licitis custodiatur, dum inconsideratè edunt.

Vnde beatus Apostolus dicit: Omnia mihi licent,

ANNO CHRISTI 824.

licent, sed non omnia expediunt. Quod beatus Augustinus ita exponit.

Potest ergo aliquid licere & non expedire. Expedire autem quod non licet non potest, ac per hoc non omnia licita expediunt. Sunt quippe licita, quæ non expediunt, sicut Apostolo teste didicimus: sed id quod inter illicitum est, & ideo non expedit, atque quod licitum est, nec tamen expedit, quid intersit, aliqua universali regula diffinire difficile est.

Et infrà.

Quapropter quia verum dixisse Apostolum dubitare non possumus, & aliqua peccata esse licita dicere non audemus, restat ut dicamus, fieri aliquid quod non expediat, & tamen si licitum est, non esse peccatum, quamvis quoniam non expedit, non sit utique faciendum.

Et post pauca.

Vt igitur si possumus, enitamur inter id quod licet & non expedit, & id quod non licet atque ideo nec expedit, aliquo certo fine distinguere, ea mihi videntur licere, & non expedire, quæ per justitiam quidem, quæ coram Deo est, permittuntur; sed propter offensionem hominum ne impediantur à salute, vitanda sunt; ea verò non licere, & ideo non expedire, quæ sic ipsa justitia vitantur, ut facienda non sint, etiamsi ab eis, quibus in notitiam fuerint perlata, non laudentur.

Item post pauca.

Expedit tunc, quando non solùm per justitiam quæ coram Deo est, permittitur; sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur. Tunc autem non expedit id quod licitum est, quando permittitur quid, sed usus ipsius potestatis affert impedimentum salutis.

Hæc ideo inseruntur, ut hi qui imagines erigunt memoriæ causa & amoris, illud caveant, ne quod ab illis fortè devotè & licitè fit, infirmis in scandalum evenire contingat, ut sic suæ devotioni satisfaciant, quatenus salutem infirmorum non obliviscantur, & infirmam conscientiam fratrum occasione, superstitionis prębendæ commaculent.

Propter eos autem qui sibi ob hoc suffragari ad adorationem imaginum putant, quod dicunt adorasse Iacob Ioseph filium suum, vel certè adorasse fastigium virgæ ejus, necessarium duximus, qualiter id à beato Hieronymo, & beato Augustino exponatur, subnectendum.

Scribit itaque beatus Hieronymus in libro Hebraïcarum quæstionum.

Postquam, inquit, juraverat ei filius, securus de petitione quam rogaverat, adoravit Deum coram caput lectuli sui. Sanctis & Deo deditus vir, oppressus senectute, habebat lectulum positum, ut ipse jacentis habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus.

August. in lib. quæst. Genes. cap. 62.

Quod habent Latini codices, Et adoravit su- A per caput virgæ ejus, nonnulli emendantes habent, adoravit super caput virgæ suæ, vel in capite virgæ suæ, sive in cacumen, vel super cacumen; fallit enim eos Gręcum verbum, quod eisdem literis scribitur, sive ejus, sive suæ, sed accentus dispares sunt, & ab eis qui ista noverunt in codicibus non contemnuntur, valent enim ad magnam discretionem, quamvis & unam plus literam habere posset, & si esset suæ, ut non esset αὐτοῦ, sed ἑαυτοῦ, ac per hoc meritò quęritur, quid sit hoc quod dictum est, nam facilè intelligeretur, senem, qui virgam ferebat, eo more quo illa ætas baculum solet, ut se inclinavit ad Dominum adorandum, id utique fecerit super cacumen virgæ suæ, quam sic B ferebat, ut super eam caput inclinando, adoraret Deum: Quid est ergo, adoravit super cacumen virgæ ejus, id est, filii sui Ioseph, & is fortè tulerat ab eo virgam, quando ei jurabat idem filius, & dum eam tenet post verba jurantis nondum illam redditam, mox adoravit Deum; non enim pudebat eum ferre tantisper insigne potestatis filii sui, ubi figura magnæ rei futuræ designabatur, quamvis in Hebręo facillima hujus quęstionis absolutio esse dicatur, ubi scriptum perhibent, Et adoravit Israël ad caput lecti, in quo utique senex jacebat, & sic positum habebat, ut in eo sine labore quando C vellet, adoraret.

LVDOVICI PII Imp. II.

Contra illos, qui hoc se adjuvare putant quod dicitur in Regum, quia adoravit Nathan Propheta David, aliquid respondendum est.

De hac enim adoratione ita beatus Gregorius in lib. 10. explanationum in Iob loquitur.

Pene ergo lex Dei multiplex dicitur, quia nimirum cùm una eademque sit caritas, si mentem plenè cœperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit, cujus diversitatem breviter exprimimus, si in electis singulis bona illius D perstringendo numeremus. Hæc namque per Abel, & electa Deo munera obtulit, & fratris gladium non reluctando toleravit. Hæc Enoc & inter homines vivere spiritualiter docuit, & ad sublimem vitam ab hominibus & jam corporaliter abstraxit.

Et paulò post.

Hæc Nathan, & contra peccantem Regem auctoritate liberæ increpationis sustulit, & cùm Regis culpa deesset, in petitione humiliter stravit. Claret namque quòd talis esset hæc adoratio, sicut & nos ante honorabiliores personas E cùm eas salutamus, prosternimur humilitatis gratiâ, & eas adorasse dicimur, dum eis nullum divini honoris cultum exhibemus; eodemque modo adorasse Iacob Esaü fratrem suum haud dubium non est.

Contra illos etiam, qui imagines adorare se profitentur, quia sacra ab illis nuncupantur, & sacris vasis eas æquiparant, aliquid dicendum est.

Augustinus in Psalm. 113.

Simulacra, inquit, gentium, argentum & aurum; sed Deus fecit argentum & aurum, opera,

A opera, inquit, manuum hominum. Hoc enim venerantur, quod ipsi ex auro argentoque fecerunt; sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex hujuscemodi materia, vel metallo habemus in usu celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicantur, in ejus honore cui pro salute nostra inde servitur, & sunt profectò etiam ista instrumenta, vel vasa, quid aliud quàm opera manuum hominum? verumtamen nunquid os habent, & non loquuntur? nunquid oculos, & non videbunt? nunquid eis supplicamus, quia per eas supplicamus Deo? illa maxima causa est impietatis insanæ, quod plus valet in affectibus miserorum viventi B similis forma, quæ sibi efficit supplicari, quàm quòd eam manifestum est non esse viventem, ut debeat à vivente contemni.

Contra eos etiam dicendum est, qui pro imaginum adoratione duo Cherubim adsumunt in testimonium, quæ in signo mysterii ducta fuerunt.

Vnde beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana tertio, inter cætera, inquit.

Miserabilis est animæ servitus signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse, quæ tamen servitus in Iudæorum populo longè à cæterarum gentium more C distabat, quandoquidem rebus temporalibus ita subjugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus; & quanquam signa rerum spiritalium pro ipsis rebus observarent, nescientes quò referrentur, id tamen insitum habebant, quod tali servitute uni omnium, quem non videbant, placerent Deo: quam custodiam tanquam sibi pædagogo parvulorum fuisse scribit Apostolus, & ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnentem ista Dominum, cùm jam tempus revelationis eorum venisset, ferre D non potuerunt, atque inde calumnias, quòd Sabbatho curasset, moliti sunt principes eorum, populusque signis illis tanquam rebus adstrictus, non credebat Deum esse, vel à Deo venisse, qui ea sicut à Iudæis observabantur, nolebat attendere, sequi crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymitana, satis ostenderunt, quanta utilitas fuerit eo modo sub pædagogo custodiri, ut signa quæ temporaliter imposita erant servientibus, ad unius Dei cultum, qui fecit cælum & terram, opinionem observantium religarent. Si ergo signum utiliter institutum pro ipsa re sequi, cui significandæ institutum est, carnalis est servitus, quantò magis E inutilium rerum signa instituta pro rebus accipere, quæ si retuleris ad ea ipsa quæ his significantur, eisque colendis animum obligaveris, nihilominus servili, carnalique onere atque velamine non carebis: quamobrem Christiana libertas eos quos invenit sub signis utilibus tanquam prope inventos interpretatis signis, quibus subditi erant, elevatos ad eas res quarum signa sunt, liberavit. Ex his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israëlitarum: quos autem invenit sub signis inutilibus, non solùm servilem operationem sub talibus signis, sed etiam ipsa signa frustravit, removitque omnia, ut à corruptione multitudinis simulacrorum Deorum, quam sæpè ac propriè Scriptura fornicationem vocat, ad unius Dei cultum gentes converterentur, nec sub ipsis jam signis utilibus servituræ, sed exercitaturæ potiùs animum in eorum intelligentia spiritali: sub signo enim servit, qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui verò aut operatur aut veneratur utile signum divinitùs institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illius potiùs quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa illa revelari, quorum jugo edomandi sunt; tales autem spiritales erant Patriarchæ & Prophetæ, omnesque in populo Israël, per quos nobis Spiritus sanctus ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministravit. Hoc verò tempore posteaquam resurrectio Domini nostri manifestissimum judicium nostræ libertatis inluxit, ne eorum quidem signorum quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus, sed quædam pauca pro multis eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolicâ tradidit disciplinâ, sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini, quæ unusquisque cùm percipit, quò referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potiùs libertate veneretur: ut autem literam sequi, & signa pro rebus quæ his significantur accipere, servilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari malè vagantis erroris: qui autem non intelligit quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute, meliùs est autem vel premi incognitis, sed utilibus signis, quàm inutiliter ea interpretando à jugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere.

De cultu debito quem Græci latriam dicunt, vel religione, cultuque, quæ uno vocabulo Græci Thresciam vocant, vel quod non sit manufactum, colendum nec adorandum.

Augustinus in lib. 10. de Civit. Dei.

Hic est enim divinitati, vel si expressiùs dicendum est, deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit latinum græco, ubi necesse est insinuo quod velim dicere, latriam, quippe nostri ubicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem, sed ea servitus quæ debetur hominibus secundùm quam præcepit Apostolus servis, dominis suis subditos esse debere, alio nomine græcè nuncupari solet; latria verò secundùm consuetudinem qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur; dicimur enim colere etiam homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus, nec solùm ea quibus nos religiosa humilitate subjicimus, sed quædam etiam quæ subjecta sunt, nobis perhibentur coli: nam ex hoc verbo, & agricolæ, & coloni, & incolæ vocantur, & ipsos Deos non ob aliud appellant cælicolas, nisi quod cælum colant, non utique venerando,

venerando, sed inhabitando tanquam cæli A quosdam colonos, non sicut appellantur coloni, qui conditionem debent genitali solo propter agriculturam sub dominio possessoris, sed sicut ait quidam Latini eloquii magnus auctor, Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni. Ab incolendo enim colonos vocavit, non ab agricultura. Hinc & civitates à majoribus civitatibus, vel populorum examinibus conditæ coloniæ nuncupantur, ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo, propria quadam notione verbi hujus omnino verissimum est.

Item August. lib. locutionum in Genesi, de lapide quem erexit Iacob, ita dicit.

Quòd statuit lapidem Iacob quem sibi ad caput posuerat, constituit eum titulum, & perfudit illum oleo, non aliquid idolatriæ simile fecit, non enim vel tunc vel postea frequentavit, lapidem adorando vel ei sacrificando, sed signum fuit in prophetia evidentissima constitutum, quæ pertinet ad unctionem, unde Christi nomen à chrismate est.

Post pauca.

Sumpsit autem Iacob lapidem, & constituit eum titulum. Diligenter animadvertendum est, quomodo istos titulos in rei cujusque testimonium constituebant, non ut eos pro diis colerent, sed ut aliquid significarent.

Contra eos etiam, qui eadem auctoritate in illa Synodo Græcorum se imagines adorare professi sunt, sicut & vivificam crucem debito honore & trophæo virtutis, pauca inserenda necessarium judicavimus, ut convincantur non se hac occasione suæ superstitioni posse suffragari.

De Cruce, historia Ecclesiastica panxit cap. 9. de Constantino.

Erat quidem jam tunc Christianæ religionis fautor, verique Dei venerator; nondum tamen, ut est solemne nostris initiari, signa dominicæ Passionis acceperat. Cùm igitur anxius, & multa secum de imminentis belli necessitate pervolvens iter ageret, atque ad cælum sæpius oculos elevaret, & inde sibi divinum precaretur auxilium, vidit per soporem ad Orientis partem in cælo signum crucis igneo fulgore rutilare; cumque tanto visu fuisset exterritus, ac novo perturbaretur aspectu, adstare sibi vidit Angelos dicentes: Constantine, in hoc vince. Tum verò lętus redditus, & de victoria jam securus, signum Crucis quod in cælo viderat, in sua fronte designat, & ita cęlitus invitatus ad fidem, non mihi videtur illo inferior, cui similiter de cęlo dictum est: *Saule, Saule, quid me persequeris? ego sum Iesus Nazarenus*, nisi quia hic nondum persequens, sed etiam exconsequens invitatur. Exin signum, quod in cælo sibi fuerat demonstratum, in militaria vexilla transformat, ac labarum quem dicunt, in speciem Crucis dominicæ exaptat, & ita armis, vexillisque religionis instructus, adversùm impiorum arma proficiscitur. Sed & in dextra sua manu signum nihilominus crucis ex auro fabrefactum habuisse perhibetur.

Item in tripartita historia lib. 1. cap. 4.

In his igitur sollicitudinibus constitutus in somno, vidit Crucis signum cælo splendidè collocatum, mirantique visionem adfuerunt Angeli dicentes, O Constantine, in hoc vince. Fertur autem & ipsum Christum apparuisse ei, signum Crucis monstrasse, ac pręcepisse, ut figuram similem faceret, & in pręliis auxilium hoc haberet, quo victoriæ jura conquireret. Eusebius itaque Pamphili, cum jurejurando ipso Imperatore dicente audisse se refert, quia circa meridiem declinante jam sole Crucis signum ex lumine factum, & scripturam conservatam ei dicentem, In hoc vince, vidisset ipse, & milites B qui cum eo tunc essent; pergenti namque aliquò cum exercitu, per iter hoc in quo ei miraculum est ostensum, dumque cogitaret quid esset, nox supervenit, & dormienti Christus apparuit cum signo quod vidit in cælo, jussitque ut fieret ejus signi configuratio, quæ foret auxilium in congressibus præliorum.

Legitur in eodem lib. cap. 5.

Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius erat, eo quòd Imperatorem præcedere, & adorari eum à militibus moris esset, unde præcipuè Constantinum reor, nobilissimum decus imperii Rom. in signum mutasse Crucis, ut frequenti C visione atque cura desuescerent à priore more subjecti, & eum solum arbitrarentur Deum, quem coleret Imperator, & quo duce & auxiliatore uterentur adversùs hostes; semper enim hoc signum proponebatur ante ordines universos, quod maximè laborantibus aciebus in præliis adesse præciebat: constituit itaque certos signiferos, qui in eo laborarent, quorum opus erat, ut vicibus humeris eum veherent, & omnes acies ita lustrarent. Fertur enim quod aliquando quidam ferens hoc signum repentè hostibus invadentibus expavisset, dedissetque illud alteri vehendum, cumque se de prælio subtraxisset, & jacula declinasset, subitò percussus D interiit; ille verò qui sacrum suscepit trophæum, multis se jaculantibus permansit illæsus: mirabiliter enim divina regente virtute, sagittæ hostium figebantur in signo, à signifero autem protinus inter pericula evolabant. Dicitur autem neque alium, quàm hujus signi ministrum, ut solet in bello, vulnere mortuum, aut cladem captivitatis perpessum.

Item in eodem lib. 2. cap. 18.

Dicitur autem quia etiam mortuus, crucis tactu surrexit, de hoc ligno Sybilla dixit apud paganos, O ter beatum lignum, in quo Deus extensus est.

E *Item in eodem lib. cap. 9.*

Audivi enim & Probianum virum in palatio habentem militiam medicorum, crudeli podagrę passione detentum, ibi doloribus liberatum, eique apparuisse sanctam mirabilem visionem. Cùm enim dudum paganus esset, factus postea Christianus, aliquatenus dogma sequebatur, totius verò salutis causam, id est, sacratissimam Crucem nolebat adorare. Hanc habenti sententiam divina virtus apparens signum monstravit crucis, quod erat positum in altario ejus Ecclesiæ, & apertè palam fecit, quia ex quo crucifixus est Christus, omnia quæ ad utilitatem humani

Q generis

generis facta sunt, quolibet modo prçter virtutem adorandæ crucis gesta non essent; neque ab Angelis sanctis, neque à piis hominibus.

Legitur in eodem lib. cap. 46.

Ea siquidem tempestate plurimi inter Episcopos effulgebant, sicut Donatus curiæ Epyri, de quo dum provinciales miracula multa testentur, maximum tamen est quod de dracone gessit: is enim circa pontem in via publica jacens cibum habebat; oves, capras, equos, boves, & homines arripiens devorabat. Ad quam bestiam Donatus sine gladio, sine quolibet jaculo veniens, dum illa levasset caput, quasi voratura virum, tunc ille vexillum Crucis ante faciem ejus digito designans in aëre, in os ejus expuit, bestia verò sputum mox ore suo suscipiens expiravit.

Ioann. Chrysost. in homil. 11. de Cruce & Latrone.

Hodierna die noster Dominus pependit in cruce, & nos festivitate eximia lætitiam celebramus, ut discamus crucem totius spiritalis gratulationis esse substantiam; etenim ante ipsum, vocabulum crucis pœna fuit, sed nunc ad gloriam nuncupatur; antea condemnationis ferebat horrorem, nunc salutis judicium est. Crux enim nobis totius beatitudinis causa est, hæc nos à cæcitate liberavit erroris, hæc & ex tenebris reddidit luci, hæc ebellatos quieti sociavit, hæc alienatos Deo conjunxit, longè constitutos proximos prçsentavit, hæc peregrinantes cives ostendit, hæc discordiæ amputatio est, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abunda largitio.

Et post pauca in eadem homilia.

Volo & alia ratione cognoscas, crucem suam non reliquit in terra, sed secum eam levavit ad cçlum, sed, ais, hoc unde demonstratur, & ideo audivi, quod cùm ipsa veniet, cum ipsa secundùm gloriam suam prçsentiam faciet, ideo gloriosam crucem nuncupavit.

Item post pauca in eadem homilia.

Et tunc signum videbitur filii hominis in cçlo, vidisti gloriam signi, id est, crucis, Solis lumen reddetur obscurum, Lunæ non dabitur gratia, sed illud radiabit & lucet, & sicut Imperatorem regalis pompa præcedit, & militaris ordo præeunte vexilla humeris portare consuerunt, & his ejus declaratur adventus; sic Domino de cælo veniente, Angelorum cœtus & Archangelorum multitudo, illud signum humeris portant excelsis, & regalem nobis adventum nunciant. Sola enim Christi crux est, quæ dissolvit tenebras, & regnum dæmonum dissipavit, & omnem terrorem malignantium abstulit; crux sanctitatem providit, crux nobis Sol justitiæ facta est, ut illuminanti misericordiâ ejus glorificemus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in sæcula sæculorum. Amen.

Item Ioannes Chrysostomus in homil. 13. de Cruce dominica.

Etsi nosse desideras, carissime, virtutem crucis, & quanta ut possum ad ejus laudem dicere, audi.

Crux spes Christianorum, crux resurrectio mortuorum, crux cæcorum dux, crux despera- A torum via, crux claudorum baculus, crux consolatio pauperum, crux refrænatio divitum, crux destructio superborum, crux malè viventium pœna, crux adversùs dæmonas triumphus, crux devictio diaboli, crux adolescentum pædagogus, crux sustentatio inopum, crux spes desperatorum, crux navigantium gubernator, crux periclitantium portus, crux obsessorum murus, crux pater orphanorum, crux defensor viduarum, crux justorum consiliarius, crux tribulatorum quies, crux parvulorum custos, crux virorum caput, crux senum finis, crux lumen in tenebris sedentium, crux Regum magnificentia, crux scutum perpetuum, crux insensatorum sapientia, crux libertas servorum, crux Impera- B torum philosophia, crux lex impiorum, crux Prophetarum præcentio, crux annunciatio Apostolorum, crux Martyrum gloriatio, crux Monachorum abstinentia, crux Virginum castitas, crux gaudium Sacerdotum, crux Ecclesiæ fundamentum, crux orbis terræ cautela, crux templorum destructio, crux idolorum repulsio, crux scandalum Iudæorum, crux perditio impiorum, crux invalidorum virtus, crux ægrotantium medicus, crux emundatio leprosorum, crux paralyticorum requies, crux esurientium panis, crux sitientium fons, crux nudorum protectio. Nuditatem autem cùm dixero, non corpoream æstimes, sed infidelitatis per pœnam; cùm autem in Christum crediderit, vestitus in- C venietur.

Idem Augustinus in lib. 22. de Civit. Dei.

In Carthagine Innocentia religiosissima fœmina de primariis ipsius civitatis, in mamilla cancrum habebat: hujus morbi, ut ferunt, omnis omittenda est curatio. Hæc illa à perito medico acceperat, & ad solum Deum se orando converterat. Admonetur in somnis, appropinquante Pascha, & in parte fœminarum observantia ad baptisterium quæcumque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum: signum crucis Christi fecit, confestim sanitas D consequuta est.

Sedulius in 4. lib. Paschalis carminis.

Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis pœnam vestivit honore,
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.
Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Qua Dominum portavit ovans ratione potenti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacra labuntur sidere planta,
Arcton dextra tenet, medium læva subrigit axem,
Cunctaque de membris vivit natura creantis.
Et cruce complexum Christus regit undiq; mundum.

E

Item Paulinus in lib. 8. natalis Felicis.

Nos crucis invictæ signum & confessio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis, & quanquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Item idem in lib. 10.

Ipse domum remeas, modicum, sed grande saluti,
De crucis aeterna sumptum mihi fragmine lignum,
Promo, tenensq; manu adversis procul ingero flammis,
Et

Et clypeum retinens pro pectore quo tegerem me,
Arceremque hostem collato umbone relisum,
Credite, nec donate mihi, & reddite Christo
Grates, & justas date laudes omnipotenti:
Nostra salus etenim in cruce Christi & nomine constat.
Inde fides nobis & in hac cruce nixa periclo,
Profuit, & nostram cognovit flamma salutem.
Nec mea vox aut dextra illum, sed vis crucis ignem
Terruit, inque loco de quo surrexerat ipso,
Vt circumseptam præscripto limite flammam
Sidere, & extingui fremitu moriente coëgit.
Et cinere exortam cineri remeare procellam,
Quanta crucis virtus, ut se natura relinquat.
Omnia ligna vorans, ligno crucis uritur ignis,
Multa manu crebris, tunc illa incendia vasis
Aspergens largis cupiebat vincere lymphis.
Sed licet exhaustis pensarent fontibus imbres,
Vi majore tamen lassis spargentibus omnem
Vicerat ignis aquam, nos ligno extinguimus ignem.
Quamque aqua non poterat, vicit brevis astula flammam.

Contra eos qui signum sanctæ crucis in testimonium assumunt, ut eis ita licitum sit adorare imagines, sicut lignum sanctæ crucis.

Cultores igitur imaginum venerationem, adorationem seu exaltationem sanctæ Crucis in defensionem sensus sui opponere soliti sunt, cur non ita imagines sicut cruces adorari liceat. Quibus primò respondendum est, quia Christus non in imagine, sed in cruce suspendi elegit, quando genus humanum redimere voluit, & ideo sancta Mater Ecclesia toto orbe terrarum inter cætera innumera Crucis Sacramenta, quæ à sanctis Patribus multipliciter longè lateque per universum mundum enumerata sunt, decrevit licitum esse universis Catholicis ob amorem solius passionis Christi, ubicumque eas viderint, inclinando si voluerint venerari, & insuper die sancto quo passio Domini in universo mundo specialiter celebratur, cum omni devotione universum ordinem sacerdotalem seu cunctum populum prostratum adorare. Deinde etiam illud specialiter, non contrà licitè habentes, sed contra illicitum cultum imaginibus exhibentes, opponendum est, quòd supradicta universalis Ecclesia tam sacris fontibus consecrando, quamque etiam baptizandis vel baptizatis eodem signo sanctæ crucis consignando vel benedicendo uti decreuit, omniumque fidei Catholicæ cultoribus frontes & pectora sua post abrenunciationem Satanæ pompis & operibus ejus, certissima fide contra omnes insidias diaboli munire docuit, gladioque inexpugnabili dextras cunctorum fidelium armare studuit. Dic, quæso, contra fas ecclesiasticum adorator imaginum, quid tale huic simile ab Ecclesia Catholica in toto orbe terrarum de imaginibus sanctum est, & licèt hæc magna sint, quid de consecratione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi dicturi sumus, quæ utraque in sacris Missarum solemniis, ex quo consecrari cœperint, usque in finem pene sine intermissione crucis signaculo benedicantur, nec est quisquam tam sapiens vel insipiens, qui ullomodo hanc consecrationem aliter se posse perficere Deo placitè præsumat, nisi hoc semper ejusdem sanctæ crucis signaculo consecrare studeat. Quid etiam sicut de universo humano genere, ita pene de cunctis humani generis operibus seu cotidianis actibus ejus complectendo dicere valebimus. In omnibus quæ die, nocte, manè, vesperè, & meliùs fortasse dicitur omni tempore agere consuevit. Quid est quod in his omnibus quod ad salutem ejus sive in hoc sæculo, sive in futuro pertinere possit, sine ejusdem crucis signaculo incipere, actitare, vel consummare velit?

Hæc tibi hactenus, imaginum si quis es indiscretus cultor, & hæc tibi inante, & contrà si quis es intemperans destructor, vide ne hæc audiens putes temeritati tuæ licentiam dari, ut ubicumque non propter inlicitum cultum, sed propter discretum, & ob hoc propter licitum mentis affectum pictas vel fictas similitudines sanctorum videris, ut illas aut destruas, aut irridendo subsannare debeas.

Quamobrem uterque monendus est, ut neuter, sicut quondam Bardo sanus novarum inventionum superstitiosus amator, sed sicut verè Catholicus studiosissimè matrem virtutum discretionem in omnibus servans, zelumque Dei non secundùm fatuitatem insipientium, sed secundùm virtutem sapientium in Domino habens, nec ille diligendo, nec iste contemnendo ultrà quàm oporteat dextra levaque transiliendo viam rectitudinis amittat. Sed quia ita plerique pertinaces sunt, ut ratione flecti nequaquam possint, hi meritò sancta auctoritate quassandi sunt, ut saltem fracti medicinam quærant.

Epistola beati Gregorii Papæ. Gregorius Sereno Episcopo Massiliensi.

Literarum tuarum primordia, ita sacerdotalem in te esse benevolentiam demonstrabant, ut major nobis fieret de fraternitate tua lætitia, sed tantùm earum finis à suis dissensit initiis, ut non unius, sed diversarum mentium talis crederetur Epistola. *Et post pauca in eadem scribitur epistola.* Perlatum quidem ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent confringeres, & quidem, quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? si non aliud, vel illud te non debuit revocare? despectis aliis fratribus solum te sanctum & esse credis sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud picturæ historiâ quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde præcipuè gentibus pro lectione pictura est, quod magnopere à te qui inter gentes habitas, attendi decuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non ad adorandum, sed instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum, & quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historiam non sine ratione vetustas admisit. *Et post pauca sequitur.*

Convocandi enim sunt diversi Ecclesiæ filii, eisque scripturę sacrę est testimoniis ostendendum, quod omne manufactū adorare non liceat, quoniam scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies; ac deinde subjungendum, quia picturas imaginum quæ ad ædificationem imperiti populi factæ fuerant, ut nescientes

scientes literas, ipsam historiam intendētes, quid actum sit discerent. *Et item.* Si ad hanc instructionem, ad quam imagines antiquitus factę sunt, habere vultis in ecclesiis, eas modis omnibus & offerri, & habere permittas: atque judica, quòd non tibi ipsa visio historiæ, quæ picturâ teste pandebatur, displicuerit, sed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita; atque his verbis eorum mentes demulcens, ad concordiam tuam revoca: & si quis imagines facere voluerit, minimè prohibeatur; adorare verò imagines omnimodo devita. Sed hoc sollicitè fraternitas tua ammoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adorationem solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.

Item Gregorii Papæ. Gregorius Secundino servo Dei inclauso.

Dilectionis tuæ literas suscepi, quæ in meo sensu amoris melle conditæ sapuerunt, &c. *Et post quædam interposita inquit.* Imagines enim quas nobis tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum tuum rogasti, valdè nobis tua postulatio placuit, quia illum in corde tota intentione quæris, cujus imaginem prę oculis habere desideras, ut visio corporalis cotidiana semper reddat exortum, ut dum picturam vides, ad illum animo mardescas, cujus te imaginem videre consideras. Abs re non facimus, si per visibilia visibilibus invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amando desiderat, quam videre conatur, si contingit ut ad balneum ire, aut ad ecclesiam procedere existimet, viam tendentibus se prępararet, ut de visione hilaris recedat. Scimus namque, quia tu imaginem Salvatoris nostri non petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filij Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras: & nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsas prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut passum, vel in throno sedentem recordamur; & dum nos ipsâ picturâ quasi scripturâ ad memoriam Filium Dei ducimus animum nostrum, aut de resurrectione letificat, aut de passione emulcet. Ideoque direximus tibi Syrtaria duo, imaginem Salvatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, per supradictum filium nostrum Diaconem, & unam crucem cum clavo pro benedictione, ut ab ipso à maligno defensus, crucis sancto ligno munitum esse te credas, &c.

Item Gregorii Papæ. Gregorius Ianuario Episcopo.

Iudæi de civitate vestra huc venientes questi nobis sunt, quòd synagogam eorum quæ Carati sita est, Petrus, qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Domino volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismi sui, hoc est dominica ipsa festivitate Paschali, cum gravi scandalo sine vestra occupaverit voluntate; atque imaginem illic Genitricis Dei Dominique nostri & venerandam crucem vel byrrum album quo fonte surgens indutus fuerat, posuisse, &c. *Et post pauca inquit.* Considerantes hac de re vestrę voluntatis intentum ac magis judicium, hortamur affatibus, ut sublatâ exinde cum ea qua dignum est veneratione, atque crucem debeatis quod violenter ablatum est reformare, &c.

Item Epistola Gregorii Papæ ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum.

Qualis & quæ libatio meum sic sanctè lętificaverit animum, sicut de venerabili nempe mihi, & super laudabile nomen sanctissimæ & Deo dilectæ gratificatæ nunciationis, &c. *Deinde post quædam interposita adjunxit.* At ubi sic cœpisti constitui, sicut ipse Deus tibi monstravit, pręesse, pręcipiens in castra Christi, & regni gloriosum certè & notum signum, vivificam dico crucem, magnum adversùs mortem ejus magnitudinis triumphum, ubi mundi quadripartiti orbem terrarum perscripsi, distinguens perscriptis, ita & sanctam imaginem omnium Dominæ, & sanctæ Dei Genitricis, cujus vultum deprecantur divites plebis. Etenim sancta, sicut Patribus videtur, quæ sic à vobis piè honorata donavit retributiones. Nam imaginis honor ad primam formam transit secundùm magnum Basilium, & sicut, inquit Chrysostomus: Ego & ceræ profusæ dilexi picturam pietate repletam. *Et post pauca in eadem Epistola.*

Si enim propheticæ dispositiones non acceperunt finem, non scribantur causæ ad ostensionem, quæ nec dum factæ sunt, videlicet nisi incarnatus est Dominus non signetur, quæ secundùm carnem signatur, sancta imago ejus, nisi natus est in Bethlehem de semper gloriosa Virgine & Dei Genitrice, & Magi munera obtulerunt, & Pastoribus apparuit Angelus, & multitudo cælestis militiæ nato laudem retulit, nisi in ulnis genitricis, ut infans porrectus qui portat omnia, & lactis nutrimento pastus est, qui dat escam omni carni, neque hoc signetur nisi mortuos suscitavit, & paralyticos erexit, & leprosis purgationem dedit, & oculos cæcorum aperuit, & dęmones effugavit, & nisi aperuit aures surdorum, & omnia operatus est, quæ gloriosè & Dei miracula perfecit, non scribantur, nisi passionem voluntariè suscepit, & infernum expoliavit, & surgens in cælos ascendit, qui venturus est judicare vivos & mortuos. Non scribantur, neque designentur, quia hæc recitantur, & per literas, & per colores scripturæ & historiæ. Si enim hæc omnia facta sunt, & magnum est pietatis mysterium, utinam fuisset possibile, cælum & terram, & mare, & animalia omnia, enarrare ea & per voces & per literas, & historias; non existentium enim designantium idolica scriptura nominatur, quæ non fuerunt in essentia delitate factura, & ne una condescensio Ecclesiæ Christi cum idolis? absit, neque enim vitulos adoravimus, neque vitulum in Choreb fudimus, neque Deum nobis mundum existimavimus, neque iterum in sculptili inclinati sumus, & Beel Phegor consecrati sumus, neque filios nostros aut filias aliquando dęmonibus immolavimus: non sunt hæc nobis, non sunt, nullus accusetur, quoniam nihil quæ existunt aut facta sunt pręter nomen quod est super omne nomen, vivificam Trinitatem populus Christi usque hodie servivit, aut veneratus est, absit. Si enim quis Iudaïcè motus ad calumniandum, quæ olim idolorum culturis acclamantia profanatur, & idolorum cultura adscribere Ecclesiæ nostræ de venerabilibus imaginibus divinis & mirabilibus ad meliora directis existimemus, nihil aliud aut canem latrantem, & ad sui infundibula procul ejicientem, audiat sicut Iudęus, utinam

utinam esset, & Israël per visibilium quam depuratus est, offerre Deo orationem, & per exempla memorari factorem, & non vitulum tenere, & muscas super tabulas testamenti; utinam sanctum altare diligeret, & non vitulas Samariæ! Bonum illi esset simul & justum torissimam divinam petram amplectere, & non Beel, utinam esset illi ad virgam Moysi magis aspicere, & ad urnam auream, & arcam, & propitiatorium Lamminæ Ephod, mensam, tabernaculum interius & exterius, quæ omnia in gloriam facta Dei & si manufacta, sed magis sancta sanctorum dicebantur, & Cherubin sculpta, quorum memoriam faciens Apostolus, inquit, Cherubin gloriæ obumbrantis propitiatorium, quibus & divina vegetari gloria, & scriptura docemur, si istis attenderet, nunquam idolis inclinaretur. Omne enim opus in nomine Domini factum, pretiosum & sanctum dictum est, &c.

Item Gregorii Papæ in Synodica Epistola.

Si contraria sentientibus, & irrita facere quærentibus antiquas Patrum traditiones salutis occurreret conversio, sufficerent utique ea quæ superiùs à nobis ex Patrum testimoniis vel sacris dicta sunt documentis. Sed quia videmus quòd merentes dicimus plerosque turbatis mentibus statuta conturbare Ecclesiæ, ideo fratres carissimi, extenditur sermo, & cupimus ad compescendam erroris insaniam adhuc ex veteribus documentis aliquid dicere. Forsan resipiscant inquieti; in libro enim Exodi sic legimus, Locutus est Dominus ad Moysem dicens; Loquere filiis Israël, ut tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert ultroneus accipietis eas. Hæc sunt autem quæ accipere debetis, & cetera per ordinem usque ad duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël. *Et iterum.* Mandato Dei à Salomone constructo templo, inter alia fecit in oraculo duo Cherubim de lignis olivarum. *Et infrà.* Et sculpsit in eis picturas Cherubim, & palmarum species, & anoglypha valde prominentia, & texit ea auro, & operuit tam Cherubim quàm palmas, &c. Ecce, carissimi fratres, consideremus quid Deo mandante Moyses effecerit, quidve Salomon sapientissimus divino jussu construxerit, &c. quanto debemus puro cordis annisu ipsum Christum Dominum nostrum, sanctamque semper Virginem ejus Genitricem Mariam, Apostolos quoque vel omnes sanctos Dei per eorum sacras effigies atque imagines colere, adorare, & ad propitiandum nobis quærere, & relaxare delicta. Nos non ob aliud nomen imagines facimus & adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei. Si autem manufacta omnia abjicienda sunt, neque arca fœderis, neque aurea & celata Cherubim ejus debuerant recipi, quæ per Beseleel & Eliab facta sunt juxta preceptum Dei. Si verò illa sicut similia invisibilia facta sunt, ita & hæc simili modo secundùm visiones & revelationes Prophetarum coloribus distinctę efficiuntur, &c.

Item Ioannis Archiepiscopi Constantinopolitani, qui & Chrysostomi.

Ioannes Chrysostomus in sermone cœnæ Domini.

Omnia facta sunt propter gloriam Dei, usui autem nostro nubes ad imbrium ministerium, terra ad frumenti abundantiam, mare ad negotiandum copiosè; absque invidia omnia famu- A lantur homini, magis autem imagini Domini. Neque enim quando imperiales vultus & imagines in civitates introducuntur, & obviam judices & plebes cum laudibus, non tabulam honorantes, neque effusæ ceræ scripturam, sed figuram Imperatoris: sic & creatura non terrenam speciem honorat, sed eandem ipsam cęlestem figuram reveretur.

Item beati Ioannis Chrysostomi de parabola seminis.

Indumentum imperiale si injuriaveris, nonne eum qui induitur injurias? Nescis, quia si quis imaginem Imperatoris injuriat, ad eum ipsum Imperatorem principaliter dignitati ejus adfert B injuriam? Nescis quia si quis imaginem ex ligno aut ex colore detrahit, non sicut ad elementum sine anima ausus judicatur, sed sicut adversùs Imperatorem disgregatam imaginem totidem Imperatoris gestans, ejus injuriam ad Imperatorem deducit.

Sancti Basilii ex libro ad Amphilochium de Spiritu sancto, in capitul. 17.

Quoniam Imperator dicitur, & Imperatoris imago, & non duo Imperatores. Neque enim fortitudo scinditur, neque gloria dividitur; sicut enim quæ tenetur noster principatus & potestas una, sic & quæ erga nos glorificatio una, & non multæ, quoniam imaginis honor ad primam formam transit.

C

Item sancti Basilii in Epistola ad Iulianum Imperatorem missa.

Secundùm id, quod divinitus datam hęreditariam nobis immaculatam Christianorum fidem confiteor & promitto. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, unum Deum, hæc tria adoro & glorifico. Confiteor autem & Filii incarnati dispensationem, & Dei Genitricem, quæ secundùm carnem eum genuit, sanctam Mariam: suscipio verò & sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, & ad Deum deprecationem, quæ per eos (scilicet illis mediantibus) propitiatorem mihi efficit misericordissi- D mum Deum, & remissionem mihi facinorum condonari, pro quo & figuras imaginum eorum honoro & adoro, specialiter hoc traditum tam à sanctis Apostolis & non prohibitum, sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum designantes historiam.

Item ipse in sermone sanctorum 40. Martyrum.

Nam & bellorum triumphos, ac victoriæ & sermonum conscriptores multoties & pictores significant, quidam autem verbo adornantes, quidam verò tabulis pręsignantes, & multos uterque ad virilitatem exercuerunt, quæ enim E sermo historiæ per auditum, hæc conscripta silens admonitio per imitationem demonstrat.

Item sancti Athanasii.

Interrogatio Antiochi ad sanctum de imaginibus, quomodo lex & Prophetæ dicentes, Statuas & similitudines non adoretis, Quare ergo vos facitis imagines, & adoratis eas?

Responsio Athanasii.

Non ut Deos imagines adoramus, nos fideles sicut Pagani, absit; sed tantummodo affectu & charitatis nostræ animæ ad vultum faciei imagi-

nes apparentes, unde multoties vultu deleto sicut lignum purum atque commune jam, quod dudum fuerat imago, comburimus. Sicut enim Iacob approximans morti, summitatem virgæ Ioseph adoravit, non virgam honorificans, sed qui eam tenebat; sic & fideles non pro aliquo alio modo imagines adoramus, non pro desiderio effigie declarata.

Item beati Cyrilli Alexandrini Episcopi, in sermone Matthæi Evangelistæ.

Depingitur enim fides, quod in forma Dei existit Verbum, sicut & vitæ nostræ redemptione oblatus est Deo secundùm nostram similitudinem indutus & factus homo. *Et idem ipse post pauca.* Imaginum nobis explent opus parabolæ significantium virtutem, cuidam, quomodo & oculorum adhiberi & palpatu manus afferri, in vestigiis, mentibus, inapparabiliter habens visionem.

Item sancti Cyrilli.

Quemadmodum imaginem quis designatam jucundam respexerit, mirabitur quidem Regis figuram, & quæ illo apparet, hæc & ejus noscens conscriptionem pariter cernens delectabitur, ut ipsum Regem aspiciat, &c.

Item sancti Epiphanii Episcopi Constantiæ Cypri.

Etenim Imperatores pro eo quod habent imagines, non duo sunt Imperatores, sed Imperator unus cum imagine.

Item sancti Stephani Episcopi Bostron ad quosdam, de imaginibus sanctorum.

De imaginibus sanctorum confidimus, quoniam omne opus quod fit in Dei nomine, bonum est & sanctum. Aliud est enim imago, & aliud simulacrum, id est, statunculum: quando enim Deus Adam plasmavit, videlicet & condidisset, dicebat, Faciamus hominem ad imaginem nostram & similitudinem, & fecit hominem imagini Dei. Quid enim? ergo quia imago est homo Dei, idolatria est, id est, idolorum cultura est & impietas? nequaquam fiat. Si enim Adam imago dæmonum, abjectus fuit & inacceptabilis; sed quia imago Dei est, honorabilis est, & acceptabilis. Omnis enim imago in nomine Domini, aut Angelorum, aut Prophetarum, aut Apostolorum, aut Martyrum, aut justorum sancta est; non enim lignum adoratur, sed is qui in ligno commemoratur, & contemplatus honoratur. Omnes enim nos honoramus judices & salutamus, etiamsi peccatores sint, quid ergo? numquid non debemus adorare sanctos Dei servos, & propter memoriam eorum constituere & erigere imagines, quod non obliviscantur? Sed dices, quia ipse Deus præcepit & non adorare nos manufactos. Dic itaque, ô Iudæe, quale super terram non est manufactum post facturam Dei? Quid ergo? Arca Dei, quæ ex lignis Sethim fabricata est atque constructa, non fuit manufacta? & altare, & propitiatorium, & urna, quæ habuit manna, & mensa, & lucerna, & tabernaculum interius, & exterius, non fuerunt ex operibus manuum hominum quæ Salomon fecit? & cur sancta sanctorum vocantur manufacta existentia? ita Cherubim & senarum alarum in circuitu propitiatorii non fuerunt statuæ & imagines Angelorum opera manuum hominum? & quomodo non abjiciuntur? Sed quia per præceptum Dei imagines factæ sunt Angelorum, sancta sunt, licèt statuæ fuerint: etenim idola gentium, quia imagines fuerunt dæmonum, Deus prohibuit & condemnavit eas. Nos autem ad memoriam sanctorum imagines facimus Abrahæ, Moysi, & Eliæ, Isaïæ & Zachariæ, & reliquorum Prophetarum, Apostolorum & Martyrum sanctorum qui propter Deum interempti sunt, ut omnis qui videt eos in imagine, memoretur eorum, & glorificet Deum qui glorificavit eos; decet enim eis honor & adoratio, & commendatio secundùm justitiam eorum, ut omnes qui vident eos, festinent, & ipsi imitatores fieri actionum eorum: quæ enim est adoratio, nisi honor tantummodo? sicut & nos peccatores adoramus, & salutamus nos alterutrum secundùm honorem & dilectionem. Etenim Deum nostrum aliter adoramus & glorificamus, & contremiscimus. Imago est similitudo ejus qui in ea conscriptus est. Impii autem qui bonum non agunt, neque sanctorum commemorantes, non prohibeant, neque scandalisent eos qui benefaciunt, & honorant sanctos & servos Dei, & commemorantur eorum; mercedem enim bonæ operationis accipient, impii verò secundùm quod cogitaverunt, habebunt desolationis inhonorationem, sicut id quod justum negligentes, & à Domino recedentes: propter memoriam namque in imaginibus conscribuntur, & honorantur, imò & adorantur sancti sicut servi Dei, ut pro nobis divinitatem sic exorantes, atque implorantes: dignum enim est commemorari doctorum nostrorum, & gratias referendo.

Item sancti Dionysii Areopagitæ Atheniensis Episcopi, in epistola quam scripsit ad sanctum Ioannem Evangelistam, inter cætera inquit.

Quid mirabile, si Christus verax, & discipulos, inquit, de civitatibus ejiciunt, ipsi dignè sibi judicantes, & de sacro scelerati interdicunt, & recedentes à veritate & manifestè imagines sunt visibiles invisibilium, nec enim in seculis supervenientibus culpabilis erit ex ejus justitia respectus Dei.

Item ejusdem de cælesti militia, & infrà.

Prædicta enim incorporea agmina diversis coloribus effigurantur, compositionibus variis, quatenus sic tacitè nosmetipsos per sacratissimas effigies ad simplices & incorporales pia mente transeamus. Etenim impossibile est nostræ menti ad incorporea illa pertingere, cælestis militiæ imitationem visionemque, nisi per elementorum poterimus visibilem decorem ad invisibilem pulcherrimamque attingere effigiem, & visibiles odoriferasque imagines rationali traditione invisibiles præfulgi, &c.

In definitione sancti Sexti & magni Concilii cap. 82.

In quibusdam venerabilium imaginum picturis, Agnus digito Præcursoris monstratus designatur, qui in signum relictus est gratiæ, verùm nobis per legem præmonstrans Agnum Christum Deum nostrum, qui abstulit peccata mundi. *Et post pauca.* Secundùm humanam figuram, & in imaginibus nunc pro veteri Agno retitulari decernimus, per ipsum humilitatis altitudinem Dei Verbi considerantes, & ad memoriam quæ in carne actionis quique passionis ejus & salutiferæ mortis manibus educari, & quæ abhinc facta est mundi redemptio, &c. *Vnde & beatus August-*

August. in 92. Psalmo inquit: Si autem non adoras in Christo ista terrena, quamvis de illis similitudo quędam data est, ad significandum sanctos de quacumque creatura ducta fuerit similitudo, tu intellige similitudinem creaturæ, & adora artificem creaturæ, &c.

Item sancti Athanasii Episcopi Alexandrini, de humanatione Domini, cujus initium.

Sufficienter quidem de his multis pauca sumentes intimavimus. *Et post.* Sicut ea quæ scribitur in lignis forma abolita exterioribus sordibus, iterum necesse idipsum recuperari atque uniri is cujus est forma, ut innovari possit imago in eadem materia atque elemento, per ejus enim formam & ipsa materia ubi & conscribitur non dejicitur, sed in ea ipsa configuratur.

Item beati Ambrosii Mediol. Episcopi ad Gratianum Imperatorem ex lib. 3. cap. 9.

Numquid ne quando & deitatem & carnem ejus adoramus, dividimus Christum? aut quando in ipso & Dei imaginem & crucem adoramus, dividimus eum? absit.

Item beati Gregorii Nysseni Episcopi, inter plura, ubi de Abraham sermonem instituit.

Vidi imaginem passionis, & non sine lacrymis visionem transivi, opere artis ad faciem deducens historiam, &c. *Item ipse in interpretatione in Cantica Canticorum.* Sicut verò conscripta doctrina, materia quędam est, ita omnino in diversis tincturis, quæ complent animantis imitationem; qui verò ad imaginem conspicit ex eadem arte per colores completam tabulam, non tincturis pręfert contemplationem, sed visionem depictam conspicit tantummodo, quam per colores magister demonstravit.

Leontii Episcopi Neapoli Cypri, in quinto sermone propter Christianorum responsum adversùs Judæos, & de imaginibus sanctorum.

Nunc verò de venerandis pictisque imaginibus responsum faciamus, ut obstruantur ora loquentium iniquitatem; legalis enim & hæc traditio, & audi Deum dicentem ad Moysem, Imagines duas Cherubim aureas insculptas construe, obumbrantes propitiatorium; & iterum, templum quod ostendit Deus Ezechieli, Facies, dixit, palmarum, & leonum, & hominum, & Cherubim à pavimento ejus usque ad cameram tecti. Certè terribilis sermo, qui pręcepit Israëli ne faceret quodlibet sculptile, neque imaginem, neque similitudinem quæ sunt in cęlo & quæ sunt in terra, ipse pręcepit Moysi facere sculptilia animalia, & Cherubim, unde & Salomon ex lege suscipiens signum, plenum fecit templum ære & sculptile, & fusile, leonum, boum, & palmarum, & hominum, & non est reprehensus à Deo. Si enim me reprehendere vis pro imaginibus, reprehende Deum, qui hæc fieri jussit. In memoria ejus esse erga nos, Iudęus dixit, sed non adorabantur illæ, sicut Dii similitudines, sed memoria tantummodo fiebat. Christianus dixit, bene dixisti, neque à nobis ut dii adorantur sanctorum effigies, & imagines, & signa. Si enim ut Deum adorant lignorum imagines, debebant omnino & cętera ligna adorare: si verò ut Deum adorarent lignum, non omnino deleta effigie imaginem incenderent.

Et iterum.

Damus quæ sunt annexa duo ligna crucis, adoro signum propter Christum, qui in ea crucifixus est, at ubi divisa fuerint ab alterutris, projicio ea & incendo: & sicut qui jussionem Imperatoris suscipiens, & osculatus est signum, non lutum honorat, aut cartham, aut plumbum, sed Imperatori salutem & venerationem reddidit; sic & Christianorum pueri signum crucis adorantes, non naturam ligni veneramur, sed signum & figuram Christi, ipsum videntes, per ipsum qui in ea crucifixus est, osculamur & adoramus, &c. *Et post pauca.* Sicut enim virgam, Christi crucem adoramus; sicut enim sedem & lectum ejus, sanctum sepulcrum; sicut enim domum, pręsepium & Bethlehem, & cętera sancta ejus tabernacula; sicut enim amicos ejus, Apostolos ejus, & sanctos Martyres, & reliquos sanctos; Christi verò passionem in ecclesiis, & in domibus, & in plateis, & in imaginibus, & in velis, & in cubiculis, & in vestibus, & in omni loco designamus, ut indesinenter aspicientes hæc recordemur, & non obliviscamur, sicut tu oblitus es Domini Dei tui, & sicut tu adorans librum legis, non naturam pellium & atramenti adoras, sed verba Dei quæ in eo continentur: sic & ego imaginem Christi adorans, non naturam lignorum aut colorum adoro, absit; sed inanimata in figuram Christi tenens, per eam Christum spero tenere & adorare. *Et infrà sequitur.* Nam & ipsos filios nostros, & patres factos existentes, & peccatores sępius osculamur, non in hoc condemnabimur, non ut Deos eos osculamur, sed amorem nostræ naturæ, quem erga eos habemus, per osculum ostendimus. Sicut enim multoties dixi, mens scrutatur in omni osculo, & in omni adoratione, & cętera. Sic, ô homo, Christianorum populi quanticumque signa crucis & imaginum osculantur, non ipsis venerationem lignis aut lapidibus proferunt, aut auro, aut corruptæ imagini, aut lipsanis, sed per illa Deo creatori, qui & eorum & omnium creator est, gloriam & osculum & venerationem offerunt. *Et infrà.* Qui enim diligit amicum suum, aut Regem, & magis benè merentem sive filium ejus videns, sive virgam, sive sedem, sive coronam, sive domum, sive servum tenens, osculatur & honorat per hos benefactorem, & magis Deum. Quando enim vides Christianos adorantes crucem, cognosce quoniam crucifixo Christo adorationem proferunt, & non ligno. Nam si naturam ligni venerati essent, omnino & arbores, & nemora adorarent, sicut & tu aliquando Israël adorabas, dicens arbori & ligno, Tu mihi es Deus, & tu me genuisti. Ergo non sic dicimus cruci, neque figuris sanctorum, Dii nostri estis, non enim sunt dii nostri; sed similitudines & imagines Christi, & sanctorum ejus, & ad memoriam, & honorem & decorem Ecclesiarum adjacentium & adorantium: qui enim honorat Martyrem, Deum honorat; & qui matrem ejus honorat, ipsi Deo honorem affert; & qui Apostolum honorat, qui misit eum honorat, &c.

Item beati Augustini, de eo quod apparuit Deus Moysi, & de virga & manu colorata & aqua in sanguinem, & post quadam interposita subjunxit.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit

credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam; hoc est, quicunque percussus fuerit à serpentibus peccatorum, Christum intueatur, & habebit sanitatem in remissionem peccatorum.

Item S. Augustini super Ioannem Evangelistam, de eodem sermone homilia, inter cætera.

Interim modò, fratres, ut à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur, quia sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis: hoc enim interest inter figuram sive imaginem & rem ipsam; figura prҿstabat vitam temporalem, res ipsa, cujus ipsa figura erat, prҿstabat vitam æternam, &c.

Item sancti Augustini de libro tertio sanctæ Trinitatis, inter cætera.

Nam sicut unctio lapidis, Christum in carne, in qua unctus est oleo exultationis præ participibus suis, ita virga Moysi conversa in serpentem ipsum Christum factum obedientem usque ad mortem ejus: unde ait, sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo. *Et post cætera.* Si intuentes illum serpentem exaltatum in eremo, serpentum morsibus non peribunt, verus homo noster crucifixus est cruci cum illo: per serpentem autem mors intelligitur, quæ facta est à serpente in paradiso, modo locutionis per efficientem id quod efficitur. Demonstrante ergo virga in serpente, Christus in morte, & serpens rursus in virga, Christus in resurrectione, totus in corpore suo quod est Ecclesia, &c.

Item beati Augustini in libro Exodi, inter cætera.

Facta credimus, quemadmodum facta legimus, & tamen ipsa facta umbram fuisse futurorum Apostolicâ doctrinâ cognoscimus. Putamus ergo spiritaliter esse investiganda quæ facta sunt, facta tamen esse negare non possumus, &c.

Item ipse in Psalmo 73.

Imò jam in nomine Christi venire gaudeamus, jam tenentes sceptrum, subduntur ligno crucis, jam fit quod prædictum est, Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient illi. Iam enim in frontibus Regum pretiosius est signum crucis, quàm gemma diadematis.

Item Augustini de filio Abraha ducto ad sacrificium, inter cætera.

Non enim frustra moti estis, cùm hoc dicerem, Crux cornua habet: sic enim duo ligna compinguntur in se, ut speciem crucis reddant. Sicut ergo imagine crucis multis locis videmus, ut fiant duo cornua, quibus infigantur manus, cornibus hҿrentem arietem crucifixum Dominum video, &c.

Item sancti Severiani Gabalensis de sermone sanctæ Crucis, inter cætera.

Putas non erat justum dici, si quis vestrûm morsus fuerit, respiciat in cælum sursum ad Deum, & salvabitur. Vt enim & attendi cælo relinquat, non potuit dicere, si quis morsus fuerit, aspiciat lucernam luminis, & salvabitur? aut aspiciat ad mensam propositionis sanctorum panum, & salvabitur? aut ad altare, aut ad velum, aut in arcam, aut in imaginem Cherubim, aut in propitiatorium; sed nihil horum ad medium adduxit legislator magnus, sed solam fixit crucis imaginem, & hanc per maledictum serpentem. Dic mihi ut fidelis famulus, quod interdicis, facis, quod abrenuntias, ædificas, qui dicis, Non facies sculptile & fusile, sculpis serpentem? sed illa quidem lege posui, ut materias abscindam impietatis, & populum hunc eruam omni idolorum cultura. Nunc autem effundo serpentem, ut prҿfigurem imaginem Salvatoris, &c.

Item sancti Augustini ad Dulcidium in quæst. 6. de imagine Samuelis.

Solent enim in scripturis imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt, sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materie metalli, aut ligni, vel cujusque rei aptæ ad opera hujusmodi, quæ etiam videntur in somnis, & omnes ferè imagines earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis enim est, qui hominem pictum dubitet vocare hominem? quandoquidem & singulorum quorumque picturam cùm aspicimus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus, velut cùm intuentes tabulam aut parietem dicimus, ille Cicero est, ille Salustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Symoïs, illa Roma; cùm aliud nihil sint, quàm pictæ imagines: unde Cherubim cùm sint cҿlitus potestates, factæ tamen ex metallo, quod imperavit Deus, super arcam testamenti, magnæ rei significandæ gratiâ, non aliud quàm Cherubim illa quoque figmenta vocitantur. Item quisquis videt somnium, non dicit, vidi imaginem Augustini aut Simpliciani, sed vidi Augustinum aut Simplicianum, cum eo tempore quo tale aliquid vidit, nos ignoraremus: usque adeò manifestum est, nos ipsos homines, sed imagines eorum videri: & Pharao spicas se vidisse in somnis, & boves, non spicarum & boum imagines. Si igitur liquidò constat nominibus earum rerum, quarum imagines sunt, easdem imagines appellari, non mirum est quod Scriptura dicit, Samuelem visum, &c.

Item Augustini in libro secundo de doctrina Christiana.

Signum est enim res prҿter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire, sicut vestigio viso, transisse animal, cujus vestigium est cogitamus, & viso fumo, ignem subesse cognoscimus. Signorum igitur alia sunt naturalia, alia data. Signa data sunt, quæ divinitus in Scripturis sanctis continentur, per homines nobis judicata sunt, qui ea conscripserunt, &c.

Ante omnia igitur opus est Dei timorem converti ad cognoscendam ejus voluntatem, quid nobis appetendum, fugiendumque prҿcipiat. *Et infrà.* Illud quod est secundùm institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim non est. Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam.

Et post pauca in eodem sequitur libro.

Appetunt tamen omnes quandam similitudinem

nem in significando, ut ipsa signa, in quantum possunt, rebus quæ significantur similia sint, sed quia multis modis simile aliquid alicui potest esse, non constant talia signa inter homines, nisi consensus accedat: in picturis verò & statuis cæteris hujusmodi simulatis operibus, maximè peritorum artificum nemo errat, cùm similia viderit, ut agnoscat quibus sint rebus similia; & hoc totum genus inter superflua hominum instituta numerandum est, nisi cùm interest quid eorum, qua de causa, & ubi, & quando, & cujus auctoritate fiat, &c.

Item Augustini in lib. 3. ejusdem.

Qui verò aut operatur, aut veneratur utile signum divinitùs institutum, cujus vim, significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potiùs quo talia cuncta referenda sunt: talis autem homo spiritalis & liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa illa revelari, quorum jugo edomandi sunt. Tales autem spiritales erant, Patriarchæ ac Prophetæ, omnesque in populo Israel, per quos nobis Spiritus sanctus ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministravit, &c.

Item sancti Athanasii in sermone 4. adversùm Arrianos.

Arriomanitæ, ut dictum est, judicantes semel transgressores fieri. *Et post cætera.* Hoc & ab exemplo imaginis Imperatoris attentiùs quis considerare poterit. Igitur in imagine Imperatoris, similitudo & forma est, & in Imperatore quidem quæ in imagine similitudo est, immutabilis enim est, quæ in imagine Imperatoris similitudo, quatenus qui conspicit imaginem, videt in ea Imperatorem; & itetùm, qui vidit Imperatorem, cognoscit quoniam hic est qui in imagine. Ideo quòd non immutetur similitudo, qui voluerit cum imagine videre Imperatorem, dicat namque, Ego & Imperator unum sumus, ego enim in eo sum, & ille in me, & quod conspicis in me, hoc in illo vides, & quod vidisti in illo, hoc vides & in me; qui enim salutat imaginem, in ipsa salutat Imperatorem. Enimverò illius forma & species est imago, &c.

Item sancti Athanasii Episcopi Theopoleos, ad Symeonem Episcopum Bostra.

Si, Patres, oportet secundùm eloquium, ut tu asseris, interrogare, insuper autem & seniores. *Et post pauca.* Sicut enim absente quidem Imperatore, imago ejus pro eo adoratur, præsente ergo ipso, superfluum est relinquere primam formam, & adorare imaginem; nonne quia præfertur propter præsentiam pro quo adoratur, inhonorari eam oportet? *Et iterum.* Sicut enim qui injuriat imaginem Imperatoris, pœnam justàm sustinebit, sicuti eum ipsum Imperatorem inhonorans. Etenim imagine nihil aliud existente, nisi lignum cum coloribus ceræ mixtis & contemperatis, simili modo, qui signum cujuslibet inhonorat, in eum ipsum, cujus signum est refert injuriam, &c.

In historia tripartita libri sexti, cap. 1. Zozemenus inquit.

Illud quoque quod sub Iuliano provenit narrare non sileo. Fuit enim signum quidem virtutis Christi, & indicium contra principem iracundiæ Dei. Cùm enim agnovisset in Cæsarea, Philippi civitate Phœniciæ, quam Paneam vocabant, insigne Christi esse simulacrum, quod sanguinis liberata profluvio constituerat, eo deposito, suam ibi statuam collocavit, quæ violento igne de cælo cadente, circa ejus pectus divisa est, & caput cum cervice una parte dejectum, atque in terra fixum, reliqua verò pars hactenus restitit, & fulminis indicium reservavit: statuam verò Christi tunc quidem pagani trahentes confregêre, postea verò Christiani colligentes, in Ecclesiam recondiderunt, quo hactenus reservatur.

Item ipse cap. 41.

Hoc itaque simulacrum, sicuti refert Eusebius, omnium passionum & ægritudinum noscitur esse medicamentum, juxta quod quædam herba germinat, cujus speciem nullus nullus nostræ terræ medicus licèt expertus agnovit, mihi namque videtur, quia adveniente Domino nullum miraculum, nullumque beneficium putari debet incredulum, &c.

In historia Angelorum lib primi cap. 25. cujus initium.

Roboratus confirmatione beati Patris Gregorii Augustinus consamulus Christi, qui erant cum eo, rediit in opus verbi, pervenitque Britanniam. Erat eo tempore Rex Edilbercth incantia potentissimus. *Et post pauca in eadem sequitur epistola.* Post dies ergo venit ad insulam Rex, & residens sub divo, jussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem advenire colloquium. Caverat enim ne in aliquam domum ad se introïrent vetere usus augurio, ne superventu suo, si quid maleficii artis habuissent, cum superando deciperent; at illi non dæmonica, sed divina virtute prædìti, veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, lætaniasque canentes pro sua simul & eorum propter quos & ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant.

Item sequitur.

Fertur autem quia appropinquantes civitati more suo cum Cruce sancta, & imagine magni Regis Domini nostri Iesu Christi, hanc lætaniam consona voce modularentur. Deprecamur te in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua à civitate ista & à domo sancta tua, quoniam peccavimus, &c.

In epistola beati Germani Patriarchæ Constantinopolitani, ad Ioannem Episcopum Synadorum, postquam literas beati Papæ Gregorii suscepit, inter cætera inquit.

Epistolam vestræ sanctitatis suscepi, in qua referebatur de Episcopo Natholiæ: significamus enim nunc vobis, sicut & pridem quas susceperemus litteras vestræ sanctitatis, conjungente hîc eodem Deo amabili Episcopo in verbis, venimus cum ipso sciscitantes sensum ejus, unde nobis relatum fuerat de illo, ipse verò nobis hunc dedit responsum. Opportunum enim est, singillatim omnia intimare vestræ sanctitati, quoniam audiens divina Scriptura dicente, Non facies tibi omnem similitudinem, ut adores ea, quanta in cælo sursum, & quanta in terra deorsum, secundùm

A cundùm hoc dixi, quoniam non debetur manufactis adoratio, nam sanctos Christi Martyres qui verè sunt margaritæ fidei, omni honore dignos putamus, & intercessiones eorum invocamus, ad hæc quidem nos illi responsum dedimus, quoniam Christianorum fides venerationem & adorationem ad unum & solum Deum refert, sicut scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Glorificatio enim nostra & servitium ipsi soli offertur. *Et post pauca.* In Sanctis verò qui in cælis sunt, & in invisibilibus & incorporeis virtutibus sancta laudatur & glorificatur Trinitas, in singulari dominatione & divinitate, sicut & unus Deus à nobis confitetur, & non est preter illum, qui dominetur in virtute sua in æternum. *Et post pauca.* Neque enim divinæ dominationis venerationem in consamulos transferimus, neque enim Imperatores aut Principes in terra adorantes similitudinem, ut ad Deum adorationem facere videmur, neque imaginum facturam, quæ per ceram & colores designantur, in transmutationem divinæ venerationis suscepimus: neque enim invisibilem deitatem imagine, aut similitudine, aut habitu, aut forma aliqua designamus, etiam neque ipsorum Angelorum quibus existunt ordinibus, aut sentiri vel investigari ullo modo possunt, sed quoniam unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, revocans propriam creaturam à morte judicii bonæ voluntatis Patris & Spiritus sancti, homo fieri dignatus est, sicut inquit Apostolus, per omnia similis nobis factus absque peccato, humanum ejus vultum, & secundùm carnem ejus humanam similitudinem imagine designantes, & non incomprehensibilem, aut invisibilem ejus deitatem, &c. Simili enim modo secundùm carnem ejus incontaminatæ matris sanctæ Dei Genitricis ipso modo similitudinem demonstrant, quoniam mulieris natura existente, & non aliena nostræ massæ facta, Deum invisibilem, & omnia manu continentem in suo concepit utero, & genuit incarnatum; etenim ut propriè & verè Matrem Dei veri veneramur eam & magnificamus. Sanctos enim Martyres Christi, Apostolosque & Prophetas miramur & beatificamus, & ad memoriam fortitudinis eorum similitudines imaginum ipsorum describimus, non ut divinæ naturæ sonos eos æstimemus, neque quæ debetur deitati gloriæ quidem & potestati, honorem & adorationem illis impendimus, sed amorem nostrum, quem in ipsis habemus, per hæc manifestamus, & ea quæ per auditum veraciter credidimus, designamus. Nam & ipsi sancti Dei in unum & solum Deum servitutem & glorificationem & adorationem observantes, & ad hoc omnes convocantes atque docentes, eorum effuderunt sanguinem, & in veritate confessionis coronam adepti sunt: iste est modus in imaginum picturis, & non sicut invisibili deitati, in spiritu & veritate adorationem immutamus in manufactis imaginibus, sed caritatem nostram, quam justè habemus ad servos caros Dei nostri tali modo ostendentes, & in eorum honore glorificatur Deus qui glorificavit eos, &c.

In actione septima de significatione adorationis.

Adoratio multis modis intelligitur. Est enim adoratio secundùm honorem, & amorem, & timorem, sicut adorantur Principes & illorum potestas.

Est alia adoratio timoris propriè, sicut Iacob adoravit Esaü.

Et iterum adoratio secundùm gratiam, sicut Abraham propter agrum quem accepit à filiis Seth, in sepulturam Saræ mulieris ejus, & adoravit eos.

Est iterum adoratio, cùm creditur aliqua protectio adipisci à supereminentibus, sicut Iacob Pharaonem.

Est vera & certissima adoratio, quæ soli debetur Omnipotenti, & divinæ Majestati, sicut dicit Scriptura: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Hanc autem adorationem ad nullam creaturam licet transferre, nec in manufactis immutare, &c.

B *Augustinus in lib. 1. sanctæ Trinitatis, cùm de Spiritu sancto loqueretur, inter cætera inquit.*

Patri & Filio prorsus Spiritus sanctus æqualis, & in Trinitatis unitate consubstantialis & coæternus, maximè verò illo loco satis apparet, quòd Spiritus sanctus non sit creatura, ubi jubemur non servire creaturæ sed Creatori, non eo modo quo jubemur per caritatem servire invicem, quod est grecè δουλεύειν, sed eo modo quo tantùm Deo servitur, quod est grecè λατρεύειν, unde idolatræ dicuntur, qui simulacris eam servitutem exhibent quæ debetur Deo. Secundùm hanc enim servitutẽ dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Nam hoc C distinctius in greca scriptura invenitur, λατρεύσεις enim habet. Porro si tali servitute creaturæ servire prohibemur, quandoquidem dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Vnde Apostolus detestatur eos, qui coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori: non est utique creatura Spiritus sanctus, cui ab omnibus Sanctis talis servitus exhibetur, dicente Apostolo: *Nos enim sumus circumcisio Spiritui Dei servientes*, quod est in greco λατρεύοντες. Plures enim codices etiam latini sic habent, qui Spiritui Dei servimus. Nam latria grecè, latinè servitus dicitur, quæ quantùm ad veram Religionem attinet, nonnisi uni soli Deo debetur, &c.

D *Item Augustini in libro de quantitate animæ.*

Deus autem immortalem animam fecit, ut opinor, nisi fortè tibi aliter videtur. Ergo tu velles talia fieri ab hominibus, qualia Deus fecit? Non equidem hoc dixerim, sed quemadmodum ipse immortalis, immortale quiddam fecit ad similitudinem suam, sic & nos immortales à Deo facti, ad similitudinem nostram quod facimus immortale esse deberet, rectè diceres si ad ejus imaginem pingeres tabulam quod in re immortale esse credis: nunc verò in ea exprimis E similitudinem corporis, quod profectò mortale est, quomodo ergo sum similis Deo, cùm immortalia nulla possum facere sicut ille? Quomodo nec imago corporis tui potest hoc valere, quod tuum corpus valet, sic anima non mirandum est, si potentiam tantam non habet, quantam ille, ad cujus similitudinem facta est, &c.

Isidori Episcopi de pictura.

Pictura autem est imago exprimens speciem rei alicujus, quæ dum visa fuerit, ad recordationem mentem reducit.

Item.

Item.

Picturam enim Ægyptii excogitaverunt: primùm umbram hominis lineis circumductam, itaque initio talis, secunda singulis coloribus, postea diversis, sicque paulatim sese ars ipsa distinxit, & invenit lumen atque umbras, differentiasque colorum. Vnde & nunc pictores priùs umbras quasdam & lineas futuræ imaginis ducunt, deinde coloribus complent, tenentes ordinem inventæ artis.

Item.

Colores autem dictos, quòd calore ignis vel solis perficiuntur, sive quod initiò colabantur, ut summæ subtilitatis existerent, &c.

Vnde primùm exorta sit in Ecclesiis Orientalium imaginum destructio.

Tyrannus quidam fuit Seleman nomine, Aggarenus genere, quo defuncto successit Humatus in regno, cui iterum successit Ezidus, vir valde levis & insipiens: hujus enim temporibus erat quidam in Beriade maleficus ac divinus, Serantapicus nomine, preceptor iniquorum Hebreorum, & inimicus Dei Ecclesiæ, qui ut comperit levitatem Ezidi protosymboli, accessit ad eum, cœpitque illi quędam divinare ac prędicere. Illi autem ex hoc acceptabilis factus, ac non multò pòst ei dicere cœpit: Benignitati tuæ exponere volo, unde me si audias, addatur tibi longitudo vitæ, & perseveres in hoc principatu annos 30. si quidem impleveris sermones meos. Ille verò insipiens tyrannus obscuratus mente desiderii longæ vitæ, Quicquid mihi, inquit, pręceperis paratus ad perficiendum existo; & si consequutus fuero quod pollicitus es, maximos tibi honores retribuam. Maleficus verò & divinus ait ad illum, Iube mox generalem scribere epistolam, quatenus omnis imaginaria pictura deleatur in omnibus Christianorum ecclesiis, sive in parietibus, sive in vasis sacris, & in vestibus altarium, & non solùm hæc, sed quæ in civitatum plateis sunt adornatæ. Quod audiens perfidus ille tyrannus, pręcepit omni prefecturæ in cunctis locis ecclesiarum, imagines & cęteras similitudines abolere; & ita exornavit ecclesias Dei. Abhinc enim cœperunt corruptores imaginum inveniri, sed ipse tyrannus anno altero mortuus est, & imagines in pristinum statum restitutæ cum honore, &c.

Item August. in libro de Magistro.

De his quæ intelliguntur, interiorem veritatem ratione consulimus, quid dici potest, unde clareat verbis nos aliquid discere præter ipsum qui aures percutit sonum, namque omnia quæ percipimus, aut sensu corporis, aut mente percipimus, illa sensibilia, hæc intelligibilia, sive ut more auctorum nostrorum loquar, illa carnalia, hæc spiritalia nominamus: de illis cùm interrogamur, respondemus, si presto est ea quæ sentimus, velut cùm à nobis queritur intuentibus Lunam novam, qualis aut ubi sit, hic ille qui interrogat, si non videt, credit verbis, & sæpè non credit. Discit autem nullo modo, nisi & ipse quod dicitur videat, ubi jam non verbis, sed rebus ipsis & sensibus discit: nam verba eadem sonant videnti, quæ non videnti etiam sonuerunt. Cùm verò non de his quæ coràm sentimus, sed de his quæ aliquando sensimus, quæritur, non jam res ipsas, sed imagines ab eis im-A pressas, memoriæque mandatas loquimur. cum omni quomodo vera dicamus, cùm falsa intueamur, ignoro: nisi quia non nos ea videre ac sentire, sed vidisse ac sensisse narramus, ita illas imagines in memoriæ penetrabilibus rerum anteessarum quędam documenta gestamus, quæ animo contemplantes, bona conscientia non mentimur cùm loquimur, sed nobis sunt ista documenta: is enim qui audit, si ea sensit atque affuit, non discit meis verbis, sed recognoscit ablatis secum & ipse imaginibus. Si autem ille non sensit, quis non eum credere potiùs verbis, quàm discere intelligat? Cùm verò de his agitur B quæ mente conspicimus, id est, intellectu atque ratione, ea quidem loquimur, quæ presentia contuemur, in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior illustratur & fruitur, &c.

Quia ergo per caritatem Dei, quæ ipso largiente diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, universæ Ecclesiæ notum esse non dubitatur, quod omnia quæ intra eandem sanctam Dei Ecclesiam ad perennem capiendam salutem pertinentia aguntur, ita per ejusdem Spiritus sancti gratiam cautè agenda sint, ut illud precipuæ caritatis privilegium conservetur, quod ipse auctor & largitor omnium bonorum Dominus, de mundo corpo-C raliter abscessurus, pro summo atque altissimo munere fidelibus suis dando pariter & relinquendo largiri dignatus est dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Illud etiam Apostoli pariter attentissimè cogitandum: *Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et idcirco valde necesse est, ut quisquis ad illam patriam desiderat pervenire, ubi nunquam discordia potuit vel poterit introire, illud summopere agere studeat, per quod & ipse illam Deo placitam caritatis pacem cum omnibus habere studeat, & omnes contra illam pacem discordantes, ad veram con-D cordiam revocare contendat. Certum est enim, quia sicut quisquam si eandem caritatem servare poterit, & noluerit ad palatium caritatis pervenire, non poterit: ita si illos quos contra eandem dilectionis unitatem dissidentes cognoverit, & illos ad tantæ beatitudinis viam revocare poterit, & virtute qua valet non certaverit, ipse sibi ejusdem beatitudinis januam seris validissimis claudit. Similiter quoque justissimo Dei judicio eandem calcandi semitam obstaculum sibi opponit, si secundùm qualitatis suæ modum omnes in Deo unanimes, ne in baratrum discordiæ proruant, quantùm reniti prevalet viriliter non contendit. Hæc ad hoc non humana argumentatione reperta, sed divina toto orbi terrarum docente authoritate diffusa, atque notissi-E ma ubique valere debent, ut ubicunque fuerint discordantes, ad concordiam revocentur; concordes verò ne in discordiam proruant, ab universis qui prevalent, tueantur. His ita summatim præmissis, series hujus dictionis postulat, ut subsequens sermo cur talia præmissa sint, lucidè pandat. Quia igitur ut universo Ecclesiastico ordini, revelante Spiritu sancto, notum est inter cætera pietatis documenta, testante Apostolo, Fides, Spes, Caritas præeminent, ipsæque rursum virtutes per prudentiam, temperantiam, fortitudinem, atque justitiam, auctore Deo inviolabiliter conservantur: ita rursus illæ quatuor ad humanam derivatæ sobriam conversa-

A tionem per rationem, discretionem, honestatem, atque utilitatem habentur atque utuntur, nullusque istis carens illas perfectè habere potuit, nec eis ritè istis spretis aliquando uti prævaluit; & quamvis sint quædam ex eis humanam rationem excedentes, ut sunt nonnulla, quæ sola fide attingi possunt, & ob hoc ineffabilia, & incomprehensibilia dicuntur, auctoritate tamen divina in sacris voluminibus, sanctorum etiam Catholicorum Patrum edictis Deo revelante qualiter eadem tenenda vel confitenda sint, sufficienter reperiuntur, ideoque penè ab omnibus desideratur, optatur, quæritur, ut ratione præeunte, comitante, vel subsequente, in omnibus vel de omnibus unde certus esse desiderat, B salvâ & antepositâ semper & ubique divinâ auctoritate, non priùs qualibet humanâ adinventione opponatur quàm utili ratione instruatur, & undecumque certus esse desiderat, pleniter imbuatur. Idcirco ergo summopere cavendum est, ne homini rationali rationem desideranti, atque poscenti ullo modo ratio interdicatur, nisi tantùm in his, ut suprà commemoratum est, ineffabilis tanta ac talis occurrat sublimitas, cui meritò universa humana se substernat ratiocinationis humilitas. Quia verò uno pretio Christi videlicet sanguine redempti fratres sumus, & ipso miserante, cujus misericordia id sumus, cognosci metuimus, cum omni mentis affectu, ut C suprà commemoratum est, necessitatem fratrum nostrorum, totius scilicet imperii orientalium Romanorum, ad intima cordis nostri viscera admittere debemus, quorum inviolabilem caritatem ob nullam aliam disceptationis occasionem nimis duriter, & ut multis videtur, irrationabiliter scissam esse cognovimus, nisi quod quidam illorum unà cum Michaële & Theophilo Imperatoribus carissimis fratribus nostris imagines Sanctorum non habere volunt: quidam verò è contra ex eadem sancta plebe non solùm habere, sed etiam adorare volunt. Quorum altercationis discordiæ summa talis est, ut nolentes illas habere, volentes nec habere consentiant: D volentes verò, nolentes etiam adorare compellant, qui hinc & inde in diversa tendentes adversùs alterutrum, sive humana argumentatione, vel ratione, sive etiam ex divina auctoritate, vel sanctorum Patrum scriptis, voluntati suæ excerpta vel coacervata habent, ut utrisque videtur, congrua plurima testimonia, quibus & isti suam, & illi è contra vindicare & obtinere suam putant posse sententiam. Vnde sicut dignum & verè dignum & justum est, ut præeunte Spiritus sancti virtute, ille inter eos in nomine Domini talia correcturus, & ad viam veritatis sanctissimo moderamine reducturus primus in hominibus arbiter occurrat, quem Deus omnipotens in E Sede Apostolica collocare, eorumque vicarium eidem sanctæ suæ Ecclesiæ dare dignatus est, & ob hoc ei nomen speciale in toto orbe terrarum ab eadem sancta Dei Ecclesia præ omnibus Pontificibus decretum est, ut solus non sua abusione, sed tantorum Apostolorum auctoritate universalis Papa dicatur, scribatur, & ab omnibus habeatur. Et quia sicut omnibus notum est, dicente Ioanne Apostolo, Hora novissima est. Et paulò pòst: Nos in quos fines seculorum devenerunt, & ideo tempus instat dies judicii absque ulla diuturna dilatione appropinquat, nulli dubium quin diabolus inter reliqua perditionis suæ argumenta, illud præcipuè contendit, ut in novissimo die sanctæ Dei Ecclesiæ caritatem mutuam & unanimitatem per quamlibet occasionem scindat, viscera dilectionis corrumpat, ut eam non in pace superiùs commemorata, sed discissam & laceratam dies ille horrendus inveniat. Sed nec illud latet quod ipse infelix infelicium, miserrimusque omnium miserorum non curat, per quamlibet occasionem corporalem, spiritalem, mundanam, ecclesiasticam id efficere possit, dum tamen quolibet argumento ejus Deo placitam mutuam in diligendo soliditatem scindere valeat; & cùm universus ei ecclesiasticus meritò obviare debeat, nullus tamen sub hac conditione majori constringitur debito, quàm ille qui tanto in Sede Apostolica illorum auctoritate pro eorũ reverẽtia in universali mundo, ac tali honorari meruit privilegio. Qui tamen universalis meritò nõ dicitur, si pro universali Ecclesiæ statu viribus quibus valet non agonizatur.

Hæc, Domine Pater, ac toto mundo venerande, atque reverende sanctissime Pontifex, ad insinuandam in tanta re mentis nostræ devotionem præmittere studuimus. Abhinc verò si adeò conservanda almitas vestra ita elegerit, non insinuando sed admonendo, qualiter communis legatio nostra ad illam sanctam Dei Ecclesiam corrigendam dirigi possit, subnectere curabimus, non ut sanctæ & à Deo datæ sapientiæ vestræ, quod absit, altiùs, sublimiusque progrediendi terminum ponere præsumpserimus; sed ne id quod exinde nobis omnipotentis Dei, omnipotenti misericordia ad obsequium vestrum, salutem nostram conferre dignata est, silentio tegeremus, sicut filium decet patris in gremio examinis vestri collocavimus, confisi in Domino, quod ipse vobis exinde quod sibi placitum & acceptabile est, inspirare dignabitur. Nos tamen non Synodum congregando, sed quemadmodum à vobis postulavimus, licentiamque agendi percepimus, unà cum familiaribus nostris filiis vestris, quantùm pro multiplicibus sollicitudinibus regni diversis occupati per intervalla potuimus considerare, studuimus quid almitati vestræ de tanta necessitate significare potuissemus, qualiter idem populus à Deo per vestram conservandus orthodoxam sanctitatem ad veram concordiam revocari potuisset, ut vera pace conglutinati, & in hoc, & in futuro seculo omnium Domino placere potuissent. Et quicquid exinde salubre Domino inspirante invenire potuimus, paternitati vestræ per præsentes filios vestros, fratres nostros, quædam dictis, quædam scriptis intimando direximus.

Oro autem & obsecro in universo mundo, ut beati prædecessoris mei domini Gregorii Papæ utar verbis, fratres & domini mei, inquantum peccatores fratres mei, in quantum justi, domini mei, quantùm ex me humiliter supplicio, quantùm verò ex tanta auctoritate sublimiter moneo, ut nemo me hoc loco propter me despiciat, quia & si ad invitandum nequaquam dignus appareo, magna est tamen virtus caritatis, pacis & unitatis, ad quam vos alta potestate in vice beatorum Apostolorum Petri & Pauli, in nomine Domini nostri Iesu Christi invitare præsumo. Cùm enim Paulus veridica voce dicat, Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, quia sine illa nemo videbit Deum; quid felicius, quàm & in hoc sæculo desiderando, & in illo fruendo Deum videre? Quid è diverso infelicius, quàm nec in hoc sæculo feliciter optando,

optando, nec in illo faciliùs fruendo videre meruerit Deum? Et cùm hujus assertionis vel veritatis in universo mundo tanta sint testimonia, quæ in pręsenti tempore nulla evolvere pręvaleat lingua, nullusque mortalium pręscire valeat, quando vel uniuscujusque, vel quod majus est, totius mundi occasus terminusve fieri debeat, magna me, ut in omnibus notum est, urget necessitas, ut id quod ex debito reddere debeo, diutius deferre non audeam, ne fortè tanto charitatis debito subtracto in conspectu æterni Iudicis pro vobis omnibus rebus appaream. Quamobrem oro vel moneo, ut primò me summi Dei Ecclesiæ filii Michael & Thophile, gloriosi verò & sublimiter à Deo exaltati Imperatores Romanorum, vnà cum universo Catholico nobilissimoque senatu ac populo vobis à Deo ad gubernandum credito, ut ea, quæ pro salute vestra ex auctoritate beati Petri, cui Dominus & Deus noster Iesus Christus claves committere dignatus est regni cælorum dicens; Quodcumque ligaveris super terram, ligatum erit & in cælis,&c. admonere & exhortari, & insinuare necessarium duximus, patienter audiatis, animumque Deo placitum vestrum, non ad contemnendum, sed ad obediendum & conservandum pręparare studeatis. Ideo autem ad obediendum nobis hortamur, quia omnia quæ vobis de hac causa dicturi simus, tribus hoc capitulis principaliter & ordinare & confirmare parati sumus, id est, ratione, auctoritate, & consilio, videlicet rationem texendo, & eandem rationem inquantum rationabilis, discreta, honesta & utilis fuerit, auctoritate firmando; eandem verò auctoritatem secundùm Catholicæ fidei veritatem & rectitudinem salubriter intelligendo. Ad ultimum verò quid in his ad salutem universalis Ecclesiæ tenendum sit, consilium Deo placitum dando, & idem consilium confirmando. Et quamvis, ut dignum est, divina pręcellet auctoritas, primò tamen ad mitigandos atque ad adunandos animos in diversa tendentes, ratiocinando omnibus satisfacere volumus, ut eo faciliùs & divinam auctoritatem secundùm sanum Catholicæ fidei intellectum concordes suscipiant, ac deinde certum nobis consilium suaviùs amplectantur, amplexumque in futuro custodiant.

RATIO.

Apud omnes igitur hujus sanctæ Occidentalis Ecclesiæ, quæ se auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, largiente Domino fidei, spei & charitatis, sumpsisse exordium gloriatur, ita hactenus per eosdem Apostolos, protegente Spiritu sancto, & ipsis intercedentibus ac protegentibus ab omni hęresi illibata nunc usque conservata est, ut non solùm ipsa ad quodlibet erroris diverticulum minimè declinaret, sed potiùs omnes à recto fidei tramite quoquo modo deviantes, per orthodoxos eorumdem successores toto orbe terrarum ad rectitudinem potiùs revocaret. Testis enim hujus rei non quilibet angulus, sed orbis terrarum universus, quia quoties tales per mundum perceptiones motæ sunt, quæ ad periculum fidei universalis Ecclesiæ imminere putabantur ob inveniendam inventamque conservandam Catholicæ fidei veritatem, semper hoc universalis Ecclesia ob pręsentem hujus sanctitatem Sedis Pontificiæ, aut certè cum consensu illius verbis vel literis porrecto corrigere, porrectumque ad conservandum statuere consuevit. Simili modo etiam & in his, quæ ad conservandum in humanis actibus ejusdem Ecclesiæ incontaminabilem statum, moderante non qualibet dolosa vel sophistica necnon duplici calliditate, sed veritate subnixa, simplici ratione, ipsaque discretione, honestate, utilitate, pariter irradiata ratione, non solū noxia vel nociva, verùm quoq; & ipsa superflua & non necessaria resecare consuevit, & ea, ut prędictū est; quæ ad salutem totius Ecclesiæ pertinere, & insuper meritò cavere non debuisset, differendo & ordinando sancire solita fuit, & hoc non tantummodo de causa fidei, vel sicut pręmissum est, de statu humani generis, vel cursu rectitudinis; verùm quoque de omni dissensione in sancta Dei Ecclesia, quæ pacem illam turbare videbatur, quam Dominus Apostolis, & per Apostolos nobis omnibus vicariam pręsentiæ suæ dereliquit dicens; Pacem meam do vobis, Pacem meam relinquo vobis. Vbicumque per quodlibet pietatis argumentum pertingere potuit, semper hujus sanctæ Sedis Vicarii Apostolorum quędam mulcendo, quędam verò, si ita res poposcisset, sublimi ac veneranda auctoritate, ut dignum erat; docendo pariterque prędicando, ad pacis concordiam revocare studuit. Quorum vicem qualescumque simus, ministerium tamen auctoritate subeuntes, charitate pariter & eadem auctoritate roborati, dissentionem illam, quæ infra ipsam semper Deo amabilem Romanorum Gręcorumque Ecclesiam exortam, duriùs eandem Ecclesiam quam saluti illius ullo modo convenire possit, scindentem diuturno tempore cognovimus, non audemus declinare, ut non illam ex auctoritate tantorum Apostolorum ad pacis concordiam ipsis mediantibus, non debeamus advocare; maximè verò in eo quod ejusdem miserrimæ dissensio ea sit materia, sine qua, sicut multis videtur, salva per fidem, spem & charitatem incunctanter & in hoc sęculo & in futuro salvari potest Ecclesia. Quorum sensus & sententia tales sunt. Quid fidei, spei, & charitati obesse potuisset, si imago nulla toto orbe terrarum picta vel ficta fuisset? Et quanquam idem filii nostri, qui hæc dicunt, rationabiliter se ostendere posse nullatenus dubitant, melius illud nunquam fuisse sine cujus cultu perfecta fide, spe, & charitate universalis sancta Dei Ecclesia salva potuisset consistere, quam sub hac occasione non dubium, sed certissimum illud malum discordiæ debere incurrere, quod nisi correctum fuerit, nullatenus cum hac dissensione ad Dominum, qui est pax, omnium sibi placitam pacem habentium, nunquam in perpetuo posse pertingere. Et quamvis devotio illorum hoc constanter postulet, ut eis ratiocinando qualiter de ipsis imaginibus discretè & rationabiliter sentiant, postea differere liceat. Quod si est, qui justo moderamine suscipere velit, salubre omni homini esse non dubitant, ad comparationem tamen tanti mali eandem imaginarū causam pro nihilo comparant, si pax illa, quæ ad æternam vitam, qui est via, veritas & vita, ducit, ad eandem viam, veritatemque perducta non fuerit. Et idcirco cunctus chorus Sacerdotum, necnon & omnis Senatus totius gentis seu Imperii Francorum, & universa Ecclesia per totam Galliam cum cæteris provinciis eidem à Deo conservando Imperio subditis, aut ita fama delendæ dissensionis fratrum suorum irrevocabi-

liter postulant, ut priùs per istius sanctæ sedis à Deo conservatã in futuro usque in finem sæculi, sicut ipsi indubitanter, & nos omnes per merita Apostolorum confidimus conservandam auctoritate, illud summopere quærere festinemus, ut quia auctore Deo hæc duo regna in toto orbe terrarum principalia mutua sibi Deo placita charitate devincta sunt, illud diaboli telum ab eadem Ecclesia dissipetur, ut pax Dei, quæ exsuperat omnẽ sensum, in eadem beata plebe pleniter restituatur. Vociferantur enim in cęlum uno ore & uno corde omnipotentis Dei judicium inevitabiliter nobis incumbere, si auctoritate summorum in toto orbe terrarum Apostolorum, quorum doctrinis & consilio universus flectitur mundus, discordiam vestram ad veram concordiam non certamus reducere. Dicunt etiam quid acturi erunt de tam pręcipuo coram Deo amisso solatio, si illos quos post hujus sanctæ sedis immutabilem tuitionem, illud in tam pręcipuè carissimis fratribus solatium perdiderint, qui simile in universa Ecclesia nullum habebunt. Si enim cum illis veram fidem, integrumque charitatis ardorem non servaverint, quid in judicio Domini tanta neglecta charitate & in nomine Domini certissimè confirmata neglexerint? Sed nos diuturnæ lectioni vestroque fastigio in legendo parcentes, ubi tanta ab eis charitate urgente, de Deo placita mutua dilectione vestra, plorando, imò lugendo conquesti sunt, quæ in unum colligi difficile possunt omissis ad eandem seriem detexendam, quam ipsi de imaginum reddenda ratione spoponderant, redeamus. Aiunt enim: oramus ergo, sanctissime atque beatissime Pontifex, ut nobis antiquorum Patrum nostrorum hac de causa vitæ cursum recitare liceat, simulque prout rationis ordo poposcerit, sensus sui affectum in hac dumtaxat re, cur ita vel ita tenuerint interserendo adjungere. Nec vobis tædium fiat, si ad ostendendam rationem veritatis, veritatemque rationis se se paulò longiùs sermo protraxerit, dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus nostris usque ad nos inflexibiliter ducta est, beato Dionysio scilicet, qui à sancto Clemente beati Petri Apostoli in Apostolatu primus ejus successor extitit, in Gallias cum duodenario numero primus pręedicator directus, & post aliquod tempus unà cum sociis suis huc illucque prędicationis gratiâ per idem regnum dispersis, martyrio coronatus est. Et quanquam plures existant quidam Martyres, quidam etiam Confessores, quorum merita, qualia apud Deum habeantur, quamvis quotidianis miraculis coruscent, quia tamen propter longitudinem terrarum vobis minùs cogniti fortasse existunt intermissis, sanctum tamen Hilarium antiquum Ecclesiasticum doctorem, necnon & beatum Martinum toto orbe venerandum, vobis notissimos esse minimè dubitantes, ad memoriam reducere necessarium æstimavimus, quorum vitæ magisterio edocti, hæc ita tenenda atque servanda suscepimus. Sed quia apud nos vel majores nostros, ex quo ulla pręsens ætas recordari potest, numquam ejusmodi quæstio mota vel ventilata fuit, ideo semper talis exinde mos ex prędictis antiquis temporibus retentus, in uniuersa istius regni Ecclesia exstitit, ut nullus ac si ex auctoritate ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ juberet, nullus cuicumque imaginem volenti pingere aut fingere prohiberet. Vnde usque hodie eadem apud nos consuetudo tenetur, ut quia hoc auctoritas nulla jubet, nemo jubeat: similiter quia auctoritas nulla prohibet, nemo prohibeat. Quia verò propter præmissam rationem aliter esse non potest, nisi ratio inde habeatur, fortasse eadem ratio tale exordium non inconvenienter habere poterit. Si igitur imago in toto orbe terrarum nulla picta vel ficta esset, numquid aliquid fidei, spei, vel charitati sanctæ Dei Ecclesiæ obesset? Rursus si ita ut in quibusdam locis maximè Ecclesiis seu Palatiis Principum, ob nullum alium Catholicæ fidei seu Religionis cultum, sed tantummodo scientibus pro amoris pii memoria seu ornamento eorumdem locorum; nescientibus verò pro ejusdem pietatis doctrina pictæ vel fictæ sunt, ita per reliqua ejusdem imaginibus congrua domicilia ad eundem sensum pertinentes pictæ vel fictæ essent, quid pręfatis virtutibus umquam aut usquam obesse potuisset? Et ideo quia res ita se habet, quid superest, nisi ut qui nolunt, ita non faciant, ut tamen eis qui illas eo sensu ut pręmissum est, habere volunt vel faciunt, in faciendo vel habendo minimè contradicant? Et illi similiter, illas habere volunt, nolentes ad habendum vel faciendum nullatenus cogant. Atque ita auctore Deo, uterque illæsa servatur, dum & habere volens propter cautelam illiciti cultus, habere nolens propter cautelam illiciti contemptus salvus permanere indubitanter poterit. Atque ita miserante Deo, majorum nostrorum imaginibus vel picturis morem imitantes, in jubendo vel prohibendo, in habendo vel non habendo, in colendo vel non colendo, illæsus hactenus hac de causa Domino opitulante nos transisse, & ipso gubernante transituros nequaquam dubitamus. Quamobrem monendi sunt omnes, qui illas habere volunt, ne amando, vel quolibet modo orando vel complectendo, ultrà quàm oportet, cultum eis illicitum ullatenus impendant. Similiter & illis qui eas habere noluerunt, sicubi eas aspexerint, qualibet ignominiosa vel probrosa detestatione spernere, contumeliare vel lacerare prę sumenr. Hinc ergo indubitanter colligi potest, quæ illum ratio hoc cum periculo quocumque compellat habere, quod illum proculdubio sine ullo periculo licet non habere. Ideo ergo totius hujus rationis talis est summa, ut qui volunt propria memoria vel sana doctrina, in locis competentibus absque ullo illicito cultu pictas vel fictas imagines habeant. Qui autem nolunt absque ullo illicito contemptu taliter habentes, vel habitas imagines nullatenus spernant.

Essent utique plura, quæ hîc ratiocinando, his per omnia congrua dici vel scribi potuissent, si aut brevitas temporis permitteret, aut id aliqua, si ea confirmando scribi necessitas poposcisset.

AVCTORITAS.

His etiam pro satisfactione prędictorum fratrum nostrorum vel Ecclesiæ superiùs commemorati regni, in sua, quia aliter esse non potuit separatim relatione vel serie competenter præmissis, ut quicumque ratiocinando animo suo satisfacere voluerit, cur eadem Ecclesia tali se moderamine hac in re ex antiquis temporibus in habendis vel non habendis imaginibus tractare voluerit, tantò compendiosiùs facere possit, quantò non sparsim, sed simul sensum illorum opportunè collectum legendo addiscere poterit.

poterit. Modò autem eadem ratio docet, sicut suprà significatum est, ut nunc ad auctoritatem sanctorum Patrum, qui inde aliquid scripserunt, nobisque scriptum reliquerunt, redeamus & videamus, si eadem auctoritas præmissam rationem congruendo affirmare debeat, an non. Videtur igitur nobis, quamvis plures inde in reliquis contractibus suis, quos de statu sanctæ Dei Ecclesiæ, inspirante Spiritu sancto, studiosè texuerunt, nonnulla interserant juxta quod sensus ille postulat unde agebatur. Meritò tamen illi ad hujusmodi examinationem primi ponantur, qui de hac re specialiter & ob hanc solummodo solvendam quęstionem scripsisse repetiantur. E quibus nobis beatus Papa Gregorius hujus sanctæ Dei Ecclesiæ Pontifex primus occurrit, qui ad Serenum Massiliensem Episcopum hoc specialiter scripsit, sicut & in epistola illius ad eum facta in armario sanctæ Dei nostræ Ecclesiæ continetur, eo quod audiret illum propter, ut sibi videbatur, superfluum imaginum cultum, tali zelo succensum, omnes imagines quas in Ecclesia sua receperat, deposuisse, confregisse, & extra eandem ecclesiam funditus projecisse, ut hoc facto à cultura vel adoratione illicita populum compesceret. Qua de re, nihil congruentius in hac causa posse fieri arbittati sumus, quàm ut primò eadem epistola huic nostro operi, quod maximè ob amorem veræ pacis sanctæ Ecclesiæ texere, ordinare, de meritis beatorum Apostolorũ confisi, fideli mente aggressi sumus, credentes per eos posse obtinere, ut tam per necessarium ecclesiasticum opus à Deo placitam consummationem debeamus perducere. Scribit enim ita: Indico, inquit, ad nos dudum pervenisse, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem in ecclesiis imagines confregit, atque projecit. Et quidem zelum vos ne quid manufactum adorari possit habuisse laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas, & illa servare, & ab eorum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literararum nescii haberent unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.

Item idem ad eundem.

Perlatum, inquit, siquidem ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confringeres, & quidem quia eas adorare vetuisses, omnino laudavimus; fregisse verò reprehendimus. Dic, frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ut despectis aliis fratribus solum te sanctum, & esse crederes sapientem? Aliud enim est picturam adorare, aliud picturæ historiâ quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis pręstat pictura cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde pręcipuè gentibus pro lectione pictura est, quod magnopere te, qui inter gentes habitas, attendi decuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non adorandum in ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias, non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses, sine dubio & ea, quæ intendebas salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potiùs poteras congregare, ut pastoris in te meritò nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Hinc autem dum in hoc animi tui incautè nimis motus exsequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, ut maxima eorum pars à tua se communione suspenderet. Quando ergo ad ouile dominicum errantes oves adducas, qui quas habes, detinere non pręvales? Proinde hortamur, ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque ab hac te pręsumptione compescas, & eorum animos, quos à tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine omni adnisu omnique studio revocare festines. Convocandi enim sunt diversi Ecclesiæ filii, eisque scripturæ testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat, quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Ac deinde subjungendum, quia picturæ imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi factæ fuerant, ut nescientes literas, ipsam historiam intendentes, quod dictum sit discere, transisse in adorationem videras, idcirco commotus es, ut eas imagines frangi pręciperes, atque eis dicendum, si ad hanc instructionem ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesiis, eas modis omnibus & offerri & haberi permittas. At indica, qud non tibi ipsa visio historiæ quæ pictura teste pandebatur displicuerit, sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita; atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam revoca, & si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe. Adorare verò imagines, omnimodis devita. Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adorationem soli illius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.

Item idem ad Ianuarium Episcopum.

Iudæi, inquit, de civitate vestra huc venientes questi nobis sunt, quòd Synagogam eorum quæ Caralis sita est, Petrus, qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Deo volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est dominica ipsa festivitate Paschali cum gravi scandalo sine vestra voluntate occupasset, atque imaginem illic Genitricis Dei Dominique nostri, & venerandam crucem vel byrrum album quo fonte surgens indutus fuerat, apposuisset, &c. *Et post pauca inquit.* Considerantes hac de re vestræ voluntatis intentum ac magis judicium, his hortamur affectibus, ut sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare.

Item idem ad Secundinum servum Dei inclusum.

Imagines, inquit, quas à nobis tibi dirigendas per Dulcidium Diaconem tuum rogasti, valde nobis tua postulatio placuit, quia illum in corde tota intentione quęris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut visio corporalis quoti-

quotidiana reddat exortum, ut dum pictutam vides, animo inardescas, cujus te imaginem videre consideras. Abs re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amando desiderat, quam videre conatur, si contingit aut ad balneum ire, aut ad ecclesiam procedere, festinus in via se pręparat, ut de visione hilaris recedat. Scimus quia tu imaginem Salvatoris nostri ideo non petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei, ut in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, vel in throno sedentem recordamur. Et dum nos ipsâ picturâ, quasi scripturâ, ad memoriam Filium Dei reducimus animum nostrum, aut de resurrectione lętificat, aut de passione mulcet. Ideoque direximus tibi systerias duas, & imaginem Salvatoris & sanctæ Mariæ Dei Genitricis, beatorum Petri & Pauli Apostolorum, per supradictum filium nostrum Diaconem, & unam crucem cum clavo pro benedictione, ut ab ipso à maligno defensus, crucis sancto ligno te esse munitum credis.

Hucusque Epistola Gregorii.

Sed quia hic ordo verborum ita pręposterus atque à non intelligentibus confusus videri potest, ut nisi cautè consideretur, ita à nonnullis minùs capacibus intelligi possit, quasi beatus Gregorius id quod priùs omnibus illicitum esse prędixit se fecisse, sibique faciendi licitum esse testetur, quod quàm absurdum, quàmque contra sanctæ Dei Ecclesiæ religionem de tanto ecclesiastico doctore sentire indignum sit, nullus qui dicta ejus scrutando vel legendo cognovit, ignorare permittitur. Nam ut sibimetipsi contrarius esse debeat, justitia vel rectitudo sanctæ Dei maximeque Romanæ Ecclesiæ sustinere non valet, quod & si paupertas insipientiæ nostræ id intelligere non valet, meliùs ut contra insipientiam, quàm contra tantam à Deo datam sapientiam insurgere pręsumat. Sed & si ipsum modicum sensum nostrum virtus misericordiæ Dei aliquantulum illuminare dignatur, quomodo idipsum contrarium sibi non sit facillimè intelligitur. Nam quia ab imaginum adoratione adorantes compescuerit, nulla dubitatio est. In eo verò quod ad Secundinū scripsit, nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsam posternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem natum, aut passum, vel in throno sedentem recordamur, ubi ut pręmissum est, ac sibimet contraria dixerit, intelligentiæ nostræ se caligo confundit. Sed ne nos non necessaria ignorantia id non intelligendo diutius torqueat, sensus ejusdem sententiæ talis est.

Nos quidem ante ipsam non prosternimur, quasi ante divinitatem, sed illum adoramus, & cætera. Quod tale est, ac si Regi in throno sedenti dicas: Nos quidem, ô Rex, non quasi ante divinitatem ante te prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem tuam, quia homo es, Dominum Iesum Christum hominem natum, aut passum, vel in throno sedentem, cujus imitator es tu, sedens in throno; numquid tali dicto mox consequens est, ut eundem regem adorare compellar sedentem in throno? Ita nec in eo quod dicitur: Nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsam prosternimur, sed illum adoramus, & cętera. Ad imaginum adorationem invitamur, quia sicut in multis divinæ auctoritatis voluminibus sententias ordine verborum prępostero scriptas invenimus, ita quoque factum esse eo sensu, ut suprà dictum est, hoc in loco minimè dubitamus.

Cùm enim ibi scriptum sit: Nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsam prosternimur, quis non animadvertat, idipsum magis refutando, quàm imperando, vel adorando, eandem adorationem imaginum dictum esse, ita ut dictum est? quantò magis sicut suprà factum est, ordo verborum suo restituatur ordine, omnem quemcumque ob nimiam simplicitatem errantem, in eo quod beatum sanctæ Dei Ecclesiæ doctorem adversùm seipsum sensisse æstimabat, corrigere poterit. Insuper etiam si quemquam subtiliùs intelligentem, hoc negligentiùs minusve intentè legere contigisset, facillimè seipsum dijudicante, cur aliquando aliter senserit, ad sobrium intellectum revocare poterit. Si quis autem quod quidem à sanè sapientibus omnibus absit, magis suum sensum sequendo, illum voluerit condemnare quàm se corrigere, nulli dubium, quin meritò ab universa, maximè tamen à sancta Dei Romana Ecclesia debeat condemnari. Nequaquam enim fieri potest, ut hæ duæ sententiæ sibimet contrariæ non existant, una qua populus ab adoratione imaginum ne criminis id agendo reus appareat prohibeatur: altera verò quæ illum ad ipsum egisse, cæterosque ut hoc faciant docuisse perhibeatur. Sed absit hoc à tanto talique generali Catholicæ Ecclesiæ magistro, ut qui universas perplexas scripturæ quęstiones, quæ sibi contrariæ videbantur, eique ad explanandum vel tractandum occurrerunt, nunquam dissidentes relinquere consuevit, sua sibimet dicta discordantia reliquisset.

His ita propter vitandam hujusmodi temeritatem summatim pręmissis; nunc videndum, utrùm ei quisquam Catholicorum Patrum, quamvis ei specialiter fortasse talis scribendi necessitas minimè incumberet, in cæteris tractatibus suis tale aliquid inditum habeat, in quo ejusdem patris sensui de imaginibus concors esse videatur.

Ecce enim beatus Ambrosius antiquus Ecclesiæ Dei probabilis doctor, ita in epistola Pauli ad Romanos tractans ait: Qua ratione, quave auctoritate imagines Angelorum, vel aliorum Sanctorum adorandæ sint, cùm ipsi sancti homines vivos se adorari noluerunt?

CONSILIVM.

Auctoritate ergo, ut proposuimus, secundo loco inserta, non quidem quantùm ex thesauro uberrimo ecclesiastico potuit, sed quantùm epistolaris brevitas ritè permisit, monere vos & exhortari, ô venerandi Principes mundi, cum universa sancta Dei, quam Domino dispensante & committente gubernatis, Ecclesia, ut ea quæ vobis non quęlibet temeritas, sed vera humilitas nostra intimare studuerit, attentiùs audiatis, & ob illorum reverentiam, qui cum Domino ipso promittente in die novissimo totius mundi venturi sunt judices, reverenter suscipiatis, & ad salutem omnium vestrûm strenuè conservare studeatis.

Pręmisi-

Præmisimus enim paulò superiùs, ut post redditam rationem, post insertam auctoritatem, propter adunandam, quam Domino Deo ordinante regitis, Ecclesiam, consilium vobis non nostra adinventione, sed divina auctoritate illud dare debuissemus, per quod eadem sancta Mater Ecclesia ita sibi mutuò in vera pace fœderari debuisset, qualiter & in hoc sæculo, & in futuro ei placere potuisset, qui ascensurus de mundo suis promisit dicens, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Et quia attestante Paulo inter cætera verum est, si quis tradiderit corpus suum ut ardeat, charitatem autem non habuerit, nihil est. Ideo prædictam sanctam Dei Ecclesiam in veræ pacis concordiam adunari totis viribus optamus, quia quomodo sine illa charitatem mutuam habere possit, nullo modo intelligimus. Potest enim fieri, ut aliquis cum altero ex parte vel fictam pacem temporaliter habeat; quomodo autem sine vera mutua pace habita cum altero veram possit habere charitatem, nulla docet auctoritas. Vnde magnopere considerandum est, quanta temeritate quantave audacia ad æternam ille pervenire se posse existimat, qui præsentem in hoc sæculo pacem Domini per quamlibet occasionem scissam restaurare cum proximo non curat, quam primum munus humano generi collatum Angeli nuntiant mox nato Domino in mundo, eandemque novissimè fidelibus suis in vice sua idem Dominus reliquit discessurus de mundo. Et quanquã multa & pene innumerabilia essent, quæ de tanta re subtiliter, sublimiter, & nimis terribiliter dici potuissent, cavendum est unicuique, ne hoc quisquã de illa solummodo pace intelligendum putet, quæ habetur in cælis. Quia & Dominus recedens ait: Pacem meam relinquo vobis. Et Angeli præmittentes: Gloria in excelsis Deo, mox non in cælis subjungunt, sed in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cogita igitur tecum, ô plebs & populus Dei, si ad perpetuam vis pervenire salutem, ut in hoc sæculo non fictam, sed veram habere mutuam studeamus pacem. Sed minùs fortasse prodesse poterit, libet meritò tanta talisque auctoritas causa consilii sufficere debuisset, necesse erit, ut huic assertioni cætera adjungantur, quæ nequaquam justè adderentur, si à Deo ab initio Catholicæ fidei data vobis sapientia sicut oportuit, pro vobis sollicita esse studuisset. Dicit enim Apostolus, Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt, ubi est ergo sapientia vestra, qui propter quamlibet occasionem illud habere contemnitis, sine quo ad regna cælestia pervenire nullomodo valebitis? Et hæc non arguendo vel increpando, sed ammonendo interim dicimus, ut vos ad interiorem hominem vestrum, in quo Deus per spem, fidem, & charitatem inhabitare consuevit, revocemus. Quem si ita secundùm ut suprà dictum est, sapientiam vobis à Deo datam, cogitare, diligere, vel metuere vultis, mirum est, quomodo cum fratribus invicem tanto jam tempore scandalum & discordiam habere non metuitis. Ecce etenim, si non ampliùs, jam annus est, ex quo hanc inter nos miserrimam dissensionem pullulasse audivimus. Quam vide discordiam, Deo, ut dignum est, semper odibilem; diabolo verò, ut ei decet, semper amabilem, omnes antecessores mei ad corrigendum prout eis possibile fuit, multùm laborasse non ignoratur. Hæc in paucis ad excitanda Deo amabilia corda vestra ideo præmittere curavimus, ut ea quæ vobis studiosiùs pro salute omnium animarum nostrarum dicenda providimus, auctiores vos ad audiendum & per omnia sollicitos in Domino redderemus. Sed sicut non solùm sacta auctoritate discimus, verùm quoque & humana quotidiana bene consuetudine agendo cernimus, quia arbor fructus malos faciens, nullomodo salubriùs extirpatur, quàm si radicitus evellatur: meliùs sæpedictam discordiam vestram omnipotenre Domino opitulante unà vobiscum, qui huic misertimæ nimiumque infelici conditioni prostrari non succumbitis, sed auctoritate bonorum omnium Domino Deo tantæ spurcitiæ celso in cacumine præminentis corrigere valemus, si quæ sit hujus perditionis origo vel fomes detendo pandamus. Nullus nempe sana sapientium fideliumque in Domino fratrum vestrorum dubitare permittitur, esse plures in hac sancta & à Deo conservanda Ecclesia, qui tantæ miseriæ succumbere dedignentur, licèt eis manus humana validior, ne id quod exinde justum esse non dubitant, restaurare vel perficere valeant obsistat. Quamobrem amabiliter ammonendi estis, ut totis viribus omnipotentem Dominum exorare studeatis, ut tantam ab hoc regno infelicitatem amovere jubeat, & illam quam mundus dare non potest pacem, sua vobis immensa clementia concedat. Et quia tantæ auctoritatis ordo, vel tantæ sublimitatis ratio necdum poscebat ut priusquam illa omnia quæ meritò præmittenda erant præponerentur, ut faciliùs, quove in loco secundùm sui qualitatem haberentur illa, quibus salvâ fide, spe vel charitate totius Ecclesiæ status carere potuisset, propter satisfactionem tamen in hoc opere laborantium principalis hujus sæpedictæ discordiæ vestræ, causa imaginum extitisse traditur. Ejusdem quoque causæ origo in eo contigisse fertur, quod Imperator considerans quosdam in eadem plebe indiscreto zelo inflammatos ultrà quàm oportuisset, vel unquam priùs actum esset in imaginum cultura, veneratione vel adoratione ultrà progredere, quàm ut antea unquam in universa Ecclesia factum esset, volens ut tunc sibi cum illis, qui ei favebant, eandem superstitionem qualiscumque esset, ab Ecclesia penitus amoveret, postposita hac in re salubri discretione, sine qua omnis humanæ actionis virtus in vitium vertitur, elegit præmissam superstitionem aliter emendari non posse, nisi omnes imagines penitus delerentur, & qui si ita erat, ut dictum est, illicitum cultum, in hominibus, vel ab hominibus compescendum erat, in imaginũ destructione quæ nihil peccaverunt: imò eo sensu quo suprà præmissum est, scientibus propria memoria, nescientibus verò pro doctrina utiles erant, in frangendo vel dissipando sinistram extendit pro dextera, & qui ita hac in re incautos reducere debuit, sicut fortè quia recens erat causa facillimè potuit, instigante qui nunc latè patet, ecclesiasticæ pacis vel charitatis inimico. Hanc ei ac si luculentissimam ostendit semitam, heu quàm longè ab illa sinistris amfractibus incedentem, quæ de semetipso ait: Ego sum via, veritas, & vita, quid putas quàm dulcia quamque religiosissima, imò sanctissima satagebat fingere itinera, ut per illa ad hæc, quæ nunc omnes plangimus, pertrahere potuisset discidia? sed nec hoc ullo modo aliter æstimatur peragere potuisse, nisi illum priùs cum sequacibus suis illius impiæ dulcedinis demulcendo cor tangeret,

ANNO CHRISTI 824.

geret, cujus idem diabolus pestifero telo perforatus, de cælo meritò cecidisset. Sed quid agimus? quid dicimus? Ad comparationem namque malorum omnium, quæ hîc congruente spatio, quod omnino non deest, non solùm de diabolo, sed etiam de ipso Imperatore cum fautoribus suis dici poterant, nihil est quod dicimus. Vniversa denique mala, quæ ex eo usque in præsentem diem per hujusmodi discordiam, in vobis perpetrata sunt, hinc sumpsere principium. Quamvis enim propter singultum plorationis tacere non permittamus, licèt propter arctissimum temporis spatium, & propter innormitatem earumdem miseriarum, ut lugentibus mos est, innumera ad dicendum flebilia occurrerint, paucis ad incoationem hujus infelicitatis redire placet, ut contueamur diabolum in hujus vitæ excursu in bivio stantem, ubi Imperator è duobus unum ad eligendum indeclinabiliter cogitur, aut cultui illicito favendo imaginibus contra jus ecclesiasticum cervicem flectere, aut certè hujusmodi cultoribus contradicendo, vel non favendo ingratus existere, & qui faciliùs poterat ad imitationem antiquiorum principum vel patrum suorum, & istos ab illicito cultu revocare, & cum cæteris omnibus morem antiquum sine offensione Dei prosequentibus pacem vel caritatem leniter retinere: persuasit eum prædictus pacis semper & caritatis inimicus, illud iter in destruendis imaginibus arripere, per quod omnes per discretionem sanè sapientes atque servantes perturbando confunderet, & illos, quos sæpedictâ discretione vel temperantiâ, quæ una de cardinalibus ecclesiasticis virtutibus esse cognoscitur spreta, elegit ultraquam unquam Deo placuit, vel placere debeat, imaginum cultui deservire, ut eisdem qui hoc electum habebant, potuisset placere. Non considerans illud quod terribiliter scriptum est, Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit illos. Sicque factum est, ut ex die illo ab eodem antiquo semper Deo placens populo fidelium exilia non cessarent, cruces & cruciatus non quiescerent, &, ut fertur, membrorum detruncationes, ipsa etiam homicidia causâ earumdem imaginum, nimia perpetrata sint. Et hæc diu cucurrerunt, quousque idem humani generis antiquus hostis, quasi in hac parte satiatus, converrit se ad alia perditionis argumenta, ut denuò suscitaret sibi contra cultores imaginum: Herenam videlicet cum filio tam pestifera illusione decipiens, ut absque ulla misericordia, vel metus superinspicientis omnipotentis Dei majestate, talis ab eis promulgaretur sententia, ut omnis homo eorum ditioni subjectus imagines adoraret, aut certè exilio, pœnisve diversis cruciaretur; & si non acquiesceret, ab universali Ecclesia anathematis vinculo sequestratus religaretur. Sed nunc quid denuò è diverso agat, ad priorem iterum recurrens semitam, præsentem denuò incitans Imperatorem, ut eas pictas, vel scriptas habere quempiam volendo permittat? Quis igitur tam eloquens sub cælo habetur, qui hanc pestiferam cladem enumerare prævaleat? Quis tam ferrea habeat præcordia, cui non dico scribendi, verùm quoque per defectum lacrymarum vocem non tollat ejulandi?

LVDOVICI PII Imp. 11.

Epistola Ludovici Pii Imperatoris ad Eugenium II. Papam extat in editione Conciliorum.

Commonitorium ejusdem Ludovici Imperatoris Episcopis Hieremiæ & Ionæ extat in editione Conciliorum.

Finis Conventus Parisiensis.

ANNO CHRISTI 829. — LVDOVICI PII Imp. 16.

EPISTOLA ALDRICI SENONENSIS ARCHIEPISCOPI ad Frotarium Episcopum Tullensem.

Commendat se precibus Frotarii Episcopi, ut dignè suscipiat atque exerceat munus Episcopale.

Eximio, mihique perdilecto Frotario Episcopo, Aldricus, sempiternam salutem.

Ex schedis Carnotensibus.

ORATIONVM vestrarum opitulatione fulciri necesse habui, sicut ipse vobis eam experiens sæpe testatus sum, sed nunc illa usquequaque indigeo, cùm ut vos æstimo audisse indigno mihi Episcopalis cura injuncta est, quæ me sicut indignum, ita quoque imparatum invenit: nam cùm olim monasticæ disciplinæ operam dans, fratrum curam ipsis cogentibus suscepetim, quod ferre compellor, nullatenus potuit esse susceptum. Quamobrem exceptâ Dei clementiâ, totum me ad precum vestrarum confero, reliquorumque amicorum familiare præsidium, obsecrans ut virium mearum fragilitatem earum jugitate adjuvare dignemini. Et quia prudentiæ meæ fiduciam ad tantum opus idoneè exequendum nullam habeo, quæso ut vestra sacra intentio apud Deum obtinere laboret, quatenus & meipsum custodiam, & commissorum mihi curam eo miserante venerabiliter saltem exerceam. Benignitatem vestram benè ex hoc agentem, Dominum perpetua incolumitate beatificare opto, reverentissime Præsul.

NOTA.

Duo ejus nominis erant Episcopi hac ætate; quorum unus Senonensis, & alter Cenomanensis; è quibus epistolæ hujus auctorem asserimus esse potiùs Senonensem, quòd ipsemet in contextu loquatur de se priùs Abbate, quàm Episcopo. Nomen autem monasterii refert Clarius sancti Petri Senonensis monachus in chronico absque anni nota, quam sumemus ex ratione generalis epistolæ Ludovici Pii Imperatoris de quatuor Conciliis Episcoporum congregandis, quo tempore futurus erat Antistes Senonicus, & præsertim de Parisiensi sexto pòst Iunio mense celebrato. [Obeunte, inquit, Hieremia Archiepiscopo VII. idus Decembris anni 828. nutu divino sanctus Aldricus Pontificalem Sedem suscepit Abbas sancti Petri Ferrariensis anno 829. vivente adhuc Pio Ludovico.] De Cenomanensi verò nihil prorsus simile proditur ab ullo scriptore.

ANNO CHRISTI 830.

LVDOVICI PII Imp. 17.

CONCILIVM LINGONENSE, cui præfuit Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus,

Et in quo confirmatur quod ab Alberico Lingonensi Episcopo ad monasterium Besuense factum est.

Ex Chronico Besuensi.

Synodi hujus nobis est auctor Ioannes Monachus in chronico Besuensi, ubi narrat Albericum Episcopum Lingonensem restaurasse omnimodè Monasterium Besuense, scilicet. *Non solùm res*, inquit, *ad ipsum Monasterium pertinentes restituisse, sed & alias res de Episcopatu, Ecclesiæ suæ, cum consilio Synodi provincialis, & consensu Ecclesiæ suæ, subjecisse; cunctaque insuper non tantùm sua, sed etiam regali authoritate confirmasse*, ut patet tum ex carta ipsius Alberici Episcopi, tum ex præcepto Ludovici Imperatoris hîc subjectis.

CARTA DOMNI ALBERICI Episcopi.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quòd ego Albericus dono Dei Episcopus Lingonensium, reperi locum jam dirutum, quod dicitur Fons-Besuus, in honore constructum sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli, necnon & aliorum, ubi jam olim Monachi regulariter Deo famulati fuerant sub Amalgario Duce, permittente Clotario Rege; ideoque ob amorem Dei & veniam delictorum meorum Deo inspirante cogitavi reædificare supradictum locum, permittente gloriosissimo Augusto Ludovico, & consentiente piissimo filio ejus Lothario Imperatore, congregavi ibi Monachos sub Abbate nomine Seraphim, qui regulariter degerent, & Deo in perpetuum fideliter deservirent. Concessi enim eis quicquid supradictus locus per cartarum donationem assequutus est; & quicquid nostri prędecessores de hoc loco abstraxerant propter eleemosynam supradicti Principis ejusque filiorum libenter restaurawi. Ideoque per consilium Archiepiscopi nostri Agobardi, & consentientibus Coepiscopis nostris, necnon & piissimis nostris Principibus seu omni Clero, necnon & omnibus fidelibus Ecclesiæ nostræ addidimus de Episcopatu nostro villas his nominibus: Pauliacum cum appendititiis suis, Bellenavum vicum cum suis appendititiis, istas villas cum omnibus adjacentiis, seu & omni re superposita, campis, pratis, silvis, pomiferis, pascuis, accessibus aquis, aquarumque decursibus, & omnes reditus, totum ad integrum, unà cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, unà cum acolabus dedi ad servitium Monachorum jure perpetuo ad possidendum: Ecclesiam ipsam, quæ est in ipsa Bellenavo villa in honore sancti Stephani, prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam: Ecclesiam quoque de villa, quæ dicitur sancti Sequani, cum appendititiis suis, & Ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus, necnon etiam Ecclesiam quæ est in valle Verona, in honore sancti Mauricii, & Ecclesiam de villa Beria, in honore sancti Laurentii cum omnibus appendititiis suis. Pręterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic Ecclesiæ domnus Amalgarius dux & fundator hujus sacri Cœnobii. Apud villam quæ dicitur Fiscinis, vinearum non modicam quantitatem cum pratis, & campis, & servis, & ancillis ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter, & in Marcennaco similiter. In substantiam Monachorum & alimoniam pauperum, & ut ibidem delectetur servis Dei Domino servire, & pro Rege, ejusque conjuge, & liberis ipsius, & totius imperii ejus stabilitate, jugiter Domini misericordiam implorare. Ea videlicet ratione hoc constituimus, ut semper subjectus sit jam dictus locus Ecclesiæ sancti Mammetis, & ut nec ego ipse, nec ullus de successoribus meis hanc conscriptionem violare pręsumat, domni Imperatoris confirmationem in ea fieri postulavi. Actum Lingonis civitate publica, anno ab incarnatione Domini 830. indict. VIII. epacta XV. XII. Kal. Decemb. anno, Christo propitio, 17. Imperii domni Ludovici Imperat. & Lotharii Augusti filii ejus VI.

In Christi nomine Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus, subscripsi.

Bernardus Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopus, subscripsi.

Albericus Episcopus, cartæ à me factæ subscripsi.

In Christi nomine Fova Episcopus Cabilonensis, subscripsi.

Modoinus Augustudunensis Episcopus, subscripsi.

Hildebaldus Matiscensis Episcopus, subscripsi.

Angericus Episcopus subscripsi.

Audinus indignus Chorepiscopus, subscripsi.

Ego in Dei nomine Iacob, licèt indignus Chorepiscopus, subscripsi.

Subscripserunt quoque duo Abbates, septem Presbyteri, quatuor Diaconi cum quibusdam Laïcis nobilibus.

ANNO CHRISTI 830.

LVDOVICI PII Imp. 17.

PRÆCEPTVM HLVDOVICI IMPERATORIS,

Quo confirmat donationem Alberici Episcopi, factam in præcedente Synodo Lingonensi.

Ex eodem chronico Besuensi.

IN nomine Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, Ludovicus & Lotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti. Si petitionibus servorum Dei justis & rationalibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Proinde comperiat

ANNO CHRISTI 830. | LVDOVICI PII Imp. 17

omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet ac futurorum solertia, quia suggessit mansuetudini nostræ vir venerabilis Albericus Lingonensis Ecclesiæ Præsul, qualiter quandam Abbatiam, cujus vocabulum est Fons Besuus, ex rebus videlicet Episcopatus sui, ubi quondam Monachi regulariter viventes fuerant, sed moderno tempore penitus erat destructa, à fundamentis reædificavit, ædificia congrua construxit, Monachos adunavit, Abbatem etiam nomine Seraphim præfecit, & ut Monachi in eodem loco, Domino adjuvante, congregati meliùs & liberiùs sub norma sanctæ regulæ Deo militarent, non solùm res quæ ad prædictam Abbatiam legaliter pertinebant, ibi reddidit, sed etiam alias res de præfato Episcopatu ibidem subjecit, sed & constitutionis cartulam, quam ipse unà per consensum Metropolitani sui Agobardi Archiepiscopi & suffraganeorum suorum, necnon & Cleri sibi subjecti, & quorumdam laïcorum nobilium confirmaverat, nobis ostendit, in qua pleniùs conscriptum erat, non solùm res ad jam dictam Abbatiam legaliter pertinentes ibi reddidisse, verùm etiam ei quasdam res de memorato Episcopatu suo ibidem subjecisse. Quarum hæc sunt nomina, Pauliacum (&c. ut suprà in Carta Alberici Episcopi usque ad hæc verba, & in Marcennaco similiter.) Horum omnium facta donatione, precibus cujus valuit exorans nostram clementiam, ut super eandem constitutionem, nostram authoritatem firmitatis gratiâ mererentur habere, qualiter prædictus locus, quem pro divino amore, & nostra eleemosyna restauravit, & Monachos ibi congregavit, qui pro nobis, & cuncto populo nobis subjecto perpetim Dei misericordiam exorent, nostra authoritate confirmatus esset; videlicet, ut si cuilibet successorum ejus animo sederit, ut alias res ibi superaddere velit, in suo jure & potestate, salvâ discretionis ratione, id faciendi permaneret. Sin autem sua devotio, quæ per consilium tantorum bonorum virorum facta & confirmata est, nostro liberalitatis præcepto firma & stabilis permaneret, cujus petitionem dignam ac rationabilem judicantes, hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus, ut memoratus ordinationis modus, quem prædictus venerabilis Albericus Episcopus in præfato loco constituit, inviolabilis permaneat, & nullus rector, qui in eodem loco successerit, licentiam habeat præscriptũ ordinem permutare, aut res, quas ibi reddidit sive subjecit, ullo modo auferre. Sed ejus constitutio per hanc nostram confirmationem firma & stabilis permaneat; & ut hæc authoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter illam jussimus adsignari.

Signum HLudovici Imperatoris.

Signum HLotharii filii ejus.

Actum anno ab Incarnatione Domini octingentesimo tricesimo, indict. VIII. Epacta XV.

ANNO CHRISTI 831. | LVDOVICI PII Imp. 18

CONCILIVM NOVIOMAGENSE,

In quo depositus fuit Iesse Episcopus Ambianensis, ob crimen Majestatis.

Theganus Treverensis Chorepiscopus in opere de gestis Ludovici Pii Imperat. loquitur de quodam Episcoporum judicio apud Noviomagum quondam Regis Palatium habito, quod certè non potest revera, nec aliter appellari nisi Concilium, cùm jure nisi ab Episcopis judicandus esset Iesse Ambianensis Episc. ob perfidiam ab eo cõmissam contra eundem Imperat. Ideo debuit illud inter reliqua commemorari Concilia. Quid autem gestum fuerit in eo, idem Auctor & Annales Fuldenses declarant, ad ann. 831. his verbis. *Anno*, inquiunt, 831. *pervenit dominus Imperator ad Noviomagum Castrum, quod situm est super fluvium, qui dicitur Vahalia, & multitudo hominum ex omnibus regnis suis venit ad eum, inter quos venerunt Hilduinus Archicapellanus, & Iesse Ambianensis Episcopus, Hugo, & Mathfridus cum multis aliis perfidis, qui voluerunt dominum Imperat. de regno expellere, quos superavit dominus Imperator, & dimisit eos, atque commendavit; & Lotharius filius ejus cum juramento fidelitatem promisit, ut posthac nunquam talia committere debuisset. Et ibi Iesse justo judicio Episcoporum depositus est: sed aliquantò pòst ipse Ludovicus iterum revocavit eum in gradum pristinum, nullumque ex reis Majestatis permisit occidi, sed usus, ut multis visum est, leniori, quàm debuit, pietate, sibi tamen consueto benignitatis & clementiæ more, laicos quidem præcepit locis opportunis attonderi, Clericos verò in convenientibus itidem Monasteriis custodiri.*

ANNO CHRISTI 832. | LVDOVICI PII Imp. 19

CONCILIVM SANDIONYSIANVM,

ab Episcopis Provinciarum Senonensis & Remensis apud Monasterium S. Dionysii prope Parisios celebratum,

Vt illi ordinem monasticum, Imperatoris auctoritate, in eodem Monasterio restituerent.

Meminit hujus Concilii Ludovicus Pius Imperator in diplomate suo de ordine monastico in Monasterio sancti Dionysii per Episcopos ejus auctoritate restituto, narratque Aldricum Metropolitam Senonicum cum suffraganeis suis, necnon Ebbonem Metropolitam Durocortorum cum suis suffraganeis ad memoratum Monasterium Synodum habuisse, ut monasticæ institutionis norma imperiali potestate per Episcoporum auctoritatem corrigeretur; eorumque judicio, quibus tanta est collata potestas à Domino, idem ordo monasticus in eodem loco absque retractatione restitueretur. Porro conjicere licet ex ejusdem diplomatis contextu, illos Episcopos ad San-Dionysium convenisse eodem anno 832. quo actum est, unde huic Concilio communem ac diplomati adscribimus epocham.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 834.

CONCILIVM ATTINIACENSE.

LVDOVICI PII Imp. 21

De hac Synodo loquitur Hincmarus Remensis Archiepisc. in responsione ad interrogationem quintam de divortio Lotharii & Tetbergæ, ubi refert quid inter cętera prę sentibus Papæ legatis definitum fuerit, quod ad rem nostram spectet, atque judiciorum praxi ecclesiasticorum conveniat: sunt autem ejus verba. *Quidam nostrûm*, inquit, *tempore sanctæ memoriæ domni Ludovici Pii Augusti, in Attiniaco Palatio tunc fuerunt, quando in universali Synodo totius Imperii etiam cum Sedis Romanæ legatis, & in generali Placito, fœmina quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se & virum suum vocabulo Agembertum, ad Imperatorem publicè proclamavit. Quam Imperator ad Synodum destinavit, ut inde Episcopalis auctoritas, quid agendum esset, decerneret. Sed Episcoporum generalitas ad laïcorum ac conjugatorum eam remisit judicium, ut ipsi inter illam & suum conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissimè præditi, eorumque legalibus judiciis eadem fœmina se subjiceret, & quod de quæstione sua decrevissent, sine repetitione teneret: si verò crimen aliquod esset, inde pœnitentiæ modum, post illorum judicium, ab Episcopali auctoritate deposceret, secundùm quod sacri Canones præfixerunt, ei imponere non negarent.* Rursus auctor vitæ Ludovici Pii meminit ejusdem Synodi post illius restitutionem, hoc anno 834. notatque amplius & diem, quo congregata sit, & quid in ea quoque gestum fuerit. Ludovicus habuit eo tempore circa Missam sancti Martini Conventum generalem in Attiniaco Palatio, ubi cùm multa perperam inolita purgare decrevisset tam in ecclesiasticis, quàm publicis rebus, tunc pręcipuè fuerunt ista. Mandavit filio Pippino per Ermoldum Abbatem res ecclesiasticas, quæ in regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi pręripuetant, absque cunctatione Ecclesiis restitui: Missos etiam per civitates & Monasteria transmisit, statumque ecclesiasticum penè collapsum, in antiquum statum erigi jussit.

ANNO CHRISTI 839.

CONVENTVS CABILLONENSIS,

LVDOVICI PII Imp. 26

In quo actum est de rebus ecclesiasticis, & publicis tum ad Imperatorem, tum ad Regnum Aquitaniæ spectantibus.

Hujus Conventus causam, tempus & locum narrat passim auctor vitæ Ludovici Pii ad annum 839. scilicet. *Post excessum Pippini filii Aquitaniæ Regis, Nuncii ad Ludovicum Imperatorem certissimi venerunt, affirmantes quòd verum erat, aliquos Aquitanorum suam sententiam expectare, qualiter res Aquitanici regni ordinaretur; aliquos autem indignè ferre, quòd audierint Carolo à patre idem regnum traditum, nam Imperatore de talibus sollicito, Ebroïnus nobilissimus Pictavensis Episcopus advenit nuncians tam se, quàm cæteros primores ejusdem regni expectare Imperatoris voluntatem, & imperantis exequi velle jussionem. At verò altera pars populi assumentes filium quondam Pippini Regis, Pippinum itidem nomine, contra voluntatem Ludovici Regem sibi fecerunt, & quaquaversum poterant, vagabantur, prædationibus atque tyrannidi operam dantes. Imperator porro præfatum Episcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remisit, & quæ visa sunt, suis fidelibus mandavit, & ut sibi autumni tempore aliqui eorum in Cabillono occurrerent, imperavit; ibi enim generalem indixit Conventum. Itaque Imperator, uti condixerat, tempore autumnali Cabillonensem urbem petiit, & tam ecclesiastica quàm publica suo more disposuit; deinde ad regni Aquitanici ordinationem se convertit.* Nihilominus post ejus mortem Carolus & Pippinus ita de hoc regno inter se concertarunt, ut Pippinus nepos tandem in Caroli patrui manus venerit, deinde regno spoliatus, primùm Synodali sententia in Monasterium Suessionense, de qua inferiùs ad annum 851. posteà Silvanectum perpetuo fuerit exilio detrusus; ut refert Adonis Chronicon,

ANNO CHRISTI 840.

* CONCILIVM INGELENHAIMENSE,

CAROLI CALVI Regis 1.

In quo Ebo sedi Remensi auctoritate Apostolica & præceptione Lotharii Imperatoris restitutus est ab Episcopis tum Germaniæ, tum Galliæ, ut patet ex ejusdem Lotharii edicto, ac ex consensu Episcoporum huic subscriptorum, quorum habetur exemplar & apud Flodoardum, & in codice MS. Atrebatensi.

Defuncto, inquit codex ille, *Ludovico Imperatore, reductus est Ebo à Bosone Abbate sancti Benedicti ad Lotharium, & obviavit ei apud Ingelenhaim. Vbi congregata Synodo, auctoritate Apostolica & præceptione Lotharii Imperatoris, apud eam restitutus est ab his Episcopis, Drogone Metensi Episcopo, necnon sacri Palatii Archicapellano, Hetti Archiepiscopo, Othgario Archiepiscopo, David Archiepiscopo, Amaluvino Archiepiscopo, Ioseph Archiepiscopo, Andaux Archiepiscopo, Adalulpho Episcopo, Erminio Episcopo, Gadarado Episcopo, Aganone Episcopo, Samuel Episcopo, Rodingo Episcopo, Frothario Episcopo, Gisleberto Episcopo, Adone Episcopo,*

Anno Christi 840. | Caroli Calvi Regis 1.

Ramperto Episcopo, Ratulfo vocato Episcopo, Harcarrio vocato Episcopo, Amalrico vocato Episcopo, Bosone Abbate ex Monasterio sancti Benedicti, cum aliis quampluribus Abbatibus, Presbyteris, atque Diaconibus. Porrò Clerici Remenses in sua narratione referunt hunc Ebonem à Gregorio Papa, & auctoritate Apostolica plenissimè restitutum; & Flodoardus quoque in historia sua lib. 2. cap. 2. asserit Lotharium post Ludovici Imperatoris obitum, Eboni sedem & diœcesim Remensem per edictum imperiale restituisse. Cujus edicti habetur exemplar.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni, Lotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Quia confessio delictorum non minùs in adversis necessaria est, quàm in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit, gaudium etiam esse Angelorum in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente non dubitamus: nos mortales in terris eos nequaquam despicimus, pro quibus gaudere Angelos in cælo divino testimonio non ignoramus. Accusantes & reprehendentes in excessibus semetipsos divina nos benignitas non condemnare, sed recreare docuit, qui meretricem non solùm à legali damnatione eripuit, verùm etiam publicanum humiliatum & accusantem se non condemnavit, sed magis justificando exaltavit. Qui non dixit, omnis qui se humiliat, condemnabitur, sed exaltabitur. Potestatem ergo quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesiæ tuæ filiis, præsentibus quoque adstantibus, ac decernentibus Præsulibus, sedem ac diœcesim Remensis urbis tibi, Ebo, restituimus, ut pristino sanctæ largitatis Apostolicæ pallio indutus, concordiam atque gratiam divini officii nobiscum, humili satisfactione expleta, solemni nostra à largitate recipiendo exerceas. Actum in Engilenheim Palatio publico, in mense Iunio, VIII. Kalendas Iulii, regnante & imperante domno Lothario Cæsare, anno reversionis ejus I. successor factus patris in Francia, indictione III.

Et hac omnia conveniunt Epocha Concilii hujus. Tandem idem Remenses Clerici, hujus restitutionis narrationem in eodem codice prosequuntur his verbis.

Remissus est autem Ebo à jamdicto Imperatore Lothario, seu à præfato Concilio ad sedem propriam, Remensem scilicet Ecclesiam, ad quam veniens VIII. idus Decembris, receptus est ab Episcopis suffraganeis suis præsentibus vnà cum legatis absentium: insuper etiam à Canonicis & Monachis cum infinita multitudine utriusque sexus, qui omnes usque ad Ecclesiam indesinenter psallentes eum perduxerunt. Tunc oratione completa, silentioque imposito, ascendit Rothadus Suessionensis Episcopus ambonem, & primò adlocutus est de desiderabili reversione proprii Pastoris, & qualiter restitutus à sancto Concilio, seu ab Imperatore Lothario eis remittebatur, & jussit Ingobertum Monachum alta voce ipsam ejus restitutionem legere. Dederunt etiam præsente omni Ecclesia legati Episcoporum, unusquisque assensum proprii sui Episcopi, qui omnes publicè relecti sunt. Inter quos Vvitaus Chorepiscopus & Vicarius Theodorici Cameracensis Episcopi assensum infrascriptum dedit, cujus exemplum est hujusmodi. Dum non habetur incognitum, quod à pluribus videtur esse compertum, qualiter Ecclesia hæc maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus ac discordiis, Principum indignatione violenta istis temporibus agitata vexatur; unde & plurimi Episcoporum à propriis sedibus expulsi, aut timore derelictis gregibus diversis in partibus exulantur. Inter quos etiam Ebo Archiepiscopus Remensis Ecclesiæ raptus à propria sede, Principum indignatione violenta in exilio ductus est. Vnde & reductus sub custodia, ut periculum immimens evaderet, & furores persequentium mitigaret, redimendo tempus ut meliori se tempori reservaret, cum consensu Episcoporum Pontificali secessit à ministerio, dum inter terrores & discordias ratio non finit immolare victimas, dicente Domino: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum*, &c. Postquàm verò Deus Ecclesiæ tranquilliora tempora reddidit, placuit Principibus & Magistratibus Ecclesiasticis, ut isdem Pastor ad debitum ovile reverteretur, & oves, quas compulsus reliquerat, tuendas idem reciperet. Quibus & ecclesiasticis debitis negotiis, ego Theodoricus Cameracensis Episcopus assensum canonicè præbens, sicut priùs de illius discessu compatiendo dolui, ita modò de ipsius reversione congaudens, constitutiones has seniorum, vel fratrum roborando subscripsi, quia talia sæpe contigisse, & in aliis gestis ecclesiasticis legi.

Anno Christi 841. | Caroli Calvi Regis 2.

CONCILIVM TAVRIACENSE, IN EPISCOPATV Altisiodorensi ad Vicum Tauriacum.

Ibi duo Reges Ludovicus & Carolus fratres castra posuerunt, prœliaturi adversùs fratrem Lotharium Imperatorem in Campo apud Fontaneum; & quò etiam convenerunt Episcopi, ut de hujus belli jure, ac de mortuis in hoc prælio ex parte Regum judicarent: ibique præterea indictum est jejunium trium dierum pro omnibus.

Notionem habemus Synodi hujus ex Nithardo, qui peculiarem scripsit historiam de dissensionibus filiorum Ludovici Pii, in qua sub finem lib. 2. ac sub initium lib. 3. diligenter recenset omnia, quæ antè, pòst, ac etiam in ipsa dimicatione à tribus fratribus tum simul, tum in contrariam partem gesta sunt. Inter alia verò sic ait. *Cùm prope urbem Alciodorensem uterque exercitus alter ab altero videretur, confestim Lodharius iter arripuit, ac locum, quo castra poneret, Fontaneum petit: eadem autem die fratres sui accelerantes antecesserunt illum, & prope vicum, qui Tauriacus dicitur, castra posuerunt, pòst strenuè confligunt VIII. Kalend. Iulii, quò & utrique vicerunt, & superatus Lodharius terga vertit. Prælio quidem, uti præfatum*

ANNO CHRISTI 841. | CAROLI CALVI Regis 2.

tum est, strenuè peracto, ad castra redeunt, quid deinceps consultiùs acturum videretur deliberaturi: amicos interim & inimicos, fideles & infideles pariter sepulturæ tradebant. Post hæc Reges, populique super fratre, populoque Christiano dolentes, percontari Episcopos cœperunt, quid agere super hoc negotio deberent. Quamobrem unanimes ad Concilium omnes Episcopi confluunt, inventumque in Conventu publico est, quòd pro sola justitia & æquitate decertaverint, & hoc Dei judicio manifestum effectum sit: ac per hoc immunis omnis Dei Minister in hoc negotio haberi tam suasor, quàm & effector deberet. At quicunque conscius sibi aut ira, aut odio, aut vanâ gloriâ, aut certè quolibet vitio quiddam in hac expeditione suasit, vel gessit, esset veri confessus secretè, secreti delicti, & secundùm modum culpæ dijudicaretur. Verumtamen in veneratione, ac laude tantæ declarationis justitiæ, pro remissione, delictis mortuorum fratrum suorum, (in eo quod imperfecti peccatis intervenientibus se noverant, ut in multis volentes, nolentesque delinquebant,) uti suo adjutorio ab his exuti liberarentur; insuper autem uti hactenus in justitia adjutor & protector illis Deus extitit, ita & deinceps ubique existeret: proque his omnibus tridnanum jejunium, imoque libenter ac celebre celebratum est.

ANNO CHRISTI 841. | CAROLI CALVI Regis 2.

CONCILIVM BITVRICENSE,

In quo Ebonis Archiepiscopi Remensis depositio approbata fuit, ibique à Carolo Caluo Rege privilegia Nivernensis Ecclesiæ confirmata sunt.

Hujus Synodi notitiam debemus Hincmaro, qui tam in Suessionensi III. quàm in epistola 23. ad Egilonem Archiepiscopum Senonensem scripta, ut depositionem Ebonis Remensis probaret, legitimam fuisse asserit, his verbis. *Synodum Provinciæ Bituricensis per manus Raginelmi Tornacensis Episcopi ostensam fuisse, cui præsedit Rodulfus, manibus eorum subscriptam, in qua (ab ipsis qui interfuerunt, & ab Aiulfo, qui unus fuit de judicibus Ebonis, audierunt,) comprobatum fuit eundem Ebonem regulariter fuisse depositum.* Epocham autem hujus Synodi facilè est stabilire, ex eo quod Carolus Caluus in ea civitate pridie idus Ianuarii, indict. 4. anno 1. regni sui, privilegia Ecclesiæ Nivernensis confirmaverit.

ANNO CHRISTI 841. | CAROLI CALVI Regis 2.

CONVENTVS AQVISGRANENSIS

Episcoporum & Sacerdotum, qui à Ludovico & Carolo Regibus consulti de regno Lotharii fratris, ab ipsis tandem post diversa belli certamina fugati, unanimiter censuerunt illud ob ejus scelera meritò ac jure acquisitum iisdem fratribus: quodque hi juxta Episcoporum sententiam æqualiter & congruenter inter se diviserunt.

Hæc omnia contigisse hoc anno certum est, quo finem secundi certaminis dedit Lotharius Imperator, ut loquitur Nithardus, narrando insuper lib. 4. singula quæ ibi gesta sunt; asseritque de semetipso unum fuisse de illis duodecim, quos ad hujus regni partitionem elegerunt duo Reges. *Ludovicus*, inquit, *& Karolus Lodharium à regno suo abiisse certis indiciis cognovere, Aquis-Palatium, quod tunc sedes prima Franciæ erat, petentes: sequenti verò die quid consultiùs de populo ac regno à fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et primùm quidem visum est, ut rem ad Episcopos, Sacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent, ut illorum consultu, veluti numine divino, harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis quoniam meritò ratum videbatur, commissum est. Quibus ab initio gesta Lodharii considerantibus, quomodo patrem suum pepulerit, quoties populum Christianum perjurum sua cupiditas effecerit, quoties idem ipse hoc quod patri, fratribusque juraverat, frustraverit; quoties post patris obitum fratres suos exhæreditare, atque delere tentasset; quota homicidia, adulteria, incendia, omnigenaque facinora universalis Ecclesia, suâ nefandissimâ cupiditate perpessa sit. Insuper autem neque scientiam gubernandi rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet invenire posse ferebant. Quibus ex causis non immeritò, sed justo Dei omnipotentis judicio, primùm à prælio, & secundò à proprio regno fugam illum iniisse aiebant. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod ob suam nequitiam, vindicta Dei illum ejecerit, regnumque fratribus suis melioribus se, justè ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis hanc licentiam dedere, donec palàm illos percunctati sunt, utrùm illud per vestigia fratris ejecti, an secundùm Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem, in quantum nosse ac posse Deus illis concederet, secundùm suam voluntatem, se & suos gubernare & regere velle aiunt. Et auctoritate divina ut illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus. Hinc autem uterque illorum duodecim è suis ad hoc opus elegit, quorum unus extiti, & sicut illis congruum, ut inter illos hoc Regnum divideretur visum est, contenti sunt. In qua divisione non tantùm fertilitas aut æqua portio regni, quantùm affinitas & congruentia cujusque aptata est.*

EPISTOLA

EPISTOLA VVENILONIS ARCHIEPISCOPI Senonensis, & Comitis Gerardi ad Amulum Lugdunensem Archiepisc. quæ est numero 81. inter epistolas Lupi Ferrariensis.

Petunt Regis nomine, ut Bernum Augustodunensi Ecclesiæ, & Godelsadum Cabilonensi ordinet Episcopos.

Reverentissimo & clarissimo Præsuli Amulo, Guenilo Episcopus, & Gherardus Comes, perpetuam salutem.

In Baluziana editione.

MVLTA & magna jussu domini nostri Regis, ex ejus parte familiarissimè vobis mandata revelassemus, si quod ipse optavit, quod etiam suis vobis literis significavit, nos quoque plurimùm voluimus ad Augustidunensem urbem vacuum fuisset vobis expectationi nostræ occurrere. Sed quòd nuncii vestri certissimas impossibilitatis vestræ causas nobis prodiderunt, quæ copiosè multipliciterque dicenda verbis nobis commisit, sensuum veritate servata conati sumus vestræ sapientiæ compendiosis literis aperire. Præcepit itaque ut ejus vobis sermonibus diceremus se fideliter tenere, quod Rex Regum idemque Sacerdos Sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cęlum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestarem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit, & Reges; ut quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges. Quamobrem se cupere debitam sanctitati vestræ impendere reverentiam, sicut ei quem sciat divinitatis cultum integrè velle servare, atque vicissim postulare, ut cum eo tale fœdus concordiæ ineatis, ut ubicumque Ecclesiæ utilitati, in portione divinitus sibi collata, vestræ auctoritatis dispositione in re tanta cupit consulere, unanimitate vestri consensus continuò adjuvetur. Et ne vos longis ambagibus diutiùs fatigemus; recens incommodum Augustudunensis Ecclesiæ & prolixa perturbatio flexit ejus pietatem, ut sua largitate vestraque promotione talem ei prępiciat, qui ruïnas illius, & spiritualiter & sęculariter strenuè farcire sufficit. Est autem, quem benignitati vestræ plurimùm commendat, propinquus ejus Bernus à beatæ memoriæ glorioso Imperatore Ludovico tenerè educatus, & claris ornatus honoribus, quem & ipse hoc suo tempore multis experimentis invenit idoneum, & opitulante gratia Dei, tanto negotio credit aptissimum. In hoc probatissimorum ejus consiliariorum acquiescit consensus. Idque vestræ prudentiæ Dominus noster jussit suggerere, non esse novicium aut temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maximè Ecclesiis procurat Antistites. Nam Pippinus, à quo per maximum Karolum, & religiosissimū Hludoguicum Imperatores ducit Rex noster originem, exposità necessitate hujus regni Zachariæ Ravano Papæ, in Synodo cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industria sibi probatissimorum, decedentibus Episcopis mederetur; ne fortè simplicitate Pontificum posset contingere, quod in hac Heduorum urbe, cujus nos nunc cura exercet, evenit; proinde se petere, ut honorem à Papa Romano, majoribus ejus, & Regibus & Imperatoribus concessum, & à Lugdunensis Ecclesiæ Metropolitanis, cui auctore Deo, prędidetis, nunquam hactenus infirmatum, à vobis nulla vestra injuria consequatur. Quod si in hac parte spretus non fuerit, facturum se, ut in regno ejus vestrum ministerium debitam semper venerationem obtineat, & optatum exitum sortiatur. Cujus petitioni nostras nos supplices jungimus preces, ut quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat, ut in obsequendo vobis non solùm nos, verùm etiam illos faciatis, quod optamus cupidissimos debitores. Idque impetratum à vestra fidissima nobis familiaritate volumus, ut quod vobis Deus inspiraverit, nobis quàm celerimè literis ostendatis, ut per nos citiùs dominus noster Rex, quod plurimùm c[illegible]t, benivolam in se vestram cognoscens volun[illegible]em, dignas Deo referat gratias, & antequam necessitate regni longiùs abducatur, damnosam Pręsulis dilationem recidat, vobisque fidissimum adjutorem dirigat ordinandum. Godelsadum etiam, quem ex Palatio suo more prędecessorum regum majorum suorum ut antè monstratum est, Cabilonensi prefecit Ecclesiæ, flagitat idem Rex, ut hac quadragesima non gravemini ordinare. Quod si per absentiam Teotbaldi Episcopi visum fuerit impossibile; quocumque tempore constitueritis, congruum vobis curabimus ex Episcopis nostris facere supplementum, ut quod prosit populo Christiano, absque dilatione per vos Deus implere dignetur.

NOTA.

Post fugatum à fratribus prælio Tauriacensi Lotharium Imperatorem extra Gallias anno Christi 841. hi duo fratres Ludovicus Germaniæ, & Carolus Franciæ Reges, omne regnum ejus in Galliis convenienter inter se, ac æqualiter diviserunt, juxta decretum Conventus Aquisgranensis anno sequente 842. habiti; unde in hujus regni portione Carolo tradita, sitæ sunt Ecclesiæ Augustodunensis, & Cabilonensis; quarum priori Bernum ejus propinquum, atque idoneum præfecit Carolus, posteriori verò Godelsadum, & ab Amulo Lugdunensi Metropolita ordinari flagitat, qui cùm Carolus ipse hac in re fœdus concordiæ inire postulat; ut habet Epistola. Ex quibus supradictis colligitur & hanc Epistolam anno 843. scriptam esse, saltem ante mensem Augustum, quo pax firmata est inter fratres, cùm jam Carolus haberetur Rex novus in hac portione regni sibi collata, & Bernum quoque ab Amulo Metropolita fuisse ordinatum, sicut & Godelsadum, cùm utriusque par sit omnino causa & ratio; quæ est voluntas Regis victoris, & jubentis juxta etiam antiquorum patrum, regumque statuta. Quod autem reperiatur Godelsadus in Conciliis posteà subscriptus, & Bernus in iisdem nusquam compareat; hoc potiùs evenit, quòd iste forsan brevi post Modoinum in Cathedra Eduensi sederit, quàm quod à Lothario repulsam tulerit. Quamobrem Bernus ille in Elencho, sive Tabulis Episcoporum Ecclesiæ Augustodunensis nequaquam omitti, imò locum habere ante alterum successorem debet.

CONCILIVM

Anno Christi 846. | Caroli Calvi Regis 7.

* CONCILIVM ᵃ IN BRITANNIA MINORI apud Monasterium sancti Salvatoris Rotonensis in Episcopatu Venetensi,

In quo Nomenoïus Rex Brittonum de quatuor Episcopatibus fecit septem, tempore Karoli Calvi Regis Francorum.

Sic habet vetus de ea re indiculus, ex codice Monasterii S. Michaëlis in Mari.

NOMINOÏUS valde superbus urbem Namneticam, Redonicam, ac etiam Andegavense territorium, & Cenomannense usque Meduanam invasit. His autem urbibus & territotiis nominatis in sua ditione assumptis superbior extitit & potenrior; contemptoque omnino jure Francorum regio, Regem se fieri posse existimavit; multisque artibus, ut dolosus & fraudulentus, perquirens, quibus id modis assequeretur, reperit ut Episcopos totius suæ regionis aliqua seductione expelleret, & alios concessione sua constitutos in locis illorum subrogaret: sicque facilè conceptam tyrannidem posse perficere excogitavit. Æstuante verò Principe, & plurima eviscerata facie secum animo revolvente, quomodo conceptum scelus perpetrare posset, tandem invenit unum ex complicibus suis, qui se circumvenire posse Episcopos, & absque ulla examinatione & purgatione aliqua infamari & damnari fateretur. Quod audiens tyrannus, lætus efficitur, multa ei spondens, si dictis facta compensaret. Minister itaque doli convocans Britannos Episcopos: Scitote, inquit, Domini Sacerdotes, unum me vobis, causâ salutis vestræ pandere mysterium, quòd audierim à secretis Principis, quia nisi Episcopi se reos ex eis quæ eis objicerentur esse, audiente conventu Præsulum, quos aliunde à discussione reatus ipsorum dux invitaverat, profiterentur, nec eos lateret sine dilatione capite plectendos fore. Quo audito Episcopi consternari animo, præter Dei & Ecclesiæ leges omnia se profiteri quæ malignus persuadebat, antequam morte mulctarentur, promiserunt. In crastinum autem evocans Princeps in Monasterio sancti Salvatoris Synodum Episcoporum atque Procerum, adhibuit testes falsissimos pretio conductos adversùs Sublannum Venetensem, Salaconem Aletensem, Felicem Cotiopitensem, Liberalem Oximensem Episcopos, qui dicerent eos pretio in Ecclesia intrusos, muneribus sæpe sacros ordines fuisse largitos, & omnibus criminibus obnoxios fore. Cumque reticerent Episcopi repentino mortis metu perculsi, requisiti sunt à conventu, utrùm vera essent quæ opponebātur. Qui ita se habere professi sunt; depositisque in Concilio virgis & anulis Pontificalibus, Gallias petierunt ad Karolum se conferentes. Nomenoïus verò patrato scelere Pseudo-Episcopos constituit loco ipsorum. Cogitans autem Episcopos quos elegerat, à Metropolitano Turonensi benedictionem minimè posse consequi, nec accessum ad eum metu Regis habere, ex quatuor Episcopatibus septem composuit. Quorum apud Dolum Monasterium unum constituit, quem Archiepiscopum fieri decrevit. Monasterium verò sancti Brioci sedem constituit Episcopalem. Similiter etiam sancti Rabutuali (qui sedes fuit Episcopi Trecorensis.) Hos tres usurpatitios Episcopos instituit, cæteris quatuor in antiquis urbibus derelictis. ᵇ Provincia itaque Turonensi ita recisa, Nomenoïus Dolo Monastério Episcopos suos congregans, ᶜ se in Regem ungere fecit.

NOTÆ.

ᵃ In Britannia Minori sub Nomenoïo Duce, tempore Caroli Calui.] Etsi certum non exprimat annum, nihilominus ex Chronico Vindocinensi possumus Epocham Concilii hujus invenire, in quo sic habetur. [Anno, inquit, 843. Civitas Namnetica à Nortmannis capitur vice prima, prodente eam Lamberto perfido Comite, qui à fidelitate Francorum Regum ad Nomenoïum Britonem se contulerat, qui etiam ipsius consilio in Britannia regnum usurpare ausus est, cùm antè judex Provinciæ duntaxat à Ludovico Pio Caroli patre declaratus fuerit,] ut legitur in fundatione Monasterii Rothonensis. Præterea cùm Nomenoius iste eandem civitatem & multas alias post Nortmannos invaserit, cùmque posteà Patres Synodi Suessionensis III. habitæ annis Christi 866. & Caroli Calvi 27. in Synodica ad Nicolaum Papam affirment jam vicenum adesse annum, quo sedi Turonicæ nullo pacto se subdant Episcopi Britanniæ. Hinc fit, ut istud Concilium Britannicum adscribamus annis Christi 846. & Caroli Calvi 7. quibus magis convenire supradicta videntur.

ᵇ Provincia Turon. ita recisa,] Sub Nomenoïo nata fuit controversia inter Turonensem & Dolensem Episcopos, quæ ad Innocentii usque tertii Papæ tempora perduravit, de qua mentio est in epistola Synodi apud Saponarias scripta ad Episcopos Britonum qui à Metropolitano suo desciverant, scilicet ad Fascarium Dolensem, Vvernarium Aletensem, Garutbrium Briocensem, & Felicem Trecorensem, à quibus origo & causa discidii. Hanc autem narrationem vetus de ea re indiculus ex Bibliotheca sancti Michaëlis in mari exhibet, cui quidem refragari vulgò Britannicarum rerum scriptores non ignoro, sed fidem illius multa magnopere confirmant, tùm illud imprimis, quod Nicolaus Papa Salomoni Britonum Regi rescribat, nullam ad id tempus extitisse memoriam Britones in sua regione ullam habuisse Metropolim, tum quòd posteà Galliarum Episcopi in Synodica Concilii Suessionensis III affirmarint usque ad hujus tempora jam elapsos viginti annos fuisse, à quibus Episcopi Britanniæ se jactitant sedem Dolensem Metropolim, contra fas habere, quæ omnia, nisi ad hujus Nomenoii tempora haud referri valent. Qua de re scripsit etiam ad hujus Britanniæ Episcopos Ioannes VIII. Papa his verbis. [Audivimus, inquit, vos non antiquo more à vestro Metropolitano & Archiepiscopo matris vestræ Turonensis Ecclesiæ consecratos fuisse, sed expulsis legitimis Episcopis de sedibus, solâ potentiâ Ducis vestri, alter ab altero consecratus fuit.]

ᶜ Se in Regem ungere fecit.] Quamvis Fredegarius in appendice ad Gregorium Turonensem appellet Iudacaile Regem Britonum, tamen hæc Regis appellatio à nullo postea Britonum Principe fuit usurpata, nisi à Nomenoïo, ut patet ex Chronico Vindocinensi suprà citato: quam adhuc appellationem duo soli retinuerunt successores, qui à suis tantùm dicebantur Reges; sed à Francis (sub quorum potestate post obitum Clodovei Regis fuerunt) Comites duntaxat, non Reges appellati sunt, ut loquitur ipse Gregorius Turonensis lib. 4. hist. cap. 4. de Chanaone Britonum Comite. Tandem pòst ab ipsismet Francis dicti sunt Duces, ut notissimum est.

Anno Christi 848.

CONCILIVM LVGDVNENSE,

Caroli Calvi Regis 8.

In quo Gedelgarius Presbyter à diuturna calamitate solutus est.

Indicat hanc Synodum Lupus Ferrariensis scribens ad Vsuardum pro Gedelgario Presbytero, qui ab Amulo Metropolitano, ejusque Synodo à Rege confirmata, relaxatus est, ut conjicere licet ex epistola 80. Sicut etiam hunc Amulum, qui & Amolo dictus est aliis, fuisse Archiepiscopum Lugdunensem, de quo idem Lupus in subsequente; deinde Synodum, cùm ejus dicatur, ab ipso saltem habitam fuisse cum suffraganeis suis, & quidem Lugduni potiùs quàm alibi; Regem verò fuisse certum est ea ætate Carolum Calvum. Denique Vsuardum illum fuisse simul Abbatem & Archidiaconum, patet ex his duabus distinctis vocibus (Ecclesiæ vestræ & Monasterii vestri) quibus utitur Lupus, qui id quoque confirmat, suam sic inscribendo epistolam. *Dilecto Vsuardo Abbati & Archidiacono, Lupus in Domino salutem. Non estis obliti, quemadmodum vestris præsentibus Majoribus Ecclesiæ vestræ constitutum Synodi, decretumque Metropolitani Amuli ostenderim super Presbytero Godelgario, terruerimque vos, nisi preceptum domini nostri Regis confirmantis, quod sancta Synodus, & Metropolitanus jussisset impleretis, futurum, ut jacturam gravis exilii pateremini. Verùm quia id hactenus distulistis, & memoratus Presbyter tam diuturnam calamitatem cupit effugere, Synodali, & Metropolitani, simulque auctoritate regia commoneo, ut quod per me vobis injunctum est, sine dilatione perficiatis, ne fortè pro triplici contemptu multiplicem vindictam sustinere cogamini. Breves etiam, quos de facultate Monasterii vestri mittere debuistis, ut apud Sedelocum mihi reddantur absque ulla excusatione, procurate. Bene valete.* Porro illius disciplinæ de his Abbatibus & Archidiaconis superest exemplum in Ecclesia sanctæ Mariæ Ausciorum Metropoli Provinciæ Novempopulanæ, in qua quidem existunt Abbates, unaque insuper Archidiaconi, qui sunt hujus Ecclesiæ Majores, ut loquitur idem Lupus, quos hodie vocamus dignitates. Similiter & in Ecclesia Claromontis Arvernorum extat Abbas, qui loco est Archidiaconi. Cęterùm de supradicto Amulo, seu Amolone leguntur in codice MS. Abbatiæ Sanbenigni Divionensis, hæc verba: *Amolo Agobardi Episcopi Diaconus, ordinatur Episcopus Lugdunensis XVII. Kal. Februarias.*

Epistola 80. Lupi Ferrar.

Anno Christi 848

EPISTOLA I. AMOLONIS ARCHIEPISCOPI Lugdunensis ad Teutboldum civitatis Lingonicæ Episcopum.

Caroli Calvi Regis 8.

De reliquiis Sanctorum approbandis, & de tempore, ac ratione frequentandi Ecclesias parœchiales.

Reverentissimo, & puro dilectionis affectu excolendo Theodboldo Ecclesiæ Lingonicæ Episcopo, Amolo humilis Ecclesiæ Lucdunensis Episcopus, in Domino Iesu Christo sempiternam salutem.

Ex Nicol. Camuzatii editione.

MANDASTIS nobis per dilectum fratrem Chorepiscopum vestrum, nuper in castro Divionensi, apud Ecclesiam beati Benigni martyris, cœpisse quædam fieri in his, qui orationis & venerationis causâ ex quibuscumque locis confluere videntur, & maximè; imò ut nonnulli affirmant, tantummodo in fœminis, unde animus vester quadam ambiguitate turbaretur, & necessarium judicaretis nostrum idem fraternum expetendum esse consilium. Dixit enim quòd anno transacto, duo quidam, qui se monachos esse dicerent, detulerint usque ad pręfatam sancti Martyris basilicam quędam velut cujusdam sancti ossa, quæ se vel ex urbe Româ, vel ex nescio quibus Italiæ partibus sustulisse affirmabant. Cujus tamen sancti nomen se oblitos esse mirâ impudentiâ dixerunt, quasi aut eum in tantum diligere & venerari potuerint, si verè sanctum esse cognoverant, ut tanto terrarum spatio tam studiosè deferre satagerent, nisi ejus nomen in locis illis, unde assumptus dicitur, usitatum esset atque vulgatum, & istis ita insinuatum & cognitum, ut desiderarent illum & exposcerent, vel etiam furto aufferrent in suæ regionis finibus collocandum, ac venerationi fidelium commendandum. Aut certè quem tanta veneratione dignum agnovissent, quem tanto amore transferendum exoptassent, quem tam longo itinere ipsi assiduè pertulissent, ejus nomen saltim unâ horâ oblivisci potuerint: ut non illum quem tantopere diligebant & venerabantur, continuo desiderio atque oratione ad prępsidium salutis suæ, & ad propitiandam divinam clementiam piâ & indesinenti memoriâ sibi adesse precarentur, aut omnino tantæ ignaviæ ac stoliditatis extiterint, ut nomen ejus ad commonitionem sui nec litteris saltem signare studuissent. Vnde sicut prędictus frater noster retulit, prudenter & religiosè fecistis, ut istiusmodi reliquias, quarum nulla extaret authoritas, & ipsum quoque vocabulum esset ignotum, nec ullomodo recipiendas judicaretis, nec penitus contemnendas. Si tamen illi qui detulerant, possent sicut promittebant, hujus rei certitudinem ex eisdem partibus delatam sub diligenti examinatione evidenter ostendere. Dixit itaque nobis quod unus ex pręfatis monachis qui apud Divionem remanserat, jam mortuus sit: alter verò qui ad perquirendum & renunciandum perrexerat, nequaquã ulteriùs sit reversus. Attamen dum illa ossa à tam vilibus personis delata, & nulla veritatis assertione declarata, & tam insulsa relatione

relatione Ecclesiæ inlata, velut causâ honoris juxta sepulchrum præfati gloriosi martyris reverenter collocata collocantur, cœpisse in eadem basilica velut quædam miracula fieri, non sanitatum & curationum, quibus ulla indicia divinæ miserationis & propitiationis ostenderentur, sed percussionum & elisionum, quibus miseræ mulierculæ subitò in ipsa orationis domo cadere, & conlidi, & quasi vexari viderentur. Cùm tamen in nulla parte corporis læsæ videantur & appareant, aut ulla plagæ alicujus vestigia monstrare videantur. Qua ex causa tanta illuc velut admirantium & stupentium turba concurrit, sicut non solùm ab illo fratre nostro quem misistis, sed etiam à nonnullis aliis didicimus, ut jam trecentæ, sive quadringentæ, aut eò ampliùs personæ esse referantur, quæ jam dicto modo corruentes atque elisæ, & per paululum velut recepto sensu sanatæ, nullatenus à loco discedere posse firmantur: quia videlicet si ad domos suas redire tentaverint, statim novâ nescio quâ plagâ percussæ ad Ecclesiam de qua exierant redire compellantur. In quibus esse dicuntur, non solùm puellæ, sed etiam conjugatæ juveniores, & maturiores ætate, honestiores atque viliores. Hæc autem non solùm in Ecclesia sancti Benigni, sed etiam in altera Ecclesia intra ipsum castellum, & in aliis nonnullis per parochias vestras, similiter jam fieri cœpisse significastis. Nam & in Augustodunensi territorio, quod Sede-locus vocatur, apud Ecclesiam in qua sancti martyres Andochius, Tyrsus, & Felix conditi sunt, similia fieri, vel potiùs simulari certa relatione comperimus. Expectavimus autem aliquot diebus, ut sicut per præfatum Chorepiscopum vestrum rogavimus, diligentiùs, & modum & ordinem hujus rei vestris nobis litteris intimaretis. Vt quantò subtiliùs & evidentiùs instructi, tantò adspirante Dei gratiâ, ad respondendum inveniremur parati. Sed quia nihil postea rescripsistis, meliùs nobis visum est, ut juxta quod ex ejus relatione agnoscere, vel perpendere potuimus, Dilectioni vestræ debitum responsionis officium solvere non differamus. Igitur, ut ad hæc omnia, prout Christus donare dignatur, breviter respondeamus, & causæ ambiguum cum vestra pariter dilectione resecemus. Videtur nobis imprimis, ut ossa illa, quæ nulla relatione, nulla authoritate, nescio cujus Sancti esse dicuntur, unde primùm prurigo hujus curiositatis exorta esse videtur, omnino de sacris adytis, & de loco celebri tollatur, & nequaquam intra Ecclesiam, sed foris in atrio, aut certè sub pariete, vel circa ipsam, vel quod utilius existimamus, circa aliam secreto in loco apto & mundo sub paucorum conscientia sepeliantur; ut quoniam & sancta esse dicuntur, aliquid eis reverentiæ deferatur. Et quia esse penitus nesciuntur, nequaquam rudibus populis occasio erroris & superstitionis existant; nec metuere debemus, ne fortè ex hac diligentia aliquam offensionem incurramus. Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos, juxta præceptum Apostoli dicentis, *Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos.* Et iterum, *Nam & ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, unde & Dominus monet dicens, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Habemus in hac re magnum & reverendum pietatis exemplum in gestis beati Martini, ut nequaquam te- A merè adhibeamus incertis fidem. Qui beatus & gloriosus Christi Confessor & Pontifex locum quendam à prædecessoribus suis sub altaris titulo consecratum, & concurrentis populi frequentiâ consecratum: quia nec nomen sepulti illic, ut ferebatur, martyris, nec tempora passionis ejus reperit, omnino se ab illo loco abstinuit, nec authoritatem suam vulgi opinioni accommodare ullatenus voluit, donec rei veritate sibi divinitùs patefacta, etiam populum superstitionis illius absolvit errore. Invenimus etiam in decretis beati Papæ Gelasii graviter notari Episcopos, & pene alienos à christianitatis affectu de- B signari, qui in quocumque nomine defunctorum & fortassis nec omnino fidelium, ædificatas sacris processionibus audacter instituere præsumunt Ecclesias. Sed & quorundam venerabilium valde Sanctorum corpora novimus, vel inter agrorum sepulturas, vel in angulo Ecclesiæ annis plurimis jacuisse, donec se dignis revelationibus manifestarent. Quapropter juxta Apostolicam atque Evangelicam authoritatem, & venerabilia sanctorum Patrum exempla atque instituta removeatur de medio, & congruenti modo habeatur unde tanta pullulavit occasio superstitionis, & nulla probatur existere utilitas salutis. Nam etsi unum aut multum, duo, vel tria ipsis temporibus quibus talia geruntur, sa- C nitatum vel curationum signa in eadem sancti Benigni martyris Ecclesia veraciter & probabiliter celebria sunt, hæc profectò cum omni gaudio & veneratione, ac debita gratiarum actione ad Dei gloriam, & beatissimi atque gloriosissimi Martyris merita referenda sunt. Nec tamen ob hoc cætera, quæ sive in ejusdem martyris Ecclesia; sive in plerisque aliis fieri dicuntur, approbanda sunt. Quia quantùm ipsius rei gestæ ordo ostendit, potuit fieri ut hæc primùm ex vana opinione tanquam nuper allati sancti corporis locum inveniret occasio, dum in diebus quadragesimalibus confluentibus fortasse, ut in multis D locis consuetudo est, ad orationem popularibus turbis ostenderetur, commendaretur, & venerationi habendus qui penitùs ignorabatur, supervacuè inculcaretur. Atque ex hoc jam superveniente solemnitate paschali, quando talia inchoasse perhibentur, viles & nequam homunculi accepta occasione, sive necessitate famis cogente, sive cupiditate lucri instigante, istiusmodi velut percussiones, & conlisiones, & dementationes, ac rursum sanationes, fingere atque ostentare cœperint, sive sint viri, sive mulieres. Quod cùm populus supervacuâ opinione delusus, in admiratione vel terrore habere cœpisset, tanta illuc conferre, & quasi malè habentibus, velut ex misericordiæ compassione administrare cœperunt, ut omnino qui talia pati E videbantur, non solùm à loco recedere nollent, sed tanquam novâ plagâ ac debilitate percussi, nullatenus se recedere posse simularent. Quando enim unquam in Ecclesiis Dei, in memoriis beatissimorum Martyrum talia signa increbuerunt, quibus nequaquam ægri sanarentur, sed sani percuterentur & dementarentur. Quando istiusmodi sanitates Sanctorum oratio apud Dominum obtinuit, quibus simplices & innocentes puellæ in sanctuario Dei incolumes reddantur? Sed si de salute sua gaudium parentibus facere voluerint, continuò iterum percussæ ad domos eorundem parentum suorum redire prohibeantur. Quando autem Martyres sancti ita

conjugatas quasque fideles in suis sanctuariis sanitati restituerunt, ut eas à maritis sejungerent, & ne ad virorum suorum domos reverti possent, repentinæ cladis animadversione percuterent? Quis hæc non videat vel fallaciis hominum nequissimorum, vel deceptionibus & ludibriis dęmonum concinnata, qui hebetes sensu, & inanes fide, & plenos curiositate, & attonitos vanitate facilè opprimunt, vel etiam invadunt; ut in eis justè Deo permittente, & propriâ nequitiâ sęviente, talia etiam veraciter exercere sinantur? Atque ita velut ex uno loco per astutiam hominum & nequitiam hominum pessimorum, qui humanæ saluti lubenter inludunt, per alia atque alia loca se pestilentia ista superstitionis atque inlusionis diffudisse videtur. Dum in sacris locis & sanctorum Martyrum basilicis, sunt etiam quidam, qui turpis lucri gratiâ, non solùm ista non prohibent, nec errantem populum ad sinceram & puram religionis observantiam instituunt, sed etiam instigant ad talia sectanda, eosque tanquam religiosos prædicant, ac suis adulationibus supplantant, tantùm ut ex eorum votis atque donariis, vel marsupia sua repleant, vel epulis & potationibus vacent. De quibus rectè per Prophetam dicitur, *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.* Hæc de fictione talium inlusionum & insana quorumdam cupiditate nequaquam in hujus responsionis nostræ serie diceremus, nisi talia pii patris & antecessoris nostri ita certissimè in quibusdam homunculis tam viris quàm fœminis, intra parœchiam nostram experti essemus, ut de his nullatenus dubitare permittamur. Vidimus namque aliquoties coram illo, qui se dæmoniacos advexaticios esse simularent, sed cùm plurimis plagis atque verberibus distringerentur, confestim de miserrima simulatione confessi, & necessitates atque egestates suas quibus supplendis talia ostentaverant, publicè exponentes, ab omni invasione dæmoniaca, sicuti & erant, inlæsi apparuerunt. Scimus etiam civitatem quandam haud longè à finibus nostris, quæ Vcetia nuncupatur, sita in provincia Narbonensi, ubi cùm ejusdem piæ memoriæ præcessoris nostri tempore ad sepulchrum sancti Firmini Episcopi istiusmodi percussiones & elisiones fieri cœpissent, ita ut in membris cadentium reperirentur quædam stigmata ustionis, tanquam illic sulphur arsisset, & ex hoc territi ac stupefacti vulgares, cum votis ac donis plurimis gregatim Ecclesiam frequentarent, accepto ab eodem patre nostro consilio, prædicavit eis atque præcepit Narbonensis, qui nunc superest, Bartholomæus Episcopus, ut omnino locum illum quem superstitiosè frequentare cœperant, nequaquam ampliùs ita frequentarent, & quæcumque illuc conferre consueverant, magis in usus indigentium, & misericordiæ opera erogarent: quod cùm factum fuisset, statim & ibi & in aliis locis in quibus jam similiter fieri incipiebat, tota illa deceptio cessavit, & populus fidelis optata incolumitate ac tranquillitate respiravit. Vnde omnino videtur nobis, prout ratio ipsa dictat, & bonorum nos exempla informant, ut arripiatis pium studium, & sacerdotalem sinceritatem ac severitatem, & ne domus Domini quam oportet esse domum orationis, fiat domus negotiationis & spelunca latronum, eliminetis ex ea istiusmodi commentum & figmentum diabolicum, quo tanta infelicium hominum, & maximè mulierum multitudo, nimis dolendè ac pudendè, velut captiva & mente capta tenetur obligata, annuntiando omnibus fideliter atque obtestando, ut intermissio hujusmodi vano & pernicioso concursu, unde nulla animæ salus, nulla corporis incolumitas, nulla vitæ utilitas provenire cognoscitur, unaquæque plebs in parœchiis & ecclesiis quibus attributa est, quieta consistat, atque ad ea sanctuaria ubi sacrum baptisma accipit, ubi corpus & sanguinem Domini percipit, ubi Missarum solemnia audire consuevit, ubi à Sacerdote suo pœnitentiam de reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam in morte consequitur, ubi etiam decimas & primitias suas offerre pręcipitur, ubi filios suos baptismatis gratia initiari gratulatur, ubi verbum Dei assiduè audit, & agenda ac non agenda cognoscit; illuc inquam, vota & oblationes suas alacriter perferat, ibi orationes & supplicationes suas Domino effundat, ibi suffragia omnium Sanctorum quęrat, qui, ut scriptum est, sequuntur Agnum quocumque vadit, & idcirco fideliter invocantibus ubique pręsto sunt, & per ipsos atque in ipsis omnipotens Deus, qui populo suo promittit dicens: *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.* Ibi itaque unaquæque plebs pupillis, & viduis, pauperibus, & peregrinis de facultatibus quas Deus tribuit, eleemosynarum largitionem exhibeat, hospitalitatis officia impendat, & quodcumque in comessationibus & ebrietatibus, & quęstu hominum vanorum consumere solebat, in istiusmodi suis & proximi salubribus utilitatibus expendat. Hæc est enim legitima & ecclesiastica religionis forma; hæc antiqua fidelium consuetudo, per quam & novitatum vanitas amputatur, & vetusta ac recta Evangelicæ atque Apostolicæ institutionis semita custoditur. Si autem & languores aliqui ac debilitates accidunt, juxta Evangelicum & Apostolicum præceptum, præsto habet unusquisque ut inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum. Cùm hæc largiente vobis Domino, fideliter atque instanter annuntiata fuerint & observata, confidimus in ipsius pietate, quoniam cessante inani ac supervacua largitione munerum ac votorum, cessabit etiam multitudo illa simulantium, & simulatio illa percussionum ac dementationum, cùm unusquisque non vana & falsa ostentare, sed ad corpusculi sustentationem necessaria quęrere, vel etiam mendicare cogetur, ita ut si fortè aliqui obstinatiores in tali facto apparere voluerint, duris omnino verberibus coërciti, ad confessionem veritatis compellendi nobis esse videantur: nam etsi illud verum esset, ut discedere à locis illis tempestates confestim novo morbi genere corriperentur, quantò esset manifestiùs hoc ex diaboli impugnatione fieri, tantò confidentiùs Domino miserante ac protegente erat discedendum, & contemptis fideliter inimici terroribus in locis legitimis more ecclesiastico illius misericordiæ supplicandum. Neque enim inter sanctos Martyres & spiritus atque animas justorum cum Domino jam regnantium illuc invidia suspicanda est, sed plena caritatis unitas ac pietatis societas, & ideo simul sibi oblatos ægros. Si vitandæ tentationis gratiâ fideliter ad aliorum Sanctorum limina deducantur, nequaquam indignari, sed potiùs favere & congaudere

Anno Christi 848. — Caroli Calvi Regis 8.

congaudere atque congratulari credendi sunt: quorum unus præcipuè, magnus videlicet Apostolus Paulus, propter hanc unitatem spiritus ceteris Sanctis dicit: *Si cui autem aliquid donatis, & ego, nam & ego si quid donavi propter vos in persona Christi.* Quòd si votum & desiderium est populorum fidelium, diversorum martyrum & cæterorum sanctorum limina suppliciter frequentare, sunt dies certi & legitimi, quibus id juxta antiquam & legitimam Ecclesiæ observantiam devotè exercere conveniat, tempore videlicet generalium rogationum, & pro diversis tribulationibus ac necessitatibus indictarum Litaniarum, seu quadragesimalium jejuniorum, sive etiam in vigiliis & natalitiis Martyrum. Quæ omnia & ex universalis Ecclesiæ lege descendunt, & Sacerdotum prædicatione ac denuntiatione commendantur, & omnium fidelium obedientia & pietate attentiùs observanda sunt: Quanquam & ceteris diebus cum silentio & puritate devotionis, non in ostentatione & tumultu sacra loca probabiliter visitentur. Nunc verò quanta absurditas est hæc tam legitima & tam assiduè annunciata ac jussa à plerisque popularibus aut negligenter omitti, aut vix coactè observari, & ad illa esse promptissimos, quæ nullo prædicante ac docente, imò etiam obsistente tantùm animi sui supervacuitate sequuntur, quibus sæpe B. Pauli Apostoli voce inculcandum est; *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis.* Et illud B. Iacobi dicentis: *Religio munda & immaculata apud Dominum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Quatenus hæc atque hujusmodi Apostolica hortamenta attendentes, tam Presbyteri quàm populi, atque in locis suis devotè, instanter ac fideliter Domino servientes, sinceritati mentis & fructibus misericordiæ potiùs studeant quàm vanitati & ostentationi. Nam etsi quidam illorum fallacium atque fallentium, verè energumeni & arreptitii essent, more ecclesiastico vel in locis suis, à Sacerdotibus suis, vel in quibusque Martyrum sanctuariis à propinquis & amicis tranquillè debuerant tractari, atque opitulante Dei gratiâ purgari; non populorum turbis ac tumultibus inaniter prosequi. Hæc prout Dominus dedit juxta auctoritatem divinam & institutionem paternam ad interrogationem vestram sedulò respondere curavi. Vos & ista lubenter accipite, & si qua meliora Deus inspiraverit, prompta intentione, & vigilanti curâ peragite, quatinus grex dominicus vestræ gubernationi commissus, eodem Domino auxiliante, & erroris effugiat offendiculum, & religionis ac sinceritatis consequatur augmentum. Misimus vobis etiam exemplar epistolæ præfati pii patris & nutritoris nostri ad jamdictum Narbonensem Episcopum, ut si quis de hujusmodi causis subtiliùs & pleniùs nosse voluerit, illius lectione uberiùs ac profundiùs instruatur. Deus omnipotens reverendam dilectionem vestram ad ædificationem Ecclesiæ suæ jugiter protegere & custodire dignetur.

Anno Christi 848. — Caroli Calvi Regis 8.

CONVENTVS LEMOVICENSIS,

In quo Canonici basilicæ sancti Martialis, & à Rege Carolo Caluo, & ab Episcopis Monachi fieri petierunt in eadem Ecclesia.

Hujusce nobis est auctor Ademarus Engolismensis in chronico, ubi quid gestum sit, narrat his verbis. *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini* 848. *Carolus Caluus Conventum suum generalem habuit Lemovica, tempore quadragesima, cum Episcopis Aquitania, & Primoribus ejus. Porro residente Carolo Caluo in throno regali, Ainardus princeps, seu Abbas monasterii sancti Martialis, & omnes Canonici prostraverunt se subitò ad pedes ejus, postulantes dare sibi licentiam se fieri Monachos in eodem loco; Rex verò Deo gratias agens, cum magno gaudio petitionem eorum adimplevit, & omnes Episcopos & Primores eorum voluntati inclinavit: sed Stodilus Episcopus Lemovicensis cùm hoc graviter ferret, & inflexibilis solus maneret, tandem Rege cogente consensit.*

Anno Christi 849. — Caroli Calvi Regis 9.

CONCILIVM APVD CARISIACVM,

In quo Gothescalcus iterum auditus, iterum damnatus, atque in eum prolata est sententia, qua Presbyteri gradu dejectus, virgisque cæsus, ac in ergastulum retrusus est.

Hanc Synodum celebratam fuisse anno 849. docent annales Bertiniani, de qua scribit etiam Hincmarus Remensis in illo adversùs Gothescalcum opere de prædestinatione cap. 2. ubi Episcopos, Abbates & alios huic præsentes enumerat, simulque refert quid in ea gestum sit; ex quo deprompta sunt, quæ sequuntur post narrationem, gestorum quoque in Synodo Moguntina contra eundem Gothescalcum habita. *A synodali Conventu*, inquit, *in Carisiaco palatio iterum auditur Gothescalcus ab Episcopis, & cateris quamplurimis viris ecclesiasticis, atque religiosis, qui eidem Synodo interfuerunt, videlicet Vvenilone Senonensium Archiepiscopo, Hincmaro Remorum Episcopo, Fulcoino Morinensium Episcopo, Theuderico Camaracensium Episcopo, Hrotado Suessonica civitatis Episcopo, Ragenario Ambianensium Episcopo, Immone Noviomagensium Episcopo, Erpoïno Silvanectensium Episcopo, Lupo Catalannensium Episcopo, Yrminfrido Belvacensium Episcopo, Pardulo Laudunensium Episcopo, Teutboldo provincia Lugdunensis, & Lingonica civitatis Episcopo, Gernobrio Turonensium provincia Episcopo, Rigboldo Remorum Chorepiscopo, Vvitao Camaracensium Chorepiscopo.*

Anno Christi 849.

piscopo, & aliis, qui nunc Dei gratiâ Episcopi ordinati, tunc autem jam dicta Synodo cum Episcopis suis secundùm ecclesiasticum morem adfuerunt. Vvenilo scilicet tunc cum Ragenario patre suo, nunc autem Rotomagensium Archiepiscopus, Æneas notarius sacri palatii, & modò Parisiorum Episcopus, Isaac Diaconus Parduli, & nunc Lingonicæ civitatis Episcopus. Sed & venerabiles Abbates Synodo ipsi interfuere, Ratbertus Corbeiæ, Bavo Orbacis, & Halduinus Altivillaris monasterii, aliique domini Sacerdotes & Diaconi; Vulfadus quoque Remorum Metropolis œconomus, & Rodoaldus Archidiaconus cum aliis sequentibus Cleri ordinibus. In quorum præsentia idem Gothescalcus, sicut & in Moguntina civitate, inventus hæreticus, atque incorrigibilis, honore presbyterali, quem per Rigboldum Chorepiscopum, cùm esset Suessonicæ parochiæ Monachus, inscio civitatis suæ Episcopo, usurpaverat potiùs, quàm acceperat, abjectus, & pro sua irrevocabili contumacia, secundùm leges & Agathenses Canones, & regulam sancti Benedicti, ut improbus virgis cæsus, sicut decreverant Germaniæ provinciarum Episcopi, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est retrusus.

Ecclesiastica sententia in pertinacissimum Gothescalcum propter incorrigibilem obstinationem illius in Synodo apud Carisiacum habita à XIII. Episcopis, ecclesiastico vigore prolata.

Ex codice Nic. Camuzatii Can. Trecensis.

Frater Gothescalce, sacrosanctum sacerdotalis mysterii officium, quod irregulariter usurpasti, & in cunctis moribus ac pravis actibus, atque perversis doctrinis, eo hactenus abuti non pertimuisti, judicio Spiritus sancti, cujus gratiæ munus est sacerdotale officium per virtutem sanguinis Domini nostri Iesu Christi noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, & ne ulteriùs eo fungi præsumas, penitus interdictum. Insuper quia & ecclesiastica, & civilia negotia contra propositum & nomen Monachi conturbare, contemnens jura ecclesiastica præsumpsisti, durissimis verberibus te castigari, & secundùm ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi auctoritate episcopali decernimus: & ut de cætero doctrinale tibi officium usurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.

* Nota.

De situ villæ Carisiaci, & quod illi hodie nomen.

Situs palatii, unaque villæ Carisiaci, cujus mentio frequens est in Conciliis, in capitularibus, ac historiographis nostris, hactenus ignoratur. Quod sit autem illi nomen hodie, variant omnes; attamen ii usque ad unum in hoc conveniunt, quod super fluvio Isara collocent; & in hoc penitus errant, post malè acceptum Fortunati Pictavensis locum poëmate 4. lib. 7. ad Gogonem virum palatinum Sigiberti Austriæ Regis ex his versibus.

—— Qua frangitur Axona ripis,
Isara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura,
Seu qui Mettin adit, de sale nomen habens.

Cùm enim Fortunatus velit ubique locorum in regno Austrasiæ salvum esse amicum, ideò Poëtarum more id percontatur ex omnibus regni hujusce rebus, scilicet campis, nemoribus, ac præsertim fluviis, quos hîc enumerat simul, & inter hos Aësiam vulgò *Oyse*, & à scriptoribus antiquis Hisam dictum, quem primus ex his appellavit adhuc Isaram; nusquam tamen apud Cæsarem in commentariis de bello Gallico legitur nomen illud Isaræ, ac potissimùm libro secundo, ubi de Axona fluvio tantùm sermo est, licèt de finibus Remorum, Suessonum, & Bellovacorum, atque etiam de Noviodunì Veromanduorum expugnatione agetetur, & tamen his omnibus proximè adest Isara fluvius, unde conjectura est, vel hoc tempore in Axona consumi nomen Isaræ, vel Isaram fortè nomen alterum, & quidem diversum à vulgari habuisse, quod & in hoc pariter, ac in aliis fluminibus evenit. Extra rem igitur, & contra mentem Fortunati in his fluviorum nominibus explicandis, quidam sibi persuaserunt Isaram esse in Allobrogibus, Saram esse Ausonii Saravum, Charem esse Cantonum seu Charentam apud Santones, in reliquis verò nulla est difficultas; sed animadvertere debebant illi memoratos hîc à Fortunato fluvios, qui alteram interluunt extremam Austrasiæ partem, quique ferè omnes origine invicem sunt affines, aut cursu vicini, unde verius Isara Fortunati est hodie Esia, Sara nota est, retinendo nomen suum *la Sere*, & non longè à Castro Faræ, vulgò *la Fere* in Picardia nuncupato, fluit in Isaram: Chares autem, qui & Chara etiam apud Flodoardum, nunc appellatur *le Chiers*, ac prope Sedanum excipitur Mosa. Ampliùs advertendum erat ab Isaræ fonte, usque ad ejus confluentes in Sequanam, nullum extare locum in utraque hujus Isaræ ripa, nec alicujus vestigium loci, cui restet hodie nomen hoc, Carisiacus, aut Careciacum, sive Cressiacum, vel quid aliud simile, quæ omnia idem significant. Contrà verò super Saram fluvium, cujus etiam meminit Flodoardus tum in historia, tum in chronico, invenimus villam, cui nomen est hodie *Creci*, quamque asserimus esse antiquum Carisiacum, & in qua visuntur adhuc rudera palatii, inter quæ subterraneus canalis apparet affabrè constructus. Et ut nulla dubitandi supersit occasio de hoc Carisiaci situ, ad hunc amnem Saram, seu Seram, confirmantur supradicta duobus antiquiorum auctorum testimoniis Eginhardi scilicet, Metensium annalium. Quorum primus ad annum 804 de Carolo Magno loquitur. [Medio Novembris nunciatum est ei Leonem Papam natalem Domini secum celebrare velle, ubicumque hoc contingere potuisset, quem statim misso ad sanctum Mauritium Carolo filio suo honorificè suscipere jussit, ipse verò ad Remorum civitatem obviam illi profectus est, ibique susceptum, primò Carisiacum villam, ubi natalem Domini celebravit, deinde Aquisgranum perduxit, & donatum magnis muneribus per Baioariam ire volentem deduci fecit usque Ravennam.] Quem certè profectionis ordinem convenire magis loco Creciaci ad Seram fluvium, quàm alteri patet. Tandem illi rerum Francicarum annales, quorum codex manuscriptus servatur in monasterio sancti Arnulfi Metensis, è veteribus soli juxta sententiam nostram indicant situm villæ Carisiaci, loquendo de morte Caroli Martelli ad annum DCCXLI. [Inde veniens, inquiunt, ad Carisiacum villam super fluviolo Sera sitam pervexit.] Quos postea sequuti sunt alii auctores, atque documenta inferioris ætatis, hunc locum vocando Creciacum supra Seram, & Gallicè, *Creci sur Sere*, cujus omne dominium jam pertinet ad Abbatiam sancti Ioannis Laudunensis ex concessione regia. Hæc fuit, quorum pleraque communicata mecum priùs à doctissimo Francisco Delasillez ipsa villa Carisiaci oriundo, generali regio Peræquatore in tractu Guiziensi, demùm laudata, tum aucta, & approbata fuerunt à Iacobo Sirmondo æternæ memoriæ, supremo harum rerum arbitro. *Vide Eusebium.*

Caroli Calvi Reg. 9.

CONVENTVS

ANNO CHRISTI 849.

CONVENTVS CARNVTENSIS,

CAROLI CALVI Regis 9.

In quo Carolus frater junior Pippini Aquitaniæ Regis, & nepos Caroli Calvi, ab Episcopis in Clericum attonsus, mox ad Monasterium Corbeïense perductus est, deinde post septem annos Moguntinensis Ecclesiæ factus est Archiepiscopus à Ludovico Rege Germaniæ altero ejus patruo.

Hæc omnia nobis suppeditant tum Annales Bertiniani, tum Chronicon Fontanellense ad annum 849. *Karolus*, inquiunt illi, *filius Pippini quondam Regis Aquitaniæ, fratrem suum Pippinum in Aquitania vagantem adire cupiens, à fidelibus Caroli Regis comprehensus est, & ad ejus præsentiam perductus est, qui meritò perfidiæ in eundem patruum suum & patrem ex fonte sacro, sententiam quidem capitalem meruerat, sed clementiæ respectu servatus est, unde & mense Iunio apud urbem Carnutum Carolo Rege Conventum habente post Missarum solemnia ambonem Ecclesiæ conscendens innotuit omnibus voce propria se ob divinæ servitutis amorem, Clericum nullo cogente velle fieri, ibique ab Episcopis qui præsentes aderant, benedictus, & ad Clericum tonsus est.* Prosequitur insuper historiam vitæ hujus Caroli Chronicon illud his verbis. *Et in Monasterio Corbeïa continuò dirigitur.* Deinde concludunt Annales Francorum Fuldenses ad annum 856. *Cujus IV. die mensis Februarii, Rabano Archiepiscopo Mogontiacensis Ecclesiæ defuncto, successit Karlus magis ex voluntate Regis Germaniæ Ludovici, & consiliariorum ejus, quàm ex consensu & electione Cleri & populi, tandem anno 863. ipse II. Nonas Iunii defunctus est.*

ANNO CHRISTI 849.

INSTITVTIO CANONICORVM ET MONIALIVM in civitate Nivernensi,

CAROLI CALVI Regis 10.

Ab Herimanno Episcopo facta, & confirmata in Concilio Parisiensi VII.

Ex Archivis Ecclesiæ Nivernensis.

AVCTORITAS divina testatur, ut Episcopi per diversa loca constituti licentiam habeant res Ecclesiarum secundùm canonicam auctoritatem cum Dei amore & reverentia distribuendi & ordinandi, videlicet Canonicis, Monachis, Sanctimonialibus, & pauperibus juxta creditam sibi dispensationem; ideoque ego in Dei nomine Herimannus Nivernensis Ecclesiæ indignus Episcopus, ob amorem & reverentiam Dei omnipotentis, sanctorumque Martyrum Cyrici & Gervasii, præsentialiter constituo, atque diuturnis temporibus inconvulsum manere decerno, villas scilicet cum mancipiis aliisque rebus ad eorum stipendia qui in sanctis locis Deo serviunt, suis servituti sunt. Fuit enim olim ipsa civitas cum aliis suæ parochiæ locis nobiliter & canonicè ordinata; sed præpediente hostium perturbatione regumque discissione, res ipsius Ecclesiæ convulsæ & dilaceratæ extiterunt, sicut pleniùs cognitum est, omnisque ordo religionis funditus annulatus; sed dominus Carolus invictissimus Augustus clementiâ Dei tactus partem ex rebus memoratæ Ecclesiæ reddidit Hieronymo Episcopo ad sacra loca restauranda vel munienda; quæ loca dum canonicè restaurare vellet, migravit ab hac vita. Postmodum Ionas Episcopus antecessor noster inquantum potuit, & tempus dictavit, in ipsa Ecclesia laborare non distulit; nos verò Dei adjutorio fulti, & hoc quod illi constituerunt observavimus, & tum ex rebus ipsius Ecclesiæ quàm ex nostris propriis augmentare juxta nostram exiguitatem non distulimus. Primùm ergo intra civitatem constituimus Canonicos LX. eorumque stipendiis has perpetualiter habendas delegavimus villas, Patriniacum, Germiniacum, Salviniacum, Pirugium, Variniacum cum omnibus eorum appenditiis. Proprium ideo nostrum, id est Patriniacum cum Ecclesia & ædificiis, omnibusque suis adjacentiis totum & ad integrum eis dedimus, sicut in carta donationis, quam eis fecimus, continetur; & in proprio quoque nostro in pago Nivernensi & in agro Morimise dedimus eis Ecclesiam in honore sancti Salvatoris, in loco qui dicitur Montilsus cum omnibus suis appenditiis; in loco qui vocatur Liones, Ecclesiam in honore sancti Cirici cum adjacentiis suis, in hoc loco qui vocatur Callidus fons, quidquid ibi habuimus, & villam Coloriam cum Ecclesia sancti Martini, necnon & ea quæ Hildradus Comes ipsis Canonicis in villa arcus dedit, & ex propriis Hermodi Abbatis avunculi mei dedimus ei mansos VI. in Pago Nivernense & Analmise. Dedimus etiam juxta murum civitatis mansum cum vinea, quem de Bernone comparavimus, necnon & vineas infra extraque civitatem, quæ sunt de ratione sancti Cirici; insuper quæcumque divina pietas eidem Ecclesiæ conferre voluerit in futurum tam per nos quàm per alios quosque. Præterea in Monasterio S. Martini constituimus Canonicos XVI. eorumque stipendiis dedimus villam seu campum cum integritate sui, & in villa Arcado mansos IV. in Orbudo in villa Bodenago quidquid prædictæ Ecclesiæ Ragenfredus quondam vocatus Episcopus dedit, & medietatem vineæ quæ adhæret eidem Ecclesiæ; in Pago Patrinivense dedimus eis mansos V. ex proprio nostro cum mancipiis rebusque ad se pertinentibus causâ sepulturæ nostræ, in Monasterio sancti Aniani constituimus Monachos, & in Monasterio sancti Genesii Sanctimoniales, & res ad easdem cellas pertinentes cum integritate reddimus, confirmamus: volumus ut habeant licentiam unà cum consensu & voluntate sui Pontificis, ex seipsis eligendi Abbatem, vel Abbatissam, si tamen tales inibi repertæ fuerint, sin aliàs, Episcopus secundùm suam dispensationem undecumque dignum duxerit,

Anno Christi 849.

xerit, ordinet eis Abbatem vel Abbatissam: cætera sancta loca, vel cellas, quantùm divina clementia largiri dignata est, & possibilitas suppetit, restaurare curavimus. Si autem successores nostri eisdem locis aliquid augmentare voluerint, in eorum maneat arbitrio. Verumtamen ea quæ à nobis & à sanctis Patribus nostris canonicè ordinata inviolabiliter ita permanere concedant; simulque per Dominum & propter Dominum omnes successores nostros obtestamur, ut nullis de locis supranominatis cuiquam Laïco homini, beneficiario jure tribuant, sed liceat eis sub prȩfatis testamentis habere. Hospitum denique loca non longè à nostra civitate duo constituimus, unum ad pauperes recipiendos, alterum ad nobiles viros undique confluentes tam ex nostro proprio, quàm ex rebus & nonis & decimis ejusdem Ecclesiæ. Si quis verò, quod minimè futurum credimus, aliquis extiterit tergiversator, & hæc quæ à nobis canonicè acta sunt, convellere ac destruere voluerit, in adventu Domini anathematis sententiâ puniatur si non resipuerit. Et ut hæc auctoritas Dei & nostra pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria eam subter firmavimus, & sanctorum Patrum nostrorum manibus roborandam esse decrevimus. Et subscripserunt.

Vide illorum subscriptiones in Concilio Parisiensi VII.

Caroli Calvi Regis 10.

Anno Christi 850. — Caroli Calvi Regis 10.

CONFIRMATIO SEU CORROBORATIO Karoli Calvi de rebus ab Herimanno Episcopo datis Ecclesiæ Nivernensi.

Ex iisdem Archivis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus Dei gratiâ Rex. Si Sacerdotum Dei petitionibus, maximè in ecclesiasticis utilitatibus benignum sensum prȩbuimus, regiam consuetudinem exercemus, ac per hoc nos æternam beatitudinem adepturos procul dubiò confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, & nostris prȩsentibus & futuris, quia venerabilis vir Herimannus Nivernensis Ecclesiæ Episcopus, culminis nostri adiens sublimitatem, innotuit qualiter ministerii sui opus exercens, Pastorali officio providerit utilitatibus Ecclesiæ sibi commissæ, & quomodo de facultatibus ejusdem Ecclesiæ deputaverit quasdam villas usibus & stipendiis dominorum servientium Canonicorum suorum, tam infra civitatem consistentium, quàm etiam in aliis Monasteriis suæ sedi appendentibus sive subjectis degentium. Quatenus sine mordacis inopiæ sollicitudine Ecclesiam canonicam & regularem institutionem interiùs & exteriùs victu tegumentoque contenti Domino valeant militare. Unde etiam testamentum scriptum faciens, propriaque manu roborans, sanctorum Patrum Episcoporum, scilicet regni nostri pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ, 849. anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, & regni nostri x. in die nonarum Novembris Parisius convenientium auctoritate studuit confirmari. Itaque humiliter petiit, ut eandem imprȩvaricabilem auctoritatem prȩcellentiæ nostræ prȩcepto regaliter corroboraremus, videlicet, ut devotionis & sacræ voluntatis participes de excessibus nostris divinæ pietatis munere faciliùs indulgentiam consequi mereamur. Ejus inquam petitionem clementer audisse & libentissimè exaudisse cunctis notitiam esse volumus, quare altitudinis nostræ scripturam hoc fieri jussimus, per quod constituimus & firmamus, ut sicut in memorato à sanctis Patribus Prȩsulibus regni nostri confirmato privilegio continetur, quidquid superiùs nominatus venerandus Episcopus Herimannus ex facultatibus & villis Episcopatus sui tam Clericis sedis suæ quàm & aliis per cellas eidem Ecclesiæ suæ subjectas Canonicis & Monachis & Sanctimonialibus deputavit, & quidquid prȩterea ex rebus suæ proprietatis ad augmentum stipendiorum ipsorum addidit secundùm ejus rationabilem constitutionem, nostris & futuris diebus maneat firmum & inconvulsum, nullique liceat prȩsentibus ac futuris temporibus secùs eandem laudabilem institutionem exinde adinvertere aut immutare. Quatenus tantorum virorum consensio ex futurorum fidelium assensu in omnibus sȩculis semper confirmata laudetur. Ut autem hæc magnitudinis nostræ confirmatio in Christi nomine meliorem obtineat vigorem, de annulo nostro subtus eam jussimus sigillari.

Signum Karoli K R O S L gloriosissimi Regis.

Æneas Notarius ad vicem Ludovici recognovit.

Datum IX. Kalend. Iunii, indict. XIII. in anno X. regno Karoli gloriosissimi Regis, actum in Vermeria Palatio nostro Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno Christi 850. — Caroli Calvi Regis 10.

EPISTOLA II. AMOLONIS ARCHIEPISCOPI Lugdunensis ad Gothescalcum,

Amolo humilis Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, dilectissimo fratri Gothescalco salutem.

QUOD te in hujus sermonis exordio fratrem nomino, quem fraternæ unitati contrarium non ignoro, ea in quantum Deus largitur facio charitate, quam Scriptura nobis prȩcepit dicens, *Dicite his qui oderunt vos, fratres nostri estis;* quia etsi ex illorum parte, qui ejusmodi sunt fraternitas deperit, non idcirco etiam in nobis frigescere, aut perire debet ipsius fraternitatis affectus. *Isa. 66. 5.*

ANNO CHRISTI 850.

CAROLI CALVI Regis 10.

ctus. Quòd autem non solùm fratrem, sed etiam dilectissimum dico, Dominus novit quia te fideliter diligo, hoc tibi cupiens, quod & mihi. Vnde & salutem tibi veraciter opto præsentem pariter & futurã, per eam divini cultus pietatem, 1. Tim. 4. 8. quæ sicut Apostolus testatur, *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Audiens sanè & agnoscens, quæ in scriptis tuis misisti, & per quemdam fratrem nostrum mihi innotescenda vehementissimè flagitasti, diu hæsitavi utrum tibi respondere deberem, homini de novis contra Ecclesiam præsumptionibus, & non parvis erroribus jamdudum accusato, & propter contumaciam, ut audio, Episcopalis Cõcilii auctoritate damnato. Importunum namque & impudens videri posse existimabam, si de causa quæ prudentium & reverendorum fratrum nostrorum inquisitione, cognitione, & sententia definita est, aliquid ultro dicere vel respondere aggrederer: & rursum, tantam deprecationem & supplicationem tuam contemnere & præterire silentio, non videbatur Christianæ esse pietatis & charitatis, per quam præcipuè lex Christi adimpletur in nobis, testante & commendante Gal. 6. 2. Apostolo, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Vnde & cùm de seipso 1. Cor. 9. 22. dixisset, *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Et post aliqua, 1. Cor. 10. 33. *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant,* continuò, ut nos ad exemplum sui, & per hoc ad exemplum Christi instrueret & informaret, adjunxit, 1. Cor. 11. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Ipse enim verus & pius ille Samaritanus, qui descendentem ab Hierusalem in Hiericho, & à latronibus in itinere spoliatum, & vulneratum, ac semivivum derelictum, clementer miseratus est, alligans vulnera ejus, & vini atque olei infusione curans: tantæque misericordiæ & pietatis suæ nos imitatores esse desiderans, in fine hujus Luc. 10. 37. parabolæ unicuique nostrûm dicit, *Vade & tu fac similiter;* manifestè ostendens, illum verè esse proximum fratri, illum verè esse imitatorem sui, qui fraternis necessitatibus atque infirmitatibus prompta pietate & compassione succurreret. Hujusmodi igitur consideratione provocatus, & de venerabilium fratrum atque consacerdotum nostrorum sincerissima charitate confisus, per quam in Domino unum sumus, & invicem commissi nobis ministerii onera & officia communicare debemus, quatenus & illorum bona per unanimitatis spiritum nostra, & nostra, si qua divina misericordia esse possunt, illorum sint: meliùs & salubriùs existimavi, aliquid tuæ fraternitati rescribere, quàm inutili taciturnitate, & de illis viderer diffidere, & tibi tam angustiato, tam afflicto, tam anxio & conturbato, nihil consulere. Quapropter omnipotentis Domini & Salvatoris largissimam & indeficientem oro gratiam, ut nobis tribuere dignetur utilem & veracem ad tuam consolationem & instructionem sermonem, & animum tuum præparet ac tranquillet, ut quæ dicturi sumus, pia mansuetudine & humilitate suscipias, ac seposita animositate, & studio contentionis, libenter quæ vera sunt audias, & non nostra, sed Dei & sanctorum Patrum dicta obedienter suscipias, eisque animum tuum & sensum sincera pietate summittas. Quia ut verax veraciter Scriptura Prov. 16. 25. dixit; *Sunt viæ quæ videntur homini rectæ, & novissimum eorum ducit ad mortem,* Prov. 12. 2. Et, *qui confidit*

A *cogitationibus suis, impiè agit.* Vnde & alibi eadem Scriptura admonet dicens; *Et ne innitaris prudentiæ tuæ.* Prov. 3. 5. Hoc namque malum quantùm cavendum sit homini, etiam B. Ephrem admirandæ sanctitatis, & inlustrissimæ doctrinæ Pater ostendit, cùm in hora exitus sui, adstanti sibi uni ex discipulis, magni & acuti, & nimis curiosi ingenii, sollicitè admonens dixit, Cave, Pauline, ne unquam te summittas cogitationibus tuis. Quantum verò bonum sit obedientiæ, & quantum malum contentionis & contumaciæ, docet nos iterum sermo divinus, ubi per Samüelem Prophetam dicit, *Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere.* 1 Reg. 15. 22. B Itaque & tu, si bonus, & utilis, & pacificus Ecclesiæ filius esse desideras, noli te sensui tuo committere, sed majorum judiciis atque sententiæ, immo divinis & ecclesiasticis sententiis & authoritatibus facilè cede, libenter adquiesce, & obedienter subdere, ut possit in te Dei Spiritus habitare, dicente Domino per Prophetam, *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* Psal. 66. 11 Videmus certè tempora novissima & periculosissima ab Apostolo olim prædicta, plena ignorantiæ & infirmitatis animorum, in quibus C illud olim Domini terribile dictum semper est reminiscendum atque tremendum, *Qui scandalisaverit unum de pusillis his qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. 6. Et iterum: *Væ mundo à scandalis; necesse est ut veniant scandala: veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Ibidem. Sed & aures & linguas prurientes cavere debemus, ne vel ad audiendas vel ad loquendas novitates prompti & faciles simus. Quia & prurientes auribus, & prophanas vocum novitates pariter Apostolus condemnat, & oppositiones falsi nominis scientiæ admonens de- D vitandas, continuò de eadem falsi nominis scientia subjungit, dicens, *Quam quidem promittentes, circa fidem exciderunt.* 1 Tim. 6. 21. Cùm adhuc esses in partibus regni Germaniæ, audivimus in primis super nomine tuo famam dolendam; quòd videlicet novitates sereres, & stultas ac sine disciplina quæstiones ventilares. Deinde perlata est etiam ad nos studio Ecclesiasticorum virorum quædam scriptura tua, in qua apertissimè & prolixo sermone, atque ut tibi visum est, etiam testimoniis scripturarum, sive sanctorum Patrum, quid sentires, sive doceres multipliciter executus es. Nunc quoque accepimus & alia scripta tua non parva, quæ ad Episcopos, vel contra Episcopos, qui in Concilio damnationis E tuæ affuerunt, scripsisse vel protulisse videris. In quibus, quanta potuisti intentione, de una tantùm quæstione, id est, de prædestinatione divina quid teneas diligenter explicare curasti. Ita factum est ut ex utraque scriptura tua, sive quam per alios, sive quam te mittente accepimus, plenissimè nobis cognoscere videamur, in quibus quæstionum periculis fluctuet, vel quod nimis dolendum est, naufragetur sensus tuus. Quapropter compendiosè nobis & utiliter fieri posse videtur, ut ex illa tota serie scriptorum tuorum, ea quæ nobis fidei Catholicæ maximè contraria esse videntur, brevibus & distinctis capitulis ordinemus: adjungentes sive subjungentes per singula, quid è contrario Scriptura

V sancta

sancta doceat, & Ecclesia Dei firmissimè teneat, A & ubique fideliter ac salubriter doceat. Cujus doctrinæ & sensibus te, quasi devotum & pium filium, irrefragabiliter obtemperare oportet, si cupis in hujus corporis unitate vivum & sanum membrum inveniri, & non cum putribus & emortuis justæ severitatis judicio abscisionem mereri. Hunc autem sermonis nostri tenorem, servato in omnibus legitimo ordine, ac ecclesiastica authoritate, non tibi, qui infelici lapsu & miserabili excommunicationem ab Ecclesia excepisti, sed principaliter reverentissimo & charissimo nostro, Metropolitano Antistiti dixerimus tuo, confidentes in Domini pietate, quia cùm hæc legerit, & nostræ erga te compassionis affectum cognoverit, non indignatione aliqua B adversùm te, sed boni patris & pii pastoris visceribus commovebitur, ut his congruenter perlectis, & tranquillè apud te tractatis, si divina gratia adspirante adquiescere volueris veritati, nequaquam diutius aberres à caulis, sed boni & summi pastoris humeris reportatus, unitati inventæ ac redemptæ ovis, cum gaudio cælestium & terrestrium, feliciter restituaris. Hæc sunt igitur, quæ in scriptis tuis meritò reprehendenda & reprehensa, tanquam veræ fidei Catholicæ inimica, notavimus, & qualiter ad regulam veritatis sint corrigenda perstrinximus.

In primis displicet nobis valde, quod dicis & asseris, meminem perire posse Christi sangui- C ne redemptum. Hoc enim dictum dupliciter fidei Catholicæ adversatur. Si aut neminem ex numero Christianorum, postquam semel in Christo baptisatus, & particeps redemptionis effectus est, perire posse confirmas, contra Apostolum apertissimè prędicantem & contestantem, *Quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt*, & quoniam qui illa vel illa crimina admiserint, regnum Dei non consequentur, & non habent hęreditatem in regno Christi Dei. Inter quos etiam illi sunt negatores Christi, de quibus ipse terribiliter testatur, *Quicumque negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo qui est cælis:* & illi infructuosæ fidei, de quibus ait, *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Sed & illæ D fatuæ virgines, quæ non sumpserunt oleum secum, in vasis suis cum lampadibus, quibus clausa janua regni dicturus est, *Amen dico vobis, nescio vos.* Aut si non credis, omnes qui vera fide & devotione per baptismi gratiam regenerantur, Christi esse sanguine redemptos, immo in Christi morte & sanguine baptisatos, licèt postea plurimi ex eis, vel per hęreses, vel per alia diversa crimina pereant, manifestissimè contrarium est B. Paulo Apostolo dicenti, *Quicumque baptisati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptisati sumus.* Et beato Ioanni similiter de eodem Domino contestanti, *Qui dilexit nos*, inquit, *& lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et beato E Petro etiam de pessimis hęreticis, qui post baptismum redemptionis Christi de Ecclesia recesserunt, ita dicenti; *Et eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.* Et ipsi Domino de eisdem hęreticis per Prophetam dicenti, *Et ego redemi eos, & contra me locuti sunt mendacia.* Itaque juxta fidem Catholicam & Apostolicam, Propheticam & Evangelicam, omnes isti, fideliter ad baptismum Christi accedentes, non utique alio pretio, sed Christi sanguine redempti sunt. Sed cùm plurimi ex eis

1. Cor. 6. 9.
Matth. 10. 33.
Matth 7. 21.
Matth. 25. 12.
Rom. 6. 3.
Apoc. 1. 5.
2. Pet. 2. 1.
Osee 7. 13.

eandem gratiam in se irritam fecerint, & idcirco in æternum pereant, qua ratione verum est, neminem perire posse Christi sanguine redemptum?

Secundo loco displicet nobis valde, quia verissima & sacratissima Ecclesiæ Sacramenta, videlicet exorcismi, & baptismi, & chrismatis, & eucharistiæ, ac manus impositionis, perfunctoriè & frustratoriè omnibus, qui post perceptionem eorum pereant, dari confirmas, dum eos sanguine Christi, sine quo ipsa mysteria, jam non mysteria, sed quędam velut vacua & inania ludibria sunt habenda, redemptos negas. Cum è contrario Apostolus, & veritatem redemptionis Christi, & verum divinorum mysteriorum effectum, etiam in eis qui inreparabiliter pereunt doceat esse collata, cum ait, *Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caleste, participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saculi venturi, & prolapsi sunt, renovari rursus ad pænitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*, &c. Et iterum: *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit?* Et alio loco, *Et peribit*, inquit, *infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Ita veritas mysteriorum peragit virtutem suam, cùm fideliter accipitur, etiam in illis qui non permanent in veritate eorundem mysteriorum. Sed & in illa regula intelligendarum scripturarum de corpore Christi vero atque simulato, unde tu hunc errorem velut confirmare niteris, veriter nosse debes, simulationem denotari vitæ & morum, non, quod absit, divinorum mysteriorum & sacramentorum.

Tertio loco displicet nobis valde, quia & divinarum Scripturarum testimoniis, & sincerissimis sanctorum Patrum dictis, tam perversè abuteris, ut hæc omnia quæ manifestissimè adversùs divinam veritatem & paternam fidem disputas, ex illis non rectè intellectis multipliciter affirmare contendas. In tantum ut illos qui ex numero fidelium pereunt, nec tunc, quando in primis ad percipienda mysteria regenerationis & dominicæ oblationis, vel in parvula ætate ab aliis oblati sunt, vel ipsi in majori fideliter accesserunt, affirmes Christo & Ecclesiæ non incorporatos, nec membra illius quęsitæ & salvatæ ovis effectos, ac per hoc unquam fuisse Christianos. Nam quomodo est Christianus, qui non pertinet ad corpus Christi, qui non est membrum Christi? Cùm è contrario Apostolus etiam illos, qui graviter peccare, & in eodem gravi peccato perire possunt, membra Christi & templum Spiritus sancti esse dicat, quamdiu fideliter & innocenter agunt. *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit.* Et iterum, *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, &c.

Quarto loco displicet nobis valde, quia tam durè & indisciplinatè & immaniter, de divina prędestinatione sentis & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos qui ad sinistram ponendi sunt in die judicii, & cum diabolo atque angelis ejus pro malis meritis suis æterno igne damnandi,

Heb. 6. 4.
Heb. 10. 29.
1. Cor. 8. 11.
1. Cor. 6. 15.
1. Cor. 3. 16.

damnandi, ita sint divinitus ad interitum prædestinati, ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse. Quod sentire & dicere quid est aliud, quàm in Deum graviter & horribiliter blasphemare, si illis ejus prędestinatio hanc necessitatem irrevocabiliter imposuit, ut omnino quod ad salutem suam proficeret operari non possint? Sed absit à nobis hoc recipere, ne meritum damnationis illorum Dei culpa sit, qui eos tales esse constituit, non illorum qui aliud esse non potuerunt. Huic errori, vel potiùs immanissimæ impietati, resistit Scriptura dicens de illo; *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Et ipse judex vivorum & mortuorum destruit istud insanum mendacium, qui se in illo die judicii, ita illis qui ad sinistram stabunt, dicturum esse prędixit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Vt cur à se inseparabiliter discedere sint digni, cur maledicti, cur diabolo & angelis ejus in æterna pœna sociati, videlicet non ex prejudicio prędestinationis suæ, sed ex merito iniquitatis eorum statim clarissimè subjungat & ostendat dicens, *Quia esurivi & non dedistis mihi manducare, sitivi & non dedistis mihi bibere,* &c. Vbi evidenter ostenditur, quòd non propterea damnatur, quia opera salutis suæ facere non potuerunt, sed quia facere noluerunt. Vnde & Psalmista de eodem justo & æterno judice dicit, *Quia tu reddes unicuique secundùm opera sua.* Non ait, secundùm prejudicia sua, sicut ista insana & furibunda doctrina asserere conatur, ad nihil aliud, nisi ad subversionem audientium. Cum è contrario fides Catholica firmissimè teneat, nec ipsum diabolum, & angelos ejus ad hoc unquam prædestinatos ut tales essent: sed quia tales suo vitio esse voluerunt, idcirco eis æterni ignis supplicia preparata. Omnipotens enim Deus non est auctor malorum meritorum, nec malorum hominum, nec malorum angelorum: sed ipsi sibi auctores mali sunt, quod propria voluntate gesserunt, Deus autem justus ultor & judex in his quæ ejus æquitate passuri sunt. Prescivit ergo æternaliter futura mala merita ipsorum, sed prescientia ejus non intulit eis necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantùm prevìdit quòd aliud esse nollent. Prędestinavit eisdem malignis angelis & reprobis hominibus perpetuas pœnas: non quia malignos & reprobos ipse eos facit, sed quia malignos & reprobos suo vitio futuros illos prevìdit; & quos tales proprio vitio futuros prevìdit, quid mirum si eos justo judicio suo æternis pœnis & incendiis prædestinavit, ut qui volentes peccaverunt, nolentes puniantur? Non itaque in illis prædestinavit omnipotens Deus quæ sibi erant facturi iniqua voluntate sua, sed quæ ipse de eis erat ordinaturus æquissimo judicio suo. Nulla enim prædestinavit injusta, sed tantùm justa: injusta verò præscivit ut Deus futura, prędestinavit ut judex justus damnanda. Nec prescientia tamen, nec prędestinatione sua, cuiquam malorum hominum vel angelorum necessitatem imposuit malè agendi, sed tantummodo pro malis gestis æternas pœnas luendi. Vnde verissimè ad eum Scriptura dicit, *Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Et iterum de illo, *Domino enim Deo antequam crearentur omnia fuerunt cognita: similiter & post perfectum respicit omnia:* Et alio loco. *A sæculo enim,* inquit,

Eccl. 15. 21.
Matth. 25. 47.
Psal. 61. 13.
Dan. 13. 42.
Eccl. 23. 29.
Eccl. 39. 25.

A *usque in sæculum respicit, & nihil est novum in conspectu ejus.* Sunt quidem in malis & damnandis aliqui reputati, qui aliud esse non potuerunt: sicut illi parvuli recèns nati, sub reatu originalis peccati defuncti, quibus per baptismum Christi non potuit subveniri. Sicut etiam illi ignorantes Deum, qui non potuerunt invocare in quem non crediderunt, nec credere ei quem non audierunt, nec audire sine prędicante, nec prędicatorem habere, quia nullum ad se mitti meruerunt. Sed & in his non est iniquitas apud Deum, quia & illos traxit ad mortem originale peccatum, & istos & originale pariter & actuale. Ipso tamen ubique justo judice, qui de tota humani generis massa, ob primæ prevaricationis meritum justè damnatos,
B alios facit vasa misericordiæ gratuitâ gratiâ, alios permisit vasa esse iræ justo judicio. Sin autem hoc queritur, ubi in Scripturis prędestinatio in malam partem dicatur, ipsum quidem propriè verbum tali sensu positum forsitan non facilè invenitur: sensus tamen verbi manifestè in pluribus locis apparet. Sicut in primis de angelis refugis B. Iudas Apostolus dicit, *Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, carceribus caliginis damnatos tradidit in judicium cruciandos reservari.* Et de Antichristo Paulus Apostolo dicit, *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur*
C *Deus, aut quod colitur.* Et post pauca, *Quem Dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione adventus sui.* De Iuda quoque proditore ipse Dominus, cùm pro Apostolis oraret, *Et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* De quo etiam Apostoli, orantes pro electione successoris ejus Mathiæ, ad Dominum dicunt, *Ostende quem ex his duobus elegeris, accipere locum ministerii hujus, & Apostolatum, de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.* Tale est & illud, quod per Salomonem dicitur, *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Et quod in libro Iob scriptum est, *Quia in diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducitur.* Et in libro sapientiæ de Egyptiis, *Ducebat*
D *enim eos ad hunc finem digna necessitas.* Et apud Hieremiam de quibusdam, *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in diem occisionis.* Talibus etiam Amos Propheta dicit, *Qui separati estis ad diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Item de filiis Heli scelestis & sacrilegis dicitur, *Qui non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Et ad Amasiam prevaricatorem & impium regem Propheta loquitur, *Scio,* inquit, *quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper quod non acquievisti consilio meo.* Sed hæc omnia ita fideliter pensanda sunt, ut in eis & malorum,
E sive angelorum, sive hominum, iniquitas, & Dei vindicantis incontaminabilis justitia cognoscatur. Preordinavit, atque tradidit angelos malignos in judicium cruciandos reservari, sed exigente eorum impietate, quia non servaverunt ordinem & honorem suum, quem sub Deo & cum Deo habere potuerunt. Et Iudas precognitus, & prędictus est filius perditionis, sed merito impiæ proditionis, abiit in locum suum, id est, sibi in pœnis preparatum & destinatum, sed quia prevaricatus est de loco ministerii & Apostolatus. Ita non est mirum, si Antichristus, quia

Iuda 6.
2. Thess. 2. 3.
Ibidem.
Ioan. 17. 12.
Act. 1. 24.
Prov. 16. 4.
Iob. 21. 30.
Sap. 19. 4.
Hier. 12. 3.
Amos 6. 3.
1. Reg. 2. 25.
2. Par. 25. 16.

præscitus est homo peccati, præcognitus etiam & prædictus est filius perditionis. Et malus atque impius præparatur etiam ad diem malum, servatur in diem perditionis & furoris: sed quia ipse sua sponte & malus & impius existet. Ducebat & Ægyptios divini judicii necessitas ad exitium & interitum præparatum: sed digna, quia pro impietatibus & contumacia eorum justa. Sic & illi qui velut pecora æternæ morti devoti esse voluerunt, siquidè impii manibus & verbis accersierunt illam, congregantur quasi grex perditionis & sanctificantur, id est, quodàmodo separantur ad diem malũ & ad diem occisionis. Sed & impii filii Heli, & impius ille Rex Amasias, indigni habiti sunt judicio Dei, qui consilium salutis suæ suscíperent, & Deus illos occisioni & perditioni præparavit. Sed justè utique ob merita impietatũ quæ de illis priùs Scriptura commemorat, & excæcati & interire meruerunt. Ait etiam Scriptura, *Et qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus praeparavit illum ad rompheam.* Paravit ergo & præordinavit istiusmodi transgressorem ad romphæam, id est, ad mortem & interitum: sed justè, quia ipse ultrò transgressus est à justitia ad peccatum. Iuxta hunc igitur divinæ authoritatis sensum, omnipotens Deus justo judicio suo prædestinat pœnas malis, prædestinat malos pœnis, nullum tamen prædestinat, ut sit malus: quia non malorum, sed bonorum auctor est bonus, & malorum gestorum ultor est justus, & si mala gerentes ad eum convertantur, indultor pius. Seiendum tamen, quòd prædestinationis verbum in malam partem, sicut in Scripturis minùs est usitatum, ita & à doctoribus rariùs usurpatum; & ob hoc nequaquam magnopere de eo certandum.

Eccl. 15. 17.

Quinto loco non minùs detestamur & hortemus, quòd ita exarsisti adversùs eos qui æterno interitu sunt digni, ut dixeris eos tam irrevocabiliter & incommutabiliter perditioni esse prædestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis & inconvertibilis est: & Episcopos, ad quos scribis, quasi misericorditer adhortatis, ut hoc prædicent populis, ut quia jam præfinitam damnationem evadere non possunt, saltim aliquantulum Deo supplicent & humilientur, ut statutas eis vel modicùm mitiget & leviget pœnas. Obsecro, ubi hæc unquam in sacris Scripturis legisti? ubi in sanctis & Catholicis Ecclesiæ doctoribus invenisti? Cur non similiter diabolum & Angelos ejus exhortaris, ut quia statutam damnationem evadere non potuerunt, jam nunc interim orent & deprecentur Dominum, ut eis mitiores & tolerabiliores fiant æternæ pœnæ? aut quid amplius istis relinquis, quos similiter irrevocabili sententia damnatos asseris? Huic tam atroci impietati contradicit Ecclesiæ fides, quæ diabolum cum Angelis suis credit irremediabiliter corruisse: hominibus verò, etiam impiis, si recognoscant peccata sua, si defleant, si confiteantur, si divinam misericordiam implorent, indubitanter januam indulgentiæ aperiri. Sic enim Propheta docet, & exhortatur dicens, *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Et iterum, *Quis ambulabit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Et ipse Dominus per se, *Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituũ.* Et alio loco, *Revertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras.* Et iterum, *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ista est fides & pietas Ecclesiæ, quia diabolum novit in malis suis sine pœnitentia permansurum, nec ullam indulgentiam accepturum: & hominibus ad Deum conversis per ineffabilem ejus bonitatem, & pœnitentiæ remedium concedi, & salutis aditum non negari. Oro, quid tibi peccavit humanum genus? quid tibi peccavit Ecclesia? quid in ipsa Ecclesia tot proximi & fratres tui, ut eis tam magnam, tam patentem januam pietatis Dei obstruere & obserare coneris? Quis unquam fidelis ecclesiasticus vir ita prædicavit, ut hæc tam attentè & obstinatè inculcare & confirmare non erubescas? Verè non est Christiana, sed pagana, imò diabolica ista duritia: quam si bene cogitare & recognoscere posses, profectò signares cor tuum, & manum tuam poneres super os tuum. Legimus quidem in Evangelio, beatum Ioannem Evangelistam de Iudæis dixisse, *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaïas, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Sed sicut B. Augustinus in quinquagesimo ejusdem Evangelicæ tractatu fideliter & catholicè exponit, Sic dictum est, *non poterant*, vbi intelligendum est quòd nolebant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* De omnipotente dictum est, *non potest.* Sicut ergo quòd Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ: ita quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. Non quia mutari homines in melius non possunt, sed quandiu superba sapiunt, non possunt credere. Hoc de Iudæis, qui excæcati & indurati sunt, Deus præscivit, atque in ejus spiritu Propheta dixit. Non ergo poterant credere, juxta sensum fidelissimi doctoris, quia hanc eorum futuram impossibilitatem, per quam Domini humilitatem contempserunt, & Deus verè prævidit, & per Dei Spiritum Propheta verè prædixit. Claudamus itaque aures adversùs hanc inauditam duritiam, & verba præcipitationis, & audiamus præfatum doctorem dulciter orantem & dulciter disputantem adversùs profanæ inaniloquia vanitatis. Quosdam, inquit, nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam, & quosdam nimia suæ voluntatis diffidẽtia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, ut quid rogamus Deum ne vincamur tatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt, ut quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine, ô pater qui es in cælis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo. Audiamus Dominum dicentem, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua;* ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audiamus & Evangelistam dicentem, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus. Veruntamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam & agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, & orandum, ne succumbat infirmitas.

Esa. 55. 7.
Esa. 50. 10.
Mal. 3. 7.
Hier. 3. 22.
Ezech. 33. 12.
Ioan. 12. 39.
Tract. 53. in Ioan.
2. Tim. 2. 13.
Tract. 53. in Ioan.
Luc. 22. 32.
Ioan. 1. 12.

Sexto loco similiter detestati sumus, quòd Deum & sanctos ejus, in perditione eorum, quos æternæ damnationi prædestinatos assiduè repetis, dicis exultaturos & gavisuros: cùm è contrario

ANNO CHRISTI 850

contrario apertissimè Scriptura dicat, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Et alio loco, *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat.* Et iterum, *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non magis ut convertatur à via sua mala, & vivat?* Quomodo ergo lętatur in morte & damnatione impii, cùm ipse jurat non esse voluntatis suæ? aut quomodo gaudet ad ruinam cujusquam, qui ut nullius bono, ita etiam nullius malo indiget, ut quasi potentior vel beatior fiat? Protulisti quidé, velut ad muniendum sensum tuum, testimonia de Scripturis, sed incõgruenter, & non eo sensu quo ibi posita sunt, velut est illud. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo*; & illud, quod non de generali perditione impiorũ, ut tu posuisti, sed propriè de miseria & calamitate infideliũ Iudęorum in Deuteronomio dicitur. *Et sicut lætatus est Dominus super vos, benefaciens vobis, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subvertens.* Sed grandi & pia consideratione indiget, ut qualitercumque cogitetur risus & subsannatio Dei in interitu perditorum, & lętitia sive exultatio non solùm in profectu rectorum, sed etiam in subversione pravorum: qui, ut suprà ostensum est, in nullius morte, in nullius perditione lętatur, nec aliquem perire se velle jurat: quia nullius interitum velut inimicus creaturæ suæ desiderat, sed in eis qui pereunt, tantummodo finem malitiæ, & ordinem ac retributionem justitiæ diligit. Sic itaque in interitu impiorum & iniquorum ridebit & subsannabit, cùm eorum superbiam & contemptum digna punitione humilians atque condemnans, omnem creaturæ vanitatem & elationem adversùs creatorem, irrisione & subsannatione dignam esse monstrabit. Vnde & divina eadem verba posita sunt, ut non diceret, de interitu vestro ridebo & subsannabo, sed in interitu vestro: scilicet non pro illo, sed in illo, id est, non pro illis qui sua culpa perierunt, sed quia in eorum justa perditione in contemplatione rationalis beatæ creaturæ, laus accrescet & glotia creatoris, exultante omni electa creatura, non in tormentis miserorum, sed in æquitate & veritate judiciorum divinorum. Quod etiam in præsenti sæculo animabus sanctorum conceditur, dicente Psalmista, *Exultaverunt filiæ Iuda propter judicia tua Domine.* Non ergo propter perditionem cujusquam, sed propter divinæ æquitatis justitiam. Hoc sensu accipi potest, & illud, *Lætabitur justus cùm viderit vindictam*; & illud in Salomone, *Et in perditione impiorum erit laudatio.* Lętatur autem omnipotens Deus, vel benefaciens justis, vel mala retribuens pravis. Non quòd ipse diversa affectatione mutetur, atque varietur, cujus gaudere sicut & esse, æternum atque incõmutabile est, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Sed sicut spiritus patris dicitur loqui in eis quos loquentes facit, quos ad testificationem veritatis instruit & informat: qui etiam postulare pro sanctis, & gemere ac desiderare dicitur, quia eis quos repleverit, affectum postulandi & gemendi & desiderandi inspirat. Ita & ipse lætatur in sanctis in quibus habitare dignatur, quia eos proculdubio lętantes facit, sive in donis gratiæ quæ largitur piis, sive in judiciis & æquitatibus quibus impios punit. Pro quibus etsi humano affectu, sicut Apostolus dicit de se, tanquam homines contristantur: tamen

[Margin: Sap. 1. 13. · Ezech. 33. 11. · Ezech. 18. 23. · Prov. 1. 26. · Deut. 28. 63. · Psal. 98. 8. · Psal. 57. 11. · Prov. 11. 10.]

CAROLI CALVI Regis 10.

divino Spiritu regente atque inlustrante, justa Dei judicia laudare & glorificare non cessant. Cùm igitur tam magna, & ineffabiliter majori cautelâ, ut aliquatenus intelligi possint, divina verba indigeant, non facilè à quoquam proferenda sunt velut pro se, ne forsitan bene tractata inveniantur contra se.

Septimo loco duo prorsus gravia mala in tuis nobis moribus plurimùm displicuerunt. Vnum, quòd Sacerdotes Dei & rectores Ecclesiarum, tantis injuriis & convitiis, & maledictis laceras, tanto dispectu & contumacia conculcas, utique spiritu erroris & superbiæ miserabiliter deceptus, ut omnino nihil Christianæ patientiæ, nihil Christianæ reverentiæ habere videaris. Nam inter cætera, omnes qui insaniæ sensuum tuorum zelo fidei resistunt, hęreticos appellare non metuis, eosque à bono & erudito viro atque Catholico Episcopo Rhabanicos nuncupare pręsumis. Nec times Deum, quòd in tales & tantos diaboli laqueos, per vanam instabilitatem mentis & corporis, & vaniorem curiositatem atque arrogantiam incidisti. Nec erubescis, quòd in tot erroribus & mendaciis ab omnibus ubique deprehenderis & confutaris. Nec doles, quòd ecce tot annis à corpore Ecclesiæ justæ damnationis severitate pręcisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, & palmes aridus igni destinatus. Sed adhuc insuper os tuum maledictione & amaritudine plenum est; & conversus in arcum pravum non pro Domino, ut putas, sed Ecclesiam matrem tuam, ejusque Præsules Patres tuos, sacrilegâ audaciâ contemnens, adversùs Dominum jacularis. Alterum verò malum est in moribus suis, quòd in omnibus quæ dicis & sentis, sicut scriptura tua declarat, nullum omnino, hominum more bonorum, piè & humiliter deprecaris, nullius te sensui & authoritati summittis, nec dicis quod sæpe solet & debet pietas dicere, Obsecro bone vir, aut bone frater, si in his quæ dico, aliquatenus erro, ferto infirmitatem meam, instruito ignorantiam meam, & probabis obedientiam meam, quia paratus ero libenter suscipere quidquid veritas dignabitur declarare. Sed ita te sensui tuo credis, & in ipsa veritate speculari & contemplari gloriaris, ut in scriptis tuis nec Deo ipsi supplices, ut tibi quod melius est revelet. Quapropter multũ fraternitatem tuam exhortor & moneo, & paterna pietate ac fraterna charitate persuadeo, ut revertaris in temetipsũ, convertaris ad cor tuum, & excutias procul à te istum errorem vanum, & laborem infructuosum ac perniciosum, restituasque te sanctæ Matri Ecclesiæ, restituas te obedientiæ Domini Sacerdotum & patrum tuorum, restituas te fraternæ omnium charitati. Vt qui modò jaces tanquam vas perditum, cooperante Dei gratiâ, efficiaris in domo ejus vas utile, ad omne opus bonum paratum. Nec terrearis consideratione, vel erroris quem incurristi, vel injuriarum, quas in Dei Sacerdotes intulisti, ne ex hoc velut implacabiles patiaris. Omnes deprecabimur pro te, & ipsi ultrò propter amorem Christi obliviscentur se, eruntque apud omnes & præterita errata in oblivionem, & præsens conversionis tuæ bonum in gaudium & exultationem. Tantùm ne dubites, nec remoreris, sed eruere quasi damula de manu, & quasi avis de insidiis aucupis, ne in tali damnatione repentina morte præventus, Ecclesiæ matri, cui nunc mœrorem

Anno Christi 850. — Caroli Calvi Regis 10.

facis assiduum, luctum, quod absit, derelinquas perpetuum. Crede indubitanter, quia hæc ex vera & sincera erga te charitate, & solo amore salutis tuæ loquor. Nec omnino æstimes, quòd quædam superiùs, velut duriùs, & austeriùs prosecutus sum ad confusionem vel condemnationem tuam prolata. Sed scito certissimè, quia ad hoc tantùm dicta sunt, ut ea coram oculis ponerem tanquam in speculo veraciter dijudicanda, & adjuvante Dei gratia, quantociùs & studiosiùs emendanda. Si quidem, ut bene ipse nosti, meliora sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici. Ad extremum, breviter tuæ intimo charitati, gestum esse intra Gallias, temporibus penè beati Papæ Leonis, sive Agapiti, Concilium venerabile, & Ecclesiæ Dei valdè utile, à pluribus Episcopis, quibus præfuit admirandæ sanctitatis, & virtutum ac miraculorum beatus Cæsarius Arelatensis Episcopus: ubi diligenter de gratia Dei & libero hominis arbitrio, de præscientia & prædestinatione divina constat esse definitum, qualiter moderatissima & perpensissima ratione sentiendum, & tenendum, & docendum sit. Vnde hîc ad commonitionem prudentiæ tuæ paucissima verba subnecto, quibus aiunt, hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quòd post acceptam baptismi gratiam, omnes baptisati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos non solùm non credimus; sed etiam si sint, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Anno Christi 850. — Caroli Calvi Regis 10.

CONCILIUM MURITENSE AB EPISCOPIS Provinciæ Senonensis celebratum,

Cujus extat fragmentum epistolæ Synodalis ad Ercanradum Parisiorum Episcopum.

Reverentissimo Præsuli Ercanrado, Guenilo Senonum Metropolitanus, Heriboldus Autissiodori, Hucbertus Meldorum, Helias Carnutum, Herimannus Nivernorum, Agius Aurelianorum Episcopi, & universa Synodus apud Muritum in Dei nomine congregata, perpetuam salutem.

Lupus Ferrariensis Epistola 115.

SANCTITATI vestræ gratias agimus, quòd quamquam tardiusculè, tamen Vicarium vestrum direxistis, qui pondera deliberationum nostrarum exciperet, definiendisque rebus necessarium conamen adhiberet, sed persona vestra apud simplices quosque tantum amplius contulisset auctoritatis, quantùm præcedit apice dignitatis; proinde, quia peccatis nostris merentibus, turbulentissimum tempus est, & tot sibi succedentibus annis exuberante iniquitate, defuit facultas celebrandi Conventum, ac Regis cor Deus ita mollivit, ut nobis aliquam correctionis largiatur opportunitatem. Momenta verò vitæ nostræ nullam sui transitus dilationem recipiunt. Causam ipsius Dei nostri haudquaquam segniter debemus curare, nec nos ab executione officii, quod indigni suscepimus, ulla nisi impossibilitatis necessitate subtrahere. Quoniam ut scriptum est, homo videt in facie, Deus autem in corde, qui (redditurus est,) ut alibi verissimè (unicuique secundùm opera sua.) Atque utinam supererogaremus aliquid, ut ipse rediens optata mercede cumularet.

Reliqua desiderantur.

NOTA.

In hoc edendo Synodalis Epistolæ fragmento sequutus sum opinionem eruditissimi Baluzii, quam asserit in notis ad eundem Lupi Epistolam. Et sanè debemus illi, quòd nos docuerit illius Epistolæ mendum, cujus extrema nec cohærent cum primis, nec prorsus ad rem Concilii pertinent, ut facilè conferentibus illam patebit. Vnde hinc rejici meritò debuere, ac deinceps loco unius Epistolæ in editionibus Massoni, & Duchesnii, duo erunt legenda binarum fragmenta. Porro ex his tribus literis G, H, A, quæ leguntur initio hujus Epistolæ, fecimus in fragmento integra Episcoporum nomina, qui Synodo Provinciali adfuerunt, ita ut quælibet sit initialis litera nominum singulorum, ac ex ratione vera, G designet Guenilonem Provinciæ Senonensis Metropolitanum, & A Episcopum Aurelianorum nomine Agium: litera verò H ex verisimili ratione alios ejusdem Provinciæ Episcopos numero quatuor, quorum nomina fortuitò incipiunt ab eadem litera H, ut legere est. Quod & factum quoque videtur ab eodem Lupo Abbate Ferrariensi, sæpe illorum nomen ad quos scribit, contrahente.

Anno Christi 851. — Caroli Calvi Regis 11.

LOTHARII IMPERATORIS EPISTOLA ad Leonem IV. Papam.

Pace tandem tres inter fratres Reges consummata, atque conjurata in Conventu secundo apud Marsnam anno 851. Lotharius Imperator pro Hincmaro Remensi Archiepiscopo, tunc Caroli fratris Archiministro, in odium Ebbonis ejus decessoris hanc scripsit epistolam Leoni Papæ, rogans, ut pallii usum scilicet quotidianum, de quo Flodoardus in hist. lib. 3. c. 10. Hincmaro concederet; narrans quoque ibi qua ratione isdem ad Archiepiscopatum fuerit promotus, post fugam ejusdem Ebbonis, de qua quidem epistola ipsemet Hincmarus loquitur in schedula secunda, quam porrexit Synodo Suessionensi tertiæ capite 4. Sic habet igitur codex Laudunensis.

Sanctissimo,

ANNO CHRISTI 851.

CAROLI CALVI Regis 11.

Sanctissimo, & reverentissimo spiritali Patri nostro Leoni summo Pontifici, & universali Papæ, H Lotarius divinâ providentiâ Imperator Augustus, spiritalis filius vester, perennem in Domino salutem.

A

SEDEM Apostolicam, quæ per beatissimum Apostolorum Principem in universo orbe quaquaversum Religio Christiana diffunditur, caput & fundamentum est sanctitatis, idcirco superna dispositio primatum obtinere voluit Ecclesiarum, ut in quibuscumque causis, quæstionibus, sive negotiis ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad morem religionis, fontemque recurrerent æquitatis. Proinde quod jam & auditu creberrimo, & multorum relatione, ac permaximè scriptorum nostrorum ad præcessorem vestrum serie; sive eorum etiam quæ superstite domno genitore nostro, ad Sedem Apostolicam directa sunt veritate, vestram arbitramur comperisse prudentiam, qualiter sancta Remensis Ecclesia temporibus divæ memoriæ præfati domni genitorisque nostri, & nostris quoque, sive fratris nostri gloriosi Regis Karoli diebus, diutissimè sacerdotali & pontificali honore, pristinaque dignitate vocaverit, ex ea causa, quòd Ebo tunc Archiepiscopus ejusdem metropolitanæ Sedis cum tempore infelicissimæ discordiæ, quæ operante diabolo per satellites suos, inter nos, genitoremque nostrum aliquandiu duravit propter quasdam factiones & simultates, offensam sæpedicti domni & patris nostri incurrisset. In Episcopali denuo Conventu appellatus, sive convincente & arguente conscientia, sive quia eum undique leges ecclesiasticæ constringebant, quosdam Episcopos ex eodem conventu, electorum judicum nomine & officio sibi conscios assumpsit; & manifesta in conspectu omnium confessione, scriptoque à se prolato, & manus propriæ subscriptione roborato, se Episcopatus officio indignum, alienumque judicavit; utque successor sibi subrogari deberet, asseruit: ut hac de causa nullam ulteriùs repetitionem authoritate canonica facere posset, præfata subscriptione firmavit: quam etiam Synodo obtulit: cujus scripti vobis exemplar ab Archivio Remensis Ecclesiæ sumptum, curavimus destinandum.

B

C

D

Sed variis deinceps emergentibus causis atque eventibus, quia aut sæcularibus dediti curis, & contra promulgatas divinitus regulas substituti quidam in eadem sede præfuerunt, & ob hoc pastoralem sarcinam suscipere renuerunt: aut aliarum ecclesiarum Præsules extiterant, & reddita divinitus pace, sedes suas repetere maluerunt, memorata Remensis Ecclesia, diu, ut suprà diximus, Pontificali caruit dignitate.

Cùm verò firmato inter nos fratresque nostros amicitiæ fœdere, regnum nostrum æqualiter in tres partes divisum, imò distinctum esset, & sæpedicta Remorum Ecclesia sorti fratris nostri Caroli obtigisset, ipse damnum perpendens Ecclesiæ, Hincmarum venerabilem monasterii beatissimi martyris Dionysii monachum atque presbyterum, virum sanè doctum atque eruditum, consensu Episcoporum Clerique & populi Remensis Metropoleos ordinari fecit Antistitem. Sed quia frequenter ad nos pro hoc ipso, Ebbonis facta est conquestio, causantis iniquè sibi adhuc superstiti successorem attributum fuisse, instantissimâ ejus petitione commoniti curavimus querelas ejus sancto decessori vestro Sergio Papæ significare; obsecrantes, ut si ipse ratum esse decerneret, ex suo latere viros idoneos destinaret, qui unà cum Episcoporum ipsius provinciæ tractatu, causam utriusque inquirere, & canonicè definire valerent: quoniam nos per illud tempus, quando ea, quæ suprà comprehendimus, de jamdicto Ebbone gesta sunt, in Italia degentes, nequaquam ad liquidum, ut postea comperimus, rerum ordinem scire valuimus. Cur tamen præfatus decessor vester legatos à nobis petitos non miserit, vestram reverentiam nequaquam credimus ignorare.

Nunc autem suprascriptus Hincmarus Archiepiscopus clementiæ nostræ synodalia gesta super confirmatione sui, & restauratione Remensis Ecclesiæ offerens, petiit magnificentiam nostram, ut à vestra paternitate ei pallium, sicut prædecessores vestri suis largiti sunt, interventu nostro obtineremus. Cujus petitionem rato & absoluto judicio implendam existimavimus: præsertim cùm gesta synodalia provinciarum Cisalpinarum novimus, quæ etiam & antecessori vestro mitti debuerunt, destinanda vobis ipsius cura decrevimus, quoniam sanctitatem vestram ejus honori consentire decet, cui plenitudinem Episcoporum favere cognoscitis. Itaque judicio, sententiæque vestræ petitionem jamdicti Archiepiscopi nobis admodum devoti, dilectique ex integro committentes, hoc indubitanter asserimus, quoniam si in dandis ei honoribus, confirmandoque ipsius statu morem, benevolentiamque patrum & prædecessorum vestrorum imitari decreveritis, condigna obsequia, gratissimamque vicem pleniùs faciliùsque recipietis.

Cæterùm fiducialiter supplicamus, & obnixè ex vestra paternitate deposcimus, ut sive memoratus Archiepiscopus per seipsum vestram adierit sanctitatem, sive legatos Ecclesiæ suæ direxerit, affabilitatis & colloquii, familiaritatisque vestræ eis integerrimam copiam non egetis: sed benignissimè tam ipsum quàm etiam suos pro amore nostro tractetis, & quidquid ex vobis competenti ratione poposcerit, cum largitione pallii impleatis. Memorem nostri paternitatem vestram incolumem gratia divina custodiat.

CONCILIVM

CONCILIVM SVESSIONENSE,

In quo Pippinus junior, Rex Aquitaniæ, nepos Caroli Calvi, regno spoliatus, tandem Clericus efficitur in habitu Monachi ad monasterium sancti Medardi Suessionensis.

Colligitur illud Concilium ex Canone quinto alterius Synodi mense Aprili habitæ, anno 853. quæ in tomo 3. Conciliorum Galliæ nuncupatur Suessionensis II. ubi Patres historiam hujus Pippini exhibent his verbis. *Ante hoc tempus venerandi Concilii, obtinente Pippino, Pippini Regis filii Ludovici piissimi Augusti filio, Aquitaniam; etiam consentiente avunculo ejus glorioso Rege Carolo, cui eadem provincia in partem obtigerat, ecclesiastica disciplina & militari soluta, eadem regio à suis indigenis valde vastata est, & multi illic impunè illicita perpetrarunt. Tandem aliquando respiciente Deo populum suum, idem Pippinus à suis contemptus & desertus, atque in potestatem avunculi sui Karoli redactus, consilio reverentissimorum Pontificum & Procerum attonsus, & in habitu monastico ad monasterium sancti Medardi custodiendus & docendus deductus est.* Præterea idem Concilium confirmatur ab Hincmaro Remensi dante consilium de pœnitentia Pippini è monasterio elapsi, & ad Aquitaniam regressi, *Non præjudicans*, inquit, *synodali sententia de Pippino decreta.* Cùm igitur Pippinus Suessionis è monasterio sancti Medardi, duobus Monachis consentientibus, simul & opem ferentibus, fuga dilapsus fuerit, ut narrat Regino, contra quos dumtaxat Canon ille quintus Synodi Suessionensis II. conditus fuit; nihil autem contra Pippinum sancitum sit, unde consequens est hæc supradicta evenisse Pippino, & ante tempus Concilii Suessionensis II. ut loquitur ejus Canon quintus: & in altero quidem Concilio, ut asserit adhuc Hincmarus, quod jam vocamus Suessionense, quia probabilius est detrusum fuisse Pippinum in monasterium civitatis, in qua celebratum est Concilium; cujus Epocha elicitur ex annalibus Francorum Metensibus, qui breviter eadem omnia in prędicto Canone quinto exposita referunt ad annum 851. his verbis. *Pippinus Rex Aquitaniæ comprehensus à suis, eo quod pace soluta, multa illic mala perpetrarentur, Carolo Regi cum regno traditur, effectusque Clericus in monasterio sancti Medardi retruditur.* Porro chronicon Memmianum anno sequenti adscribit, quòd Pippinus in Caroli potestatem venerit, notatque mensem. *Anno*, inquit, 852. *mense Septembri Karolus nepotem suum Pippinum adquisivit.* Sed hoc penitus intelligendum est, postquam Pippinus è monasterio sancti Medardi, ope Monachorum suum abjiciens habitum monasticum, in fugam se contulit; de quo loquitur idem Hincmarus in epistola 59. *Providentia de Pippino non est negligenda, & loci convenientia via custodiatur, ut ad pristinum vomitum redire nequeat, & ut certi ac fideles custodes adhibeantur, satis est procurandum, nec obliviscendum, quid de eo in monasterio sancti Medardi accidit; nam quod factum est, adhuc fieri potest.* Ipsum confirmat Adonis chronicon his verbis. *Pippinus ex eodem monasterio per fugam elapsus, in Aquitaniam regressus, multo tempore, fugiendo latuit, iterumque à Ranulpho per fidem deceptus est; & ad Carolum adductus, Silvanectum perpetuo est exilio detrusus.*

CONCILIVM CARISIACENSE,

In quo constituta sunt quatuor Capitula contra Prædestinatorum hæresim.

Hæc nobis suppeditant annales Bertiniani ad annum 853. post Synodum Suessionensem, mense Aprili congregatam, prǽsente Carolo Calvo Rege, *Qui inde*, inquiunt, *ad Carisiacum veniens cum quibusdam Episcopis, & Abbatibus monasticis quatuor Capitula edidit, & propria subscriptione roboravit. Quorum*

Primum est.

Hincm. lib. de Prædest. c. 16. A Deo neminem prædestinatum ad pœnam, unamque esse Dei prædestinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.

Secundum.

c. 21. Liberum arbitrium, quod in primo ordine perdidimus, nobis, præveniente & ordinante Christi gratiâ redditum.

Tertium.

c. 24. Velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licèt non omnes salventur.

Quartum.

Christi sanguinem pro omnibus fusum, licèt non omnes passionis mysterio redimantur. cap. 27.

Porro eadem Capitula tradit ampliora Hincmarus Remensis Archiepiscopus, eaque in Synodo apud Carisiacum habita, & in Conventu Episcoporum subscripta fuisse affirmat. Id quoque confirmat Valentina Synodus III. can. 4. quæ quidem edita sunt hîc, ut totidem capitulis à Gothescalco ad stabiliendam hęresim suam conditis opponerentur. *Sunt autem Gothescalci capitula*, inquiunt iidem annales Bertiniani, *nostra saluti valdè contraria, præcipuè sub nomine prædestinationis.* Non abs re tamen illa breviter hoc loco visum subjungi, ut omnino lectori satisfiat.

Quatuor

Anno Christi 853.

Quatuor Gothescalci, atque Prædestinatianorum capita, apud Hincmarum Remensem lib. de prædestinatione.

I.

c. 5. Gemina est prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem.

II.

c. 21. Liberum arbitrium in homine nihil est, sed sive ad bonum, sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus operatur.

III.

Omnes salvi fiunt, quos omnes vult Deus salvos fieri; & omnes, qui non salvantur, quos non vult Deus salvari. Caroli Calvi Regis 13. c. 24.

IV.

Deus electorum tantummodo cunctorum gratuitus esse reparator dignatus est, & refector; nullius autem reproborum perpetualiter esse voluit Salvator, & nullius Redemptor. c. 25.

Anno Christi 853. Caroli Calvi Regis 13.

CONVENTVS SENONENSIS,

In quo juxta Canonem tertium Synodi Suessionensis secundæ Burchardus Carnutensium Ecclesiæ, licèt extraneus, ac Deo irato, & publica fama de eo reclamante, à Vvenilone Senonum Metropolita suo, ac consanguineo, jussu Regis imponitur, atque ab Episcopis comprovincialibus, mense Iunio consecratur.

Totam hujus Conventus historiam scribit Audradus Modicus hujus ætatis auctor, ad annum 853. ex libro Revelationum legati Ecclesiarum nomine. *Rex*, inquit, *Carolus accersivit quendam Diaconum nomine Burchardum è partibus Lotharii Regis, & commendavit illi Ecclesiam Carnutensium, ut esset in ea Pontifex; ac si nullum in regno dignioris nominis Clericum invenire potuisset: & dixit Vvenilori Senonum Archiepiscopo, ut eum ordinaret Episcopum. Vocavit autem legatum Ecclesiarum idem Archiepiscopus, & dixit: Scio ad iram Dei provocandam Regem nostrum Karolum egisse prædicta de Burchardo; nam de eo per universas regni hujus Ecclesias fama dictu horribilis divulgata est, sed si esse posset, ut Dei iracundia non provocaretur, quia apud sæculi causam strenuus esse dignoscitur; rogo te omnimodis, ut ores Deum, quatenus dignetur tibi ostendere, si secundùm ejus voluntatem idem Burchardus fieri mereatur Episcopus. Hoc ego satis vellem; est enim mihi consanguineus. Cumque orarem solitò, etiam & pro supradicto negotio; ecce Dominus dignatus est me audire, & descendens de cælo, lumine suo circumfulsit me in loco, quo eram orans, & dixit*, Maledicta dies, qua erit Burchardus Episcopus; *Et hæc dicens, in cælum rediit. Ego autem retuli universa Archiepiscopo meo, qui mox scriptum misit oraculum istud Regi Carolo, & illud quoque Conventui Episcoporum, qui ob hoc Senonas convenerunt, monente jamdicto Archiepiscopo, retuli. Qui primò quidem noluerunt ordinare Episcopum eundem Burchardum, tam evidens Dei oraculum pavescentes: sed imperium Regis postea, & multorum Episcoporum, ac Principum regni consensus prævaluit, & mense quarto ordinatus est Episcopus.*

Anno Christi 854. Caroli Calvi Regis 14.

SYNODVS CARISIACA.

Hæc Synodus habita fuit ab Episcopis provinciæ Remensis, in qua confirmatur excommunicatio in quendam vassallum illustrem Lotharii Imperatoris, nomine Fulcricum in altera particulari ob illicitas nuptias lata, ac in alios quoque eidem excommunicato communicantes, è quorum numero ipsemet Imperator, qui tandem absolutus est ab Hincmaro provinciæ Metropolitano, Synodique Præside. De his supradictis passim loquitur Flodoardus in historia lib. 3. recensens ea quæ idem Hincmarus diversis rescripsit, & inter cætera. *Richaldo Chorepiscopo, & Rodoaldo Archipresbytero pro Synodo comprovinciali apud Carisiacum palatium regium habenda, mandans ut notum faciant omnibus per omnem parochiam Remensem, ut qui se læsos existimant, ad ipsam Synodum convenire procurent, quosdam verò cum auctoritate invitent, & venire commoneant; sed & Milonem cum filia sua, qua Fulcricus abusus fuerat, & omnes, qui consentanei fuerunt in illa indebita conjunctione Presbyteri, & in quorum parochiis consistebant, & verbo Dei, & suo atque ex banno Regis ad eandem Synodum convenire jubeant.* Tum etiam scripsit *Hincmarus ipsimet Fulcrico Lotharii Imperatoris magnati, qui uxorem legitimam illegitimè dimiserat, alteramque insuper duxerat, vocatus ad Synodum, excommunicationis jam in eum data, atque in comprovinciali Synodo confirmandæ pandit modum.* Denique scripsit *eidem Lothario Imperatori de Fulcrico ejus vassallo, quem excommunicaverat, absolvitque Lotharium Hincmarus id humiliter deprecantem pro participatione, quam habuerat cum ipso.* Porro de Synodi loco, & de rebus in ea gestis, abundè Flodoardus, ut patet ex supradictis: de tempore autem ne verbum quidem, unde illam ex conjectura propter Hincmari epistolam, saltem anno ante ingressum Lotharii ejusdem in monasterium Pruviense collocavimus.

Anno Christi 856. | Caroli Calvi Regis 17.

* CONCILIVM BONOILENSE,

In quo legitur consilium, quod Episcopi, & cæteri fideles domni Caroli [a] apud Bonoilum communiter illi dederunt anno Incarnationis D. N. Iesu-Christi DCCCLVI. in mense Augusto.

INCREPATIO quam in epistola [b] domni Apostolici vobiscum, & cum aliis fidelibus vestris audivimus, severissimè nos tangeret, si nos aliter non egissemus, quàm isdem domnus Apostolicus nos egisse secundùm quod ipse audierat, cum magna auctoritate mandavit. Nam quia nos in isto facto, unde nos specialiter redarguit, consentientes non fuimus, & vos ac fideles vestros quos inde admonere convenit, & verbis, & scriptis, sicut ipsi scitis, & manentia scripta testantur, sequenter & salubriter commonuimus, ut quod contra salutem & auctoritatem factum erat, emendaretur, & ne deinceps committeretur, omnimodis caveretur, damnabiliter ista increpatione non tangimur: sed & nunc nostris monitis illius monita conjungentes, & illius monitis nostra monita subjungentes hortamur, ut statum monasteriorum in regno vestro consistentium, aliter quàm debeat & deceat, perversum ac confusum, quantò citiùs & meliùs ac possibiliùs, atque rationabiliùs potueritis, restituere & corrigere studeatis. Et non solùm hoc vos & commissos vobis in regno vestro agere commonemus: verumetiam monemus, & precamur, ut capitula quæ vos ipse cum fidelibus vestris in Colonia villa manu propria confirmastis, sed & ea quæ in Belvaco civitate Episcopis tradentibus sub conditione notissima suscepistis: illa quoque quæ cum fratribus vestris secus Teudonis villam in loco qui dicitur judicium approbastis: illaque quæ in Verno Palatio synodaliter prolata suscepistis: ea etiam quæ in Sparnaco de Episcopalibus capitulis cum inlustribus viris & sapientibus [c] Baronibus vestris observanda delegistis: sed & illa quæ cum fratribus vestris apud Marsnam manu propria confirmastis: verùm & illa, quæ in Synodo Suessonica, cui vestram præsentiam exhibere dignati fuistis, acceptastis: necnon & illa quæ in Silvaco decrevistis, cum his quæ in Leodico cum fratre vestro Hlothario adnuntiastis, diligenter & frequenter ad memoriam reducatis ac relegatis, & quæ in regno vestro contra illa acta sunt, contraque divinam & salubrem auctoritatem, quam progenitores & prędecessores vestri directo ordine tenuerunt & observaverunt, perpetrata sunt, quantocitùs ratio & possibilitas permittit, corrigere procuretis. Et ne de cętero à quocumque contra hæc agantur, omnes communiter cooperante Domino caveamus: & si quid contra hæc actum fuerit, statim ut citiùs fieri potuerit, æquitate & ratione ac possibilitate dictante, absque dolo, cum recta intentione & lege, ac auctoritate competente unicuique corrigatur. Et ne leve cuiquam videatur, quod Deo teste ac mediante, manu propria confirmatum, & sponsione cum veritatis, quæ Deus est, assertione prolatum est, discat ex confirmatione & cautione in terris, & ex baptismatis ac cęterarum observationum confirmatione in cęlis, quantis nexibus quisque teneatur obstrictus, omnesque quod divino Spiritu dicitur, communiter audiamus. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit & paravit illud, & in eo paravit vasa mortis.* Psal. 7. 13. De quibus nos omnes ad se, & ad mandatorum suorum observationem conversos, & in observatione eorumdem permanentes, eripiat Iesus Christus Dominus noster, cui est honor, & gloria, potestas & imperium per omnia sęcula sęculorum. Amen.

NOTÆ.

[a] Apud Bonoilum.] Hujus Concilii meminit Hincmarus Remensis in præfatione posterioris adversùs Gothescalcum dissertationis, quodque appellat synodalem Conventum apud Bonoilum, vicum, scilicet, agri Parisiensis, qui retinet adhuc nomen vulgò Bonoile. Apud Lupum verò Ferrariensem vocatur prædium Parisiorum, cui Bonogilo nomen est epistola 18.

[b] Domni Apostolici.] Dubium non est, quin Benedictum tertium Papam intelligat, cujus ad Carolum epistola periit.

[c] Baronibus vestris.] Id est, regni Primoribus, Hincmaro interprete, qui, quos regni Primores dixerat, eosdem paulò pòst, Barones vocat epistola 10. cap. 6.

Anno Christi 857. | Caroli Calvi Regis 17.

SYNODVS CARISIACA mense Februario congregata.

In hac Synodo, inter cætera Ecclesiæ utilitatis, reique publicæ negotia, edita est communi Episcoporum, aliorumque Procerum consultu, à Carolo Rege constitutio de coërcendis rapinis & depopulationibus, quæ grassabantur in regno, ad Episcopum, & alios Missos dominicos. Ad hanc quoque Synodum referendum est quod narrat Flodoardus lib. 3. hist. cap. 24. scilicet Hincmarum Remensem cum Synodo Episcoporum apud Carisiacum habita scripsisse Hilduino Abbati, Caroli Regis Archicapellano de Isaac electione in Episcopum Ecclesiæ Lingonicæ post mortem Teutboldi quidem, sed post expulsionem quoque Vulfadi Remensis Ecclesiæ œconomi. Hæc sunt verba Flodoardi de Hincmaro. Item simul cum Synodo Episcoporum apud Carisiacum habita, scribit Hincmarus Hilduino Caroli Regis Archicapellano, & pro Ecclesia Lingonica, quam Vulfadus Ecclesiæ Remensis Alumnus contra Canonica occupaverat decreta; unde suggesserat eadem Synodus Regi, ut alterum ad regendam prętatam constitueret Ecclesiam, & Rex jusserat, ut Episcopi quęrerent talem, qui posset in Episcopali ministerio eidem Ecclesiæ proficere, eorumque vota in Isaac ipsius Hilduini discipulum, convenerant, obsecrantes hujus in hoc Hilduini consensum,

sum & deputationem ipsius pro eo apud Regem. Porro quòd requiratur Hilduini Abbatis consensus, illud denotat Isaac Monachum fuisse: Monachi autem Episcopi fieri, aliòq; transferri non poterant sine Abbatis sui, & proprii Episcopi atque Archiepiscopi licentia, quod Hincmari, Ansegisi & Attonis exempla declarant. Constitutionis verò regiæ in hac Synodo exemplar pro generali inscriptione vulgata, habet aliud singulare Codex Metensis, quod ad executionem Missatici ad Missos particulares directi pertinet.

SYNODI CARISIACÆ Capitula.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis.

Karolus gratiâ Dei Rex, Hunfrido venerabili Episcopo, Ingiscalco, & Berengario Comitibus, & Ministerialibus, ac fidelibus Missis nostris, in Domino salutem.

CAP. I.

Notum sit fidelitati vestræ, quia XVI. Kal. Mart. secundùm sacram auctoritatem, Synodum venerabilium Episcoporum, ac Conventum fidelium nostrorum apud Carisiacum fecimus convenire. Cum quibus inter cætera ecclesiasticæ utilitatis ac regni necessitatis negotia, consideravimus qualiter rapinæ & depopulationes, quæ partim occasione superinruentium paganorum, partim nobilitate quorundam fidelium nostrorum in regno nostro, per eos etiam qui Ecclesiam Dei defendere & tueri, & regni soliditatem ac quietem debuerant providere, grassantur, aliquo modo annuente Domino sedari valeant & amoveri.

II.

Quorum consultu decrevimus, ut quia peccata, quæ in suo initio ut sunt magni ponderis æstimantur, pernicioso processu, ipso etiam exitiabili usu pravis mentibus levantur, & quasi insensibiles reddunt; ac si quando resipiscere moliuntur, eas sæpius obligant, ut si resurgere velint non possint: antequam censura ecclesiastica, & legales sententiæ hujusmodi prædatores terribiliter & damnabiliter feriant; Episcopi quique in suis parochiis, & Missi in illorum Missaticis, Comitesque in eorum Comitatibus, pariter placita teneant, quò omnes reipublicæ ministri, & vassi dominici, omnesque quicumque vel quorumcumque homines in eisdem parochiis vel comitatibus commanent, sine ulla personarum exceptione, vel excusatione aut dilatione conveniant.

III.

Et Episcopus illius Parochiæ breviter A adnotatas sententias de hujusmodi causa, Evangelicæ videlicet & Apostolicæ, atque Propheticæ auctoritatis, necnon & decreta Apostolica atque Canonica omnibus relegat, & aperto sermone cunctis quale quantumque peccatum sit, & qualem quantamque pœnitentiam, & quàm immanem severissimamque vindictam exposcat, cum aliis debitis & necessariis atque utilibus prædicationibus innotescere curet.

IV.

B Missi quoque legales sententias, sicut eas cognitas habent, adnotent, & prædecessorum nostrorum Regum atque Imperatorum, nostraque Capitula de hac causa in unum collecta omnibus nota fiant, & Episcopi Dei & Episcopali auctoritate tales deprædationes omnibus interdicant, & Missi ac Comites nostri cunctis ex nostro regio banno prohibere firmiter studeant, ut cognoscant omnes, quia si abhinc inante in nostro regno talia facere aliquis præsumpserit, secundùm divinas sententias Episcopalem excipiet sententiam: & secundùm leges ac capitula C regia emendare cogetur, & secundùm judicium fidelium nostrorum condignam vindictam suscipiet.

V.

Et si talis persona fuerit, ut Episcopi, & Missi nostri ac Comites in illorum ministeriis quod pravum actum fuerit potuerint emendare, secundùm præfixum modum illud emendare studeant, aut per fidejussores ad nostram præsentiam venire faciant.

VI.

Si autem aliquis quiscumque inobe-D diens extiterit, cum summa festinatione nobis notum facere curent, ut quantociùs ad nostram præsentiam illum venire jubeamus, & dignam ultionem secundùm judicium fidelium nostrorum sustineat.

VII.

Et si, quod absit, talis emerserit, qui Dei timorem postponat, & ecclesiasticam auctoritatem contemnat, & regiam potestatem refugiat: sciat quiscumque E ille fuerit, quia & secundùm canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum cœtu & sanctæ Ecclesiæ consortio, & in cælo, & in terra alienus efficietur; & regali potestate, atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei & Ecclesiæ inimicus & regni devastator, persequetur usquedum à regno exterminetur.

VIII.

Et si aliquis Comes fuerit, qui hoc in

 suo

ANNO CHRISTI 857.

suo Comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, ut aut ipse illa non emendet, aut nobis nota non fecerit, ut nostra auctoritas talia corrigat; sciat quia talem sententiam inde sustinebit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

IX.

Et si aliqui iterantes, deprædationes & rapinas per regnum nostrum fecerint, & Episcopi ac Missi vel Comites hoc emendare non potuerint, quàm citiùs possint nobis notum facere curent, ut jubeamus ipsos deprædatores per eandem viam cum Misso nostro redire, & illa omnia quæ mala egerant, legaliter emendare; & talem harmscaram, sicut nobis visum fuerit, aut judicium, sicut fidelibus nostris consideraverimus, sustinere.

CAROLI CALVI Regis 17.

X.

Si autem dilecti fratris nostri ac nepotum nostrorum homines fuerint, qui talia egerint, & hoc nobis innotescat, ut illis nota faciamus, & illi suos homines, sicut illis meliùs visum fuerit, de talibus castigare procurent: sicut & nos nostres homines castigare volumus, si in illorum regnis indecentia & aliqua noxia, quod absit, facere præsumpserint.

ANNO CHRISTI 858.

CONCILIVM SVESSIONENSE, IVSSV LVDOVICI Regis Transrhenensis indictum.

CAROLI CALVI Regis 19.

Ludovicus Rex Germaniæ, Caroli Calvi frater, in Galliam cum exercitu venit, ipsoque fugato magnam ejus regni partem invasit. Quo verò tempore illic moratus est, duo egit; Placitum scilicet, ac Synodum; illud Remis, hanc autem Suessione; de quibus Flodoardus lib. 3. cap. 21. inter Epistolas Hincmari Remensis ad Theodoricum Cameracensem. *Item, inquit, de adventu Ludouici Transrhenensis, quia Remis venerit, & quid egerit, quidve preceperit.* Hoc autem discere est tum ex Episcoporum Epistola, è Synodo apud Carisiacum missa ad eundem Ludovicum, cap. 1 ubi mentio fit Placiti tum etiam ex eodem Flodoardi lib. 3. cap. 23. ubi commemorat quæ Hincmarus idem cæteris quibusdam Episcopis scripserit, nimirum, *iis ad Synodum Suessionis ex jussione Ludovici Transrhenensis convenientibus legatum suum Sacerdotem quendam dirigens, & pro infirmitatis impossibilitate semet excusans, quicquid favente Domino secundùm canonicam institutionem & Episcopale ministerium justè & rationabiliter, æquitate dictante decreverit, eorum decretis se annuere profitens; quicquid verò sacris Canonibus poterit obviare, & à recta fide ac æquitate & justitia tramite valuerit deviare, se in nullo assensum prabere, nec ut idem Vicarius ejus assensum prabeat, vel coactus annuere.* Porrò de hujus Suessionensis Synodi progressu nulla extat alibi memoria.

ANNO CHRISTI 860.

ADDITIO AD CONCILIVM TVLLENSE II. apud Tusiacum, sub finem.

CAROLI CALVI Regis 21.

Ex codice Autissiodorensi.

HÆc, fratres carissimi & Consacerdotes nostri, quæ unanimi vobis intentione secundùm sententiam LX. Episcoporum promulgata tenenda omnino & conservanda sunt, videlicet ut omnes raptores sanctimonialium, virginumque, atque viduarum, cujuscumque rei etiam prædones, blasphematores, perjuros, oppressoresque pauperum, invasores, per vim, ecclesiasticarum rerum; usurarum exactores, hos scilicet qui judicantes, magis pauperes compellunt reddere quàm acceptum fuerat in prima donatione, necnon subtractores decimarum, cęterosque similium criminum reos ab omni Christianorum consortio penitus expellendos esse censeamus.

PRIVILEGIVM MONASTERII sancti Martini Turonensis concessum, & confirmatum ab Episcopis in Concilio Tullensi secundo apud Tusiacum.

Ex Cartulario eiusdem.

SAncta & generalis Synodus Episcoporum quatuordecim Provinciarum, Lugdunensium scilicet, Rotomagensium, Turonensium, Senonum, Viennensium, Arelatensium, Vesontionum, Mogontinorum, Agripinensium, Trevirorum, Remorum, Bithurigensium, Burdegalensium, Narbonensium, qui secundùm instituta ecclesiastica favore Sedis Apostolicæ ac nutu dominorum nostrorum Caroli Calvi & Lotharii Regum gloriosorum, anno dominicæ Incarnationis DCCCLX. indictione VIIII. (IX.) VII. idus Novembris, convenimus in villam Tusiacum Tullensis Parochiæ. Omnibus ordinibus potestatibus, personis ac dignitatibus universis pręsentibus scilicet & futuris gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo vero Filio ejus & à Spiritu sancto, Trinitate scilicet individuæ deitatis detur atque multiplicetur. Cùm apud nos ecclesiasticæ utilitatis, atque necessitatis negotia more ecclesiastico ventilarentur atque definirentur, obtulit nobis venerabilis Abbas Hilduinus privilegia Monasterii sancti Martini, quorum tenorem comperimus beatorum Episcoporum, ac pędecessorum nostrorum subscriptionibus roborata, inter quæ ostendit nobis testamentum sancti Aredii de rebus à se sancto Martino datis, quod ipse manu sua conscripsit, & sub maximis attestationibus confirmavit testamenta etiam de Bladomo & de Brugogalo ac Delerado, necnon & præcepta Regum atque Imperatorum, qui à tempore obitus beati Martini ipsum Cœnobium honorabiliter coluerunt, & rebus atque donis admodum ditaverunt, sacræ Synodo pręsentavit. Prosecutus est etiam idem venerabilis Abbas Hilduinus, quoniam infestatione Normanorum qui ante hos annos

nos illud Monasteriũ incenderunt, quędam tam privilegia Episcoporum quàm pręcepta Regum ex eodem loco sint perdita, sed plura paucis pereuntibus, Ministrorũ sunt sollicitudine custodita. Sed & in commotione regni quæ mota est nuper seditiosorum hominum factione quædam loca & villas minùs necessariò Deum timentes sibi in suam perniciem usurparunt, inter quos Etemenus Monasterium sancti Aredii quod ei jam tertiò & regia potestas & Episcopalis auctoritas interdixit, sed diabolica obduratione à suo perverso conatu resipiscere noluit, suavis quoque nomine, & durus conamine & actione in-damnationẽ suam sibi usurpare præsumpsit. Quapropter tantorum Episcoporum ac prædecessorum nostrorum, qui cum Deo in cœlis regnant & in terris miraculis coruscant, confirmationum privilegia prosequẽtes: hoc quoque privilegium communi consensu fieri, & à nobis confirmari decrevimus. Ut quorum sedibus præsidemus, confirmationes etiam roboremus, Evangelica & Apostolica atque Canonica & Episcopali authoritate confirmantes & obtestantes ut honoris privilegium, quod Cœnobium venerandi semperque colendi beati Martini Pontificis gloriosi tunc temporis habuit, quando domnus Carolus divæ memoriæ Imperator ab isto sæculo emigravit, ab omnibus conservetur: res quoque & mancipia quæ tempore illo, tam in Allemania quàm in Francia vel in Italia sive Aquitania, seu in Provincia, vel ubi & ubi legitimo jure possedit, vel quæ postea vota fidelium eidem sancto contulerunt, vel quæ de cætero collata à quocumque extiterint, nemo contra statuta Canonum sibi usurpare præsumat, sive pessumdet; & præsumptores qui eas nunc indebitè retinent, postquam ex divino mandato hæc præceptionis confirmationis nostræ authoritas ad eorum notitiam venerit, nullatenus contra statuta divina, vota fidelium, infideli usurpatione sibi evindicent, sed dispositione rectoris Monasterii beati Martini, quæ sua sunt licenter & liberè ordinari permittant: at si contra hæc statuta fortè quisquam præsumpserit, secundùm Canonicas & Apostolicas regulas ac privilegia beatorum Episcoporum qui nos in Domino præcesserunt, & juxta sancti Aredii testamentum à communione redemptionis nostræ & omnium fidelium societate judicio sancti Spiritus alienus efficiatur donec resipiscat: & quæ Monasterio sancti Martini sunt tradita cum satisfactione restituat.

Heraldus Turonensium Metropolis Episcop.
Gunratius Agrippinensis Ecclesiæ Episcopus.
Hincmarus sanctæ Ecclesiæ Remorum Episcopus.
Frottarius Burdegalensis Episcopus.
Rodulphus Biruricensium Archiepiscopus.
Remigius Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus.
Vuanilo munere divino Sennensis Episcopus.
Hado munere divino Viennensis Episcopus.
Ego Fridoldus indignus Episc. Narbonensium.
Launus Eccolesinæ sedis Episcopus.
Stabilis Arvernensis Ecclesiæ Episcopus.
Humfridus Morinensis Ecclesiæ Episcopus.
Christianus Autisiodorensis Episcopus.
Agius indignus Episcopus Aurelianensis signavi.
Ercamramus Catalonensis Ecclesiæ Episcopus.
Baraldingus Maticensium Ecclesiæ humilis Episcopus.
Adulfus Barcilonensis Episcopus.
Gumbertus Ebroïcensis Ecclesiæ Episcopus.
Ingenoldus Pictavensis Ecclesiæ Episcopus.
Audesindus Helenensis Episcopus.
Atto indignus Episcopus Virdunensis firmavi.
Arduinus Vellaunensis Ecclesiæ Episcopus.
Regilnamus Tornacensis Ecclesiæ Episcopus.
Ionas Eduorum Episcopus.
Ercambertus indignus Episcopus Bayocensis.
Izaac sanctæ Lingonensis Ecclesiæ Episcopus.
Godolsadus Cabilonensium Ecclesiæ humilis Episcopus.
Hildegarius Meldensis Ecclesiæ Episcopus.
Vuisadus sanctæ Mariæ titulo Orgellitanus Episcopus.
Æneas Parisii indignus Episcopus.
Ego Halduinus indignus Episcopus Avennicorũ.
Stadilo Lemovicensium Episcopus.

NOTÆ.

De hoc sancto Aredio narrat appositè Gregorius Turonensis lib. 10. hist. cap. 29. quòd testamentum fecerit, quodque sanctum Martinum hæredem scripserit.

Ego Vuanilo Senonicæ urbis Episcopus.] Cur Vuenilo Archiepiscopus Senonum in hac Synodo Tullensi II. subscriptus legatur hoc anno 860. qui mox sequitur alterum damnatus est, docent nos Annales Bertiniani ad eumdem annum 859. his verbis. [Absque audientia Episcoporum, inquiunt, ipsum Vuenilonem Carolo Regi reconciliatum.] proindeque Synodis post adfuisse. Ab hoc autem diversum est quod in simili accusatione publica refert Gregorius Turonensis lib. 5. historiæ cap. 20. de Victore Tricastinorum Episcopo, qui à communione suspensus est, pro eo quod publicè accusans, clam inimicis pepercisset, absque consilio quibus accusaverat fratrem, sed per favorem Regis iterùm in communionem revocatus est.

a Aversindus Helenensis Episcopus.] Hæc lectio clariùs explicat, quis sit Roscellensium Episcopus in subscriptionibus Concilii Tusciacensis, cùm ipsemet Aversindus idem sit, & unus in utroque loco Episcopus, tum de civitatis, tum de Pagi nomine dictus, cujus tandem sedes translata fuit Perpignanum. Porrò non est mirum Episcopos ex ora Hispaniæ, Synodis Galliarum subscripsisse. Parebant enim illo tempore post Caroli Magni & Ludovici Pii victorias, Regum nostrorum imperio, tractus ejusdem civitates, quarum Episcopi proinde, & Galliæ placita, Synodosque frequentabant, & controversias suas, vel apud Archiepiscopum Narbonensem, cui fuerant attributi, ut legitur in his Conciliis, vel in publicis Conventibus, ut patet ex reclamatione Episcopi Barcinonensis, quæ est in Capitularibus, agitabant.

Christianus Autissiodorensium Episcopus.] Qui prædecessor Abbonis fuit in Abbatia S. Germani Autissiodorensis, dein Abbas etiam Reomensis Monasterii, tandem Abbonis ejusdem successor in Episcopatu, atque adeò Collega; quod & idem adnotatur in Rainelino successore Immonis Noviomagensis, cùm uterque legatur Synodo huic interfuisse, ac subscripsisse. Tales hodie appellantur Episcopi Coadjutores cum futura successione.

CONVENTUS EPISCOPORUM apud Coloniam.

Hujusce nobis est auctor Hincmarus Remensis in epistola 38. quam rescribere dicit, ***sacro Conventui Episcoporum ad interrogationem Guntharii Archiepiscopi Coloniensis, de uxore Bosonis, quæ virum suum reliquerat; qua de re in Synodo apud Leucorum civitatem habita Episcopi fuerant commoniti***, ut ait ipsemet ad interrogationẽ alteram de divortio Lotharii & Tetbergæ. Attamen idem Guntharius, ad quem confugerat Ingeltrudis ipsa Bosonis uxor, in-

ANNO CHRISTI 861. — CAROLI CALVI Regis 21.

que Diœcesi ejus immorabatur, consulit hac de re Hincmarum, & quidem pro his qui in eodem Conventu consistebant, quos vocat dominos & fratres idem Hincmarus, qui propositionem Guntharii profert, & solutionem quoque refert. *Si*, inquit, *fœmina Bosonis ad nos venerit, & publicè confessa fuerit, dicens, mea culpa, virum meum adulteravi, quapropter timore mortis perterrita ad vos confugi, qui Dei estis Vicarii, ut me, & Deo salvetis, & à morte corporali, quæ mihi imminet ex parte mariti mei, me liberetis: utrum debeam illi publicam pœnitentiam imponere, quam aut in parochia mea, in quam confugit, sejuncta à viro suo peragat, aut eam eidem viro suo sub tali conditione reddere debeam, ut nullo modo eam interficiat, sed post pœnitentiam illam in conjugio habeat; quam si interfecerit, sciat se ecclesiastica damnatione plectendum: quoniam nefas est quemquam in publica pœnitentia positum à quoquam interfici.* Responsionem verò Hincmari legere est integram in eadem Epistola, presertim ex Capitularibus Caroli Calvi, tit. VIII. cap. V. in Conventu II. apud Marsnam edito assumptam. Porrò huncce Conventum & subsequi predictam Synodum Tullensem apud Tusiacum anno duntaxat, atque in Diœcesi potiùs Coloniæ debere celebrari propter Guntharium ejus Archiepiscopum, simulque sacri Palatii Archicapellanum, ex omnibus antedictis verisimile est. Locus autem ignoratur.

ANNO CHRISTI 861. — CAROLI CALVI Regis 21.

CONCILIUM SUESSIONENSE,

In Ecclesia sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani, qui locus est convicinus civitati Suessonicæ, ab Episcopis Remensis provinciæ congregatum.

In hoc Concilio Rothadus Suessionensis Episcopus, Hincmari ejus Metropolitani factione, qui ob Presbyterum immeritò depositum, contumaciæ & obstinationis illi reatum imputabat, canonicisque institutionibus eundem contraire objectabat, excommunicatus fuit, ut ipse Rothadus affirmat in libello proclamationis suæ, atque Nicolaus Papa in epistola absolutionis ejus, ubi tum Synodi, tum excōmunicationis meminerunt; sed aliter & ampliùs annales Bertiniani hac de re loquuntur, Concilii locum & annum designando his verbis. DCCCLXI. *Hincmarus*, inquiunt, *Durocortori Remorum Archiepiscopus in Synodo comprovinciali apud martyrium sanctorum Crispini & Crispiniani secus civitatem Suessionis, Rothardum ipsius urbis Episcopum regulis ecclesiasticis obedire nolentem, episcopali privat communione secundùm decreta Canonum, donec obediat.* Porro cùm martyrium illud, seu Ecclesia Martyrum esset in suburbio civitatis, ideo potuit suburbium appellari villa publica secus civitatem Suessionis, sive convicinum vel conviciniuim, id est locus convicinus eidem civitati; cùmque constet adhuc ex illorum annalium auctore coætaneo, Episcopos comprovinciales Concilii causâ, Suessionis convenisse. Consequens igitur est in titulo epistolæ Nicolai Papæ numero 32. inter editas ad eosdem scriptæ, reponi debere hanc vocem (Suessionis) loco Silvanectis, quæ legitur etiam in Conciliorum editione, numero 21. ubi quoque annus 863. malè tributus est huic Synodo, ut patet ex predictis.

ANNO CHRISTI 862. — CAROLI CALVI Regis 22.

EPISTOLA VVENILONIS ARCHIEPISCOPI

Senonensis, & comprovincialium Episc. ad Nicolaum Papam,

De Herimanni Episcopi Nivernensis infirmitate.

Reverent. & sanctiss. domino Patri ac Papæ Nicolao, Venilo Archiep. Senon. & Coepiscopi ejus.

Ex editio. Floriacensi.

SUGGERIMUS mansuetissimæ paternitati vestræ in nostra diœcesi in oppido quod Nevernum dicitur, esse quemdam episcopali officio preditum nomine Herimannum, qui frequenter admonitus & diu expectatus ut revalesceret, implere non sufficit ipsum officium, mente non integra: dicitur autem Melchiades Papa decrevisse ne quis umquam Pontifex sine consensu Papæ Romani deponeretur. Unde supplicamus, ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini, ut hinc dictis ipsius confirmati, aut sicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminensi Episcopo, simili incommodo laborante sequamur: aut sicut sanctus Gelasius docet, removendus sit mente percussus. Quo verum absque dubietate sciamus, expetimus & expectamus vestrum judicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instituti moderamine, veritatis & rectitudinis tramitem nullatenus deseramus. Optamus sanctitatem vestram in Christo benevalere.

ANNO CHRISTI 862. — CAROLI CALVI Regis 22.

CONCILIUM SENONENSE.

Non abs re visum est hîc addere fragmentum alterius epistolæ ab eodem Papa Nicolao rescriptæ, ad eumdem Vvanilonem, simulque ad ejus Concilium scilicet Coepiscoporum comprovincialium, propter quod mentionem hujus Synodi facere debemus, cui nomen Metropolis Senonum provinciæ tribuimus ob ejus Archiepiscopum, qui congregavit quidem illam, licèt quo tempore non constet; assignare tamen illi Epocham epistolarum ejusdem Papæ hoc anno scriptarum, non erit incongruum. Sic autem habet fragmentum.

Nicolaus Vvaniloni Archiepiscopo Senonensi, & universo Concilio à te congregato.

De modo judicandi, & quòd nullus apostolicam Sedem adire volentem impediat.

Revera justus mediator non est, qui uno litigante & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat. His ita premissis volumus, & auctoritate apostolica monemus, ut si Presbyter de quo agitur, post excommunicationem suam, apostolicam Sedem adire voluerit, nullus iter ejus impedire presumat. 3. q. 9. Revera.

* SYNODUS

ANNO CHRISTI 862.

CAROLI CALVI Regis 23.

* SYNODVS PISTENSIS.

Ex Capitulatibus Caroli Calvi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratiâ Dei Rex, & Episcopi, Abbates quoque & Comites, ac cęteri in Christo renati fideles, qui ex diversis provinciis super fluvium Sequanam, in locum qui Pistis dicitur, ubi exigentibus peccatis nostris aliquandiu sedes fuit Normanorum, convenimus anno Incarnationis dominicæ DCCCLXII. anno verò XXIII. regni domni nostri Karoli Regis gloriosi, indictione X.

CAPVT I.

Reges & Episcopi qui ante nos fuerunt, ducti amore & timore divino, cum cęterorum fidelium Dei consilio atque consensu, plura statuerunt Capitula, providentes qualiter sancta Dei Ecclesia statum debitum & honorem, regni habitatores in omni statu & ordine haberent legem atque justitiam. Nos etiam pro qualitate rerum & opportunitate temporum, quędam huic causæ convenientia capitula superaddimus; sed diabolo satagente, supervenientibus perturbationibus, tam à paganis, quàm à nomine tenus Christianis miserabiliter excitatis, incepta bona defecerunt, & in tantum in hoc regno mala horribilia increverunt, ut in nobis videamus & sentiamus, completum quod olim est per Prophetam dictum, *Terram vestram in conspectu vestro alieni devorant, & erit sicut in vastitate hostili.* (*Esa. 1. 7.*) Et pervenit gladius usque ad animam, quoniam alieni insurrexerunt in nos, & fortes quęsierunt animas nostras, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum: contra quos defensionem paravimus, sed defensionis auxilio, sicut necesse fuerat, hactenus adjuti non sumus. Vnde compellente cordis dolore nobis est exclamandum quod Rex bonus obsidionis angustia tribulatus exclamavit dicens, (*4. Reg. 19. 3.*) *Dies tribulationis & blasphemia dies iste, venerunt filia usque ad partum, & vires non habet parturiens.* Hæc omnia vidimus, sensimus & dolemus, quia cùm hostes irruerunt, defensores nostri parati sunt, sed pręparata non convaluerunt, quia illum Spiritum sanctum qui requievit super adjutorem in opportunitatibus, in tribulatione Christum Deum nostrum, vel quem per impositionem manus episcopalis in consignatione accepimus, contristatum malignis operibus à nobis effugavimus, spiritum scilicet consilii & fortitudinis, quem quia ita ut nobis necesse fuerat, non habemus, ideo contra inimicos nostros stare viriliter & vincere fortiter non valemus, quæ utraque sibi necessariò sunt conjuncta, quia neque virtus sine consilio, nec consilium sine virtute utilis esse potest: quid igitur prosunt, qui per consilium pręparantur, dum ad prælium fortitudine non procedunt: filiæ quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium efficiendi operis procedunt, sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quisque consilia concipit, hæc ad utilitatem aliquantum per partum operis non producit, videmusque impletum quod ad nos est ante prædictum populo contra voluntatem suam facienti, (*Iosue 7. 13.*) *Anathema in medio tui non poteris stare coram inimicis tuis*, qui contrà placatus placentibus sibi dixit, *Nullus stabit contra vos*; (*Deuter. 11. 25.*) sed & ideo terram nostram in conspectu nostro alieni devorant, quoniam alienos à Deo diabolos effugata sancti Spiritus gratiâ in animas nostras recepimus, ideo terra nostra deserta est, sicut in vastatione hostili, quia flores & fructus fidei, spei & caritatis, & humilitatis, & castitatis, & sobrietatis, & cęterarum virtutum, ab ara cordis nostri devastavimus, & pro illis spinas vitiorum & urticas peccatorum & cunctas vanitates in nobis ipsis etiam laborantes, ut iniquè agamus non inerescere, sed incrementare cum studio fecimus. Ideo habitatores terræ occisi & fugati sunt; quia nos ipsos peccati gladio occidimus, & omnia bona quæ nobis Dominus sive in intellectu naturali, sive in doctrina, sive in divitiis, sive in honoribus, sive in familiaritatibus quas nobis contulit apud nos potentiores ad carnis voluptatem convertimus, & nos, & omnia quæ nobis Dominus dedit ab illius voluntate pro qua nobis facienda, illa donavit, avertimus. Quod unusquisque potest in seipso recognoscere, si etiam de singulis membris suis cogitat quid fecit & quid facit quod Deus ad operandam salutem suam donavit: & sicut de membris corporis inveniet apud seipsum, ita de membris animæ poterit invenire quæ per spiritalia vitia dispergit atque disperdit, & spiritales in se virtutes à Deo sibi collatas aut effugat aut conculcat, ideo Ecclesiæ & villæ incensæ sunt, quia ignis avaritiæ & rapacitatis, atque invidiæ & adulteriorum, ac cęterarum immunditiarum, non solùm per naturalem sexum, sed etiam per eum sexum qui est contra naturam sine pœnitentia & sine resipiscentia in nobis exarsit & ardet: Et qui super humilem & quietum & sermones suos trementem requiescit per superbiam, & inobedientiam, ac pręsumptionem à nobis expulimus, ideo Sanctorum, ac Protectorum nostrorum corpora de sepulchris suæ requietionis effosa sunt, & quia nos spiritui maligno justa Dei permissione potestatem habenti & super nos ascendenti non restitimus. Vt fugiat à nobis, ideirco servi & ancillæ Dei de locis suis expulsi sunt, & nos de quiete cęlestis paradisi, & de consortio cęlestis Ecclesiæ, id est Angelorum sanctorum, ejecti sumus; nisi per dignos pœnitentiæ fructus ad hæc, unde cecidimus, redeamus, & quia nos tales efficimur, de qualibus Dominus per Prophetam dixit, (*Esa. 1. 23.*) *Causa vidua non ingreditur ad eos, quasi apud nos est facta venalis justitia, ut ad eam nemo possit pervenire, nisi viam ei aperuerint munera.* Ideo vota fidelium, & pretia peccatorum quæ sacris locis conlata fuerunt, propter peccata nostra de hoc regno sunt penitus exportata, & vendentes justitiam & veritatem, & in his scilicet ipsum Christum, qui est à nobis Deo factus justitia, & qui dixit, *Ego sum veritas*, nisi dignè pœnituerint, cum Iuda traditore Christi, æterna expectant incendia: & quia sanguis sanguinem tetigit, id est culpis culpæ adjunctæ sunt, & sicut scriptum est, (*Osee 4. 2.*) *Adulterium, & homicidium, & mendacium, & furtum, & perjurium inundaverunt.* Et iniquitates nostræ supergressæ sunt capita nostra, ideo nobiles nostri, & de episcopali ordine, & de aliis ordinibus interierunt, & capti cum maximo detrimento & regni & Ecclesiæ

clesiæ sunt aut redempti, aut interempti: Et quia nos per peccata nostra à terra viventium peregrinati sumus, idcirco scriptum est, *Propheta & Sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant.* Et post hæc omnia, pius Pater, cujus multis miserationibus non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus, materna pietate nos flagellat & expectat, ut ipsa vexatio donet intellectum auditui nostro qui illa credere noluimus quæ per Scripturas nobis se illaturum promisit si illius voluntatem non faceremus, & ostendit nobis in exterioribus vastationibus, quæ de interioribus depopulationibus intelligere debeamus, ut iis intellectis ad illum redeamus, qui iterum nobis in Scriptura multipliciter promisit, inter quæ veritas sic veraciter dixit, *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, & quare moriemini in peccatis vestris.* Et quia non credidimus promittenti, credamus tamen aliquando vel juranti; *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Et nisi conversi fuerimus sicut jam videmus, gladium suum vibrabit, arcum suum, id est vindictam, tetendit, & paravit ad exercendam duriorem vindictam, sicut idem de reprobis dictum est, *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*: Et hoc quod videmus & sentimus, pars est vindictæ, quia majora & plura & graviora venient super nos nisi fuerimus conversi, ut scriptum est, *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Vnde sicut dicit Apostolus, *Sicut exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato ad serviendum immunditiæ & iniquitati, ita exhibeamus membra nostra servire justitiæ in sanctificationem.* Quia stipendia, id est retributio peccati, mors: gratia autem Dei pro bonis operibus ipsa donata est vita æterna. Et sicut quando solemus de istis frequentibus itineribus reverti ad mansiones nostras detonsi & delavati cum drappis & calciamentis depannatis, tunc nos reficimus & reparamus, ita vel nunc reparemus nos per cor contritum & humiliatum, & per confessiones ex puro corde, & per benignitatem mentis, & per concordiam cum Dei voluntate, quia per discordiam & regnum istud temporale imminutum & pene desertum & æternum regnum perditum habemus, quia nec omnes, Reges esse possumus, nec Regem super nos à Deo constitutum, qui sicut scriptum est, imposuit homines super capita nostra, habere sustinemus, non attendentes, quia sicut dicit Apostolus, *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit:* Quoniam Deus, qui est essentialiter Rex regum & Dominus dominantium participatione nominis & numinis Dei, id est potestatis suæ, voluit & esse & vocari Regem & Dominum pro honore & vice sua in terris: Et sicut Archangelus, qui nunc est diabolus cum suis sequacibus, quia per humilitatis subjectionem Conditori suo subditus esse noluit, & per æqualitatem caritatis coangelis suis socius esse despexit, de cælo cecidit: ita & illi qui potestati à Deo constitutæ propter Deum & in Deo subjecti esse nolunt, & pares vel coæquales in regno habere non sufferunt, per quam debitam subjectionem & parilem æqualitatem, Dei amici & Angelorum consortes esse poterant, subjecti diabolo, Dei inimici constituuntur. Quapropter de diabolo scriptum est, *Ipse est rex super universos filios superbiæ*, & illius subjectis Dominus, apud quem non est vicissitudinis obumbratio, quamdiu in ipso malo perseverant. *Vos ex patre diabolo estis:* Non quia à diabolo sint facti aut generati, sed quia diabolum imitati. Reparemus ergo nos per pœnitentiam & confessionem, & per eleemosynas unusquisque secundùm possibilitatem suam, & quantum quisque recognoscit se à Deo ruisse, per culpas tantum bibat compunctionis suæ lachrymas, & tunc proficient in aqua ista quas facimus firmitates, si bonas restruxerimus quas in nobis destruxerunt peccata, virtutum munitiones, quæ & tunc proficient si mala quæ fecit quis priùs, prout potuerit, emendaverit, aut rapta solvendo, aut per indulgentiam deprecando, aut mala cętera per dignam pœnitentiam abolendo, & tunc proficiet si inante custodierit, ne de illis se sordidet de quibus se emendavit: quia scriptum est, *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, dicit Dominus; quiescite agere perversè, discite bene facere:* Quia qui se bonis operibus, & lachrymis, & orationibus à peccato mundat, & iterum peccata gravia perpetrat, talis est, ut sanctus Petrus dicit, sicut porcus qui se jactat in luto, & sicut canis qui remanducat vomitum suum; & timere debet, ne ipsas lachrymas in conspectu Dei reddat immundas, per quas potuit mundari à peccatis, quæ non dicimus, ut si iterum aliquis ceciderit post confessionem in peccatum, in peccatis quasi desperatus taceat; sed ut à peccatis quantum potest se caveat, & si fragilitate ceciderit, quia scriptum est, *Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat.* Dicat nunc cœpi, & per immutationem dexteræ Excelsi semper per pœnitentiam resurgat, ne illum ultimus dies in peccatis inveniat, & sine fine perditus fiat.

Hierem. 14. 18. — Malach. 3. 7. — Ezech. 18. 32. & 33. 11. — Psalm. 10. 7. — Sapient. 5. 21. — Roman. 6. 19. — Rom. 13. 1. 2. — Iob. 41. 25. — Ioan. 8. 44. — Esa. 1. 16. — Psalm. 40. 9.

II.

Vnde quia solent medici, quando generalis infirmitas vel morbus in terram venit, generalem medicinam conficere unde omnes possint sanari; ita nunc communem hanc medicinam cooperante & medicante Domino, statuimus ad recuperandam & conservandam sanitatem nostram, ne & in isto sęculo graviùs affligamur, & in futuro sęculo, quando de isto corpore exierimus, æternis tormentis cruciemur: id est, ut unusquisque Episcopus in sua parochia, & Missi in illorum Missaticis, & Comites in illorum Comitatibus, cum maximo studio & summa diligentia curam habeant, ut quicumque raptores & deprędatores, ubi sunt, cujuscumque homines sint, ad rationem deducantur, & secundùm legem quæ ibi malefacta habent, emendent, aut solvant secundùm legale placitum; aut per indulgentiam sibi impetrent perdonari, & Episcopi secundùm qualitatem & quantitatem peccatorum absque acceptione personarum rapacibus & his similibus vitiis nominatis & convictis pœnitentiæ leges injungant, inspecta discretione & qualitate, prout cuique ad salutem viderint expedire: ad quæ specialiter exequenda, quædam de pluribus capitulis prędecessorum Regum & synodalium hîc ponere dignum duximus; commonentes Episcopos, Missos, Comites, ut illa capitula quæ inde ante hos annos in unum collecta fuerunt, & in Carisiaco Episcopis & Missis nostris, per universum regnum nostrum ad exequendum donavimus, sed & illa quæ consensu fidelium nostrorum fieri jussimus, quando

quando cum fratre nostro Hlothario glorioso Imperatore apud Valentinianas locuti fuimus, & fidelibus nostris denuntiari & observari præcepimus, ad præsentiam reducant, & illa relegant. Et quia hæc pauca hîc brevitatis causâ subscripsimus in talibus rebus quæ eis advenerint ad emendandum, & hîc inde capitula non invenerint per illa & per alia capitula, regia & synodalia, quæ emendanda sunt, & emendanda prævide rint, emendare procurent. Si verò & juxta diabolicam calliditatem, & secundùm humanam fragilitatem nova quæcumque acciderint, quia nova morborum genera, nova quærunt medicamentorum experimenta, morem sequentes prædecessorum nostrorum, sancti Spiritus gratiâ illustrati contra venena diaboli ministrare curabimus medicinalia antidota Christi.

III.

Communi placito constituimus, ut usque ad Missam sancti Remigii, id est Kalendas Octobris, spatium habeant illi, qui in istis temporibus istas deprędationes, & alia malefacta criminaliter & publicè fecerunt, se pacificent; & quisquis hoc non fecerit, bannum nostrum dupliciter componat, scilicet, ut quia postquam illas rapinas, & alia malefacta in Carisiaco, & postea apud Confluentes cum dilecto fratre nostro Hludovvico glorioso Rege, & nepote nostro Hlothario forbannivimus, & post istum bannum per consensum omnium factum illa emendare, sicut eis spatium dedimus, noluerunt, & omnia quæ commiserunt, legaliter componere compellantur, & per publicam pœnitentiam secundùm sacros Canones Deo & Ecclesiæ in quam peccaverunt satisfaciant. Quibus si obedire noluerint, aut per fidejussores ad pręsentiam nostram perducantur, aut omnia quæ in regno nostro habent, in bannum nostrum mittantur, & episcopali auctoritate à communi ecclesiastica, & omnium fidelium societate excludantur.

IV.

De honore autem Ecclesiarum ac servorum Dei, & de rapinis atque aliis malis, seu præsumptionibus ab ista die & in reliquum compescendis, capitula avi & patris nostri temporibus constituta hîc subjungere, & ut omnimodis observentur, ex banno nostro præcipere dignum & necessarium duximus. Scriptum est enim in illis capitulis: Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, ejusque homini aliquid vi abstulerit, legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est LX. solidos nobis persolvat. Postmodùm verò ante nos à Comite adducatur, ut in bastonico, vel in alio carcere trusus usquedum nobis placuerit, pœnas luat: nam si publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt; qui verò de rebus ecclesiarum aliquid abstulerint, graviùs inde judicentur, quia sacratum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit: extorres namque à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam lęserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ. Et item sanctus Paulus, per quem locutus est Christus,

A dicit quia neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt: & item, Si quis fornicator est, aut adulter, aut rapax, aut homicida, cum hujusmodi nec cibum sumere Christi discipulo, id est Christiano, licèt ante satisfactionem, id est correctionem ac emendationem, & dignam pœnitentiam. Et sanctus Ioannes Apostolus talem salutare, & ad domum recipere vetat. Et sacri Canones Spiritu sancto per eos dictati, qui in cælo cum Deo regnant, & in terris miraculis coruscant, constituerunt dicentes: Si quis de potentibus clericum aut pauperem quemlibet, ac religiosum expoliaverit, & mandaverit ad ipsum Episcopus, ut

Tolet. 1. cap. 11.

B eum audiat, & is contempserit invicem, mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos quoscumque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat & reddat aliena. Et de rebus ac facultatibus ecclesiasticis dicunt: Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit pręter conscientiam Episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus agere voluerit consilio, anathema sit. Et item in capitulis avi & patris nostri scriptum est de his qui in exercitu quoscumque secum ducunt, quod & nos infra patriam volumus observare, deinceps omnibus denuntiare volumus, ut unusquisque cognoscat omnes qui in suo obsequio sunt, sive sui sint, sive alieni,

Gangr. cap. 7.

Lib. 1. cap. 15.

C ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum, & quicquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debeat periculum pertinere, ea scilicet conditione, ut pacis violator primùm juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram Misso nostro dignas pœnas persolvat; & senior qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, ut nostram jussionem servaret, & insuper in regno nostro prędas facere non timuerit, pro illius negligentia, si ante eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere sicut decet, neglexerit, ho-

D nore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat. Vos autem Episcopi evangelicâ & apostolicâ atque episcopali auctoritate seniorem, & regni quemlibet potentem, si commonitus juxta evangelicum pręceptum se suosque homines corrigere noluerit: & licèt ipse talia non faciat, tamen si sui vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, & emendari quæ faciunt non obtinuerit: eosque ad pœnitentiam non perduxerit, ipse excommunicetur secundùm sacros Canones, donec suos homines ad emendationem & pœnitentiam reducat. Quia melius judicavimus

E illum excommunicari, per cujus formam sui talia faciunt, quàm omnes illos, qui nec Deum timent, nec Episcopos, neque Missos reipublicæ propter ejus formam reverentur, & excommunicati ipsi non corriguntur, & alios suo morbo inficiunt, quia dicente Apostolo, Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte: Non est liber à consensu, qui quod emendare potest, emendare neglexit: quapropter sine dubio, peccati se participem facit. Si autem ipse potens, vel senior satisfecerit Episcopo & Missis regiis, quia suos homines ad emendationem & ad pœnitentiam non potest adducere, sed seipsum vult aut talibus incommunem offendere, aut dignè satisfacere, & hujusmodi maleficos à suo obsequio rejicere,

Lib. 2. cap. 23.

& ut Dei inimicos persequi tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur. Et item in capitulis Imperatorum scriptum est. Comites verò ministris Ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius, & de nostris, & de se, & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicumque prima & secunda vice de his à Comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eumdem Comitem ejus negligentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro capitulari continetur, subire cogatur. Et item de pace in exercitali itinere servanda usque ad marcham: hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damnati sibi illati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat & accipat. Et item, si quis in exercitu vel infra regnum, sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prędari voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domosque infringere vel incendere, hæc ne fiant, omnino prohibemus. Quòd si ab aliquo pręsumptiosè factum fuerit, LX. solidos, si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum XII. testibus se purget. Si verò servus hoc fecerit, sententiæ capitali subjaceat: & dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit ut talia non perpetraret, quoniam si nos ipsos comedimus, citò deficiemus. Vnusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprędatio infra regnum fiat: similiter & collectas, quas Theotisca lingua, Herisuph appellant, & infractiones immunitatum, & incendia, & assalituras in domos, & conjurationes, & conspirationes, & seditiones, & raptus fœminarum, sicut & divinæ & humanæ leges prohibent, & prędecessores nostri Reges prohibuerunt, firmiter ex banno nostro & nos prohibemus.

Nos quoque Episcopi auctoritate Dei & sacrorum Canonum, sicut sancti Pontifices DCXXX. in Chalcedonensi Concilio conspirationem fieri prohibuerunt, & sicut cętera Concilia Episcoporum hujusmodi perniciosa facta vetuerunt, & nos prohibemus, quia facientes illa per eorum judicium qui cum Deo jam in cælo regnant, à cęlesti Ecclesia, & à Christianorum societate separati sunt: nisi per dignos pœnitentiæ fructus ad hoc redeant, ut sanctæ Ecclesiæ possint readunari: similitèr ut hæc capitula quæ hîc annotanda sunt, ita per hæc & illa omnia quæ in suprascriptis locis, scilicet in Carisiaco, & apud Valentianas collecta & constituta sunt, observari præcipimus, & omnes communiter confirmamus.

Si autem aliquis quiscumque inobediens exstiterit, cum summa festinatione Episcopi, Comites & Missi nobis notum facere curent, ut quantociùs ad nostram pręsentiam illum venire jubeamus, & dignam ultionem secundùm judicium fidelium nostrorum sustineat: & si, quod absit, talis emerserit, qui Dei timorem postponat, & ecclesiasticam auctoritatem contemnat, & regiam potestatem refugiat, sciat quicumque ille fuerit, quia & secundùm canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum cœtu, & à sanctæ Ecclesiæ consortio, & in cælo, & in terra alienus efficietur, & regali potestate atque omnium fidelium unanimitate sicut Dei & Ecclesiæ inimicus & regni vastator persequetur, usque dum à regno exterminetur. Et si aliquis Comes fuerit, qui hoc in suo comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, aut ipse illa non emendaverit, aut nobis nota non fecerit ut nostra auctoritas talia corrigat; sciat quia talem sententiam inde sustinebit, sicut tempore antecessorum consuetudo fuit: Episcopus autem secundùm Toletani capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi, qui talia contra Deum & Ecclesiæ pacem faciunt, si eos quolibet munere vel favore aut negligentia admonere noluerit: ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia rejiciat; excommunicatus à collegio cęterorum Episcoporum habebitur, quousque emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur: quoniam nisi communiter certaverimus, ut in omnibus justitia omnibus conservetur, nec Rex pater patriæ, nec Episcopi propitiatores & reconciliatores populi ad salutem æternam, nec qui participatione nominis Christi, Christiani vocantur. Hoc quod humano ore dicimus, in divinis oculis esse valemus. Vt autem hæc, quæ observanda suprascripsimus ac pręnominavimus, nunc & de cętero certiùs & expressiùs à nobis atque successoribus nostris inconvulsa serventur, propriis manibus his subscribere communi consensu decrevimus: ea conditione servata, ut quia omnes in cunctis ordinibus à regia ditione sibi expetunt competentiæ legis jura servari: regiæ quoque potestati in cunctis ordinibus lex juris debiti, & honor ab omnibus obedienter & fideliter, cooperante Domino, conservetur.

Post hæc omnia relecta & conlaudata, communi consensu decrevimus, ut si aliquis homo propter mala facta quæ emendare & per legem & per pœnitentiam noluerit, seniorem suum dimiserit, aut ab illo propter hæc ejectus fuerit, ab alio non recipiatur, donec illa quæ malè fecit emendet, & per legalem compositionem, & per ecclesiasticæ satisfactionis pœnitentiam.

Subscriptiones Episcoporum petenda sunt ex privilegio sancti Dionysii mox infrascripto.

NOTÆ.

De situ loci Pistensis, & quod hodie sit illi nomen.

Haud rectè Pistas hodie Pissiacum ad Sequanam multi esse tradunt, rursus alii ex antiquis auctoribus referendo multa, quisnam sit hic locus ad quem (in Sequana fecit opera Carolus Rex, castellum scilicet ac pontem adversùs Normannos) vix assequuti sunt: nobis autem sufficit allegare duntaxat annales Bertinianos, ut situs loci Pistarum certiùs affirmetur, qui ad ipsummet Concilii annum DCCCLXII. sic de Carolo Calvo loquuntur. [Carolus, inquiunt, omnes Primores regni sui ad locum, qui Pistis dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Audura Sequanam influunt, circa Iunii Kalendas cum multis operariis & carris convenire fecit, &c.] Quibus verbis insuper addere licet, quod ad hujusmodi confluentes, & juxta id confinium hæret adhuc vicus in Archiepiscopatu Rotomagensi, qui priscum retinet nomen, & vulgò *Pistres* vocatur hodie.

Rex & Episcopi] inde Synodus regalis appellatur in privilegio de libertate sancti Dionysii infrà posito, quia Rex aderat; & Synodus quoque universalis, quia ex diversis provinciis & urbibus convenerant Episcopi, qui privilegio eidem subscribunt: ex annorum autem Christi nota, & indictionis, Iulio mense vel Augusto habitam colligimus: cùm annus Karoli XXIII. inchoatus jam esset, indictio decima nondum finita; quod planè confirmant verba privilegii alterius ab ipsa Synodo concessi sancto Martino Turonico mox edendi.

PRIVILEGIVM

ANNO CHRISTI 862.

PRIVILEGIVM SANCTI MARTINI TVRONENSIS, confirmatum in Synodo Pistensi.

CAROLI CALVI Regis 23.

VTILITAS ecclesiasticæ doctrinæ licèt fluctuoso procellarum turbine feriatur, tamen strenuâ Pontificum solertiâ optabile salutis percipit remedium, sicque pacis nutritur incrementum, & justitiæ decus florescit. Ideoque anno Incarnationis dominicæ DCCCLXII. indictione decimâ, anno siquidem piissimi Regis Caroli Calvi XXIII. cùm super fluvium Sequanæ, in loco qui Pistas dicitur, unanimiter sacrosanctum Concilium Pontificum ageretur ex regno magni & orthodoxi Caroli, inter aliqua canonici profectus commoda spiritali aptissima lucro contigit Herardum venerabilem sanctæ metropolis Turonorum Episcopum necessitudinis causas fratrum in monasterio beatissimi & pretiosissimi Confessoris Christi Martini sanctè viventium pandere, qualiter prędictus locus lamentabile devastationis insolitæ malum à perfida gente Normannorum pertulerit, & quomodo metu classici exercitus periculosa pessimi discursus damna perpessus fuerit: manifestavit etiam sicut sacri dominici ovilis Pastor, isdem Pontifex solitam clementiæ magnitudinem regiæ dignitatis qualiter concesserit piissimus Rex Carolus eisdem fratribus quasdam villas nominatim in pręcepto suæ largitatis adnotatas, insuper & villam Liradum, ad quam declinationis confugium facerent, si eorum fraternitatem prędictus paganorum incursus pervaderet. Quinetiam nunc, sicut ipso narrante eorum Archiepiscopo comperimus, simile persecutionis ex ejusdem gentis feritate detrimentum experiuntur, qui in pręfato Ligeris flumine commorantur. Idcirco quia necessarium duxit eorum pius Pręsul nobis intimare regiæ clementiæ consuetum opus, concessionem scilicet supradictarum villarum, ne fortè causâ varii perfugii sanctitatis culmine pollens fratrum ovile à tramite rectæ operationis deviaret, placuit nostræ authoritatis inviolabili privilegio adnotare regiæ munificentiæ largitatem. Statuimus igitur, annuente regia dignitate ac clero supplicante, sacrosancti monasterii pręstantissimi Confessoris censuræ nostræ edicto, communi rationis consilio atque decreto, ut prędictæ villæ seu Leradus stipendiis & necessitatibus fratrum jamdicti monasterii sancti Martini cum universitate appenditium suarum integerrimè perpetuò deserviant, ita ut nullus vir has villas de eorum dominatione auferat, quibus misericordiæ suæ beneficium in hoc munere regia potestas fratribus in eodem cœnobio beati Martini morantibus, largiri voluit. Qui autem hoc edictum à sanctis Patribus institutũ irrumpere, aut qualibet pręsumptione vel occasione conatus fuerit evertere, æternæ damnationis malum cum prevaricatoribus legis sanctæ perferat: potestate autem nobis à Domino ligandi & solvendi cælitus contributâ dicente, *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Hac virtutis confidentiâ nitentes cæligenæ salvationis aditum claudimus obice malitiæ suæ objecto sub anathematis vinculo, qui huic necessario beneficio in substractione prędictæ villæ consentiens aut operator extiterit, nisi divino fultus suffragio correctionis honore ditatus extiterit. Harum itaque censurarum statuta inconvulsè & inviolabiliter à nobis facta in cælo, & in terra confirmata manuum subscriptione, censuimus corroborare, absentium quoque confratrum voluntatem simili consensu disponimus vigere libramine.

Herardus Turonicæ metropolis Episcopus huic privilegio consensit.

Vvenilo munere divino Senensis Episcopus.

Hincmarus sanctæ metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus.

Item Vvenilo Rotomagensis humilis Episcopus.

Rodulfus Bituricensium sanctæ metropolis Ecclesiæ Episcopus.

Hildegarius Ecclesiæ Meldensis Episcopus.

Æneas Parisiorum licèt indignus Episcopus.

Folchricus indignus Episcopus Augustæ Tricorum.

Etluinus Ecclesiæ Constantiæ Episcopus.

Hildebrandus Sagensis Ecclesiæ Episcopus.

Ragenelmus Noviomagensis Ecclesiæ Episcopus.

Odo Belvacensis Ecclesiæ licèt indignus Episcopus.

Gildebertus Carnutensis Ecclesiæ Episcopus.

Cristianus Autisiodorensis Ecclesiæ Episcopus.

Hencanraus Catalaunensis Ecclesiæ Episcopus.

Hilmeradus Ambianensis Ecclesiæ Episcopus.

Ludovicus Abbas.

Gautelmus Abbas.

Engelgarus Abbas.

Vvlfardus Abbas.

Itherius Abbas.

Froduinus Abbas.

Data in mense Augusto (Idus XX. ipsius mensis anno XXIII.) regnante Carolo Rege.

Geringus Diaconus scripsit.

ANNO CHRISTI 862.

CONCILIVM SVESSIONENSE, in suburbio Suessonum civitatis, præsente Carolo Calvo Rege convocatum.

CAROLI CALVI Regis 23.

In quo Rothadus Episcopus Suessionensis jam excommunicatus ab altera Synodo ejusdem nominis, iterum sistit se Pistensi primùm hoc anno collectæ, ut de hac excommunicationis sententia appellaret ad Sedem apostolicam; deinde ab hoc Suessionensi Concilio tandem

Anno Christi 862. | Caroli Calvi Regis 23.

dem deponitur, atque in ejus locum alter brevi ordinatur Episcopus. Hæc omnia nobis suppeditant eodem anno nomine Angilmodus, & Rothadus ipse in libello suo, & annales Bertiniani ad annum DCCCLXII. denique subscriptiones Episcoporum ad privilegium sancti Dionysii Parisiensis. *Carolus ad Pistas*, inquiunt annales, *quò Placitum simul & Synodum antè condixerat, redit, & inter operandum de sancta Ecclesia ac regni negotiis cum fidelibus suis tractat. Vbi Rothadus Suessorum Episcopus, homo singularis amentiæ, in Synodo provinciali regulariter Episcoporum communione privatus, cum sua se contumacia quatuor provinciarum Concilio præsentavit; quem fraternus conventus, ne deponeretur penitus, sub appellatione Sedis apostolicæ servare disposuit. Sed isdem post ejusdem Concilii judicium inde appellaverat, constitutis duodecim ab eadem Synodo judicii exequendi judicibus, novus Pharao propter sui cordis duritiam, & vetera sæcula repræsentans, homo mutatus in belluam propter excessus, quoniam corrigi noluit, in suburbio Suessonum civitatis deponitur.* Aliquid ampliùs addit Rothadus, videlicet huic Synodo Suessionensi Carolum Regem adfuisse, ibique ordinatum in cathedra sua Episcopum. *Acceleratur*, inquit, *de convocanda Synodo, quæ in suburbio nostræ civitatis congregata Rex inclytus à Concilio est invitatus*, &c. *Denique Hincmarus Archiepiscopus meus in eodem Concilio mihi intrepidè, & ut reor, impiè judicium depositionis emisit. Interea ordinatur Episcopus in cathedra viventis, quamvis ne unquam, post appellationem Romani Pontificis hoc fiat, sacri Canones evidenter vetare noscuntur.* Nomen autem Angelmodi Episcopi synodaliter in locum Rothadi Suessionensis legitur substitui in Episcoporum subscriptionibus ad sancti Dionysii privilegium mox subsequens.

Anno Christi 862. | Caroli Calvi Regis 23.

PRIVILEGIVM SANCTI DIONYSII CONFIRMATVM & à Pistensi, & à Suessionico Conciliis.

Ex Cartulario ejusdem Monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini octingentesimo sexagesimo secundo, indictione decima, regni verò gloriosissimi domini nostri Karoli Regis vigesimi tertii: evocatis nobis Episcopis, quorum nomina subscriptionibus in fine declarantur, diversarum urbium & provinciarum ad regalem Synodum, & jamdiu in tractatu rerum ecclesiasticarum occupatis in loco qui vocatur Pistis, rursusque à regia potestate Suessionica urbe conductis pro causis quibuslibet Ecclesiæ audiendis, dilecti filii nostri monachi ex monasterio pretiosorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii, assistente reverentissimo & clarissimo nobis Abbate de eodem cœnobio Hludovico, & petitiones eorum suo consensu firmante, & pro eorum commodis nos humiliter rogante, petierunt unanimitatem nostram, quo adversùs cupidorum insidias eos præmuniremus ecclesiastica auctoritate, & fulciremus, ne fortè aliquando perversorum infestationibus concussi, sancti propositi dispendium animæ eorum paterentur, sed potiùs divinæ gratiæ affluentiâ, & regiâ munificentiâ largiente, nostræ quoque mediocritatis aliquid suffragante diligentiâ, omni prorsùs & maximè clericorum infestatione seclusâ absque ulla inquietudine valerent implere quod bonorum omnium auctori voverunt. Igitur hoc postulantes obtulerunt nostris obtutibus, præsente etiam domno Carolo Rege, qui petitionibus prædictorum fratrum piissimo favebat affectu, quędam privilegia sanctissimorum Pontificum, necnon & præcepta clarissimorum Regum de libertate prædicti monasterii ab eisdem suis temporibus honorificè confirmata, insuper & apostolicâ auctoritate inviolabiliter corroborata. Ergo residens idem Deo amabilis Rex Karolus in ipsa universali Synodo, prædecessorum suorum præcepta, & privilegia seu confirmationes apostolicis auctoritatibus corroboratas, maximè autem privilegium domini Landerici religiosi Parisiorum Episcopi sollicitè consideratum, quod ut hic ordo regularis inviolabiliter conservaretur, terribiliter & mirabiliter obtestando ob deprecationem domni Hludovici filii Dagoberti inclyti Regis factum, & Sanctorum, qui usque hodie in miraculis coruscant, manibus roboratum ipsi Ecclesiæ tradidit, & libertatis privilegio eam honoravit, publicè recitari jussit: quo facto, hortatu pariter ac deprecatione ipsius præcellentissimi Regis Hludovici Abbatis, cęterorumque sancti Dionysii monasterii fratrum petitionibus assensum præbuimus, scilicet ut ea quæ superiùs comprehensa sunt, nostra qua prævalemus auctoritate, roboremus. Statuentes igitur, sancimus omnes videlicet Episcopi qui prædictæ Synodo interfuimus, ut ea omnia quæ in prædictis privilegiis seu præceptis continentur, jamdicti monasterii sanctissimi Dionysii monachi, tam ipsi quàm successores eorum per ventura tempora absque cujuslibet Parisiacæ urbis Episcopi repetitione, seu cujuscumque reclamatione vel contradictione, quietè in perpetuum possideant. Quin etiam ego ipse Æneas, ac si indignus Parisiacæ urbis Episcopus, hoc consentiens laudavi, privilegiumque domni Landerici antecessoris mei omnino æquitatis tramitem servare approbans corroboravi, corroboratumque nunc & futuris temporibus mandavi, omnibusque successoribus meis per omnipotentem Deum qui verbo suo cuncta creavit, & spiritu oris sui universa firmavit, interdico, ne quisquam ex his omnibus quolibet modo unquam repetere audeant. Si quis autem tanti Regis, domni scilicet Caroli, immo Dei beneficio, hujusque universalis Synodi benevolentiam fraudulenter seu violenter subvertere præsumpserit, cum velut rapacem atque sacrilegum à populi Dei societate, justo atque tremendo anathemate separamus, nisi digna pœnitentia & subsequente emendatione quod perperè egit, correxerit. Hoc autem nostrum decretum sicut est, ut verum esse credatur, & firmissimè ab omnibus catholicæ fidei cultoribus præsentibus & futuris teneatur, subscriptionibus propriis firmavimus.

Hincmarus sanctæ metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus subscripsit.

Vvenilo sanctæ metropolis Ecclesiæ Rotomagensis

Anno Christi 862.

magensis Episcopus, subscripsit.

Frotarius sanctæ metropolis Ecclesiæ Burdigalensis Episcopus subscripsit.

Hincmarus Episcopus Laudunensis, subscripsit.

Vvenilo sanctæ metropolis Ecclesiæ Senonum Episcopus subscripsit.

Rodulfus sanctæ metropolis Ecclesiæ Bituricensis Episcopus subscripsit.

Herardus sanctæ metropolis Ecclesiæ Turonensis Episcopus subscripsit.

Hilmeradus Episcopus Ambianensis subscripsit.

Odo Episcopus Belvagorum subscripsit.

Hunefridus Episcopus Morinensis subscripsit.

Herpuinus Episcopus Silvanectensis subscripsit.

Æneas Parisiacæ Ecclesiæ Episcopus subscripsit.

Ægius Aurelianorum Episcopus subscripsit.

Abbo Nevernensis Episcopus subscripsit.

Godelsadus Cabilonensium Episcopus subscripsit.

Fulcricus augustæ Tricorum Episcopus subscripsit.

Vvalbertus Abrincatensis Episcopus subscripsit.

Hildebrandus Sagensis Episcopus subscripsit.

Dodo Andegavensis Ecclesiæ Episcopus subscripsit.

Ingenaldus Pictavorum Episcopus subscripsit.

Freculfus Sanctovicensis Ecclesiæ Episcopus subscripsit.

Reginelmus Episcopus Tornacensis subscripsit.

Caroli Calvi Regis 23.

Gislbertus Episcopus Carnutensis subscripsit.

Hildegarius Episcopus Meldensis subscripsit.

Ionas Eduorum Episcopus subscripsit.

Vraindingus Maticensium Episcopus subscripsit.

Haitardus Luxoviensis Episcopus subscripsit.

Guntbertus Ebroïcensis Episcopus subscripsit.

Herluinus Constantiensis Episcopus subscripsit.

Actardus Namneticæ civitatis Episcopus subscripsit.

Angilmodus Suessionicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsit.

Aldegarius Notarius ad vicem Gauzeleni regiæ dignitatis Cancellarii, recognovit.

NOTA.

Hoc privilegium duo docet; unum est, convocatas scilicet eodem anno, contiguoque temporis intervallo fuisse duas Synodos à Rege, quod ipsummet insinuat Rothadus Suessionensis Episcopus in suo proclamationis libello, quodque adstruit etiam hisce duabus Synodis fidem: Alterum est singulare, quòd inter Episcopos adnumeret Angilmodum seu Engelmodum Suessionensem Episcopum aliàs notum ex carmine de laudibus Radberti Abbatis Corbeïensis, qui synodaliter ordinatus in locum ejusdem Rothadi similiter depositi, subscribere debuit privilegio cum aliis Coepiscopis; quique tandem mortuus est anno 865. ante plenam hujusce Rothadi restitutionem à Nicolao Papa præscriptam, ut patet ex ejus epistolis.

Anno Christi 862. — Caroli Calvi Regis 23.

*CARMEN ENGELMODI EPISCOPI SVESSIONENSIS, de laudibus Radberti Abbatis Corbeïensis.

ELOQVII cultu vernantem texere mitra,
Bracteolisque auri fulgens diadema polire,
Quo te, sancte Pater, devotio dulcis adornat,
Ingenii vires, docilisque industria fandi
Nobilium poterit doctorum, compote voto,
Qui te fertilibus satiati ritè magistro,
Doctrinæ dapibus, salientes dogmatis undas,
Largifluosque vomunt arguti carminis imbres.
At nos exiguum sterili de cespite gramen,
Devotum tibimet carpentes munus amoris,
Turpiloquis liquidas temeramus lusibus odas,
Materiesque virens calamo marcessit inerti.
Vnde fuit pigri satius pressisse labellis
Organulum, læsa vocis cohibendo fragorem:
Ne quid rancidulum lepidæ mulcedinis aures
Exciperent, nectarve favi turbaret amator.
Sed tamen igneolus devoti pectoris ardor,
Quo te, carus amor, placido complector honore,
Non modò reflexa tenuit retinacula habena,
Septorum pariter pradura repagula rumpens.
Cùm campo sed enim sese committit aperto,
Effrenisque jubis aurarum flabra lacessit,
Non se carceribus fusum per inania ferri
Sentit, & oppositas ludens pede proterit ulvas.
Ergo, beate Pater, decus & lux aurea mundi,
Ecclesiæ columen, parad si maxima cedrus,
Relligionis apex, fidei fortissimus umbo,
Ergo, precor, liceat cursim mihi plaudere agrestis
Ingenii nugis, rauca reboante Thalia,
Festivos ludos, simplexque retexere carmen.
Nam dignum tibimet laudum praconia ferre,
Mirandumque decus vitæ vulgare verenter;
Lampade justitiæ, qua cunctis celsa beati
Pramonstras iterisstendentis ad atria vitæ;
Et qua jam felix meruisti patris in albo
Conscribi, celi sociandus civibus almis
Gloria te magnum praclari monstrat honoris,
Quo tibimet cuncti, latus quos continet orbis,
Obsequiis parere piis, & supplice voto
Exoptant, gaudent, certant, cupiunt, sataguntque,
Gratia sed potior virtutum culmine surgit,
Atque jubar fidei præfulgens solis ad instar,
Cælestis penetrat solii sublime tribunal.
Qui meritis florens, morum probitate relucens,
Ingenio pollens, sensus moderamine gaudens,
Obsequio fervens, pietatisque ignibus ardens,
Mansuetus, placidus, prudens, justusque, benignus,
Devotus, humilis, mitis, blandusque probaris.
Quem non ira ferox, non atri ruga timoris,
Virus non odii, invidia non denique pestis,
Non lascivus amor, fœdus non ardor habendi,
Nonmentita fidem simulatio crimine fallens,
Non quoque latratus spumantis jurgia litis,
Sordidula labis cœnoso polluit actu,
Aut tempestivum mentis tenebravit acumen,
Sed pia simplicitas, virtus & conscia recti,
Quarum lacte sacro primis nutritus ab annis,
Virgineisque simul blanditus ritè fomentis,
Vt cuculum tradunt irruptis crescere nidis,
Dum Lucina melos nocturnis personat hymnis,
Inter florigeros divini dogmatis hortos,
Ætatis solidum crevisti tempus ad usque,
Galbanei nitido perflatum nectare roris
Ridentes docuere jugi gaudere sereno,

Anno Christi 862.

Carol i Calvi Regis 23.

Cunctorumque animis dulci bonitate placere.
His etenim temet vegetandum providus auctor,
Imperio qui cuncta tenens excelsa vel ima,
Æterna ratione regit, quod condidit ipse;
Legavit tenerum, cùm prima crepudia matris
Quæ genuit nigri fascirent tegmina panni,
Expositumque vorax ambiret mortis imago
Germine, quæ supero divini sanguinis orta,
Angelicique chori conserta dote gregales,
Te quoque concivem cæli super ardua raptum
Ritè ministeriis aptarunt cuncti potentis.
Nec incerta fides, aut rerum ficta fabella,
Vt quondam studiis præpollens docta vetustas,
Prodigiosa vomens læsi documenta cerebri,
Lascivos super astra toros, mollesque Camilli
Amplexus statuit rapti Ganymedis honores,
Hocque Deum Saturninum venerata decenti
Sacrorum ritu stupris maculavit olympum.
Verùm pro meritis imitanda relligionis,
Quæ jugibus votis Christo Domino famularis,
Hæc tibi Christicola digno sacramus honore.
O veneranda viri simplex, & sancta colendis
Mens moderata bonis, semperque intenta supernis,
Angelicis conserta choris exultat in astris,
Gaudet Apostolicis felix sociata catervis,
Agmina martyrii cernit decorata cruore,
Cum grege candidulo spatiatur virginitatis,
In Patriarcharum solio requiescit ovando,
Conserto alloquitur vigiles sermone Prophetas,
Mystica percurrens epulatur dogmata vita,
Hisque jugi studio cœnis satianda recumbit.
Ac velut exemptis zephyro spirante pruinis,
Florida cùm tellus pubentes parturit herbas,
Vere novo pingens distincta coloribus arva;
Exercetur apum campis dispersa juventus,
Præteritos hyemis metuens quassata labores,
Purpureosque legit flores, & flumina libat.
Nec mora, nec requies, quin aut liquentia mella
Includat tenui compactis nectare cellis,
Glutine vel lento fundamina dura favorum
Extruat, aut croceas disponat in ordine ceras.
Fervet cura frequens, adolent purissima mella.
Sic tu, dulce decus, divino captus amore,
Dum cordis speculo cœlestia sola tueris,
Liber in excelsis animi statione locatus,
Eloquiique sacri saltus, & amœna vireta
Pervolitas, vita liquido quæ fonte rigata
Iucundis vernant foliis, & flore perenni
Quorum rore pio distentus viscera blandè,
Exceptoque recens oneratus brachia succo,
Impatiens animum somno relevare quietis,
Aut documentorum nectar stillando refundis,
Librorumve favos operoso construis actu.
Et cùm jam meritis caput inter sidera tantis
Extuleris, flavo redimitus tempora serto,
Vt te devota venerentur laude superbi
Imperii fasces, & fulgens gloria regni,
Plausibus atque tuis populosa theatra resultent;
Ventosi nunquam blanditus folle favoris,
Supplex atque humilis felici jure bearis.
Quem cùm quisque adiit nebuloso pectore tristis,
Defecisse gemens exhausti farris acervum,
Vocibus aut querulis incusans sortis iniqua
Pondere se pressum miserandam ducere vitam,
Continuò largi recreatus munere doni,
Consiliive tui blando solamine fretus,
Gaudens atque hilaris propriam repedavit ad ædem.
Quodque magis stupeo, mira dulcedine pastus,
Corporis ingestu radiant insignia mentis,
Arcanumque animi vultus redimicula signant;
Cæsaries etenim niveo candore nitescens
Virgineum cordi prætendit inesse pudorem.
At rosulis facies similis formosa rubescens,
Bellantis titulat victo serpente trophæum,
Aut ardore suo flammas imitatur amoris;
Nam visu parilis ridens & honesta voluptas,
Castoras ut credam læto fulgere nitore,
Actus & fidei palmam pingit socialem,
Vel gustata refert cælestis gaudia regni,
Circumfusa jubis blando sinuanime cervix,
More spei latitat virtutum tegmine septa.
Gratia qua labiis, vel qua sit in ore venustas,
Non capit ingenium, fandi nec copia perso;
Largior inde fluens [illegible] vena sophia,
Eloquiique altos emanans proflua rivos,
Aureolas verbi glebas, viridesque lapillos
Gemmantis sensus nitidis profundit arenis,
Quorum fulminibus armatus ritè lacertos,
Contortoque gravis balearis verbere funda,
Semiferum facili prosternis cæde Goliam,
Hostilis pariter cunei portenta dehiscens.
Hinc te, sancte Pater, juvat insudare palæstra,
Pro grege sacrifico, pro castis cunctipotentis,
His exercitiis duros relevare labores;
Dum vitalis adest flatus, dum vesceris auris,
Præmia multiplici laturus fruge beata:
Cùm Rex altithronus mundum discreverit urna
Iudicii, cunctisque vicem dependerit actus.
Tunc te florigero, confido, clarificatum
Excipiet gremio sublimis gloria regni.
Tuncque beatorum gaudebis consociatus
Agminibus, felixque frueris luce perenni.
At me, heu lacrymosa fero, referensque tremisco!
Pondere peccandi devinctum colla catenis,
Tunc forsan miserè cessum tortoribus atris
Damnabit nimiùm crudelis judicis ira,
Exceptumque rapax amburet flamma gehennæ.
Sed tu, Sancte, precor, mediis te oppone periclis,
Auxiliisque pio defendens rore misellum,
Fumificos pœna placidus compesce vapores.
Et jam tempus adest funem religare carina,
Excursumque levem morsu stabilire saburra,
Liberiùs ne fortè ratem dum credimus Austris,
Illisi scopulis serò revehamur ad agros.

Anno Christi 862.

Caroli Calvi Regis 23.

CONCILIVM SVESSIONENSE,

In quo Balduinus Comes, & Iudith regum filia, & vidua, patre Carolo Calvo satagente excommunicantur ob illorum matrimonium contra leges & Canones contractum; quam excommunicationem justè latam ab Episcopis Galliarum fuisse scribit Nicolaus Papa eidem Carolo Regi.

Hæc autem narrantur ab annalibus Francorum Bertinianis, qui locum Synodi designant ad annum 862. his verbis. *Karolus per Remos, civitatem Suessionis venit, ubi non incerto nuncio comperit, quia filia ejus Iudith, relicto scilicet Edelboldo Rege Anglorum, (quæ possessionibus venditis, quas in Anglorum regno obtinuerat, ad patrem rediit, & in Silvanectis civitatem debito*

Reg na

Anno Christi 862.

Regina honore sub tuitione paterna, & Regia atque Episcopali custodia servabatur, donec si se continere non posset, secundùm Apostolum, scilicet competenter ac legaliter nuberet) Balduinum Comitem, ipso lenocinante, & fratre suo Ludoico consentiente, mutato habitu est secuta: unde Rex Karolus Episcopos, & cæteros Regni sui primores consulens, post mundana legis judicium canonicum in jamdictum Balduinum, & Judith, quæ cum fure cucurrit, & adulteri portionem se fecit, secundùm edicta beati Gregorii, ut si quis viduam in uxorem furatus fuerit, & consentientes ei, anathema sint, depromi sententiam ab Episcopis petiit. Post quæ Nicolaus Papa testatur eidem Carolo Regi epistola 23. se penitus observaturum, quod ab Episcopis in hos conjuges decretum fuit. *Noverit*, inquit, *dilectio vestra, Balduinum, unde nobis intimastis, qui natam vestram sibi furto in uxorem contra fas sociavit, quem ideo venerandi Præsules, Ecclesiam Domini in regno vestro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina Apostolorum accessisse, & ut à vinculis solveretur, atque per nos gratiam inveniret, Sedem adiisse Apostolicam. Nos autem non solùm eum à vinculis minimè absolvimus, aut in communione nostra recepimus, sed potiùs tam præsumptuosam temeritatem detestati sumus.*

Greg. Junior Can. 10. in Concilio Romano.

Caroli Calvi Regis 23.

Anno Christi 863. — Caroli Calvi Regis 23.

CONCILIUM INCERTI LOCI IN AQUITANIA, jussu Nicolai Papæ congregatum.

In quo Stephanus Comes Arvernorum, præsentibus ejusdem Papæ legatis accusatus de quibusdam criminibus, sub excommunicationis pœna satisfacere cogitur.

Accusationum autem capita leguntur tum in Concilio Tullensi II. ubi de nuptiis ejus cum filia Regimundi Comitis Tolosani, tum in epistola ejusdem Nicolai ad eundem Stephanum scripta, in qua recenset etiam & istud, quod dejecto sanctissimo Sigone Arvernensi Episcopo in locum ejus pervasorem Adonem Clericum substituerit. *Et quia*, inquit amplius, *nonnulla impudica, ac scelestissima de te inculcantur, Apostolica auctoritate sancimus, ut de his plenissimè satisfacturus in nostrorum Legatorum præsentia, qui constitutæ à nobis Synodo præesse debebunt, in loco præfixo occurrere studeas. Quodque si neglexeris, & præsentiam tuam à synodico examine defraudare tentaveris, sciat te Præsulatus nostri auctoritate à vini & carnium participatione omnino excommunicatum, quoad usque Roma in nostra speciali præsentia districtam positurus rationem adsistas. Pervasor verò sanctæ Arvernensis Ecclesiæ, si illic remorari tentaverit, & aliquod impedimentum sanctissimo Sigoni Episcopo facere quacumque argumentatione præsumpserit, sciat se pari modo non tantùm à vini & carnium, verùm & à corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi participatione penitùs esse sejunctum.* Quam Nicolai sanctionem executioni demandatam videmus ex Episcoporum subscriptionibus, qui Suessionensi III. interfuere Concilio, ubi adest Sigo Arvernorum Episcopus. Porro Synodi locum non declarat Nicolaus; attamen in Aquitania celebratam fuisse conjectura est, quod de Comite, ac Episcopo Aquitanis esset quæstio, quodque jam prędictæ Synodi Tullensis jussu ideo scripta fuerit ad Aquitaniæ Metropolitanos de Stephano eodem accusato Epistola, cujus exemplum & ordinem erat probabile Nicolaum Papam in hac Synodo convocanda sequuturum fore. Epocham verò hujus eandem fecimus ac epistolæ, quæ tempore distat æquali à Concilio Tullensi II. anni 860. cui subscribit Stabilis Arvernensium Episcopus, in eadem sede Sigonis prędecessor, & à Concilio Suessionensi III. anni 866. cui videmus Sigonem successorem adfuisse.

Anno Christi 863. — Caroli Calvi Regis 24.

CONCILIUM VERMERIENSE,

In quo, de controversia Rotberti Cenomanensis Episcopi cum Monachis sancti Karilefi agitur.

Synodi hujus nobis est auctor Nicolaus Papa, increpans Hincmarum Archiepiscopũ Remensem epist. 16. in editione Concil. quod Monachis sancti Karilefi favens, Caroli Regis animum adversùs Rotbertum Cœnomanicę urbis Episcopum commoverit. *Pro eo quod*, inquit, *Monasterium sancti Carilefi ad jus Ecclesiæ sibi commissæ vindicare velit, & in Synodo qua modò dicitur à sanctitate tua colligi, fertur quod nescio quas insidias, quasi ex alia ratione illi nitamini præparare, lædere eum magnoperè, gestientes quod de tanto viro indignum credere judicavimus.* Meminerunt & ampliùs Annales Bertiniani scilicèt loci ac mensis quibus eadem habita est Synodus ad annum 863. his verbis. *Carolus*, inquiunt, *VIII. Cal. Novembris Synodum in Vermeria Palatio habuit, ibique Abbatiam sancti Carilephi super Rotbertum Episcopum Cenomannicæ urbis, qui eam per Apostolicam commendationem juri sui Episcopatus mancipitem tenere volebat, legaliter evindicavit.* Tandem controversia hæc fuit ab Episcopis in regno Caroli Calvi constitutis discussa in gratiam Monachorum; libertatemque huic Monasterio ab iisdem Episcopis concessam, ad ejusdem Regis petitionem confirmavit idem Papa Nicolaus, ut patet ex ejus Epistolis ac dore ad diversos conscriptis.

EPISTOLA

Anno Christi 863. Caroli Calvi Regis 23.

a EPISTOLA GVNTHARII ATQVE THEVTGAVDI Archiepiscoporum ad Nicolaum Papam.

NICOLAO Pontifici Guntharius, atque Theutgaudus. Patres Episcopi & fratres Coepiscopi nostri ad nos te direxerunt, & nos sponte ivimus consulere, videlicet expletâ generali legatione, tuum magisterium super his specialiter, quæ pariter prout nobis visum fuit, & adjicientibus notum esse potuit judicavimus, auctoritates rationesque quas secuti fuimus, scriptis ostendentes, ut tuâ sapientiâ perscrutaris omnibus, quid indè sentires, & quid velles nobis paterno demonstrares affectu, nosque fraterna charitate procurares: & si melius illud tua sanctitas inveniret, ut nos instrueres & doceres, suppliciter obsecravimus, parati, quicquid rectius & probabilius esset libenter amplecti. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes responsum, nihil certitudinis nihilque doctrinæ nobis expressisti, tantùm, quodam die in publico dixisti, nos inexcusabiles apparere & innocentes juxta assertiones nostri libelli. Ad ultimum autem nos evocati ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil adversitatis suspicantes: ibique obseratis ostiis, factâ more latrocinali conspiratione, ex clericis & laïcis turbâ collectâ & permixtâ, nos violenter inter tantos opprimere studuisti, longè scilicet interea à nostris & clericis & laïcis separatos, atque sine Synodo & canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente, vel auctoritate ac probatione convincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis ac Dioecesaneis Coepiscopis & confratribus nostris, extra omnium omnino consensum, tuo solius arbitrio, & tyrannico furore nosmet damnare voluisti, subitò quadam tibi cartula & improuisè porrecta lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim presbytero ambitus damnato & deposito & anathematisato, cujus scelerato magisterio tuus precipitatur furor. Ergo tuam pravam sententiam à zelo rectitudinis alienam, injustam & irrationabilem canonicis legibus contrariam nequaquam recipimus: immò cum omni cœtu fraterno quasi nefas atque maledictum frustra prolatum contemnimus, atque abjicimus, tibique anathematisatorum & religionis factæ abjectorum & contemptorum fautori & communicatori, revera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, teque ab eo elationis tumore indignum faciens, segregas. Igitur ex tua temeritatis levitate propriâ tibimet sententiâ anathematis plagam inflixisti, exclamans, qui Apostolica precepta non servat, anathema sit, quæ multipliciter violare & violasse dignosceris, divinas leges simul & sacros Canones calcans, & quantùm in te est, evacuans, predecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens: nunc nos qui fraudulentiam & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidumque potentatum agnoscimus, nihilque tibi tuæque superbiæ cedimus, qua nos ad vota nostrorum quibus faves inimicorum obruere festinabas. Sciesque nos non tuos esse, ut te jactas & extollis Clericos, quos ut fratres & Coepiscopos recognoscere si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi nostri ordinis non inscii, nimiùm tua improbitate compulsi respondemus, non quasi ad illatam nobis contumeliam provocati, sed contra tuam iniquitatem ecclesiastico zelo accensi, nec nostræ utilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis universitatem, cui vim inferre conatis, præ oculis habentes.

NOTA.

a Epistola Guntharii & Theutgaudi Archiepiscoporum ad Nicolaum Papam.] Editâ jam Nicolai Papæ epistolâ adversùs hos Episcopos, juvat ipsorum Epistolam referre, ut de hac re nihil omnino à lectore sciri supersit. Licet igitur hi Archiepiscopi vivente Lothario Rege, Ecclesias dudum sibi cum Sacerdotio ablatas viderentur quidem regere, non autem regebant, ut loquitur Nicolaus Papa; & quamvis pœnitentia ducti, restitutionis, ut erga plures olim actum est, vel satisfactionis locum minimè invenerint apud illum; nihilominus ejus successor Hadrianus II. Guntharii causam, antequam in locum illius substitueretur Episcopus à Ludovico Rege Germaniæ iterùm auditurum, & vocem ejus admissuram fore spoponderat in Epistola ad hunc Regem scripta; hinc fit ut de his & similibus multi tunc dicerent, sicut scribit Hincmarus Remensis Egiloni Archiepiscopo Senonensi Romam eunti. [Et nihil est jam firmum, quod Episcopi & Apostolica Sedes decernunt; & recordari debetis Apostolico, qualiter de sua excommunicatione & propriæ manus confirmatione fecit Guntharius.] Vnde hanc Archiepiscoporum Epistolam, ex Annalibus Francorum Fuldensibus edendam duximus, discernendæ, ut aiunt, rei veritatem lectoris arbitrio relinquentibus.

Anno Christi 864. Caroli Calvi Regis 24.

DIPLOMA LOTHARII IVNIORIS, primi Lotharingiæ Regis,

Ex quo patet illum jam uxorem duxisse Vualdradam concubinam, ac ex ea filium nomine Hugonem suscepisse; præterea fratrem ejus Carolum Galliæ Cisalpinæ Regem decessisse; tandemque bona quædam in Monasterium sancti Petri Lugdunensis contulisse.

Ex Archivo eiusdem Monasterii.

IN nomine omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, Hlotarius divina preveniente clementia Rex. Si locis Deo dicatis, ob reverentiam divini respectus quidpiam muneris largimur, id nimirum nobis ad perpetuam vitam nanciscendam fore non ambigimus. Igitur comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet & futurorum universitas, quòd dum ad Monasterium, quod est in veneratione B. Petri Principis Apostolorum inter Ararim & Rhodanum situm in Burgo Lugdunensi orationis causâ devenissemus,

Anno Christi 864.

Caroli Calvi Regis 24.

mus, dignum duximus ob amorem Dei, & emolumentũ animæ genitoris nostri, ac genitricis, nec non dilecti fratris nostri Ludovici Imperatoris, fratris etiam nostri Karoli quondam piissimi Regis, cujus ibidem corpus sepulturæ traditum est, seu ut delictis nostris superna misericordia faciliùs ignoscat, aliquantulã rerum nostrarum largitate idem cœnobium ditaremus; Quocirca nos excellentiæ nostræ decernimus fieri apices, per quos eidem Monasterio sancti Petri, seu Ecclesiæ sanctæ Mariæ res quasdam nostræ proprietatis in Comitatu Mautiensi cum attinentibus tribuimus; Cellam videlicet sancti Maximini cum ædificiis suprà positis, ad quam pertinere noscitur, inter ingenuales & serviles mansos triginta quinque cum omnibus rebus & mancipiis illuc justè & legaliter pertinentibus. Quatinus deinceps ad remunerationem præfatorum piissimorum Principum, atque salvationem amantissimæ conjugis Vvaldradæ & filii nostri Hugonis ad luminaria ibidem concinnanda seu stipendia famularum jugiter ibi Deo famulantium supplenda perpetuis temporibus perseverent, & nullus subditorum nostrorum vel Pontifex ejusdem loci in alios usus, eandem Ecclesiam in rebus & mancipiis ibidem pertinentibus transferre pręsumat, nisi ut prędiximus, ad quotidiana stipendia vel luminaria preparanda. Et ut hæc nostræ largitionis atque roborationis auctoritas immobilem obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione jussimus insigniri. Datum xv. Kal. Iunii anno Christi propitio, regni Domini Hlotarii gloriosi Regis octavo, Indict. xii. Actum in civitate Lugduni in Dei nomine feliciter. Amen.

NOTÆ.

Lotharii junioris.] placet quibusdam Lotharingiam, quæ dicitur Lotharii Regnum, à patre Lothario Ludovici Pii filio majore appellari, sed malè. Cùm Lotharius Pater nunquam possederit solam omninò partem, ex qua constat hoc Regnum; at potiùs junctam simul cum aliis Provinciis, quæ poterant æque hujusce regni nomen ab ipso sortiri, quod minimè factum est, cùm ex iis omnibus, alia duo insuper regna, scilicèt Arelatense & Galliæ Cisalpinæ vel jurense conflata sint. Deinde Lotharius idem, nusquam Regis nomine insignitus est nec unquam vocatus Rex, sed semper & ubique Imperator duntaxat: Contrà verò conveniunt supradicta Lothario juniori hujus cognominis filio, cujus Pater Lotharius bona sua inter filios tres ita distribuit, ut Ludovico primogenito Italiam cum Imperio reliquerit: Lothario juniori eam Galliæ Partem, quæ inter Mosellam & Mosam, Scaldim & Rhenum sita est; & Carolo natu minimo Provinciam & ducatum Lugdunensem, quorum major, exemplo patris, Imperator tantùm, alii autem duo, (quisque in qualibet parte sua) Reges appellati sunt; hodie verò Lotharingia, quæ non ampliùs censetur regnum ob ejus recentem situm, potiùs ad hæc Lotharii junioris tempora referri potest, Cùm dedit ipse tùm Carolo fratri minimo duos Episcopatus, ex regno suo portiones scilicet Bilisium & Tarentasiam; tùm etiam Ludovico fratri natu majori alteram regni sui portionem attribuit, videlicet Genuam, Lausonnam, & Sedunum Civitates cum Episcopatibus, Monasteriis & Comitatibus ac tandem filio suo de Vvaldrada Hugoni Ducatum Elizatium donavit, ut referunt Annales Bertimiani. Porro Lotharii regnum seu Lotharingia fuit duplex post mortem Lotharii junioris ob divisionem factam inter Ludovicum Germaniæ & Carolum Calum Galliæ Reges, à quibus juxta Partis cujusque sortem Lotharingia diversis nuncupata est nominibus: Vna scilicet Gallicana seu superior & Mosellana, quæ gaudet hodie titulo ducatus; altera verò Germanica sive inferior & Mosana, quæ plura nunc suprema complectitur Dominia.

Galliæ Cisalpinæ Regem.] sic illum appellat Hincmarus Remensis apud Flodoardum lib. 3. hist. cap. 26. qui vocatur adhuc ab aliis Rex Provinciæ, ac Burgundiæ, quem Annales Bertiniani referunt, diu Epileptica infirmitate vexatum, tandem anno 863 mortuum esse. Contrà quàm tradunt Regino Abbas Prumiensis, & vetus Sirmondi Chronicon; videlicet Abbas, illum anno 858. diem obiisse; cum Carolus ipse adfuerit Synodo apud Saponarias anno Christi 859. celebrato. Chronicon autem Sirmondianum narrat illum excessisse anno 862. quod repugnat alteri Chronico Monasterii Fontanellæ; cum quo conveniunt Annales Bertiniani, ut patet ex sequentibus verbis. Decessit Lotharius Imperator anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi 855. & post ejus obitum Karolus filius ejus qui Provinciam gubernabat, anno octavo moritur, qui cadit in prædictum annum 863.

Anno Christi 864.

Caroli Calvi Regis 24.

PRÆCEPTVM CAROLI CALVI REGIS de rebus Monasterio sancti Germani Autissiodorensis concessis.

Ex Cartulario ejusdem Monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex. Si petitionibus servorum Dei, quas nobis pro suis necessitatibus insinuaverunt, benignum assensum prębeamus, Regiæ pręcellentiæ opera imitamur, ac per hoc æternæ beatitudinis gloriam faciliùs nos adepturos non dubitamus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris, pręsentibus atque futuris, quia Monachi Monasterii sancti Germani, cui Deo auctore dilectus filius noster Lotharius Abbas præesse cognoscitur, ad nostram simul cum consorte regni nostri Irmintrude accedentes sublimitatem humiliter petierunt, ut quasdam villas ex eadem Abbatia usibus eorum deputatas perpetua lege habendas, auctoritatis nostræ pręcepto concedere & confirmare dignaremur. Quorum petitionem clementer nos audisse & libenter excepisse, omnibus Dei nostrisque fidelibus notum esse volumus. Sunt autem hæc nomina earumdem villarum; *Quæ ibi enumerantur omnes in Autografo præcepti.* Res quoque quas dedit Airmarus vir nobilis ad stipendium Pauperum, seu matriculariorum, quos Nonnones vocant, hoc est in nigrantio, & in Lagunis, seu Linerulis vel ferrulis. Item ad Hospitale pauperum, Vendosa, Calmacus, & in Varziaco mansum unum, in Vagrado mansum unum, in Creto mansum unum, in Crianso mansum unum peregrinorum susceptioni deputatæ. Has denique res cum familia, & omni alia integritate, usibus & stipendiis memoratorum servorum Dei sine aliqua substratione vel minoritate perennibus temporibus habendas Altitudinis nostræ testamento hoc constituimus & confirmamus. Ordinamus etiam atque constituimus, ut de ipsis rebus, quas boni homines nuper eidem Monasterio pro eleemosyna contulerant, prępositus vel decanus ejusdem loci per quadraginta dies in anno in festivitatibus sanctorum benedictiones fratribus pręparet, sicut & in alia carta vel pręcepto nostræ altitudinis continetur. Pręcipientes autem jubemus & jubentes confirmamus, ut nulli Abbatum ejusdem loci, au cuilibet alteri personæ liceat, ex pręscriptis omnibus rebus aliquid in alios pręterquam constituimus usus redigere,

digere, aut retorquere, aut alicui habendum conferre, neque censum aut honorem, aut dona quęlibet, vel pastos ab eisdem servis Dei ullatenus pręsumat requirere. Sed quicquid exinde fieri potest, juxta quod pręscriptum est regulari administratione, usibus & utilitatibus eorum, auctore Deo, omnibus habeatur temporibus. Interea volumus & confirmamus ut quilibet de sęculo in idem Monasterium ad regularem conversationem agendam favente Deo venientes, ex possessionibus suis obtulerint, sive cõtulerint, vel alii quicumque hominum, sicuti eorum voluntas & collatio facta apparuerit, sive rectorum ejusdem loci aliqua immutatione, inviolabiliter semper perseveret, atque permaneat. Vt autem pręcellentiæ nostræ confirmatio meliorem semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu nostra eam subterfirmavimus, & de annulo nostro sigillari fecimus. Datum duodecimo Kalendas Iulii, indictione 12. anno 24. regnante Karolo gloriosissimo Rege. Actum apud Pistas in Dei nomine feliciter. Amen.

CONFIRMATIO HUIUS præcepti facta iisdem anno ac die, quibus præceptum, in Conventu apud Pistas, qui habetur in Capitularibus Caroli Calvi titulo edicti Pistensis, cui quot & quales Episcopi adfuerint, discimus ex illorum subscriptionibus ad hanc confirmationem.

Ex eiusdem Monasterii Carthlario.

ANno ab Incarnatione Domini DCCCLXIIII. indictione duodecima, anno verò regni gloriosi Regis Caroli vigesimo quarto. Positis nobis diversarum Provinciarum & urbium Galliæ pręsulibus in loco, qui Pistas vocatur, quò nos generalis necessitas traxerat instituendi munitiones contra Nordmannos, quò etiam pro regni statu confirmando regia nos pręceptio evocavit. Adierunt nos legati Monachorũ sancti Germani Autissiodorensis Monasterii, quibus præest memorati Regis filius venerabilis Abbas Hlotharius, supplicantes ut ad loci sui, Religionisque stabilitatem ac severitatem perpetuam obtinendam de facultatibus ipsius Monasterii eorum usibus specialiter deputatis, decreti nostri auctoritatem emitteremus, ne aliqua deinceps immutandi ea, quæ justè petita & concessa sunt, cuiquam pateret facultas. Quippe ut prudentes viri, ac Religiosi tenentes in memoria illud, quod rectè pręcipitur: in die bonorum, ne immemor sis malorum; & suspectam habentes rerum incertarum mutationem, sibi per nos consuli optaverunt, ut inter varias mutationum vicissitudines, ipsi divino munere, nostróque consensu freti, nulla unquam necessitatis occasione paterentur suæ Religionis dispendia, sed potiùs ipsius Dei nostraque provisione, assiduis immutabilibusque beneficiis ad meliora incitarentur. Eorum igitur studium approbantes, prudentiamque penitus amplectentes, facilem votis prębuimus assensum, optatumque impendimus favorem, ut sanctorum operum, quæ illis divinitus conferrentur, non adjutores solùm, verùm etiam efficeremur participes. *Quæcumque igitur regiâ munificentiâ ad conservationem sui propositi sunt adepti, quæque præcepto ejus nominatim expressa & collata sunt, ibi enumerantur omnia, sicut in Authographo præcepti dictum est usque ad hæc verba:* In festivitatibus sanctorum benedictiones fratribus à Præposito vel Decano solemniter procurentur.] Præcipimus quoque ex omnibus reliquis facultatibus Monasterii, quæ vel dominico jure, vel beneficiorum consuetudine detinentur; decimæ hospitalibus divitum vel pauperum, sicut olim statutum est, ad integrum conferantur; & sarta tecta totius Monasterii ex his auxiliis quæ mansa debent, certis & opportunis temporibus instaurentur. Nos Deo, & ipsi Domino Regi uberes gratias referentes, statuimus in perpetuum immutabiliter conservanda, nec unquam ullum defectum imminutionemque passura, quamdiu Deus & Dominus noster in hac peregrinatione Ecclesiam suam dignatus fuerit gubernare. Optamus etiam ut gloriosus Dominus noster beneficiorum suorum cum Dei cultoribus Deo conferente quandoque percipiat pręmium, quibus ut congruum fuerat, suæ largitionis præbere non distulit munimentum. Nos verò memores nostri officii eosdem venerabiles fratres monemus, ut in sancta Religione quam Deo professi sunt, cotidie proficiant, & suæ sanctitatis exemplo ad se accedentes instigent, famaque laudabili ad Dei gloriam absentes quoque esse studeant imitabiles, ut eorum merito, & sæcularis respublica dirigatur, & infatigabili intercessione cunctæ res Ecclesiæ fulciantur. Si quis autem Abbas vel alia quælibet contraria persona hanc nostram constitutionem aliquâ impedire astutiâ vel corrumpere subreptione molitus fuerit, aut censum sive commodum aliquod imponere tentaverit, quæ nos ne Dei servi gravarentur, penitùs exclusimus, hac nostra admonitione comperta, nisi continuò se à malo subtraxerit, & competenti pœnitentia texerit, eum velut turbantem pacem, atque salutarem concordiam, à perceptione sacratissimi corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi separamus; Et Anathemate, quo dignus est, plectendum, donec ex corde resipiscat, decernimus, ut qui scandalum intulerit quieti ac refrigerio Deo famulantium, ipse ab eis exclusus damnationem debitam perferre cogatur. Vt autem hoc privilegium, certum jugiter obtineat vigorem, Deique famulis plenam semper conferat securitatem suscriptionibus id propriis præsentes roboravimus, & absentes fratres & Coepiscopos nostros, ut idem facere dignentur, seque nobis etiam in hoc unanimes exhibeant, obsecramus.

Vvanilo munere divino Sennensis Episcopus hoc privilegium recognovi & subscripsi.

Rodulphus Bituricensis Episcopus subscripsi.

Hincmarus nomine non merito, Remorum Episcopus ac plebis Dei famulus subscripsi.

Rotlandus Episcopus Ecclesiæ Arelatensis hoc provilegium firmavi & subscripsi.

Lieutbertus sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Episcopus.

Agius sanctæ Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Christianus Autissiodorensis Episcopus subscripsi.

Folchricus indignus Episcopus Augustæ Tricarum subscripsi.

Isaac sanctæ Lingonensis Ecclesiæ indignus Episcopus.

Herpuinus sanctæ Silvanectensis Ecclesiæ Episcopus.

Girbaldus indignus Kavillonensis Episcopus.

Ingenaldus

ANNO CHRISTI 864. — CAROLI CALVI Regis 24.

Ingenaldus Pictavorum gratiâ Dei Episcopus.
Oddo Belvacensis Episcopus in nomine sanctæ Trinitatis subscripsi.
Erchenraus sanctæ Catalaunensis Ecclesiæ indignus Episcopus.
Ragenelmus sanctæ Tornacensis Ecclesiæ indignus Episcopus.
Friculfus sanctæ Sanctonicensis Ecclesiæ indignus Episcopus.
Bernaldus sanctæ Matisconensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Altefredus Hildevisheimensis Episcopus subscripsi.
Liudo vocatus Episcopus sanctæ Nivernensis Ecclesiæ subscripsi.
Hilduinus divina miseratione vocatus Ebroïcensis Episcopus.

ANNO CHRISTI 866. — CAROLI CALVI Regis 27.

EPISTOLA EVOCATORIA HINCMARI Remensis Archiepiscopi,

Qua evocat Hincmarum Laudunensem Episcopum ad ordinandum alterum Episcopum cum aliis ejusdem Provinciæ.

Hincmarus Remorum Episcopus, dilecto fratri Hincmaro & venerabili Coepiscopo nostro, salutem.

Ex cod. Petaviano.

SICVT jam alterâ vice litteris dilectioni tuæ mandavi, Clerus ac plebs Camaracensis Ecclesiæ cum decreto canonico petierunt sibi ordinari Episcopum Ioannem Presbyterum, virum boni testimonii, ad ejus ordinationem nonis Iulii convenimus, secùs Belvacum; sed quia tua fraternitas illuc non convenit, nec pro se personam, aut litteras sui consensus direxit, ordinationem illius distulimus, propterea quoniam sicut ipse scis, eadem sedes, diu in multorum periculum, vacat Pastore; XII. Kalendas Augusti conveni cum cæteris fratribus in Monasterium quod dicitur Isla, in Belvacensi, ad eundem fratrem nostrum ex more ordinandum Episcopum. Data III. idus Iulii.

NOTA.

Hanc inserimus Epistolam, in qua de ordinando Episcopo agitur, ex occasione Conventus Episcoporum pro examine, quòd harum rerum par sit ratio atque affinitas, & ut discamus ordinem, ac modum, quibus olim Episcopi in ministeriis Ecclesiasticis obeundis usi sunt.

ANNO CHRISTI 868. — CAROLI CALVI Regis 29.

CONVENTVS EPISCOPORVM apud Carisiacum,

In quo Vvillebertus Presbyter Turonicæ Diœcesis examinatur, alibi postea consecrandus in Episcopum Catalaunensem, ut legitur in codice Leodiensi qui sic habet.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCLXVIII. indictione secunda, III. Nonas Decembris, convenientibus apud Carisiacum in Ecclesia sancti Remigii, pro examinatione Vvilleberti Presbyteri, qui futurus erat Catalaunensis Episcopus, Hincmaro Diœcesis Remensium Archiepiscopo, item Hincmaro Laudunensium Episcopo, Odone Belgivacorum Episcopo cum legatis Rothadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginalmi & Ioannis, ejusdem Diœcesis Coepiscoporum, vicem eorumdem Patrum suorum cum Tractoriis, sicut regulæ præcipiunt, exhibentibus, & quampluribus Abbatibus, Canonicis, Monachis, Presbyteris, Diaconibus, atque Subdiaconibus. Convenientibus nihilominùs Archiepiscopis & Episcopis aliarum Provinciarum, Vvenilone videlicet Rothomagensium Archiepiscopo, Herardo Turonorũ Archiepiscopo, Egilone Senonum Archiepiscopo, & Fulchrico ipsius Coepiscopo, præsentes adfuerunt Clerus, ordo & plebs Catalaunica, decessionem sui Patris Erchanrai quondam Episcopi dolentes, cum decreto canonico manibus singulorum roborato, Vvillebertumque quondam sacri Palatii Presbyterum à se electum ab Hincmaro Archiepiscopo & ejus Coepiscopis petentes sibi ordinari Episcopum. Quos invehens idem Archiepiscopus Hincmarus cur obitum prefati Episcopi per illos non cognoverit, sed per alios hoc resciierit, & rationes reddens proqua causa duæ electiones in eadem Ecclesia factæ fuerint, scilicet quia prima non regulariter facta extiterit, quoniam decretum non canonicè factum fuit, sed postea misso ad eandem Ecclesiam visitatore Odone Episcopo, & votis omnium in unum concordantibus aliud decretum quod Canonicum foret, fieri præcepit. Quo decreto coram omnibus relecto, & nominibus singulorum qui illud subscripserant recitatis, interrogati sunt tam Canonici & Monachi de Monasteriis in eadem Parochia sitis, quàm etiam Parochiani Presbyteri & nobiles laïci, si in eadem electione ipsius Vvilleberti presbyteri consentirent, qui omnes viva voce dixerunt, quòd & ipsi & illi qui illò venire non potuerunt, in eadem electione consentirent. Tunc Hincmarus Archiepiscopus dixit: Quia Vvillebertum eligitis & nos illum non cognoscimus, ostendite illum nobis, ut sciamus quis sit, & perscrutemur si tanto honore dignus inveniri poterit: qui in præsentia veniens interrogatus est, unde esset, isque respondit, Pago Turonico oriundus; iterùm intergatus cujus conditionis esset; & ille, peccatis quidem obnoxius, sed Dei gratiâ, natura liber; Item ubi didicisti? item ipse, in schola Turonica liberalibus disciplinis erudiendus traditus sum. Item cujus ordinis, vel cujus es ordinatus? item ipse, præsentis patris mei domni Herardi per

singulos gradus, usque ad Diaconum sum ordinatus, posteà autem ab eodem patre meo Herardo litteris ad Erpoinum datis, presbyterii onus suscepi. Item Hincmarus, qua de causa in nostram Diœcesim venisti? & ille, per licentiam præsentis mei Archiepiscopi Herardi à parentibus meis, regiis sum mancipatus obsequiis. Item Hincmarus, quod ministerium in regio obsequio suscepisti? & ille, inbreviator sive descriptor stipendiorum regalium, & relator à domno Rege sum constitutus. Item Hincmarus, quia conductor alienarum rerum fuisti, audi quid sanctum Calchedonense indè dicat Concilium. Et lectum est hoc Capitulum, ad quod respondit; Sicut dixi, non fui conductor alienarum rerum, nec turpia lucra vel exactiones sive tormenta in hominibus exercens, sed ut præfatus sum, descriptor, & relator solummodò stipendiorum regalium. Vnde interrogati sunt hi, qui in corte degebant, si scirent in illo ministerio hoc, illum exercuisse quod sacerdotali ministerio minimè conveniret. Qui responderunt & Clerici & nobiles Laïci, quod nullo modo in eodem ministerio perpetratum haberet, quæ sacris Canonibus & suo ministerio in aliquo obviare deberent. Iterum interrogatus est, si aliquod ministerium de rebus ecclesiasticis aliquo habuerit loco; qui respondit, quod præposituram Monasterii S. Vedasti, jubente Ioanne Episcopo, & consentientibus fratribus susceperit. Et de hac jussione litteræ Ioannis Episcopi ibi relectæ sunt, idipsum continentes, & etiam testimonio fratrum de eodem Monasterio, quod ita se res haberet, & de bona vita & conversatione sua, & quod non in eodem Monasterio quiddam contra sacras regulas egerit, confirmatum est. Prosecutus est domnus Hincmarus, quia ministeria domui Regis habuit, nescimus si iidem dominus Rex ab eo aliquid repetit vel repetere debeat, unde nobis sua voluntas vel auctoritas necessaria foret. Et porrectæ sunt litteræ cum sigillo domni Regis continentes, quòd de omnibus quæ illi commisit, optimè ei rationem reddiderit, & nihil ab eo repetebat, vel unquam repetere deberet. Insuper etsi eum dignum ad onus Episcopale invenire valerent, Episcopum Catalaunis eum ordinari petebat. Denique de his suprascriptis coram omnibus testimonio multorum & litteris idoneo approbato, Hincmarus Episcopus ad Herardum Archiepiscopum dixit; Quia vester natus, nutritus vel educatus & ordinatus dignoscitur & Clerus, ordo & plebs Catalaunica illum exposcit, habeamus vestram licentiam ut regulariter unà vobiscum eum examinemus, si tanto oneri vel honori dignus existat; qui libentissimè annuit & jussus est sedere coram eis. Data est ei regula Pastoralis Gregorii, & jussum est ut relegeret Capitulum de eo qui præesse debet ubi scribitur, (nulla ars docere præsumitur.) Quo relecto interrogatum illi est; si illud intelligeret, & secundùm hoc vivere vel docere vellet, qui respondit utique: Iterum datum ei ad relegendum Capitulum de Canonibus, ubi scribitur, *Qui Episcopus ornandinandus est*, & professus est se omnia intelligere & obedire velle; tunc relecta sunt ei placita, quæ Episcopus jam ordinatus ab ordinatoribus & electoribus suis suscipere debet, ubi continetur, qualiter vivere, docere, & subditos suos regere debet secundùm sacros Canones, diem præferentia & Consulem, & & interrogatum est, si secundùm ea omnia agere

Canon. 3.

Concil. Carthag. 4. Can. 1.

A vellet, quæ minimè abnuit. Tunc demùm ostensus est illi libellus fidei & professionis suæ, ut legeret coram omnibus, quæ in eo scripta erant; & si ea ita credere ac tenere vellet, manu sua subscriberet, & Archiepiscopo suo habenda traderet: si autem in eo quædã inveniret, quæ sensum suum offenderent, liber sicut venerat, exiret. Quibus relectis verbis fidem accommodavit, & per omnia se tenere, credere ac prędicare velle professus est. Quia enim, Deo gratias, post examinationem eum Catholicum litteratum & omnimodis aptum ad sarcinam Episcopalem suscipiendam invenerunt, sed tamen de aliena Provincia illum fore cognoverunt, relecta sunt sacrorum Canonum Capitula, quid de eo dicerent, qui de aliena Provincia peti deberet. Et B inventum est quod ab eo petere illum deberent, cujus natus nutritus & ordinatus foret. Humiliter domnus Hincmarus Archiepiscopus simul cum Coepiscopis & Clero, ordine, ac plebe Catalaunica, ab Herardo Archiepiscopo eum petiit & impetravit, ac canonicè illum ei commisit, quem susceptum monuit, ut si ab eo Episcopus ordinari vellet, libellum fidei ac professionis suæ, quem jam relegerat, & quæ in eo scripta erant, se credere ac tenere antè paululùm professus fuerat, manu sua propria in capite nomen suum scriberet, & ad finem subscriptione sua roboraret, quod sine dilatione ipse fecit, C tunc relectæ sunt tractoriæ Episcoporum, qui præ variis incommoditatibus ad eamdem examinationem venire non potuerunt, continentes quidquid super examinationem & ordinationem sæpè fati Vvilleberti canonicè inventum & actum fuerit se per omnia assensum prębere, & sic denuntiatus est dies & hora ac locus ordinationis ejus, id est nonis Decembris in Monasterio quod Britennacus dicitur in Diœcesi Remensi, & Parochia Noviomagensi, & commonitus est idem Vvilebertus ab Episcopo suo Hincmaro, ut ab infantia sua per singulos gradus suos pronunciaret Domino viam suam, quatenus in denominata die ad tanti oneris dignitatem gratiosus accedere valeret. Die autem, horâ, & loco denominato convenit Dominus Episcopus Hincmarus cum Coepiscopis suis Hincmaro, Hodone & lęgatis, qui tractorias supra- D dictas suorum Episcoporum detulerunt. Et quia jam pleniter examinatus coram suprądictis Episcopis & coram clero ac plebe fuerat, quando & domnus Hincmarus sufficientem sermonem de eo, coram Episcopis & aliis multis Clericis & laïcis & ad omnem populum ante diem dominicam in sexta feria fecerat, & brevitas diei id poscebat, intermisso ipsa die sermone, post introitum & Gloria in excelsis Deo, & orationem primam de adventu Domini, secundam autem de ordinatione Episcoporum sive post litanias, sicut sacri Canones pręcipiunt, in Episcopum consecratus est, & post lectionem Apo- E stoli perlectam & responsoria, & Alleluya, & Evangelium, & Credo in unum, & oblata, & Missarum solemnia, sicut mos est, peracta: placita, quæ antè pridem ei relecta fuerant, quæque ordinatos ab ordinatoribus suis sacri Canones accipere jubent, diem & consulem præferentia, manibus Archiepiscopi & Coepiscoporum ac legatorum vice Patrum suorum subscripta, cum Capitulo Pauli Apostoli ad Timotheum noviter ordinatum, ubi dicitur, *Testificor coram Deo & electis ejus Angelis ut hæc custodias,* 1. Tim. 4. 1.

iidem

Anno Christi 868.

iidem Episcopi in mandatis deposuerunt; & unusquisque feliciter ad propria remeavit.

Carolo Calvi Regis 29.

Quoniam in supradictis mentio fit cujusdam Capituli ex canonibus Concilii scilicet Carthaginensis IV. quod incipit, Qui Episcopus ordinandus est, *non abs re visum fuit hic integrum subjungere, ut nihil desit lectori sciendum, tum maximè quod in veteri codice Pithœano Capitulum illud sic convenienter inscribatur.*

STATVTA ECCLESIÆ antiqua pro Episcopi examine.

Ex Codice Pithœano.

QVI Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si naturâ sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vitâ castus, si sobrius, si semper suis negotiis vacans, si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Dei instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus adserat, id est Patrem & Filium, & Spiritū sanctū unum Deum esse confirmans, totamque Trinitatis Deitatem coessentialem & consubstantialem, coæternalem & coomnipotentem pręedicans, si singulam quamque in Trinitate personam, plenum Deum & totas tres personas unum Deum, si Incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantùm credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis Matris Filius, Deus verus ex Patre, & homo verus ex Matre, carnem ex Matris visceribus habens, & animam unam rationalem, simúl in eo ambæ naturæ, id est homo, & Deus, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus, Creator omnium quæ sunt & Author, & Dominus, & Rector cum Patre & Spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit veram carnis passionem, mortuus verâ sui corporis morte, resurrexit verâ resurrectione, & verâ animæ resumptione, in qua veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo, si novi & veteris testamenti, id est legis & Prophetarum & Apostolorum unum eumdemque credat Authorem & Deum: si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus; quærendum etiam ab eo, si credat hujus quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem: si credat judicium futurum, & recepturos singulos pro his, quæ in hac carne gesserunt, vel pœnas vel gloriam: si nuptias non improbet, si castitatem laudet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quàm ista quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur; si extra Ecclesiam Catholicam nullus salvetur. Cùm in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum & laïcorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum maximeque Metropolitani, vel auctoritate vel præsentiâ ordinetur Episcopus. Suscepto in nomine Christi Episcopatu, non suæ delectationi nec suis motibus, sed his Patrum definitionibus acquiescat.

Finis Conventus Episcoporum apud Cariſiacum.

Anno Christi 868.

Caroli Calvi Regis 29.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ AD RATALDVM Argentoratensem Episcopum, qui pluribus Galliarum Synodis interfuit.

De Pœnitentia illi injuncta, qui matrem occiderat.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, Reverentissimo & sanctissimo Ratoldo Episcopo sanctæ Argentoratensis Ecclesiæ.

Ex Cod. Moguntiac. Ecclesiæ.

DVM universis mundi partibus credentium agmina Principis Apostolorum liminibus properant, quidam vir nomine N. venit vestræ beatitudinis Epistolam gerens, quam nostro contulit pręsulatui, cujus paginam perlegentes, matricidam illum esse cognovimus. Quo facto multis fletibus contristati sumus, lachrymisque profusis valde doluimus, idcirco pręcipimus, & Patrum almorum censuris statuimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut annum per unum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ orans ac deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo; completo autem anni curriculo, introeundi in Ecclesiam licentiam habeat, tamen inter audientes stet, & nondum communicet; completo verò trium annorum curriculo, sacræ communionis illi gratia concedatur, oblationes verò non offerat, nisi postquam aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere pręsumat, exceptis festis diebus atque dominicis, & à Pascha usque ad Pentecosten. Et quocumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur, arma non sumat nisi contra Paganos; jejunet autem tres dies per hebdomadam usque ad vesperam: à propria quidem ac legitima sua conjuge non separetur, ne fornicationis voragine corruat, quod nolumus nec optamus. Si autem ante trium annorum cursum finis vitæ illius appro-

ANNO CHRISTI 868.

pinquaverit, corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fiat: sin autem, ut suprà statuimus, cuncta efficiantur. Tamen si illius conversationem, & lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humaniùs circa eum vestra sollicitudo pervigil appareat, mirisque omnibus demonstretur. Optamus vos in Christo bene valere.

NOTA.

Quod in tomo 3. Conciliorum Galliæ similis habeatur Epistola ejusdem Nicolai Papæ ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum, scilicet de pœnitentia injuncta illi, qui Monachum Presbyterum occiderat, ideo adteximus alteram, ut iterùm observemus erga pœnitentes disciplinam atque antiquum Ecclesiæ morem.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ Nicolai Papæ, de ordinibus sacris, ad quendam Episcopum Galliæ, qui ex parte laïci Presbyterum illi commendaverat.

Ex Cod. Flaviniacens.

ILLVD autem, frater carissime, ridiculosum sonuit, quod apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc Presbyterum esse Gerardi illustris Comitis perhibuisti. Verùm quid hoc scribens prudentia tua dicere voluerit, & quid super hujuscemodi verbo intelligeretis, fateor nos ignoramus. Nunquid Gerardus Comes illum Presbyterum consecravit? nunquid de ipsius est Diœcesi? ubi hoc legisti? ubi hoc didicisti? nisi quia Presbyteri non specialiter Ecclesiæ possessionis, aut martyrii secundùm sacras scripturas ordinantur, sed in domibus laïcorum constituuntur, cum secularibus conversantur, ut jam non Dei nec Ecclesiæ cujuslibet, sed illius Comitis & illius Ducis esse dicantur, ita ut impletum sit quod per Prophetam dicitur: *Et erit sicut populus sic Sacerdos*: quod fortasse unum est eorum, quæ cùm convenerimus unanimiter in idipsum, oportebit decentiùs emendari, & tanquam venenatum Elleborum amputari.

NICOLAI PAPÆ EPISTOLA ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem.

CAROLI CALVI Regis 29.

Nicolaus Hincmaro Remorum Archiepiscopo.

Non studio, sed ex necessitate vel ignorantia peccantes, absolvendos esse.

Ex Codice Victorino Parisiensi.

Ivo p. 14. cap. 46.

11. q. 3. Excellentissimo.

NICOLAVS servus servorum Dei, Reverentissimo & sanctiss. confratri nostro Hincmaro Archiep. excellentiss. Rex Carolus Apostolatū nostrum consuluit, quid agendum sit de his qui communicant cum his qui cum Ingeltrude sæpè damnata fœmina communicant, quoniam eam cum communicatoribus & fautoribus suis pari vinculo anathematis, constat esse astrictam: quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra auctoritate freta curam de his sumere audeat; & quia docta divinitus sanctitas tua valdè novit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia: atque aliud quod ex studio delinquitur, istudq; posteriùs duobus prioribus districtiùs esse puniendū, idcircò solerter invigilet, & cauta discretione singulorum modos dijudicet, quatenus hi qui ex necessitate vel ignorantia delinquunt, auctoritate nostra per te absolvantur: Si tamen ipsa eorum ignorantia vel necessitas vera & non simulata, & non ex voluntate processerit: quia, ut bene nosti, plerique sunt qui possunt quidem, sed nolunt recta nosse: unde Psalmista de ejusmodi ait, *Noluit intelligere ut bene ageret*, illos autem qui studio suo obligantur, ex contemptu interdicta nostra postponunt, nonnisi digna satisfactione præveniente, volumus à te prorsus absolvi. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ Nicolai Papæ, Lothario Regi.

Quòd non patiebatur in Episcopum elegi, nisi faventem sibi.

Dist. 63. Porro.

PORRO scias, quia relatum est nobis, quod quicumque ad Episcopatū in regno tuo provehendus est, non nisi faventem tibi permittas eligi. Iccirco Apostolicà auctoritate sub divini judicii obtestatione injungimus tibi, ut in Treverensi urbe & in Agrippina Coloniæ nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro fiat Apostolatui.

ANNO CHRISTI 868.

CAROLI CALVI Regis 29.

CAPITVLA VVALTERII EPISCOPI Aurelianensis.

Nunc primùm edita ex codice MS. Monasterii Rivipullensis, Ordinis sancti Benedicti, in Catalonia; beneficio meritissimi Petri Marca Archiepiscopi Tolosani.

Capitula à Vualterio Reverendo Pontifice, Compresbyteris promulgata in Synodo apud Bullensem fundum, secundo ordinationis suæ anno VIII. *Kal. Iunii celebrata.*

CAP. I.

VT Archidiaconi per sibi commissas Parochias diligēter discutiant fidem Presbyterorum, baptisma, & Missarū celebrationē, quatenus rectam fidem teneant, Baptisma Catholicum observent, & Missarum preces bene intelligant: Psalmos dignè secundùm divisiones versuum modulentur, & dominicam orationem cum

Symbolo

Anno Christi 818.

Caroli Calvi Regis 19.

Symbolo & fide Catholica ipsi intelligant, & omnibus bene pronunciare diebus feriatis insinuent ad intelligendum, ut sciat unusquisque quid petat ad Dominum, & ut gloria Patri & Filio & Spiritui sancto & Credo in unum Deum apud omnes ad Missam decantetur: & ut ipse Sacerdos cum sanctis Angelis & populo Dei una voce Sanctus Sanctus Sanctus ad Missam decantet, & omnimodis dicendum est Presbyteris, & Diaconibus ut arma non portent, sed magis se confidant in defensione Dei quàm in armis.

II.

Vt per Archidiaconos, vita, intellectus & doctrina Cardinalium Presbyterorum investigetur; vita scilicet modestiæ & sobrietatis, ac studium religiosæ conversationis in cunctis eorum actibus; intellectus verò, quomodo sit idoneus unusquisque suos fratres in fide sanctæ Trinitatis erudire, ut credant Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, unum esse Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & unam esse Deitatem & substantiam & majestatem in tribus personis, Patris & Filii & Spiritus sancti; & quemadmodum Filius Dei Incarnatus est de Spiritu sancto & Maria semper Virgine pro salute & reparatione humani generis, passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cælos, & quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare vivos & mortuos secundùm merita propria, & quia una erit resurrectio mortuorum, & quòd impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittantur, & justi cum Christo, & cum S. Angelis in vitam æternam. In doctrina verò, qualiter eos, qui tardiores sunt, de fide, spe, charitate cæterisque virtutibus verbo & probabili exemplo eos qui indigent, possit instruere secundùm Evangelicam & Apostolicam atque Canonicam instructionem, qualiter indeclinabiliter vivant, & à quibus vitiis eos oporteat abstinere, ne cum diabolo in æternam damnationem demergantur.

III.

Vt juxta sanctorum interdicta Patrum nullus Sacerdotum quamlibet sexus muliebris in domo sua cohabitare permittat, neque sine arbitris vel testibus idoneis cum aliquâ solus loqui præsumat, ne fortè sibi aut alicui famulorum derogationis suspicio oriatur.

IV.

Vt unusquisq; Presbyter sicut munditiã animæ & corporis habere salubriter admonetur, ita quibus Deo ministrandum est indumenta & altaris ornamenta, absidemque circa altare, vel potiùs imò totam ædem, ubi Sacramenta tractantur, & ubi sanctorum semper est præsentia Angelorum nitidissimè & reverenter custodienda prævideant, ne fortè cùm Missi è latere nostro unà cum Archidiacono illuc venerint, aliquid reprehensibile inveniant, unde se veriùs fraternitatem cujuspiam redarguere compellamus.

V.

Vt nullus sacrum vas aut aliquid Deo sacratum, loco pignoris, dare præsumat, nisi causâ redimendorum captivorum, aut in restauratione sartatectorum Ecclesiæ: & hoc ipsum ne fiat, nisi per licentiam Episcopi, & ut res Ecclesiæ quæ à fidelibus sunt oblatæ, nullus distrahere præsumat.

VI.

Vt unusquisque Presbyter suum habeat Clericum, quem religiosè educare procuret; & si possibiliter illi est, scholam in Ecclesia sua habere non negligat, solerterque caveat, ut quos ad erudiendum suscipit, castè sinceriterque nutriat.

VII.

Vt libros ecclesiasticos, Missalem videlicet, Evangelium, Lectionarium, Psalterium, Antiphonarium, Martyrologium & Homeliarum, per quos se & alios informare debent, habeant: & per libros bene correctos emendent, ne opus Dei cum desidiâ facere videantur. Et unusquisque Capitula de majoribus, vel minoribus vitiis, seu etiam virtutibus per quæ cognoscere possit vel prædicare subditis suis ut caveant ab insidiis diaboli: & ut semper Eucharistiam Presbyter habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut paruulus ægrotaverit, statim eum communicet, ne sine Viatico moriatur.

VIII.

Vt hospitalitatem in invicem & in omnes alacriter exerceant, quia ipse Dominus dicturus erit, in remuneratione magni diei: *hospes eram & collegistis me.* Apostolus, inquit, hospitalitatem laudans, *Per hanc quidam placuerunt Deo, Angelis hospitio susceptis.* Quòd si quis Presbyter pro paupertate hospitalitatem dicat viantibus exhibere non posse, saltem in domo sua eum libenter recipiat; salvamentum, focum aquam, stramen ad lectum ei præstet, & ad emendum quæ ei necessaria sunt, ei quærere adjuvet, nam ipsa veritas per se loquens, ait: *Si quis dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli*

Anno Christi 868.

scipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. A

IX.

Vt Presbyteri, qui necdum dotem juxta quod in capitularibus domini ac senioris nostri Karoli, videlicet gloriosissimi Regis, necnon & avi & patris illius capitulo LXXXV. continetur, ad suas ecclesias constituti sunt, ad nos referant, & divino adjutorio, nostroque consilio à senioribus suis impetrent: etsi aliquid ampliùs habuerint, debitum servitium, suis senioribus impendant.

X.

Vt Presbyteri sive Diaconi fidejussionibus & venationibus non deserviant, neque conductores existant, nec usuras exerceant aut fieri permittant: Vsura etenim est, ubi ampliùs requiritur quàm datur, verbi gratiâ, si dederis X. solidos & ampliùs requisieris, vel si dederis modicum unum frumenti, & iterum suprà, aliquid exegeris.

XI.

Vt plebibus suis denuntient; ne juramentis suis assuescant. C

XII.

Vt nemo cum excommunicatis & prædonibus manifestis, sive raptoribus, sive homicidis & sacrilegis communicet, nec Missam cantet nec Avè in via ei dicat, sepulturam non præbeat, nec ullo modo nisi corrigendi causa cum eis loquatur, & omnibus in suis parochiis morantibus diebus dominicis ad Missam pronuntient, ne talibus se conjungant, si quis aliter fecerit, sciat se damnatum, nisi pœnitentia interveniente ab omnibus Conciliis canonicè institutis, necnon à CCCXVIII. Pontificibus Nicena Synodo Spiritu sancto præordinante congregatis: nam & de his Paulus vas electionis protestatur dicens, *quia rapaces regnum Dei non possidebunt,* Ioannes quoque Apostolus de hoc ipso loquitur, *quia qui dixerit Ave, communicat operibus ejus malignis;* scimus enim, quia nulla pars Christo cum Belial, quia unusquisque, cujus opera agit, ejus filius vocatur.

XIII.

Vt jejunia à Pastoribus injuncta, diligenter observent, ne quod absit propter inobedientiam, culpabiles inveniantur.

XIV.

Vt operibus misericordiæ, hoc est eleemosynis & orationibus subditos assuescere doceant, quoniam his duabus alis propitiatio Dei obtinetur.

Carol. Calvi Regis 29.

XV.

Nè mercata diebus dominicis aut carrigationes fieri permittant, sed à vespera usque ad vesperam Resurrectio Domini honoretur.

XVI.

Vt Presbyteri vel reliqui ordinis Clerici in tabernis non bibant, nec scurrilitatibus cachinnum moventibus consuescant. Scientes quod de omni verbo otioso rationem reddent; hi maximè, quorum sermo omni tempore sale debet esse conditus, ut verbo & opere, exemplo sint & B formâ cunctis cernentibus, præstentque gratiam audientibus.

XVII.

Vt quando ad conventum quod ipsi consortia appellant, veniunt, religiosè equitent, juniores prioribus fratribus debitum honorem impendant; si quando autem in cujuslibet anniversario ad prandium Presbyteri invitantur, cum omni pudicitia & sobrietate à procaci loquacitate & rusticis cantilenis caveant, nec saltatrices in modum filiæ Herodiadis coram se turpes facere ludos permittant, sed in unum convenientes, sicut reliquos cibi & potus ministros, ita lectorem sanctæ ædificationis constituant, quatenus sacerdotalem reverentiam laudabili maturitate exhibeant, & in eorum sanctis moribus, honorificetur Deus per Iesum Christum.

XVIII.

Vt celebres Sanctorum festivitates solemni cultu observent, & observandas suis plebibus antea cognitent, hoc est Natale Domini, beati Stephani, sancti Ioannis D Evangelistæ, Innocentium, octavas Domini, Epiphaniæ, nativitatem sanctæ Mariæ, purificationem sanctæ Mariæ, assumptionem sanctæ Mariæ, Sabbato sancto, Paschæ dies VIII. Letania majore, ascensio Domini, Pentecosten, sancti Ioannis Baptistæ, sancti Petri, sancti Pauli, sancti Martini, sancti Andreæ, nostrorum præterea Patrum, quorum piis apud Dominum patrociniis vicinis juvamur, beati Evurtii de transitu, beati Aniani de transitu, beati Benedicti, beati Maximini, E beati Lifardi similiter de transitu, de inventione salutiferæ Crucis, & exaltatione ejusdem vivificæ Crucis.

XIX.

Vt quando ad Synodum bis in anno, sicut sacri Canones imprævaricabiliter docent, evocantur, seculares querelas & altercationes debitorum, ita coram prioribus fratribus, aut coram Archidiaconibus suis sopitas & rationabiliter diffinitas habeant, quatenus tunc non litigia, aut

Anno Christi 868. | Caroli Calvi Regis 28.

aut quasi forenses querimoniæ accusantium & defendentium agitentur, sed solummodo quæ ad sacrum ministerium pertinent, eo tempore tractentur, ut, aut discamus aliquid, aut doceamus in alterutrum.

XX.

Vt singuli Sacerdotum sacramenta quæ circa initiandum baptismate Christianum agenda sunt, & quæ ad visitandum & reconciliandum infirmum pertinent, & quæ defunctorum exequiis impendenda sunt, & Canones memoriter coram nobis recitare & exponere valeant: gradus quoque ecclesiasticos similiter memoriæ commendatos habeant. Et unde unicuique gradui in veteri testamento origo fuerit, & quomodo novum in idipsum concordet, & quomodo Salvator eosdem gradus in se compleverit, sano intellectu, noverint explanare.

XXI.

Vt quoscumque Presbyteri de suis Alumnis in quolibet gradu promovendos obtulerint, sicut probabilis illorum vitæ testes idonei esse debent; ita in suprascriptorum tenore sacramentorum & graduum edoctos exhibeant, quatenus & memoriter ea tenere, & intellectuosè sciant explanare.

XXII.

Vt omnes Presbyteri calculandi peritiam habeant, & suos in idipsum studiosè erudiant.

XXIII.

Sacros præterea Canones, nulli Sacerdotum ignorare permittitur, nec quicquam facere quod patrum regulis possit esse contrarium.

XXIV.

Vt nullus contra Canonum statuta quicquam agere præsumat, quoniã sicut in decretalibus Zosimi Papæ capitulo habetur secundo. Si quis interdicta despexerit, gradus sui periculo subjacebit. Idcirco beatissimi fratres, & carissimi filii, in omnibus vigilantes, auxiliante divinâ gratiâ, cavete ne per istorum seriem capitulorum aliquam reprehensionis noxam incurratis, qua interdicti laqueo, quod absit, impediamini.

Nota.

Vualterius ac Gualterius aut Vualtharius, qui & Vualterus seu Vualtherus in subscriptionibus Vermetiensis, Duziacensis primæ, Pontigonensis & Magdunensis Synodorum appellatur Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus, cujus quoque fit mentio in capitulis apud Carisiacum; is est capitulorum auctor supradictorum, tum ex eo constat quod hic fundus Bullensis, de quo in horum titulo, omnimodè pertineat adhuc ad Episcopos Aurelianenses, quique vocatur hodiè parochia sancti Georgii de Bullo in Decanatu Aurelianensi, tum etiam quod solemnia Sanctorum, qui præcipuè coluntur in hacce diœcesi, omnino commendantur in cap. 18. præterea certum est hanc Synodum Bullensem habitam fuisse sub Carolo Calvo nondum Imperatore, ut patet ex capite nono. Porro ex his Valterii subscriptionibus in prædictis Synodis liquet immediatè ipsum successisse Agio, saltem sub finem anni 866. Cùm Agius ipse subscripserit Concilio Suessionensi 3. mense Augusto ejusdem anni habito, ultra quod & in aliis mox sequentibus non compareat; contrà verò Valterius ejus successor illis intersit, & primùm quidem Synodo Vermetiensi anno 869. celebratæ. Vnde consequens est annum suæ ordinationis secundum, qui est nota temporis, quo sua edidit capitula, cadere in annum Christi 868. proindeque rejici debet aliò Anselmus quidam solo nomine notus Ecclesiæ Aurelianensis Episcopus, qui absque ulla omnino mẽtione dicti, vel facti cujuscunque, in solis etiam hujus Ecclesiæ tabulis, recensetur inter Agium & Valterium, licet posterioris ætate, tot, & tantæ Synodi convocatæ sint, queis omnibus, omnes adfuisse regni Episcopos, vel præsentes, vel per vicariam personam, hoc uno Anselmo Aurelianensi excepto, legimus in editione Conciliorum.

Anno Christi 868. | Caroli Calvi Regis 28.

CONVENTVS INCERTI LOCI Episcoporum Galliæ & Burgundiæ.

Cur congregati fuerint Patres hi omnes, causam narrat Hugo Flaviniacensis in chronico, refertque illorum rescripti fragmentum ad Adriani secundi Papæ litteras, quibus jubebat, ut nulli Episcopi ordinarentur in illis partibus, nisi quos veller Ludovicus Imperator; quam rem fortiter Episcopi respuerunt, ingentique animo contestati sunt. Hoc quidem evenisse circa initium Pontificatus Adriani, qui cadit in annum 868. idem auctor innuit; locum autem Conventus non designat. *Defuncto*, inquit, *beato Nicolao Papa, cùm imperante Ludovico successisset Adrianus, & litteras misisset Galliarum Episcopis, ut non alios ordinarent Episcopos, nisi quibus præfatus Imperator Episcopatum concederet, & ordinari mandaret, non consenserunt venerabiles Episcopi, sed congregati litteris factis communiter suggesserunt Papæ se decreta sanctorum Patrum fideliter observare velle, & secundum scita Canonum Episcopos consecraturos. Scripsit & aliam epistolam idem Adrianus Gerardo duci & Rofrido comiti, & omnibus Galliarum comitibus, ut nullius hominis favore, & gratiâ permitterent alios viros ecclesiastici ordinis in Episcopiis totius Galliæ & Burgundiæ consecrare Episcopos, nisi quos Ludovicus Imperator juberet, cui satis luculenter & honestè obviaverunt præfati venerabiles Galliarum Episcopi, litteras illas per verba singula discutientes, & quod sanctorum Patrum decretis consona non essent, humiliter suggerentes, inque hujus responsionis extremitate, fragmentũ epistolæ Nicolai Papæ interserentes, quam ad quendam Episcopum Galliæ misit de Ordinibus sacris.* Et hæc pòst addiderunt. *Quid putamus*, aiunt, *si beatissimus Papa Nicolaus in diebus suis audisset, & in litteris quasi ab apostolica Sede confectis, quod laïci Comites non permitterent in civitatibus Episcopos ordinari, nisi quos sæcularis potestas è latere suo misisset, quid inde scriberet, quo dolore moveretur? quosve gemitus daret, cùm prospiceret sacratissimum Ordinem tam illicitè tractari, & ad tantum nefas prosilire quemquam ausum, ut de Sede apostolica tam inconvenientia, & extra usum ecclesiasticum omnino scriberet: tales tunc in Gallia erant Episcopi.* Concludit ex prędictis idem ipse auctor.

*CONCILIVM VERMERIENSE, mense Aprili congregatum.

In quo accusatus Hincmarus Episcopus Laudunensis, ad Sedem apostolicam appellavit.

Synopsis eorum quæ ad hanc Synodum pertinent.

Epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Carolum Calvum Regem.

Appellatio Hincmari Episcopi Laudunensis ad Sedem apostolicam.

Ejusdem Hincmari verba satisfactionis ad eundem Carolum Regem.

Excerpta quædam tum Hincmari Remensis, tum Hincmari Laudunensis.

Confirmatio privilegiorum Monasterii Carrofensis.

Præfatio de rebus hac in Synodo gestis.

HINCMARO Laudunensi Episcopo, Hincmari Remensis nepoti, tria maximè, ut ex variis utriusque scriptis liquet, objici solebant, scilicet excommunicationes quædam immoderatæ, & injustæ; Sacramenta Regi non observata, & beneficia per vim & injuriam quibusdam ablata: infensum autem præ cęteris habuit Hincmarum patruum, tum Hincmaro instigante, Carolum quoque Regem qui propter duo posteriora, venire ipsum Hincmarum Laudunensem jusserat ad sęculare judicium, ut legitur in epistola Hincmari Remensis, quâ tandem Rex persuasus ad episcopale remisit; quare in hac primùm Synodo accusatus, cùm difficilem sibi exitum fore sentiret, ad Sedem apostolicam appellavit; Romam tamen, quò etiam ab Hadriano Papa vocabatur, ut ire liceret, non obtinuit. Rursùs annales Bertiniani ad annum 869. summam hujus Concilii exponunt his verbis. *Carolus Rex valde commotus contra Hincmarum Laudunensem Episcopum, Synodum omnium Episcoporum regni sui* VIII. *Kal. Maii* 2. *Indict. apud Vermeriam condixit, quò eundem Hincmarum Episcopum vocari precepit.*

EPISTOLA HINCMARI Archiepiscopi Remensis ad Carolum Calvum Regem, pro Hincmaro Laudunensi Episcopo.

Quod in judiciis publicis sive sæcularibus discuti Episcoporum causæ non debeant.

Hactenus mutila & interpolata ex codice Suessionensi edita, numero 29. in tomo 2. ejusdem Hincmari operum; nunc autem integra & in ordinem suum restituta ex codice MS. monasterii Rivipullensis in Catalonia, beneficio illustrissimi Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis.

Domino Carolo Regi glorioso, Hincmarus nomine non merito Remorum Episcopus ac plebis Dei famulus.

LICET antea quàm nunc proximè Remis venerim, unde mox litteras dominationi vestræ direxi, quędam ex his de quibus scriptutus sum, auditu compererim, pleniùs tamen non incerta relatione eorum posteà historiam didici. Et ut in Ariulfi & Almaberti causa, quæ initio rationabili scilicet sacris Legibus non contrario & aliquanto progressu, quia cum audientia episcopali & non in loco publico, sed in privato & familiari examine cœpta est discuti, si eodem fine terminata fuisset, sermonem non occupem inde. Dicam unde plus doleo. Audivi namque quia residentibus vobis cum fidelibus vestris, coram fratre & Coepiscopo nostro Hincmaro, filius Liudonis ad vestram dominationem se reclamavit, quia isdem frater noster ab eo exenium acceperit, & patris sui beneficium ei donaverit, & deinde ab eo irrationabiliter tulerit, & ex hac ratione fortè minùs necessaria gravitatis cautela, quæ in Episcopo non modicum est ornamentum, adeo animus vestræ serenitatis fuerit commotus, ut eumdem Episcopum coram omnibus & voce publica quamplurimis contumeliis affeceritis, quæ sacerdotali ordini à nullo homine, minimè autem à Rege, in quem sicut, & in Episcopum omnium oculi sunt intendentes, impeti competit, missa ante oculos & servata reverentia Dei, qui dicit quod sanctus Paulus de Sacerdote est interpretatus. *Principem populi tui non maledices, & diis ne detrahes*, id est Sacerdotibus. Detrahit enim & ille Sacerdotibus, qui contumelias irrogat. De quibus item Dominus dicit, *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, &c. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, Et. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit*, &c. *Honorificantes me, honorificabo; & qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Deinde jussistis pręfatum Episcopum, ut die & loco denominato, veniret ad causas vestras, id est ad judicia sęcularia, & suum advocatum de suo capite, videlicet de suo, quod ipse egit actu, id est non conscio quocumque Coepiscopo suo donaret, qui mittens ad dominationem vestram, excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi mandavit, requisita est quam patriotica lingua nominamus exoniam, quia venire nequiverit quod hactenus est inauditum, & requisito, & non invento advocato illius qui de ejus capite ex prędicta causa redderet rationem, exceptâ Ecclesiâ, & Episcopii domo ac Clericorum claustro, quicquid de rebus & facultatibus ecclesiasticis sibi in episcopali ordinatione munere Spiritus sancti ad gubernandum & dispensandum commissis acceperat, jussione vestra per Vicecomitem ipsius pagi in bannum quod jus lingua latina proscriptio confiscandi vocatur, est missum: & posteà sicut audivi per Cancellarium palatii vestri mandastis, Vice-Domino & pręposito ipsius Ecclesiæ cum non modica interminatione, ut providerent, quatenus nullum obsequium ab Ecclesiæ ipsius hominibus, nullumque subsidium de facultatibus ecclesiasticis per Clericum vel Laïcum ipse Episcopus posset habere, & Vicedominus Laïcos, cum

Act. 23. 5.
Exod. 22. 28.
Psal. 104. 15.
Zach. 2. 8.
Luc. 10. 16.
1. Reg. 2. 30.

Anno Christi 869.

Esa. 24. 2.

cum carris & operariis, & Prępositus clericos habentes beneficia huc secum adduceret, & impletum est quod olim prędictum est. *Et erit sicut populus, sic Sacerdos*, nulla discretionis lege distans à vulgo. Et nihilominus illud quod more Scripturæ ponens preteritum pro futuro prędixit beatus Ioannes Apostolus, cui cum aliis Apostolis dictum est, *Beati oculi qui vident quæ videtis*, infelicibus oculis nostris videmus, & *Sol*, inquit, *factus est niger, tanquam saccus cilicinus*. In extremo quippe hoc tempore, Sol quasi cilicinus saccus ostenditur, quia fulgens vita nos pręcedentium Episcoporum in nobis miseris ante sęcularium oculos aspera & despecta monstratur. Et licèt credendum sit de vestræ christianitatis religione, quoniam ad correptionem ipsius Episcopi hoc egeritis, tamen miranda est vestra sapientia, quæ sic medicamentum illius vulneri temperavit, ut de medicamento ipsa vulneraretur, cum Dominus mensuram in proximi dilectione talem ponat, ut proximum sicut nos ipsos & non plus nos ipsos diligamus. Fama enim quin potiùs infamia hæc, Burgundiam, Provinciam atque Italiam, penetrans Romam perveniet, & per regnum nepotis vestri, non solùm usque ad Citeriorem, verùm usque ad Germaniam ulteriorem perveniet, Aquitaniam & Septimaniam per Neustriam volitans, occupabit. Et quis oculum simplicem, id est rectam intentionem, quam in vobis nescit, putabit; ubi factum Deo contrarium & inimicum sacris Canonibus, sicut beatus Leo scribit Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia consecratis, quorum conditores in cælo cum Deo regnantes, & in terris miraculis coruscantes adhuc nobiscum in his constitutionibus vivunt, sed & legibus, quibus unà cum eisdem sacris Canonibus sancta moderatur Ecclesia, constat esse adversum? Quid enim dicent de vobis, qui audierunt quod detestabamini, & eos reprehendebatis, qui Dei Ecclesias non venerabantur, & Sacerdotibus honorem debitum, non exhibebant, & pręcipuè Romano Pontifici, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium ecclesiarum matri; cum audient quod illius filiam ac per hoc illam ipsam, quin immo universalem Ecclesiam præjudicio potiùs quàm judicio laïcorum proscripsistis, quod nec in legibus, nec in libris ecclesiasticis quemquam Christianorum Principum fecisse legimus. Et talium etiam, ut fertur, quarumdam personarum pręjudicio istud commissum admissum est, quæ & in legibus & in sacris Canonibus infames personæ notantur; Et si vigor ecclesiasticus sic vigeret, sicut tempore antecessorum vestrorum, & nostrorum prędecessorum viguit inter criminosos, quia videlicet, ut à multis dicitur, criminosi à liminibus Ecclesiæ forent extorres. Nunc autem nostra dissolutione, ut quidam dicunt, in Ecclesiam ipsi insiliunt, qui ab Ecclesia separari debuerant. Et hoc peccatis nostris in quos fines sęculorum devenerunt, meritò reputamus qui ad nostram contumeliam, non ad Ecclesiæ gloriam Sacerdotes dicimur, qui à talibus inculcamur, & ipsi de Sacerdotum capitibus judicant, quorum judicium vel compellationem liberi & sani capitis laïci, in judicio publico legaliter non reciperent, si rejicere vellent: in quo facto ut sanctus Celestinus scribit, Non est agentium causa solorum, universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur. Novum est enim quod nunc factum

Caroli Calvi Regis 29.

A est, quia non est de sub isto cælo auditum, ut Episcopus cum sua Ecclesia proscriptionis titulo ab ullo religioso Principe, laïcorum judicio usque modo fuerit confiscatus, postquam Constantinus magnus Imperator legem universis Clericis dedit, dicens: Constantinus Clericis salutem dicit. Iuxta sanctionem quam dudum meruisse perhibemini, fundos & mancipia vestra, nullus novis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis; cùm enim dicit, nullus, nemo excipitur; verùm in hac comprehensione etiam principalis potestas concluditur: Constantius quoque, licèt Arrianus fuerit, & Constans hanc immunitatem dederunt Ecclesiæ, dicentes in qualibet civitate, in quolibet oppido, vico, castello,

Cod. th. l. viii. de Episcop. & c.

Cod. eodem l. xvi.

B municipio, quicumque voto christianæ legis meritum eximiæ, singularisque virtutis omnibus intimaverit, securitate perpetuâ potiatur; gaudere enim & gloriari ex fide semper volumus, scientes magis religionibus quàm officiis & labore corporis vel sudore nostram rempublicam contineri. Valentinianus quoque & valens decreverunt, dicentes universos quos constiterit custodes ecclesiarum esse vel sanctorum locorum ac religiosis obsequiis deservire nullius attentationis molestiam sustinere decernimus. Arcadius nihilominus & Honorius. Quęcumque, inquiunt à parentibus nostris diversis sunt statura temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa sacro-sanctas ecclesias pręcipi-

Cod. eodem l. xvi.

Cod. eodem l. xix.

C mus: nihil igitur à privilegiis immutetur, omnibusque qui ecclesiis serviunt, tuitio deferatur, quia temporibus nostris addi potiùs reverentiæ cupimus quam ex his, quæ olim præstita sunt immutari. Et item iidem. Non tam novum aliquid pręsenti sanctione præcipimus quam illa quæ olim videntur indulta firmamus: privilegia igitur quæ olim reverentia religionis obtinuit, mutilari sub pœnæ etiam interminatione prohibemus, ita ut hi quoque qui Ecclesiæ obtemperant ipsius beneficiis perfruantur. Et idem iidem Augusti. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias catholicas irruens, Sacerdotibus & ministris, vel ipso cultui, locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur litteris ordinum, Magistratuum, & curatorum, & no-

Cod. eodem l. xxx.

Ib. l. xxxi.

D tariis apparitorum, quos stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum, ita ut vocabula eorum, qui agnosci potuerint, declarentur: Et si per multitudinem commissum dicitur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicentur: atque ita provinciæ moderator Sacerdotum & catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & divini cultus injuriam capitali in convictos sive confessos reos sententia noverit vindicandum: nec expectet ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi solam gloriam dereliquit.

E Sitque cunctis, non solùm liberum, sed etiam laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut ministris injurias, veluti publicum crimen persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. Quod si multitudo violenta civilis apparitionis exsecutione & adminiculo ordinum possessorumve non potuerit præsentari, quòd se armis aut locorum difficultatibus tueatur, judices armatæ apparitionis pręsidium datis ad virum spectabilem comitem Africæ litteris pręlato istius legis tenore deposcant, ut rei talium criminū non evadant. Item iidem Augusti; Si Ecclesiæ venerabilis

ANNO CHRISTI 869.

rabilis privilegia cujusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri, sicut etiam prius constitutum est, condemnatione plectatur. Multa etiam hîc poni poterant, quæ ab omnibus salubriter regnantibus, & justè judicantibus, longo tempore conservata sunt: sed scio sapientiam vestram ex iis quæ de decimo sexto libro Theodosianæ legis sunt posita, debere comprehendere, plura. Et horum Imperatorum imitantes religionem, antiqui etiam & moderni Reges Francorum, immunitates ecclesiis & servis Dei facere consueverunt, quas qui non servant, de illorum eleemosyna, sua peccata accumulant. Itaque cùm de aliis memorabilibus Imperatoribus ac Regibus loquimur, avi vestri, magni Imperatoris Caroli non est prætereunda memoria: cui cùm, sicut assolet, adulantium linguis subreptum fuerit, ut ecclesiis de rebus suis præjudicium quoddam inferret, obsistentibus Episcopis, & specialiter Paulino Patriarcha, sicut vobis bene notum esse cognosco, adeò se recognovit, & Ecclesiæ ac Episcopis satisfecit, ut præsens oris sui confessio ei non suffecerit, sed ad posteros suos qui ex illius progenie exorturi erant, confessionis & correctionis suæ scriptum manu sua firmatum transmiserit. De quo edicto partem in libro vestro qui appellatur liber capitulorum imperialium, scriptum habetur capitulo LXXVII. ubi scriptum est: [Quia juxta sanctorum Patrum traditionem novimus, res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; cuique non solùm habita conservare, verùm etiam multa, Deo opitulante conferre optamus; tamen ut ab Ecclesiasticis de non dividendis rebus, illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum, & Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel primogenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiatur.] Sicut enim Symmachus Papa ad Æonium scripsit: [Non licet cuiquã decessorum suorum ordinationem sub necessitate qualibet transgredi, sed roborando quæ à suis decessoribus bene gesta sunt, facere debet rata esse quæ gesserit.] Vnde non solùm ea quæ à decessoribus & prædecessoribus vestris bene statuta sunt servando, vos firmitatem eis dare oportet, verùm & illa quæ ipsi gessistis, & manu propria subscripsistis, & cum maxima obtestatione vos servaturos perpetuò promittentes, in manibus Sacerdotum ad vicem Dei tradidistis, ante oculos & mentis & corporis revocare debetis. Et non modica necessitas vobis incumbit, ut si contra ea in aliquo egistis, hoc quantociùs emendare, & de cætero, ne contra illa faciatis, cavere summopere procuretis. Quia enim post illam unctionem qua cum cæteris fidelibus meruistis hoc consequi, quod beatus Petrus Apostolus dicit, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*, episcopali & spiritali unctione ac benedictione, regiam dignitatem potiùs quàm terrena potestate consecuti estis, attendere subtili intellectu debetis, quoniam à definitione sancti Spiritus, quam synodali authoritate protulit, excepti non estis. [Si quis, inquit, contra suam professionem vel subscriptionem venerit, in aliquo ipse se honore privabit.] Quod licèt non fiat, sicut sæpe solet accidere, in oculis hominum; fit tamen semper in oculis Domini; sed sicut David superbiendo, quia *initium omnis peccati superbia*, faciens contra professionem suam, quam professus est dicens, *Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, & ero humilis in oculis meis*, Prophetiæ gratiam & dignitatem regiam, quam peccando perdidit, confessus coram Nathan pœnitendo recuperavit. Et sicut Petrus faciens contra professionem suam quam professus est, dicens, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; quia tertiò Dominum negaverat, tertiò confessus, ut ostendit beatus Gregorius coram omnibus Apostolis, quia flevit amarè; quod negaverat, lachrymis lavit; & Apostolatum quem negando perdiderat, confitendo & flendo recepit, ita etiam quisque confitendo & pœnitendo, ac corrigendo quæ perperè contra professionem & subscriptionem suam fecit, ad honorem redire, & in honore prævaler Domino miserante manere. Alioqui contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Christus enim Iesus, ut catholica tenet & docet Ecclesia, hanc præpositis ejusdem Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, quæ satisfactio pœnitentiæ in ipsa jam cognoscitur confessione peccati, per reconciliationis gratiam restituerent. Et hæc restitutio reconciliationis quomodo non sit contraria sacris regulis, hîc ponere non permiserunt brevitas operis, & angustia temporis. Hæc namque cum aliis quæ ibidem continentur, anno Incarnationis dominicæ DCCCXLV. mense Aprili anno VI. regni vestri, in Belgivaco civitate cum maxima contestatione cunctis diebus vitæ vestræ, vos servaturos promisistis eisdem Episcopis, qui præsentes aderant, & cæteris regni vestri Episcopis, qui corpore præsentes non aderant, & omnibus eorum successoribus, & omnibus Episcopis in regno vestro consistentibus, & in manibus eorumdem Episcoporum ad petitionem eorum dedistis. [Cap. I. Vt jus ecclesiasticum, & legem canonicam nobis ita conservetis, sicut antecessores vestri, qui hoc bene & rationabiliter observaverunt, juxta quod sciti poteritis, & Deus vobis posse dederit, nostris prædecessoribus conservaverunt. II. Quod in mea persona, nec in meo ordine, nisi fortè, quod absit, in anteà contra Deum & contra vos manifestè fecero, ut damnari canonicè debeam adversùm me & meum ordinem, ita damnabiliter non faciatis pro quacumque præterita causa, ut mihi dehonoratio aut damnatio veniat. III. Quod res ad Ecclesiam mihi commissam pertinentes, & tempore principatus vestri ablatas, ita præsentaliter restituatis, & restitutas conservetis, sicut tempore avi & patris vestri fuerunt: & excepto superposito quod in usus possidenti ũ vel ex ædificiis absumptũ est, quomodo tunc erãt, quantùm ad hoc quod res usitato nomine appellamus constat, quando vos inde illas tulistis. IV. Vt præcepta inlicita de rebus Ecclesiæ mihi commissæ à vobis facta rescindantur, & ut de cætero, ne fiant caveatis. V. Vt ab Ecclesia mihi commissa indebitas consuetudines & injustas exactationes de cætero, non exacteris, sed sic eas conservetis, sicut tempore avi & patris vestri conservatæ fuerunt. VI. Vt contra deprædatores & oppressores ecclesiarum nostrarum & rerum ad easdem pertinentium defensionem secundùm ministerium

Margin notes: CAROLI CALVI Regis 29. — Eccl. 10. — 2. Reg. 6. — Matth. 26. — Matth. 18 18. — L. 1. Capitul. c. 85. — Epist. 1. — 1. Pet. 2. 9.

ANNO CHRISTI 869.

ministerium vestrum, quantùm posse vobis Deus dederit, exhibeatis. VII. Vt præcepta quæ avus & pater vester ecclesiis nobis commissis fecerunt & firmaverunt, & stabilia conservaverunt, quæ etiam vos confirmastis, de cętero rata conservetis. VIII. Quod si vos cōtra hæc capitula, aut nos, quod absit, non malitia, nec perverso studio, sed aut per humanam fragilitatem, aut per ignorantiam vel subreptionem, non damnabiliter egerimus, mutuo hoc consilio corrigamus, & firmata deinceps convenientia maneat.] Et hæc sequentia apud Carisiacum palatium anno Incarnationis dominicæ DCCCLVIII. regni autem vestri XVIII. XII. Kalendas Aprilis vos servaturos Episcopis, & cęteris fidelibus vestris manu propria vestra firmastis. [Quantùm sciero, & rationabiliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque vestrûm secundùm suum ordinem & personam honorabo & salvabo, & honoratum ac salvatum absque ullo dolo ac damnatione vel deceptione conservabo, & unicuique competentem legem & justitiam conservabo. Et qui illam necesse habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo: sicut fidelis Rex suos fideles per rectum honorare & salvare, & unicuique competentem legem & justitiam in uno quoque ordine conservare, & indigentibus, & rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere, & pro nullo homine, ab hoc, quantùm dimittit humana fragilitas, per studium aut malivolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantùm mihi Deus intellectum & possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cùm hoc recognovero, voluntariè illud emendare curabo.] Sed & alia ex hoc firmastis, quæ hîc non posui. Et post hæc omnia & alia, quæ sæpe fidelibus vestris, & etiam in Carisiaco quando veniam petentes ab Episcopis qui adfuerunt, manus impositionem accepistis, quin & in villa Breona promisistis, nunc tantam Laudunensis Ecclesia, immo in ea omnis Ecclesia jacturam patitur, ut quod antea inauditum est, titulum proscriptionis sustineat contra decreta omnium sanctorum Episcoporum, qui Sedi Apostolicæ præsederunt, quorum omnium decreta hîc nimis est longum inserere: unde quędam causâ compendii studui ponere. Ait enim sanctus Vrbanus Papa & martyr, hinc inter cætera loquens: [Innitendum est omnibus, & fideliter custodiendum, & ullius usurpationis contumelia depellenda, ne prędia usibus secretorum cęlestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetuâ damnetur infamiâ, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ damnationis deportetur. Quoniam juxta Apostolum, *Tradere oportet hujusmodi hominem Sathanæ, ut spiritus ejus salvus sit in die Domini.*] Sanctus quoque Lucius omnibus Episcopis in partibus occidentalibus, tam in Galliis quàm in Hispaniis consistentibus scripsit, dicens: [Res ecclesiarum vestrarum & oblationes fidelium quas significastis à quibusdam irruentibus vexari, vobisque ac ecclesiis vestris offerri indubitanter, maximum est peccatum.] Et post pauca, [Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui autem pecunias vel res ecclesiasticas tulerit, sacrilegium facit. Vnde & Iudas qui pecuniam fraudavit, quæ usibus

Epist. 1.

1. Cor. 5. 5.

Epist. unica versus finem.

A Ecclesiæ, id est pauperibus quos Ecclesia pascere debet, distribuebat jussu Salvatoris, cujus vicem Episcopi tenent, non solùm fur, sed & fur sacrilegus effectus est.] Et item post aliquanta: [Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc successores eorum & omnium Catholicorum Patrum verant decreta, & tales pręsumptiones sacrilegia esse dijudicant, quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores, & Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores, unà vobiscum à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematisatos, Apostolicâ authoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus, & non solùm eos, sed & omnes B consentientes eis, quia non solùm qui faciunt, rei judicantur, sed etiam qui facientibus, consentiunt; par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit.] Et sanctus Stephanus Papa & martyr: [Quicquid in sacraris Deo rebus, & Episcopis injustè agitur, pro sacrilegio reputabitur.] Et quia scriptum est, *In ore duorum vel trium testium, stabit omne verbum*, pro omnium hoc similiter decernētium Sedis apostolicæ Pontificum decretis ista tria luminaria ad illuminanda corda eorum qui in Deum credunt, & jussa atque mandata illius custodire desiderant, sufficere posse putamus. Episcopis autem res ac facultates ecclesiasticas Domini, & Apostolorum ejus traditione, ipsius sanctæ & primæ Sedis, omnes Pontifices commiserunt. De quibus C propter prolixitatem operis & brevitatem temporis & festinantiam, hæc ad vos transmissionis collectione hîc omisi connectere, & in suis locis, si vobis placet, potestis ex integro legere. Sed & Antiocheni Canones ita inde præcipiunt: [Quæ sunt Ecclesiæ, sub omni sollicitudine & conscientia bona & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat, judicatque, serventur: quæ etiam dispensanda sunt, judicio & potestate Pontificis cui commissus est populus & animæ quæ intra Ecclesiam congregātur.] Et item: [Episcopus rerum ecclesiasticarum habet potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent cum summa reverentia & timore Dei. Participet autem D & ipse quibus indiget; si tamen indiget, tam suis quàm fratrum qui ab eo suscipiuntur necessariis usibus profuturis.] Et reliqua. Et Gangrenses Canones dicunt: [Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel ejus cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cùm ejus voluerit agere consilio, anathema sit.] Et item: [Si quis dederit vel acceperit oblata, præter Episcopum, vel ejus qui constitutus est ab eo, ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit anathema sit.] Et adeò res & facultates Ecclesiæ potestati Episcopi, sancto Spiritu decernente committuntur, ut à magno E Synodo Chalcedonensi, etiam post mortem Episcopi, reditus Ecclesiæ viduatæ futuro Episcopo penes œconomum ejusdem Ecclesiæ integrè conservari jubeantur. De quibus sive vivente, sive defuncto Episcopo, quicumque, quocumque ingenio unde gravetur Ecclesia, per angarias vel indebitas pensiones exigunt: sine timore, ne sacrilegium admittant esse non possunt, etiamsi non violenter rapiant, sed quasi prudenti ingenio injustè accipiant; cùm eos conscientia quacumque sinistra intentione in conspectu Domini cor intuentis, accuset. Præsertim cùm Ioannes dicat, *Si cor nostrum non*

CAROLI CALVI Regis 29.

Epist. 2. sub initium.

Matth. 18. 16.

Can. XXIV.

Can. XXV.

Can. VII.

Can. VIII.

Can. XXV.

1. Ioan. 3. 20.

 repre-

Anno Christi 869.

reprehenderit nos, major est Deus corde nostro, & novit omnia. Et Paulus, *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Siquidem dicente eodem, *Sustinetis, si quis accipit*, accipere, ut exponit Gregorius interdum intelligitur rapere. Vnde & aves illæ quæ rapiendis avibus sunt avidæ, accipitres vocant; Claret namque, & ex legibus quas probat Ecclesia, ejus inspiratione prolatis, per quem conditores legum justa decernunt, & ex sacris Canonibus, quia contra divina jussa est, Episcopum cum rebus & facultatibus Ecclesiæ suæ titulo proscriptionis damnari, qui hanc potestatem divinitus per sacros Canones habet, in quibus decretum est.[Si quis de potentibus clericum aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum expoliaverit & mandaverit ad ipsum Episcopus, ut eum audiat, & hic contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos, & quoscumque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat & reddat aliena.] Quia verò Episcopus vel quilibet ex ordine ecclesiastico clericus, relicto ecclesiastico judicio ad publica judicia ire non debeat, Paulus Apostolus Spiritum Dei habens Christo in se loquente fortiter prohibet: qua nimirum authoritate Canones Carthaginenses præcipiunt dicentes. [Quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum seu clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota; si relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum admittat, & hoc in criminali: in civili verò perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit.] Et Africanũ Concilium [Quicumque scilicet clericorum ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur, Si autem episcopale judicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit.] Quod & leges, quibus cum sacris Canonibus sancta moderatur Ecclesia, ita in xvi. lib. Theodosianæ legis confirmant, sanciente Constantino Imperatore, dicentes mansuetudinis, inquit, nostræ lege prohibemus in judiciis Episcopos accusari, ne, dum adfutura, ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut opportuna atque commoda cunctorum quæstionibus convenientia cõmodetur. Et interpretatio ejusdem legis. [Specialiter prohibetur, ne quis audeat apud judices publicos Episcopum accusare, sed in Episcoporum audientiam perferre non differat, quicquid sibi pro qualitate negotii putat posse competere, ut in Episcoporum aliorum judicio quæ asserit contra Episcopum debeant diffiniri.] Et item Valens Gratianus & Valentinianus. [Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis ecclesiasticis obtinendus est, ut si quæ sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia locis suis, & à suæ diœceseos Synodis audiantur.] Et reliqua. Et interpretatio ejusdem legis, quoties ex qualiber re ad religionem pertinente inter clericos fuerit nata contentio, id specialiter observetur, ut convocatis ab Episcopo diœcesaneis Presbyteris, quæ in contentionem venerint, judicio terminentur, & reliqua. Et Theodosius Christianissimus Imperator, & beati Ambrosii, immo per eum Domini humillimus auditor ad Optatum Augustalem in lata lege ad locum. [Cõtinua lege sancimus nomina Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia, sive ordinariorum, sive extraordinariorum judicum pertrahantur. Habent illi judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus, & reliqua. Et item idem, inquit, clericos non nisi apud Episcopos accusari convenit. Igitur si Episcopus vel Presbyter, Diaconus, & quicumque inferioris loci, Christianæ legis minister apud Episcopum, siquidem alibi non oportet, à qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripiet, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre: si quis ergo contra ejusmodi personas non probanda detulerit, authoritate hujus sanctionis intelligat, sive jacturæ famæ propriæ subjacere, ut damno pudoris, existimationisque dispendio discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari, saltem de cętero non licere. Quæ sit autem jactura infamiæ propriæ, & quæ sint personæ infames, leges Romanæ ac Canones; sed & decreta Sedis Romanæ Pontificum, multoties inde loquentes exponunt, inter quos beatus Stephanus sancto Hilario scribens, ita dicit. [Quod verò consuluisti Sedem Apostolicam, qui sint infames, aut qui ad gradus ecclesiasticos non sint admittendi, & nosse te credimus, & pro authoritate Sedis Apostolicæ te informare non denegamus. Infames autem eas esse personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui christianæ legis normam abjiciunt, & statuta ecclesiastica contemnunt, similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulchrorum quoque violatores, & Apostolorum atque successorum eorum, reliquorumque sanctorum Patrum statuta libenter violantes, & omnes, qui adversùs Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur: similiter & incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injustè, & qui fratres calumniantur aut accusant, & non probant, vel qui contra innocentes, Principum animos ad iracundiam provocant, & omnes anathematisatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, & omnes quos ecclesiasticæ vel sęculi leges infames pronuntiant: hos verò non ad sacros Ordines, licet promovere, nec servos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec digamos, nec eos qui curiæ deserviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanã non habent mentem, vel intellectum aut inobedientes Sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur: hi omnes, nec ad sacros gradus debent provehi, nec isti, nec liberti, neque suspecti, nec rectam fidem, vel dignam conversationem non habentes, summos Sacerdotes possunt accusare. Et secundùm Africæ provinciæ Canones, criminosi, quos dicit Dominus ex his quæ de corde procedunt coinquinatos, quosque docet Apostolus à regno Dei exclusos, excommunicati etiam & omnes infamiæ maculis aspersi, omnesque quos ad accusanda publicè crimina leges publicæ non admittunt, ecclesiasticos clericos nisi in propriis causis accusare non possunt, nec ad testimonium adversùs

Marginalia: 1. Cor. 4. 4. — 1. cor. 11. 20. — Afr. Can. 15. — Ibid. Can. 104. — Cod. Th. de Episcop. lege 12. — Cod. eodem l. xxiii. — Caroli Calvi Regis 29. — Cod. eodem post finem lib. xvi. — Cod. eodem L. xli. — Conc. African. Can. 95. 96. Matth. 15. 18. 10. cor. 15. 50.

ANNO CHRISTI 869.

adverſùs eos recipiuntur. Quia verò Chriſtiani ac religioſi Principes ſicut & ſuprà oſtendimus, Eccleſiæ Clericos ad judicia publica trahi vel invitari noluerunt, vel permiſerunt in edicto Honorii, & Theodoſii luce clarius manifeſtatur, & qualiter eum habuerint, qui hoc agere contra Deum præſumpſit, in eodem edicto demõſtrant, dicentes: [Privilegia Eccleſiarum omnium quæ ſeculo noſtro tyrannus inviderat, prona devotione revocamus, ſcilicèt, ut quæcumque à divis Principibus conſtituta ſunt, vel quæ ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarunt, ſub pœna à ſacrilegii jugi ſolidatâ æternitate ſerventur. Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſeculares judices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus. Fas enim non eſt, uti divini muneris miniſtri, temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. [Vnde ſanctus Leo cum Synodo Bituricis habita, Sarmationi & cæteris Epiſcopis ſcribit dicens. [Tantam ſæculi poteſtates circa Sacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerunt; etiam hi quos ſub Imperiali nomine terris divina potentia præeſſe præcepit, ut jus diſtinguendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis juxta divalia conſtituta permiſerint. Quod cum & juris antiqui edictis, & in latis frequentiùs ſit legibus confirmatum, præſenti tempore à pleriſque invenimus fuiſſe calcatum, nam prætermiſſo Sacerdotali judicio paſſim ad examen ſæcularium tranſierunt, quo circa nobis viſum eſt, ut hanc, & ſacrarum legum, & ordinis noſtri contumeliam, & ad præſens ulciſceretur plena diſtrictio, & obſervandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque, ut quicumque prætermiſſo Sacerdote Eccleſiæ ſuæ ad diſceptationem venerit ſecularium ſacris liminibus expulſus à celeſti arceatur altario.] Et reliqua quæ inde ibi proſequitur. Epiſcopi ſiquidem & reliqui Eccleſiaſtici Clerici ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, & ſacros Canones ac leges, ex quarum ſenſu magna pars in eiſdem, ſed & in decretis ſedis Romanæ Pontificum, ad regularia exequenda judicia habetur inſerta velut de ſingulis ſubter commemoratis ibidem poteſtis relegere. [Si accuſantur in eis locis unde ſunt ipſi accuſati, cauſa finietur. Et nemo eorum rebus vel ſuis facultatibus ſpoliatus à quoquam de quacumque cauſa interpellatus reddet canonicè ac legaliter ratione, donec inde reſtitutus eſt, & eis legitimè uſus, & ſic demum regulariter ſit ad judicium evocatus. Et non de crimine neque de civili cauſa apud ſeculares judicari, neque ad ſecularia judicia debent invitari vel trahi, ſicut tunc temporis fiebat, quando Chriſti nomen ab infidelibus non reverebatur. [Vnde Iacobus Apoſtolus ſcribit fidelibus, *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia?* Nec Clericus, minimè autem Epiſcopus publicis judiciis ſe poteſt purgare, quia nec poteſt ullius alterius niſi Epiſcoporum, & ſuorum regularium judicum ſubdi vel teneri judicio, neque cuiquam licet Epiſcopum, vel alicujus ordinis clericum quolibet modo damnare, niſi canonico Epiſcoporum judicatum judicio, vel ſi cauſa exegerit regulari eorum petitione: quot autem & quibus modis excedens Epiſcopus, ab aliis Epiſcopis debeat corripi vel judicari, Canones ſacri demonſtrant, quos qui diligenter advertit, in eiſdem regulis comprehendit, quos & ego hîc ponerem, ſi neceſſe foreputarem. De ſibi autem

Cod. Theod. de Epiſcop. &c. L. xlvii.

Epiſt. xlvi.

Codice Afr. Can. 30.

Iac. 2. 6.

CAROLI CALVI Regis 29.

A commiſſæ Eccleſiæ rebus ac mancipiis, quæ licèt legaliter, nam aliter non debent, in bannum mittantur, tamen ſicut ipſi meliùs ſcitis, ſicut res hominum liberorum non poſſunt in fiſcum redigi, quæ ſunt Deo dicata, Epiſcopus ſecundùm leges quas Eccleſia recipit, & venerabiliter comprobat, & ſecundùm ſacros Canones ac decreta ſedis Romanæ Pontificum, advocatum publicis judiciis dare debet. Ex capite autem ſuo tam pro crimine quàm pro civili cauſa aut apud electos judices, de quibus, & ſicut ſacræ leges definiunt, aut ipſe in Synodo coram Epiſcopis debet reddere rationem: ſicut Arcadius, Honorius & Theodoſius in edicto ſuo decreverunt dicentes.
B [Privilegia quæ Eccleſiis, & Clericis legum decernit authoritas, hac quoque præceptione ſancta & inviolata permanere decernimus: atque hoc ipſis præcipuum ac ſingulare deferimus, ut quæcumque de nobis ad Eccleſiam tantum pertinentium, ſpecialiter fuerint impetrata, non per coronatos, ſed per advocatos eorum arbitratu & judicibus innoteſcat, & ſortiatur effectum. Sacerdotes verò Provinciæ erunt ſolliciti, ne ſub hac ſcilicet privilegii excuſatione etiam contra eorum utilitatem aliquid iis inferatur incommodum.] In hoc namque Capitulo evidenter oſtenditur, quia de his quæ ſunt Eccleſiæ, & quæ ab Imperatoribus, id eſt, eorum liberalitate ac per eorum leges collata ad Eccleſiam pertinent,
C Eccleſiaſtici Clerici advocatos judicibus, & non de ſe dare debent: cùm enim dicit quæcunque de nobis ad Eccleſiam tantum pertinentium ſpecialiter fuerint impetrata, non Eccleſiaſtici Clerici, minimè autem caput Epiſcopi comprehendi, cui tuendi Clericos curam committit. Et in primo libro Capitulorum noſtrorum Imperatorum, veſtrorum autem progenitorum præcipitur, ut Epiſcopi ſuffraganei ad Metropolitanum reſpiciant. Et Clerici Eccleſiaſtici, ſi culpam incurrerint, vel inter ſe negotium aliquod habuerint, apud Eccleſiaſticos judicentur non apud ſæculares. Et ſanctus Papa Gelaſius in decretis ſuis ad Epiſcopos parvipendentes fratrum vexationes, cum digna increpa-
D tione ſcribit dicens. [Cur non compaſſi eſtis tantis fratribus veſtris? Cur non adiſtis Imperatorem? cur non Eccleſiæ cauſam & Sacerdotum miſerabilem decolorationem continuatis vocibus defleviſtis, allegantes nunquam de Pontificibus niſi Eccleſiam judicaſſe? Non eſt humanarum legum de talibus ferre ſententiam abſque Eccleſiæ principaliter conſtitutis Pontificibus. Obſequi ſolere Principes Chriſtianos decretis Eccleſiæ, non ſuam præponere eſt poteſtatem. Epiſcopis caput ſubdere principem ſolitum, non de eorum capitibus judicare. Vnde conſtat quia ſi non licet Principi, nec cuiquam alteri licet, niſi Epiſcopis de Epiſcoporum capitibus judica-
E re, quinetiam ipſæ leges publicæ Eccleſiaſticis regulis obſequentes, tales perſonas non niſi ab Epiſcopis ſanxerunt judicari.] Et item Gelaſius ad Anaſtaſium Imperatorem, [Duo ſunt, inquit, Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hîc regitur, authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas, in quibus tantò gravius eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim, fili clementiſſime, quoniam licet præſideas humano generi dignitate rerum, tamen Præſulibus divinitatis intuitu devotus, colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis;

Cod. Theod. de Epiſc. &c. L. xxxviii.

Lib. 1. Capit. cap. 8. & 10.

Epiſt. ad Orientales.

Epiſt. 10.

Anno Christi 869.

expetis: inque sumendis celestibus Sacramentis eisque ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potiùs, quam preesse. Itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatē. Si enim quantùm ad ordinem publicè pertinet disciplinæ, cognoscentes tibi Imperium superna dispositione conlatum, legibus tuis ipsi quoque parem religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ, quo, oro te, decet affectu, & convenit eis obedire, qui pręrogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus siluisse pro divinitatis cultu quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui cùm debeant parere, despiciunt.] Vnde carissimum & venerabilissimū mihi caput verbis beati Gregorii ex homilia Evangelii devotissimam Christianitatem vęstram alloquar dicens. [Si nos indignos & qualescumque Sacerdotes forsitan dignè despicitis, in mente tamen vestra vocantis vos per indignitatem nostram ad celestia regna Domini reverentiam servate. Sępè enim solet evenire quod dico, ut persona potens famulum habeat despectum. Cumque per eum suis fortè vel extraneis aliquod responsum mandat, non despicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde reverentia mittentis Domini, nec pensant, qui audiunt per quem, sed quid, vel à quo audiunt.] Et si in nobis discernitis mores & conversationem ac dignitatem meritorum, attendere tamen, & in Dei honore non solùm venerari, sed & revereri debetis unum per omnes Episcopos sanctissimum sacerdotium. Quia ut sanctus Symmachus Papa scribit, Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites Sacerdotiū, nec sanctiùs in justo, nec minùs in peccatore. Sic & sol iste visibilis, quando splendet in aurum, non ipse est pulchrior, sed aurum splendidius reddit, quando autem radios suos emittit in fimum, clariùs fimus quod est apparet. Sol autem cùm radios suos inde retrahit, nullam inde immunditiam contrahit. Et sive Sanctus sive peccator Sacramenta cęlestia vobis tribuat, ipsa Sacramenta in se sunt inviolabilia & perfecta. Quia quisquis in nomine sanctæ Trinitatis baptiset, ut Evangelica veritas monstrat, super quem Baptista Ioannes Spiritum descendisse, & in eo mansisse vidit, ipse est qui baptisat. Quisquis autem Sacramenta cęlestia Catholicè consecret, qui dixit, *hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, ipse est qui consecrat; Non igitur vilipendatis, si in nobis reprehensibilia videris, quia quid in secreto suæ divinitatis de nobis vel de vobis disponat terribilis in Consiliis super filios hominum, ignoratis. Recordari denique potestis vos mihi dixisse, quia sicut vobis dixeram ordinem discussionis, quando quis de Beneficio ab Episcopo sibi tulto ad vos se reclamaverit, qualiter ipsam rationem discuti jubere deberetis. Ita & postea legisse vos contigit, & hoc antecessores & progenitores vestros tenuisse, & vos velle tenere. Quem ordinem si tenueritis, & Dominum in vestra jussione non offendetis, & Ecclesiasticam authoritatem servabitis, & dignitatem vestram honorabitis, & æquitatem atque justitiam erga eum de quo reclamatur, & erga eum qui se reclamaverit, exequemini. Et hoc sancti & clarissimi progenitores vestri viderunt & servaverunt, & vos adulantium & fortè aliter quam

Hom. 16. in Evang.

Ioan. 1. 33. 1. Cor. 11. 25.

Caroli Calvi Regis 29.

A se veritas habeat, vobis suggerentium, linguis facile ad sensum contra vestram, quod absit, salutem, & ministerii dignitatem accommodare nequaquam debetis. Porro Episcopus dispositis quæ sunt Ecclesiæ, ac suis, Ecclesiasticorum nihilominus & pauperum hospitumque subsidiis cum de rebus Ecclesiæ propter militiam beneficium donat, aut filiis patrum, qui eisdem Ecclesiæ profuerunt, & patribus utiliter succedere potuerunt; quoniam, vt quidā scripsit, nisi Vitulus nutriatur, Bos aratro non jungitur, aut talibus dare debet, qui idonei sint reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo, exceptis hujusmodi Beneficiis, quæ ministris Ecclesiæ & sibi necessariis, sive quibus esse nec demus nec possumus, tribuenda sunt, jubente Do-
B mino. *Non obturabis os bovi trituranti*, qui homines militares studere debent ut secundùm quantitatem & qualitatem Beneficii, illud erga Episcopum, ac per hoc erga Ecclesiā fideliter & utiliter deserviant, & regio obsequio ad defensionem generaliter sanctæ Dei Ecclesiæ, sed & specialiter ipsius Ecclesiæ proficere valeant. A quibus vel ab eo, qui diu & Ecclesiæ utilitatibus ac necessitatibus profuit, & reipublicæ, ac militiæ utilis fuit, & infirmitate vel ætate confectus jam per seipsum ea exequi non valet, pręcipuè autem sibi servientem filium habenti, qui pro eo hæc valeat exequi, si Episcopus Beneficium qua-
C cumque occasione abstulerit, & à vicini Episcopi monitis & precibus, vel cujus alterius justitiam obtinere nequiverit, non abhorret à ratione, si non accuset Episcopum ad publicos Iudices, quod non licet, sed ad vos se reclamet. De Beneficio militiæ quasi de stipendiis & roga, quæ antea sicut hodiéque fit alibi, dabantur militibus de publico, & aucta fidelium devotione apud nostrates, Beneficia de rebus Ecclesiasticis, quæ sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, alimoniæ Domini servorum, & ancillarum, cum aliis exeniis obsecutoribus Principis dispensandis causa suæ defensionis Regiae
D reipublicæ vectigalia, quæ nobis annua dona vocantur, pręstat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus: *Cui honorem, honorem, cui vectigal, Vectigal*, subauditur, pręstate Regi ac defensoribus vestris. Qui ergo stipendia Ecclesiæ cujuscumque sint ordinis, loci vel dignitatis accipiunt, si pro illius salute, ac quietis honore atque defensione sollicitè, & pro viribus non laborant indignè, quin & ad judicium illa sibi usurpant: quia sicut res & facultates Ecclesiæ, sunt Episcopo ad disponendum & dispensandum commissæ, ita Regiæ potestati commissæ sunt ad defendendum atque tuendum. Et per jura regum,
E Ecclesia possidet possessiones, sicut sanctus Augustinus in sermone Ioannis Evangelii dicit. [Leguntur, inquiens, leges manifestæ, ubi pręceperunt Imperatores, eos qui pręter Ecclesiæ Catholicæ communionē usurpant, sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid nobis, inquiunt, & Imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur, & tamen Apostolus voluit honorari reges, & dixit, regem veneremini. Noli dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? per jura Regum possidentur possessiones Dixisti, Quid mihi & Regi? Noli, dicere possessiones tuas, qui in ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones.] Et in lege data Eccl. ab Honor. & Theod. Imperatoribus,

1. Tim. 5. 18.

Rom. 13. 7.

ANNO CHRISTI 869.

bus, præcipitur, ut cùm Presbyteri vel Diaconi, vel cæteri Clerici apud Epiſ. fuerint accuſati, Epiſcopus hujuſmodi cauſas ſub teſtificatione multorum actis audiat, quatenus ſi probati fuerint innocẽtes, plurimis innoteſcat; & Apoſtolus dicit, *Oportet Epiſcopũ habere teſtimonium bonum, ab his etiam qui foris ſunt.* Quoniam in palatio à reclamante divulgatum eſt, quod injuſtè fecerit Epiſcopus. Bonum eſt ut ejus innocentia, ſi juſtè egit, etiam ſecularibus innoteſcat. Et quoniam Sardicenſes Canones pro his, qui iniqua vi opprimuntur, Comitatum adire jubent Epiſcopum, & reipublicæ militans apud vos ſe ab Epiſcopo queritur Spoliatum. Et ſacræ leges ad judicium electorum judicum, utramque partem, ſcilicet & querentem, & contra quem queritur, ut & ſanctus decrevit Gregorius de cauſis in legibus conſtitutis, mora ceſſante non tantùm provocari verùm & cogi jubent; ſi laïca perſona Epiſcopale abnuerit eligere judicium, quod Epiſcopo non licet refugere. Ratio eſt & non obſiſtit authoritati: ut cum Coepiſcopis Epiſcopi, contra quem ad vos pro Beneficio ſibi injuſtè ablato quis reclamat, quia indignum eſt vos ipſum inde laborare, Miſſos veſtros ab eo petitos, vel à vobis deputatos mittatis, qui utriuſque partis rationem audiant & ſecundùm humanas & divinas leges diſcernant, ne Eccleſia jacturam in clamatore injuſtitiæ & homine inutili ſuſtineat, & ne homo utilis & clamator juſtitiæ injuſtitiam, & detrimentum veſtra militia patiatur, & hoc non in publico, ſed in privato loco fiat: ne ſicut ſacri Canones dicunt, magnatis ſi fortè exceſſerat, non eſt enim homo juſtus in terra ut Salomon dicit, *qui faciat bonum & non peccet:* & Apoſtolus, *in multis offendimus omnes,* verecundiam patiatur, & Epiſcopus fratribus, & ſuis judicibus ſecundùm ſacros Canones dicentes per Epiſcopos judices cauſa finiatur, obediat Et hoc modo militiæ veſtræ legibus juſtè conditis, quia ſcriptum per ſapientiam, quæ Deus eſt, conditores legum, juſta decernunt, ſi juſtam querimoniam habet, juſtitiam ſuam obtineat: ſi etiam injuſta queſtus fuerit, os ejus legaliter Miſſis veſtris decernentibus, obſtruatur. ſicut enim ſanctus Auguſtinus in ſermone Ioannis Evangelii dicit. [Iuris forenſis eſt, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit quod impetravit, ſed hoc inter homines, quia poteſt falli homo, potuit falli Imperator, quando preces miſiſti, dixiſti enim quod voluiſti; & cui dixiſti, neſcit an verum ſit, dimiſit te adverſario tuo convincendum: Et ſi ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille non præſtare, neſciens an fuerit mentitus. Ibi careas ipſo Beneficio, quod impetraſti.] Ipſam autem legem à tanto viro expoſitam, hîc non vidi ponendam. Vnde conſtat, quia ſi carere debet eo, quod per mendacium impetravit, cautius eſt, ut inveſtigetur veritas, antequam per mendacium quiddam, niſi inquiſitionem, impetret, dicente ſancto & cauto Rege, cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam. Et ſi Epiſcopus à ſe electorum vel à primate ſuo deputatorum Epiſcoporum judicium aut Synodi Canonicis judiciis, ut quod ſecus quam debuerit, egit, emendet, obedire voluerit, habemus inde ſacris Canonibus decretum judicium quod debeat ſuſtinere. Et ſi homo veſtræ militiæ veſtris miſſis, & legibus ſæculi, ut ab injuſto clamatore quieſcat, parere contempſerit, habetur judicium in capitulis de

1. Timot. 3. 7.
Can. 9.
Eccl. 7. 21.
Iob. cap. 29.

CAROLI CALVI Regis 29.

A his, qui vel injuſtè per calumniam ſuper alios queruntur, vel qui judicatam reperunt cauſam. Propterea Domine Chriſtianiſſime ac ſapientiſſime, providete veſtræ ſaluti, providete honori, providete bonæ famæ, quam longè latéque habetis, & de Eccleſiarum ditatione & de Sacerdotum ac ſervorum Dei veneratione, & nolite maculare illam glorioſam famam veſtram, propter cujuſcumque ſocordiam, etiam nec pro cujuſcumque ejectione, ſimulantes crudelitatem in actione, quam non habetis in mente & facientes aut præcipientes quod dignitati nominis veſtri non convenit. Legentes in libro Machabæorum quid Eleazarus cùm à ſuis familiaribus quod famã B ſuam non decebat, ſuaderetur, reſpondit, *Non,* inquiens, *ætatem noſtram dignum eſt fingere, ut multi adoleſcentium arbitrant Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ Senectuti conquiram.* Quod enim ille de corporis Senectute dixit, vos in miniſterii & nominis ac ſapientiæ dignitate neceſſe eſt intelligere, dicente Domino ad Moyſem, *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti quòd Senes populi ſint.* Vnde ſanctus Gregorius. [Sicut plerumque juvenes dici ſolent, qui nulla conſilii gravitate C deprimuntur, ita Senes Scripturâ ſacra vocare conſuevit, qui non ſolùm quantitate temporum, ſed morum grandævitate maturi ſunt. Vnde per quendam ſapientem dicitur. Senectus venerabilis eſt, non diurna neque numero annorum computata: Cani ſunt autem ſenſus hominis & ætas Senectutis vita immaculata. Hinc eſt ergo quod ad Moyſem Dominus dicit, congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti, quod Senes populi ſint, in quibus quid aliud quam Senectus cordis requiritur, cum tales jubentur eligi qui Senes ſciuntur, ſi enim Senectus in eis corporis quæreretur, à tantis ſciri poterant, à quantis videri: Dum verò dicitur, tu noſti quod Senes populi ſint, profectò liquet, D quia Senectus mentis non corporis, eligenda nuntiatur. Quia Domine, cariſſima, & venerabilis dominatio veſtra, immo divina juſſio mihi præcepit & ego inde ſum voluntarius debitor, ut quæ ad ſalutẽ veſtri nominis ac miniſterii dignitatem pertinere ſcio, non taceam, humiliter poſtulans moneo, quatenus ſapientia veſtra recogitet & quod exordinatum eſt, ordinet, ne diutiùs hæc irreverentia erga Dei Eccleſiam maneat, & quantociùs ſcandalum in Epiſcopos excitatum competenti ſatisfactione ſedetur, & ideò hinc tam inſultanter ſcribo, quia propter legem regum tacere quæ ſaluti, & utilitati veſtræ neceſſaria eſſe cognoſco, non audeo: ad cujus ju-E dicium vos & ego in conſpectu totius humani generis, omniumque Angelorum atque Archangelorum veniemus; ubi reddemus rationem non ſolùm de propriarum perſonarum actionibus, loqutionibus atque cogitationibus, verùm & de miniſteriorum ſuſceptorum officiis, qualiter in eis, ea quæ ad miniſteria pertinent, ſincero corde & juſtis actibus egerimus, dicente ipſo, *Iuſtè quod juſtum eſt, exequaris.* Iuſtè ergo juſtum exequi, eſt in adſertione juſtitiæ ſolam juſtitiam quærere: nam ſi quod mihi eſt dicendum & vobis eſt audiendum tacuero, illud væ incurrere timeo quod Dominus, per Prophetam nobis miſeris Sacerdotibus comminatur dicens:

2. Machab. 6. 24.
Num. 11. 16.
Deut. 16.

Anno Christi 869

Caroli Calvi Regis 29.

cens: *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Pulvillos quippe sub omni cubitu manus ponere est, cadentes à sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se dilectione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Sed hæc rectores qui semetipsos diligunt, his proculdubio exhibent, à quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. Et idem Dominus per Moysem præcipit, ut tabernaculum ingrediens Sacerdos, tintinnabulis ambiatur, quatenus voces prædicationis habeat, ne superni inspectoris judicium ex silentio, offendat. Scriptum quippe est: [Vt audiatur sonitus, quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit.] De quibuslibet Sacerdotibus Dominus dicit, *Canes muti non valentes latrare*, Et quibus in uno comminatur, per Ezechielem Prophetam, dicens, *Si Sacerdos non distinxerit populo, ipse quidem populus in peccato suo morietur: Animam tamen ejus de manu Sacerdotis requiram.* Non ait, quia extra peccatum populus est, non morietur, sed quia in peccato suo morietur: sed populus quidem pro seipso tantùm, Sacerdos verò etiam pro populo. Et quia nos si tacemus, quæ ut dixi, nobis dicenda & vobis audienda sunt, peccatum incurrimus: & vos, si audita, quod absit, non exauditis, à morte peccati liberi esse nequitis. Propterea intentâ cordis aure devotio vestra percipiat, quod tonitruum divinæ comminationis terribiliter insonat. *Qui scandalizaverit*, inquit, *unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Hæc enim pœna tunc temporis gravior inter alias putabatur. Quanti, Domine carissime, in unius Ecclesiæ & unius Episcopi, contra Ecclesiasticas regulas præjudicio pietatis, scandalizati sunt, scandalizantur & quicúque audierint, scandalizabuntur? Quia sicut dicit sanctus Paulus Apostolus, *Cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Quod enim quis videt in fratre, & in commissa sibi Ecclesia, aut audit ex fratre & ex commissa sibi Ecclesia, quid putatis illum de se, & de sibi commissa Ecclesia posse conjicere, si eum, & sibi commissam Ecclesiam nutu divino in potestatem vestram contigerit devenire? Non enim levi auditu, eorum corda perculluntur, qui audiunt. Quia non de crimine per legitimos accusatores, sicut præcipiunt Canones, apud Primatem Provinciæ accusatus, non ad Synodum regulariter evocatus, non in judicio præsens, non judicium regulare refugiens, non in judicio regulari, contra eum aliis accusatoribus & aliis testibus productis, nec vel testium testimonio facta inquisitione, utrum ex auditu an ex scientia fuerint testificati, non legaliter ac canonicè de personis accusantium ac testificantium facta requisitione, cujus qualitatis & dignitatis ac quantitatis fuerint, non causis actuum scriptis insertis, non licentia respondendi & defendendi illi concessa, non de crimine vel exilii

Ezech. 13. 18.

Exod. 28.

Greg. past. p. 2. cap. 2.

Isa. 56.

Ezech. 3.

Matth. 18. 6.

1. Cor. 12. 26.

A causa confessus, nec regulariter convictus, non partibus præsentibus, id quod à suis judicibus judicatum fuit, scriptis sententia recitata, non Canonico & Episcopali judicio, ab ordine Episcopali dejectus Episcopus, suis rebus spoliatus, & cum Ecclesia sua, cujus res & facultates vel officio defuncto, vel morte perfuncto Episcopo per Oeconomum futuro Episcopo servari debent, contra omnes leges, & contra omnia jura, divina scilicet & humana sæcularium præjudicio proscriptione est condemnatus; cùm non tantùm aut pravè sentientes Episcopi, aut majestatis rei aut criminibus accusati: verùm Arius & Eutyches Presbyteri, nonnisi Conciliorum judicio, gradibus spoliati, & eorum de-
B cetero ab Imperatoribus leguntur proscripti, & in exilium deportati. Ego verò verbis non possum exprimere quantâ constringar in mente angustiâ, quoniam per ora multórum audio volitare, quia homines omnium gentium, etiam & Iudæi Christianæ legis inimici passim legum suarum judicantur judicio: bubulcus quoque, & subulcus atque opilio habent legem, & contra omnem consuetudinem Christianorum Principum & contra præcepta Domini Dominorum, dicentis in lege & in Propheta, atque in Evangelio & in Apostolo, *Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis. Justè judica proximo tuo*, &c, *Si*
C *verè utique justitiam loquimini, justè judicate Filii hominũ:* quia, *In quo iudicio judicaveritis, judicabitur de vobis:* videlicet aut justo judicio damnabimini, pro eo quod fratrem injusto judicio condemnatis, aut justè judicantibus vobis, justitia respondebit. Ergo sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis, incipientes judicari, hoc est per legem libertatis, scilicet Evangelii judicandi. Episcopus qualiscumque cum sua Ecclesia, legem Ecclesiasticam laïcorum ac quarumdam infamium personarum, non judicio, sed conludio atque ludibrio à vobis ignominiosè proscriptus, habere non potuit. Vnde legalis sententia, quam ut prædecessores illius beatus
D Gregorius in commonitorio Ioanni dato decrevit esse canonicam, dicit, necesse est, ut quod contra leges actum est, firmitaté non habeat. Et sanctus Augustinus in libro de vera Religione dicit: [In istis temporalibus legibus, quamquam de his homines judicent, cum eas instituunt; tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundùm ejus incommutabiles regulas quid sit pro tempore jubendum, vetandumque, discernat: æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, nefas est judicare.] De qua
E beatus Prosper dicit.

Lex æterna Dei stabili regit omnia nutu,
Non mutat vario tempore consilium.

Nam si Imperatores Romanorum suam legem æternam vel perpetuam appellaverunt, multò magis lex illa æterna est, quæ est sancto Spiritu promulgata. De qua sanctus Leo post discretionem, quæ in ea est ostensam dicit: In his quæ vel dubia fuerint, vel obscura, vel id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum. Quæ, inquit sanctus Cælestinus, à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis

Levit. 19. Psal. 57. 2. Matth. 7. 2.

Lib. 11. Epist. 64.

Cap. 31.

Epist. 41.

S. d. 10. Epist. 95. ad Rusticum.

Epist. 2.

ANNO CHRISTI 869.

populis per missa frangatur? Et sacrum Carthaginense Concilium sub Grato Episcopo dicit: [De quibus apertissimè divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potiùs exequenda. Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia, nemo contra Apostolos facit sine periculo; & quæ facta vel dicta superiùs comprehensa sunt vel aliis Conciliis conscripta, quæ secundùm legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis verò statuta supergressus corruperit vel pro nihilo habenda putaverit, si laïcus est, communione; si clericus est, honore privetur.] Quia ut sanctus Papa Hilarius decernens dicit, Non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur. Qua de re flens dico, & corde mœrenti gemens pronuntio, quia nunc lex Domini irreprehensibilis nostris infelicibus & periculosissimis temporibus tantū vigorem non habet reverentia divinitatis, sicut antequam nomē Christi in honore per universum orbem fieret, leges Romanæ habebant, timore Imperatoris. Legimus quippe in actibus Apostolorum, quoniam cùm Paulus & Silas cæsi in carcerem missi sunt, quia miserunt magistratus ut dimitterentur. Paulus autem dixit eis: *Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt, non ita sed veniant & ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem Magistratibus lictores verba hac, timueruntque audientes, quòd Romani essent, & venientes deprecati sunt eos, & ejicientes rogabant, ut egrederentur de urbe.* Et item in eadem sacra Historia: *Quia non est consuetudo Romanis damnare aliquem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Et item cùm torquendus esset, dicens se esse Romanum, dimissus est. Vnde non perfunctoriè audire debetis quod cælestis tuba Paulus Apostolus dicit, *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Et in sacra regum Historia Scriptum est, *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem Domino peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Mementote facti memorandi Theodosii, & memorabilis viri Ambrosii, & quia excessit ut homo Theodosius, corripuit eum ut verus Sacerdos Ambrosius, & recepit patienter atque humiliter per illum divinam correctionem Theodosius; & ideo exaltatus est & merito, & nomine, & sanctitatis insigne super omnes post Constantinum Romanos Imperatores. Felix ille Imperator, qui suo tempore talem habuit Sacerdotem, qui post dignam pro excessu satisfactionem fecit, illi ponere & confirmare legem, ut si moto animo severiùs vindicare in aliquos princeps quisque decerneret, ministri reipub. usque ad XXX. dies eamdem legem exequi non auderent, donec refrigerato animo, & in se reverso, quid verum esset videret, & exequi quod justum esset, decerneret nam,

Impedit ira virum ne possit cernere verum.

Quia ut quidam sapiens dixit, cogitationes iracundi, viperex sunt generationis, priùs enim mentē comedunt, matrē suam. Et Apostolus, *Ira*, inquit, *viri justitiam Dei non operatur.* Et felix Sacerdos Dei Ambrosius, qui in tempore talis fuit Imperatoris. Scriptum est enim, *Beatus qui enarrat justitiam auri audienti.* Felices quoque, ambo & Sacerdos & Imperator, quia ne ira Dei pro excessu descenderet super Imperatorem, habuit suo tempore Sacerdotem, de quo non questus est Dominus, quod de nobis modò queritur per Prophetam dicens, *quæsivi unum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me ne dissiparem eam, & non inveni.* Hinc est quod Isaias nostræ miseriæ & calamitatis in se sumens personam, graviter coram Deo deplorat dicens, *Omnes nos cecidimus quasi folium, & iniquitates nostra quasi ventus abstulerunt nos, nec est qui invocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te.* Quomodo enim nos illum irascentem tenere & placare possumus, qui ut sanctus Gregorius cōqueritur. [Ad exteriora negotia delapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atque aliud officio actionis exhibemus, ministerium prędicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen non virtutem tenemus. Et relinquunt namque Deum hi, qui nobis commissi sunt, & tacemus; in pravis actibus jacent, & correptionis manum non tendimus; quotidie per multas nequitias pereunt & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitā corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tantò insensibiliores intus efficimur, quantò ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Vsu quippe curæ terrenæ à cęlesti desiderio obdurescit animus, & dum suo usu ipsò durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei.] Et reliqua quæ ibidem idem sanctus de negligentibus Sacerdotibus prosequitur. Vnde quantò minoris meriti sumus, ut Dominum contra vos si iratus fuerit, tenere possimus, tantò magis non solùm actus vestros corrigere, verùm ne in pręceptionibus vestris, quas vel verbo vel scripto decernitis, vel decrevistis sive decreveritis, quod absit, aliqua injustitia vel præsumptio, sive indiscretio fit, sollicitè providere debetis, timentes comminationem æterni judicis, qui dicit: *Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos deciperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis, ad cujus auxilium confugietis, & ubi derelinquetis gloriam vestram ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? super omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Et quia ut suprà ostendi ex verbis Beati Gelasii, Duo sunt, quibus principaliter hîc mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantùm etiam pro ipsis regibus hominū in divino reddituri sunt examine rationem, sollerter providere debetis, ne extra ministerium vestrum, sicut, Deo gratias, hactenus providistis, manum in Sacerdotalem ordinem & in his quæ eidem ordini Spiritus sancti dono commissa sunt, contra pręceptum Domini extendatis, lectione frequentantes, & mente condentes quod scriptum est in secundo libro Paralipomenon: *Fecit*, inquit, *Ozias Rex quod erat rectum in oculis Domini, & exquisivit Dominum. Cùmque requireret Dominum, direxit eum in omnibus, & adjuvit eum contra Philisthiim, & contra Arabes qui habitabant in Gorbaal, & contra Ammonitas, & divulgatum est nomen eius usque in introitum Ægypti propter crebras victorias, & habuit multa*

Marginal notes: Conc. 1. cap. 13. 14. — Epist. 2. — Act. 16. 37. — Act. 25. 16. — 1. Cor. 8. 12. — 1. Reg. 2. 25. — Iacob. 1. — Eccl. 25. — CAROLI CALVI Regis 29. — Ezec. 22. — Isaia 64. — Esa. 10. 1. — Epist. 10. — 2. Paral. 26. 4.

pecora, tam in campestribus, quàm in eremi vastitate. Vineas quoque habuit & vinitores in montibus, & in carmelo. Erat quippe homo agricultura deditus, & fuit numerus totius exercitus eius trecentorum decem millium & centum. Sed cùm roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum suum. Ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare Thymiamatis: statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino. Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium, est istud officium. Egredere de sanctuario, ne contempseris, quia non tibi reputabitur in gloriam hoc à Domino Deo. Iratus est Ozias, & tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus: statimque orta est lepra in fronte ejus, coram Sacerdotibus in domo Domini super altare Thymiamatis. Cumque respexisset eum Asarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinatò expulerunt eum: sed & ipse perterritus, acceleravit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata, plenus lepra, ob quam & ejectus fuerat de domo Domini. In quo facto, quia sicut Scriptura dicit, *Hec autem in figura contingebant, illis scripta sunt autem propter nos.* Diligenter attendendum est, quoniam quamdiu Osias Dominum coluit, pacificè regnum tenuit, & contra vicinas & alienigenas gentes crebras victorias habuit. Postquam autem officium non suum pręsumpsit, sed in sacerdotale ministerium contra fas manum pręsumptionis extendit, usque ad diem mortis suæ, lepra plenus in domo separata permansit, & victoriam nullam fecit, nec cum aliis qui bellabant bella Domini pro inimicis Israël, qui Ecclesiæ typum tenuerat, perfusus lepra, id est, gravi peccato percussus atque perculsus habitare prævaluit. Sic & eorum judicio quibus dicit Dominus: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*; & per quos eodem Spiritu sacri promulgati sunt Canones, voluntariè, atque ex deliberatione quiscumque violans & convellens constituta divina, quia docente Petro: *Non est personarum acceptor Deus*, ab Ecclesiæ corpore separatus, nisi per pœnitentiam, & Sacerdotalis Indulgentiæ reconciliationem eidem Ecclesiæ fuerit reincorporatus, erit ab æterna Ecclesia separatus. Vnde & Apostolus pręcepit, *cum hujusmodi nec cibum sumere.* Et item omnibus, Christo in se loquente, denuntiat dicens: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Quam sententiam exponens sanctus Augustinus dicit: [Duobus modis non te maculat malus, si non consentias & si redarguas hoc est, non cõmunicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortiũ voluntatis vel approbationis adjungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, magis autem, inquit, & redarguite. Videte quemadmodum utrumque complexus est, nolite communicare, nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem, magis & redarguite? Reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa reprehensione vel coertione alienorum peccatorum, cavendum est ne se extollat qui alterum corripit, & qui se putat stare, videat ne cadat; foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio; neque ergo consentientes sitis malis ut approbetis, neque negligentes ut non arguatis, neque superbientes ut insultanter arguatis.] Et nolite putare, Domine Karissime, ac benignissime, quia quocumque carnalis propinquitatis affectu, vel quia tantùm in Episcopo Remensis Provinciæ indignitati meæ commissæ ista sunt acta, commotus hæc scripserim, sed zelo, de quo & in Psalmo, & in Evangelio scriptum est, *Zelus domus tuæ comedit me*, videlicet zelo universalis Ecclesiæ, quæ domus Dei est, & sacri ordinis Sacerdotalis, quod unum in omnibus Episcopis est, & officii meæ exiguitatis, legens, *Electos Dei propter leges paternas etiam mortem corporis appetiisse*, & in laudibus divinis Ecclesiam cantare sanctum, *qui pro lege Dei sui certavit usque ad mortem.* Vestræ nihilominus zelo salutis & optandæ nobis prosperitatis hæc scripsi: tandem peto ut in hoc servitutis meæ obsequio diligentiùs discernatis; quoniam si quędam ibidem mordaciùs resonant, non mihi verba sunt sensus: quæ & si forent, mansuetudo vestra debet modestè perpendere, quoniam adulator blandus est inimicus. Quod scriptura dicit; *Quia meliora sunt vulnera amici, quàm odientis inimici oscula.* Non enim tenet occupatam uestram, sicut quorundam captivatam mentem possidet vobis bene noti sententia quæ dicit, obsequium id est assentatio, videlicet adulatio amicos, veritas odium parit, quia ut veritatis amicus, veritatem diligitis, scientes à veritate dictum, *cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Inhæreat itaque menti vestræ quod sanctus Augustinus dicit, quia dolosi vel imperiti medici est, sic vulneri Emplastrum imponere, ut aut noceat, aut non prosit. Et suprà posita quæ sine adulatione ad vestram salutem veritas per ora veridicorum protulit, vobis non displicebunt.

Marginalia: 1. Cor. 10. 11. — Matth. 10. 20. — Act. 10. 34. — 1. Cor. 5. — Ephes. 5. — Psal. 68. Ioan. 2. — Math. 6. & 7. — Prov. 27. — Ioan. 8. — Caroli Calvi Regis 29. — Letters A, B, C, D, E.

APPELLATIO HINCMARI Episcopi Laudunensis ad Sedem Apostolicam.

Hanc meditatus appellationem Hincmarus Laudunensis anno præterito adversus judicium sæculare, à Carolo Rege contra se latum, exhibuit quibusdam Episcopis apud Pistas. Qua deinde appellatione usus est idem Hincmarus hoc anno contra Synodum Vermeriensem, de quibus infrà in excerptis Hincmarianis.

Hanc Schedulam porrexit Hincmarus Laudunensis Episcopus apud Pistas III. *Kal. Septembris indictione prima, Episcopis. De Provincia Remorũ, Hincmaro, Odoni. De Provincia Rotomagensi, Vueniloni, Archamberto, Sigenando. De Provincia Sennensi, Ænea, Fulcrico, Abboni. De Provincia Burdegalensi, Engenoldo, Helia.*

Nunc primum edita in lucem ex eodem codice Rivipullensi.

NON latere vos scio, Domini patres, & fratres, ac Deo digni Episcopi, res Episcopii Laudunensis Ecclesiæ mihi commissæ, immò quicquid habebam in isto regno, exceptis principali Ecclesia, & Episcopii domo ac claustro fratrũ esse inbannata: ita ut nihil mihi à quoquã de prædictis rebus ac facultatibus quicquam subsidii ministretur, aut obsequii præbeatur, quoniam sicut mihi sub brevi dierum tempore, & nullo Episcopo meæ Provinciæ conscio fuerat imperatum, sæculare judicium non adii, & exoniam

niam scilicet personam, quæ firmaret, quia illic venire nequirem, non transmisi, & quia de capite meo, id est de facto meo advocatum, in judicio sæculari non dedi. Verùmtamen Missum meæ excusationis ad Dominum nostrum Regem direxi: & vos scitis sacris legibus esse decretum, pro qualicumque civili vel criminali causa quemcumque judicem non licere invitum Episcopum ad judicium publicum provocare, perducere vel exhibere. Et quisquis Episcoporum vel reliquorum Ecclesiasticorum Clericorum pro criminali, vel civili causa relicto Ecclesiastico judicio ad publica judicia perrexerit, & eis de criminali causa purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat: in civili verò perdat, quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. Sed si à Clerico vel alio quocumque altercatio contra Episcopum propter quamlibet causam fiat, apud Metropolitam vel Primatem Provinciæ secundùm sacras regulas causam judicari debere. Et si quid judicatis Episcopus contradixerit, ad beatissimum sedis Romanæ Pontificem causa referatur, & ille secundùm leges & Canones huic causæ præbeat finem. Postquam verò unà cum Metropolita meo ad hunc locum veni; ubi Deo placitum conventum vestrum adivi, consilium & consensum apud vos, & per vestram reverentiam apud Domini nostri Regis clementiam quæsiturus, quid me oporteat facere, ac quomodo valeam vivere, rebus & obsequiis Ecclesiasticis, inconsulto Episcopali judicio, spoliatus: non ab ignotis vel incertis personis ex parte Domini nostri Regis mihi est nuntiatum, ut me erga eum recognoscã, & ei humiliter satisfaciam: audivi etiam, quia homines, quorum causa adversum me dominationis suæ animus est commotus, huc venerint ut adversum me debeant queri. Vnde quoniam judicio regulari me ipsum constringo, & sententia sine scripto dicta, juxta definitiones inviolabiles, ne nomen sententiæ habere meretur, humili supplicatione respondeo: Sim canonicè revestitus, de quibus contra sacros Canones, & decreta Pontificum sanctæ sedis Romanæ, contraque leges, quibus unà cum sacris regulis sancta moderatur Ecclesia, sum spoliatus. In quibus mihi ostenderit illum irrationabiliter me offendisse, voluntariè recognoscam: & ei sicut Domino, & Seniori, ac Regi meo facere debeo, humiliter satisfaciam. Et deinde, sicut regulæ jubent; meis legitimè usus, & uti præcipiunt Canones, in Provincia mea regulariter ad Synodum evocatus, de quibuscumque ibidem fuero interpellatus, coram meis judicibus reddam canonicè rationem, & Canonicum sequar judicium: alioquin secundùm sacros Canones, & decreta sanctæ Sedis Romanæ Pontificum, beati Petri Apostoli memoria honoretur, & ut mihi nulla ab ullo violentia inferatur, propria voce atque libello Apostolicam Sedem appello. Et hanc professionem atque appellationem meam Domino nostro Regi Christianissimo à Primate Provinciæ meæ, cui hanc porrigo, dari deposco: vobis unà cum eo ipsius Domini nostri clementiam postulantibus, ut propter Dei amorem atque sanctæ Mariæ, & sanctorum Apostolorum, omniumque simul sanctorum venerationem, mihi leges Ecclesiasticas servet, qui regia potestate cunctis legem servare & misericordiam exhibere monetur.

EIVSDEM HINCMARI Laudunensis verba satisfactionis, ad eundem Carolum Regem.

Quam præter appellationem Hincmarus quoque, verba satisfactionis domno Carolo Regi, per Odonem Episcopum misit, ut loquitur idem codex Rivipullensis, qui sic ea refert.

DOMNE, ego commovi animum vestrum, quod mihi non fuerat opus, & non per infidelitatem, nec quantum intentionem mentis meæ cognoscere potui, ad vestram dehonorationem: sed fortè per meam incautelam vos offendi. Et quantùm vos benignum habui, tantùm posteà offensum sensi. Et inde precor vestram mercedem, ut vester animus sit mihi placatus, & vos iterum sentiam mihi esse benignum.

EXCERPTA QVÆDAM tùm Hincmari Remensis, tùm Hincmari Laudunensis.

DE hac denique Synodo Vermeriensi accipienda sunt quæ Hincmarus senior adversùs nepotem cap. VIII. scribit his verbis. Ignorare, inquit, non poteras, quoniam, quando te ad me reclamasti, quędam à domno rege, sed ab aliis quibusque tibi inlata, quid de eisdem tibi inlatis, & Ecclesiasticæ regulæ, & jura publica dicant, sufficienter in scripto, Domno Regi à me unà cum venerabilibus Coepiscopis nostris apud Pistas porrecto legisti. Vnde obtinuimus quod nobis visum fuit, tibi sufficisse: nam, & quando eadem principalis potestas, nec non & omnis pręfectura totius regni sui, insolentiâ tuâ exigente, contra te fuere commotæ in Vermeria Palatio, iterum inde scriptum quod legisti, porrexi.

Appellationis verò suæ apud Vermeriam, Romanæque profectionis inhibitæ meminit Hincmarus ipse in Pittatio, quod ad Patruum de ea re scripsit post Synodum Attiniacam.

Vnde vos nunc, inquit, pro amore Dei omnipotentis, & reverentia sancti Petri exposco, sicut & in eadem Synodo in eadem Attiniaco à vobis convocata, quod & impetrare non valui, expostulavi, & jam etiam per integrum efflagitavi annum, præcipuè in Synodo apud Vermeriam Palatium, olim ab horno habita obsecrando declamavi, nunc quoque & obsecro, & item declamo, ut hactenus egi, quo vestra Archiepiscopali authoritate apud Domini nostri gloriossimi Regis Caroli clementiam obtineatis, quatenus domni & universalis Papæ Hadriani pręceptis atque institutionibus Ecclesiasticis, mihi ut omnibus expedit, veluti ei qui de omni Ecclesia fas habet judicandi, liceat obedire, videlicet ut limina sanctorum Apostolorum, Petri scilicet ac Pauli, merear, ut devovi, & ab eodem insuper vocatus sum, penetrare. Alioquin me vobis ab hinc ut Archiepiscopo Coepiscopus obtemperare debet canonicè, sciatis obsequi non posse.

ANNO CHRISTI 869.

CAROLI CALVI Regis 29.

CONFIRMATIO PRIVILEGIORVM Monasterii Carrofensis à Concilio Vermeriensi.

Ex Archivis eiusdem Monasterii.

CVM Canonum sanctionibus conhibentibus, & serenissimo Regum Carolo orthodoxo annuente & invitante, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo nono, indictione II. Regni supradicti Principis 29. convenissemus nos suffragante Christi gratiâ Episcopi, quorum nomina subterhabentur, in Remensem Diœcesim apud Palatium Vermeriam, pretaxatusque Rex pridiè Kalendas Maii, medio nostrûm sanctâ resideret in Synodo, venerabilis Carrofensis Monasterii Abbas Guillelmus nostro Conventui præcepta obtulit, qualiter ipse Rex ad deprecationē Gumbaldi & Valafredi Abbatum tria Monasteria integra predicto Manasterio concesserat; quorum unum dicitur Colonus in Pago Alninse situm; alterum in honore sancti Saturnini constructum in Pago Andegavensi; tertium in Pago Sanctonico, in honore sancti Florentii Martyris: & præterea Villas Fraxinidum, & Montiniacum confirmaverat. Quæ omnia recitata in Synodo confirmantur, Episcopis manu propria subscribentibus.

Subscriptiones Episcoporum.

Hincmarus Remorum Archiepiscopus.
Vanilo Rotomagensis Archiepiscopus.
Egilo Senonensis Archiepiscopus.
Frotarius Burdegalensis Archiepiscopus.
Herardus Turonensis Archiepiscopus.
Remigius Lugdunensis Archiepiscopus.
Arduicus Vesontionensis Archiepiscopus.
Vulfadus Bituricensis Archiepiscopus.
Odo Belvacensis Episcopus.
Ercambertus Bajocensis Episcopus.
Seginandus Constantiensis Episcopus.
Æneas Parisiensis Episcopus.
Fulcricus Tricassensis Episcopus.
Rothadus Suessionensis Episcopus.
Abbo Nevernensis Episcopus.
Hilmeradus Ambianensis Episcopus.
Erpuinus Silvanectensis Episcopus.
Hildegarius Meldensis Episcopus.
Actardus Nannetensis Episcopus.
Isaac Lingonensis Episcopus.
Helias Engolismensis Episcopus.
Raginelmus Noviomagensis Episcopus.
Christianus Autissiodorensis Episcopus.
Ioannes Cameracensis Episcopus.
Vvalterius Aurelianensis Episcopus.
Vvillebertus Catalaunensis Episcopus.
Hildebrandus Sajensis Episcopus.
Hilduinus Ebrocensis Episcopus.
Gislebertus Carnotensis Episcopus.

Finis Concilii Vermeriensis.

ANNO CHRISTI 869.

CAROLI CALVI Regis 30.

* CONVENTVS SEV PLACITVM CAROLI Calvi Regis apud Pistas.

Hæc quæ sequuntur Capitula, constituta sunt à domno nostro Karolo Rege glorioso cum consilio & consensu Episcoporum ac cæterorum Dei & suorum fidelium, qui adfuerunt in loco qui dicitur Pistis, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXIX. *anno autem regni sui* XXX. *indictione secunda, & ab eo denuntiata sunt à se, & ab omnibus fidelibus suis, secundum uniuscujusque ordinem & personam inviolabiliter conservanda.*

CAP. I.

Auctius editū in Capitularibus eiusdem Caroli, ex codice Monasterii Rivipullensi.

DE honore & cultu Dei atque sanctarum Ecclesiarum in regno nostro decernimus, ut sicut tempore avi & patris nostri excultæ & honoratæ fuerunt, & sicut à largitate nostra honoratæ & ditatæ sunt, vel dinceps fuerint, saluâ æquitatis ratione, ita sub immunitate permaneant. Archiepiscopi quoque & Episcopi, & cæteri Sacerdotes ac servi, & ancillæ Dei, quique vel quæque in ordinis sui dignitate honorem atque immunitatem secundùm sacras leges, & Canones habeant.

II.

Vt ab Archiepiscopis & Episcopis, & ab aliis fidelibus nostris honor regius, & potestas ac debita obedientia atque adjutorium ad nostrum regnum continendum, & defensandum nobis in omnibus secundùm uniuscuiusque ordinem & dignitatem atque possibilitatem, sicut tempore antecessorū nostrorum justè & rationabiliter consueverat, exhibeatur.

III.

Vt omnes nostri fideles veraciter sint de nobis securi, quia quantùm sciero, & justè ac rationabiliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque secundùm sui ordinis dignitatem & personam honorare & salvare, & honoratum ac salvatum conservare volo, & unicuique eorum in suo ordine, secundùm sibi competentes leges, tam mundanas quàm Ecclesiasticas, rectam rationem, & justitiam conservabo: & nullum fidelium nostrorum contra legem & justitiam vel authoritatem ac justam rationem aut damnabo, aut dehonorabo, aut opprimam, aut indebitis machinationibus affligam; & legem, ut prædiximus, unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore antecessorum meorum habuerunt, in omni dignitate, & ordine, adjuvante Domino, conservaturum perdono, cuilibet duntaxat ex eis, qui mihi fideles, & obedientes ac veri adjutores atque

que cooperatores, juxta suum ministerium & personam, consilio & auxilio, secundùm suum scire & posse, & secundùm Deum ac secundùm sæculum fuerint, sicut per rectum unusquisque in suo ordine & statu, Regi suo seniori esse debet. Et capitula, quæ avus & pater noster pro statu & munimine sanctæ Dei Ecclesiæ ac ministrorum ejus, & pro pace ac justitia populi, & quiete regni constituerunt; & quæ nos cum fratribus nostris regibus, & nostris ac eorum fidelibus communiter constituimus: sed & quæ nos consilio & consensu Episcoporum, ac cæterorum Dei & nostrorum fidelium, pro suprascriptis causis in diversis placitis nostris conservanda statuimus, permanere inconvulsa decernimus.

IV.

Vt quia regia nostra potestas hoc, adjuvante Domino, exequi per omnia cupit, regni ministri, quantùm Deus scire & posse illis donaverit, Episcopis & cæteris Sacerdotibus, ac servis & ancillis Dei, ut suum ministerium implere possint, sicut ab antecessoribus nostris Imperatoribus & Regibus, & à nobis constitutum est, adjutorium præstent: & sanctis Ecclesiis, & Sacerdotibus, ac servis & ancillis Dei, secundùm sacras leges, tam mundanas quàm ecclesiasticas, & secundùm capitula avi & patris nostri, ac nostra, debitum honorem & immunitatem conservent & exhibeant, ut quietè pro stabilitate regni ac nostra & illorum salute Dominum exorare possint.

V.

Vt Episcopi Comitibus, Missis, & Vassis nostris, sed & ipsis suis subditis, tam clericis quàm laïcis, & Comitum ac vassallorum nostrorum hominibus, paternam benignitatem secundùm suum ministerium & debitum honorem ac legem & justitiam, unicuique secundùm suum ordinem ac dignitatem impendant & conservent, sicut sacræ leges, tam mundanæ quàm ecclesiasticæ, & capitula avi & patris nostri decernunt, & sicut justa & rationabilis consuetudo fuit. Similiter Comites, & Missi, ac Vassi nostri, Episcopis ac Presbyteris debitam reverentiam, & vassallis Episcoporum legem & justitiam, & debitum honorem impendant, secundùm præfatas leges, & præfata capitula, ac præfatam consuetudinem.

VI.

Vt si Episcopi suis clericis injustè fecerint, secundùm quod sacri Canones & A sacræ leges, quas Ecclesia Catholica probat & servat, præfigunt, hoc eorum judicio, quorum interest, emendare procurent.

VII.

Vt si Episcopi suis laïcis injustè fecerint, & ipsi laïci se ad nos inde reclamaverint, nostræ regiæ potestati secundùm nostrum & suum ministerium ipsi Archiepiscopi & Episcopi obediant, ut secundùm sanctos Canones, & juxta leges quas Ecclesia Catholica probat & servat, & secundùm capitula B avi & patris nostri, hoc emendare curent, & sicut temporibus avi & patris nostri justa & rationabilis consuetudo fuit.

VIII.

Vt Presbyteri parochianis suis senioribus, debitam reverentiam & competentem honorem atque obsequium secundùm suum ministerium impendant, sicut in legibus sacris & in præfatis capitulis continetur, & sicut temporibus avi & patris nostri justa & rationabilis consuetudo C fuit, quod si ipsi Presbyteri non fecerint, seniores illorum Episcopis, non per occasionem aut malitiam, sed per rationem & veritatem hoc innotescere studeant, & Episcopi Presbyteros secundùm suum ministerium & leges ecclesiasticas taliter castigent, ut hoc illos emendare delectet, qualiter cum necessariâ benignitatis concordiâ, & illi pro senioribus suis orare, & seniores illorum sacra officia, & divina mysteria puro corde per illos suscipere D possint.

IX.

Vt si Abbates vel Abbatissæ, Comites seu vassi nostri, aut cæteri laïci clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis canonicè conservandos, suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos Episcopi, vel ministri eorum rejiciant, & Episcopi prævideant, quem honorem Presbyteri pro ecclesiis suis senioribus tribuere debent, & Episcopi parochias & decimas antiquis ecclesiis E servent, & seniores immunitatem de manso ad Ecclesiam dato conservent, & non sine auctoritate vel consensu Episcoporum, Presbyteri in quibuslibet ecclesiis constituantur vel compellantur, sicut in primo libro capitulorum avi & patris nostri, & sicut in capitulis patris nostri anno XVI. imperii ejus factis continetur. Et senioribus Presbyterorum hoc sufficiat, & ampliùs per ingeniosas machinationes à Presbyteris non exigant vel exquirant, nisi sicut in eisdem capitulis avi & patris nostri ac nostris est constitutum, ne Deum offendant

offendant & pro lucro terreno, quod absit, A animas suas perdant, & nostram infensam incurrant, ac post debitam emendationem dignam harmscaram à nobis dispositam sustineant. Et Episcopi tam seniores Presbyterorum, quàm Presbyteros; sed & seipsos custodiant, ne laïci per ignorantiam, & Presbyteri per necessitatem, & ipsi Episcopi, vel ministri eorum per cupiditatem & avaritiam, quod absit, in simoniacam hæresim cadant, quia ut sanctus Gregorius dicit, qui præmio vel gratiâ aut supplicatione indebitâ ad sacros B Ordines accedit, ut promoveatur, hæreticus à Domino deputatur, tam ille qui promovetur, quàm ille à quo taliter promovetur; & qui pro tali ordinatione inlicita, quolibet malo ingenio, quod Deum latere nõ potest, aliquid dederit vel acceperit, vel mediator factus fuerit, à Deo, sicut Canones Dei Spiritu conditi demonstrant, condemnatur per illorum judicium, qui cum Deo in cælis regnant, & in terris miraculis coruscant. Damnantur utique in præsenti sæculo, comburendi igne perpetuo tales negotiatores pravi, cùm quod justè C benemeritis dare gratis debent, justitiam, sicut Iudas Christum, qui, ut dicit Apostolus, factus est nobis à Deo justitia, vendidit, ita & isti Deum Patrem omnipotentem, & eandem justitiam Christum, atque consubstantialem illis Spiritum sanctum per impositionem manuum sacerdotalium hominibus tribuitur, quoniam sanctissimæ Trinitatis una est natura, voluntas & operatio, gradus ecclesiasticos temporali commodo dantes, vel accipientes vendunt, & qui præmium proinde donant, emunt peccatum & hæretici fiunt, D & qui præmium proinde accipiunt, sicut idem sanctus demonstrat Gregorius, facti & ipsi hæretici eos suæ malitiæ gladiis occidunt, quos vivificare orationis suæ intercessione debuerunt.

X.

Vt nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propterquam ecclesiastici Canones hoc fieri jubent, & donec illum qui peccavit, & inde aut sponte confessus, aut apertè convictus fuerit secundùm E Evangelicum præceptum, ut ad emendationem & pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccator, si commonitus de certa & manifesta causâ, ut ad emendationem & correctionem redeat, inobediens & incorrigibilis permanserit, & ad emendationem redire noluerit, & excõmunicationem canonicam de causis designatis & manifestis parvipenderit: regiam vel reipublicæ potestatem per se vel per ministros suos, aut per litteras suas Episcopus adeat, ut constringatur, quatenus ad emendationem ac pœnitentiam isdem peccator redeat, ne dicatur nobis à Domino, quod olim populo veteri ab eo legimus dictum; Anathema in medio tui, non poteris stare coram inimicis tuis; si autem idem peccator de manifesta & comprobata, vel à se sponte confessa causâ ad pœnitentiam venire voluerit, sed ipsam pœnitentiam propter faidam secundùm Canones suscipere & quietè agere non potuerit: Episcopus per se vel per ministros, aut per litteras suas, regiam nostram vel reipublicæ potestatem adeat, ut ipsa faida secundùm constitutionem avi & patris nostri legaliter pacificetur aut juxta leges, secundùm quas in aliis regionibus quilibet vivunt, sedetur, & hanc medicinam pœnitentiæ peccator secundùm sacros Canones cum pia & salubri discretione secundùm regulas sacras suscipiat, & peragat, & reconciliationem atque communionem percipiat, sicut in iisdem sacris regulis discretissimè & misericorditer continetur.

XI.

Vt comites & missi ac vassi nostri & ministeriales regni nostri, unusquisque secundùm ordinis ad dignitatem & possibilitatem suam, pacem & justitiam in suis ministeriis faciant, & justè omnes sub Dei respectu judicent, attendentes quod Dominus judicantibus dicit, *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis, & beati qui custodiunt judicium & faciunt justitiam in omni tempore.* Math. 7. 2. Psal. 105. 3.

XII.

Vt Episcopi atque Abbates & comites ac vassi nostri, & omnes fideles laïci concordi dilectione & unanimi voluntate ad Dei & sanctæ Ecclesiæ ac nostrum & regni nostri honorem & statum atque communem nostram salvationem sine invidia & malivolentia atque indebita contentione communiter decertare procurent, ut pax & justitia, & vera cum Dei voluntate concordia inter nos omnes, & in regno nostro maneat, quia sicut sanctissima Scriptura dicit, *Iustitia elevat gentem, miseros facit peccatum*, & ubi non est vera cum Dei voluntate concordia, ibi nisi ad judicium non habitat Deus, qui sicut Psalmus dicit, *fecit unanimes habitare in domo*, id est in sancta Ecclesia, in qua fideliter consistentibus spiritum caritatis infundit, qui propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis, & cùm essemus mortui in peccatis nostris, convivificavit nos in semetipso, Prov. 14. 34.

Anno Christi 869.

ipso, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate, & simus sectatores bonorum operum, in quibus cum fide recta perseverantes perveniamus omnes, ipso præveniente, adjuvante, & subsequente, ad regna cælorum.

* Et Episcopi privilegia Romanæ Sedis, & Regum præcepta ecclesiis suis confirmata, vigili solertia custodiant, ut exinde auctorabili firmitate tueantur. Nonas & decimas, unde statutum est, absque alicujus contradicto recipiant. De terris censualibus & potestate Ecclesiæ suæ, & culturis Indominicatis, & Absitatibus, & Manu-firmatis, Major Ecclesia, quæ caput Episcopatus est, decimam recipiat: similiter de Carruca Indominicata, de mansis hæreditariis, Presbyter Parochiæ, sicut constitutum est, decimam consequatur, & ne de hoc contentio oriatur, summopere cavendum est.

ADNUNTIATIO KAROLI Regis.

CAP. I.

VOLUMUS vos scire, quia secundùm consuetudinem antecessorum nostrorum consideravimus in hoc Placito, cum Episcopis & cæteris fidelibus nostris, de honore sanctæ Ecclesiæ, & Episcoporum, ac cæterorum servorum Dei, ut debitum honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt, & hominibus fidelibus nostris, unicuique in suo ordine, legem & justitiam conservabimus, sicut eorum antecessores tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

II.

Et volumus atque jubemus, ut vassalli Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum, atque Comitum & vassorum nostrorum, talem legem & justitiam apud seniores suos habeant, sicut eorum antecessores apud illorum seniores tempore antecessorum habuerunt. Et si aliquis Episcopus, Abbas, aut Abbatissa, vel Comes ac vassus noster, suo homini contra rectum & justitiam fecerit, & se inde ad nos reclamaverit, sciat quia sicut ratio & lex atque justitia est, hoc emendare faciemus.

III.

Et volumus atque jubemus, ut Episcopi atque Abbates, Comites ac vassi nostri, concordi dilectione & unanimi voluntate, ad Dei & sanctæ Ecclesiæ, ac nostrum & regni nostri honorem, & statum, atque communem nostram salvationem decertare procurent, ut pax & justitia, & vera cum Dei voluntate concordia, inter nos omnes, & in regno nostro maneat: & omnes ita sint semper parati, ut si nobis necessitas evenerit, ad defensionem patriæ contra paganos, aut contra alios Dei & nostros inimicos, sicut consuetudo fuit tempore antecessorum nostrorum, absque mora, statim ut eis nuntiatum fuerit, possint venire.

Caroli Calvi Regis 30.

IV.

Et volumus ut sciatis, quia commendavimus, ut unusquisque de sua opera tale certamen habeat, sicut scit necesse esse ad defensionem istius sanctæ Dei Ecclesiæ, secundùm nostram commendationem. Gratias vobis agimus, quia fideliter secundùm nostram commendationem in nostro venistis servitio. Et ite cum Dei gratia sani & salvi, & Deus nobis concedat, ut iterum cum sanitate & gaudio ad suam voluntatem reconjungamur.

Nomina Episcoporum, qui placito huic interfuerunt, petenda sunt ex illorum subscriptionibus in donatione facta monasterio S. Petri ab Egilone Archiepiscopo Senonensi, & ab eodem Conventu Pistensi approbata.

NOTA.

Ex computatione annorum Regis Caroli Calvi, qui à XII. Kal. Iulias incipiunt, hæc notanda sunt ad Epocham tum Conventus, tum Donationis statuendam, scilicet vel mendum irrepsisse in hanc, ubi legitur inferiùs 29. regni ejusdem, loco XXX. ut in illo Conventu; vel eandem Donationem fuisse confirmatam mense Iunio ante supradictam diem XII. Kal. Iulias: Conventum verò habitum posteà mense altero, saltem ante VIII. Kal. Octobris, quo indictio secunda quæ inscribitur, finem habitura erat more Gallico: unde præponi debebat ibi, habita ratione temporis, quod non observavimus ob dignitatem Conventus; dein ex prædictis faciliùs erit correctio erroris, si quis alibi reperiatur in regni nota ejusdem Regis. Tandem ex illa Donatione discimus Episcopos, qui Conventui, seu Placito apud Pistas adfuerunt: sicut & privilegia superiùs relata pro monasteriis sanctorum Dionysii & Germani Autissiodorensis nos quoque docent, plures Episcopos subscripsisse tum Synodo Pistensi, tum edicto ejusdem nominis æræ Christi 862. & 864. quæ sunt duo Capitularia ejusdem Caroli Calvi edita, in quibus nulla omnino legitur Episcoporum subscriptio, neque notio illorum particularis: ex his igitur privilegiis supplenda sunt nomina Episcoporum atque Capitularibus illis inserenda, quod hactenus ignoratum fuit.

DONATIO FACTA Monasterio sancti Petri Senonensis ab Egilone Archiepiscopo, confirmatur in Conventu Episcoporum apud Pistas anno DCCCLXIX.

Ex chronico sancti Petri Senonensis.

ANNO ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCLXIX. gloriosi Regis Karoli XXIX. indictione 2. positis nobis diversarum urbium Episcopis cum eodem Rege in Pistis, quò ad componendum regni sui statum accesserat, cùm reverentissimus, nobisque dilectissimus Egil gratiâ Dei Archiepiscopus Senonicæ civitatis, propter insidias & cupiditatem successorum impetrato regali præcepto, de quadam villa sui Episcopatus, nomine Sariaci, in comitatu Senonico sita cum mansis omnibus in villamari, & Septempiri, & Longumpiri, & cunctis

Anno Christi 869. | Caroli Calvi Regis 29.

ad eamdem villam pertinentibus plena integritate, cuidam ejusdem Episcopatus monasterio, ad orientalem plagam præfatæ urbis in honorem sancti Petri dicato, ubi turba monachorum jugiter Deo famulatur, ob Dei, ejusdemque sancti Petri amorem & honorem, per suæ authoritatis præceptum restitueret vel donaret, & restituens vel dans perperim habendam confirmaret. Postulavit insuper, ut quandam Ecclesiam ejusdem Episcopatus in honore sancti Petri constructam cum omnibus ad eam pertinentibus in pago Alsonis sitam, eidem monasterio sancti Petri, æternaliter concederet, atque concedens delegaret: cujus petitionem libenter suscipiens, libentissimeque perficiens, restituit, quæ juris illarum esse dicebantur, & dedit, vel largitus est auctoritate & potestate Regis, quod piè à memorato Antistite postulatum est, ut quia locum suæ sepulturæ, in eodem monasterio præparare decreverat, ex eadem Ecclesia luminare ibi continuatim ministraretur, & præfata villa cum suis appenditiis, usibus monachorum ibi degentium deserviat. Hoc igitur preceptum flagitavit charissimus & dulcissimus Egil Coepiscopus, ut nostræ fraternitatis conventus privilegio nostræ auctoritatis roboraret, atque confirmaret, neque abnuimus.

Igitur statuimus ut hæc restitutio vel largitio nostri senioris, atque præfati Antistitis perpetualiter observetur, neque à successoribus suis nullo modo violetur, sed semper ad usus fratrum, & ad lumen sufficiendum pro sua sepultura teneatur; non modò hæc, verùm etiam omnia, quæ in tempore videntur habere, vel quidquid deinceps acquirere potuerint, seu à fidelibus eis collatum fuerit causâ eleemosynæ, insolubiliter ab illis possideatur. Quod si quis nostram exiguitatem contemnendo per aliquam cupiditatem vel subreptionem, hoc nostrum decretum infregerit, secundùm auctoritatem quam in beato Petro accepimus, dicente Domino, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*; cum justè ac rationabiliter anathematis vinculo obligamus, qui cæca cupiditate hæc Dei servorum stipendia, etiam post nostram prohibitionem auferre præsumpserit. Atque ut hæc constitutio vera credatur, & profutura Dei famulis inviolabiliter omni tempore conservetur, manus nostræ subscriptionibus eam universi firmavimus, & insuper tam absentes, quàm futuros nostri ordinis cooperatores, seu quoslibet veræ religionis sectatores poscimus, ut hanc tanti Pontificis largitionem, cùm legerint vel audierint, voto & subscriptione eam nobiscum roborent.

Ego Egil indignus Archiepiscopus Senonensis Ecclesiæ, hanc donationem & constitutionem à me factam confirmavi & subscripsi.

Hincmarus Metropolitanus Remensis.
Guenilo Rotomagensis.
Airardus Turonensis Metropolitanus Episc.
Vulfadus Bituricensis.
Fulchricus Tricassensis Episcopus.
Ego Christianus Autisiodorensis Ecclesiæ Episcopus.
Æneas Parisiensis Episcopus.
Hildegarius Meldensis Episcopus.
Abbo Nevernensis.
Gualterius Aurelianensis.
Isaac Lingonicæ civitatis Episcopus.

Anno Christi 870. | Caroli Calvi Regis 31.

CONCILIVM COLONIENSE.

Synodus hæc habita fuit post divisionem regni Lotharii inter Reges Carolum Calvum & Ludovicum fratres factam hoc anno, cùm antè Carolus omne illud solus usurpasset. In qua divisione, Colonia civitas obtigit Ludovico, qui tres Metropolitanos, cum aliis Episcopis ibidem congregari jussit ad Ecclesiam sancti Petri consecrandam, & ad multa in statu disciplinæ ecclesiasticæ statuenda, quæ non extant.

De hac autem Synodo loquuntur Annales Fuldenses ad annum 870. *Habita est Synodus in civitate Colonia jussu Ludovici Regis* VI. *die Kal. Octobris, præsidentibus metropolitanis Episcopis Luitberto Moguntiacensium, Berthulfo Trevirorum, Vuilliberto Agrippinensium, cum cæteris provinciarum Episcopis, ubi cùm plurima ad utilitatem ecclesiasticam pertinentia ventilassent, etiam domum sancti Petri catenus minimè consecratam dedicaverunt. Feruntur etiam in eadem nocte, quando Basilica manè erat consecranda, voces malignorum spirituum auditæ inter se loquentium, & valde dolentium se ab obsessis diutissimè sedibus expelli debere.* Porrò non erit extra rem hîc apponere quæ acta sunt, & ab iis Regibus, & ab Hadriano secundo Papa super hujus Vuilliberti ordinatione. Hæc sunt quæ leguntur in iisdem Annalibus sub initium ejusdem anni, scilicet Vuillibertum Presbyterum, jussu Ludovici Regis, & totius cleri & populi electione, etiam Carolo nolente, in locum Guntharii ordinatum fuisse Coloniæ Episcopum. Cur autem Rex Carolus noluerit hanc approbare ordinationem, patet ex Annalibus Francorum aliis, Metensibus dictis, nempe quod idem Carolus occupato Lotharii regno, jam Hilduino Abbati hunc Coloniæ Episcopatum dedisset. Hinc est, ut scripserit anno sequente idem Rex, eidem Hadriano Papæ, tum Episcoporum utriusque regni dissidium, tum inter utrosque conciliationis viam propositæ, his verbis. *Episcopi regni fratris nostri Ludovici damnationi Hincmari subscribere voluerunt ea conditione, ut Episcopi, qui in Synodo Duziacensi residentes eundem Hincmarum regulariter judicaverunt, ordinationi Vuilliberti, quem ipsi in Agrippinensi Colonia ordinaverunt, subscriberent.* Quam denique præfatam ordinationem, idem Hadrianus Papa epistola sua ad eundem Ludovicum Regem scripta, nec confirmat, nec ratam habere decernit, quousque ille qui ordinatus est, inquit, suæ exhibeatur præsentiæ, & utraque pars coram ipso discussa synodali perpendatur audientia.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 870.

CONCILIVM IN VILLA BASIACO.

CAROLI CALVI Regis 31.

Ab Isaac Ecclesiæ Lingonensis Episcopo congregatum, ob dissidium de decimis, duos inter Presbyteros exortum.

Ex chronic. Besuensi, edito à D. Luca Dacherio.

Synodus hęc, licèt particularis, quam vulgariter appellamus hodie Synodum Episcopi diœcesani, & quam aliàs Hadrianus 2. Papa vocavit Concilium civile, inseri sanè debet hîc, propterea quod alterius majoris infrà memoratæ scilicet Cabilonensis, ad annum 887. celebrandæ fuerit occasio, ac inter cętera confirmandi à pluribus Episcopis in hac idipsum, quod ab uno concessum, atque constitutum fuerat in illa, ut legere est in Besuensi chronico: Vnde similiter hancce minorem Synodum accepimus, his verbis. *Cum*, inquit, *resideret venerabilis Episcopus Isaac in cathedra episcopali in villa Basiaco, omnisque clerus ipsius promptus undique ad eum congregaretur: caterva quoque admodùm nobilium, Abbatum cum Archidiaconibus & Presbyteris, cœtuque universo in Synodo generali quiddam de causis ecclesiasticis ordinatura inter catera sancta colloquia, qua pariter habuerunt, altercatio quadam exorta est inter Ansuinum sancti Martini Lucensis Presbyterum, & Adalardum ejusdem villa sancti Marcellini Presbyterum de decimis ipsarum Ecclesiarum, loquente Ansuino, quod omnis decima cum integritate ab antiquo sua foret Ecclesia, quam è contrario profitente, & toto annisu Alardo reluctante, sua Ecclesia prorsus magis esse debere, continuò itaque in ipsa Synodo exurgentes testes valdè praclari & idonei superiùs memorati Ansuini Presbyteri, qui veris indiciis Adalardum refutantes approbaverunt & definierunt secundùm quod antiquitùs fuit, stare debere, scilicet Magenardus Abbas & Archidiaconus, Osbertus qui eodem Archidiaconatus fungebatur officio, Arnoldus eodem florens honore, Isaac, Fredradus, Adalmannus, Evocinus, & omnis fere Synodus, horum veridicorum testium, testimoniis satis confirmatus, & roboratus est Presbyter Ansuinus, & taliter uterque eorum querela hujus finem accepit: Acta sunt hac anno dominica Incarnationis* DCCCLXX. *indictione* III. *regnante Carolo Rege, Ecclesiam autem Lingonensem regente venerabili Isaac Pontifice.*

ANNO CHRISTI 871.

EPISTOLA HINCMARI REMENSIS ad Hincmarum Laudunensem,

CAROLI CALVI Regis 31.

Vt excommunicationi latæ in socios Carlomanni consentiat.

Hincmarus Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, Hincmaro dilecto fratri & venerabili Coepiscopo nostro salutem.

Ex ed. Petaviana.

TE latere non potest quanta mala Carlomanni complices in Remorum diœcesi fecerunt, propterea cum fratribus, & consacerdotibus nostris qui adfuerunt, tenore subjuncto eos excommunicandos decrevimus. Et ideò his quæ subter adnotantur, relectis pręsentaliter mihi per comministrum literas tui consensus in hac excommunicatione canonica mitte, ut per singulos Archiepiscopos diversarum provinciarum eam concurram dirigere, antequam malum, quod cœperunt, graviùs grassari & longiùs, ac latiùs serpendo possit excrescere. Data prid. Kal. Febr. pręsentis 4. indict.

NOTA.

Hanc & sequentem epistolam damus propter alteram Adriani Papæ ad Episcopos in regno Caroli, & quondam Lotharii constitutos, quâ prohibet ne Carlomannum excommunicent. Scripsisse quoque Hincmarum Remensem Adventio Metensium præsuli refert Flodoardus hist. lib. 3. cap. 23. pro excommunicatione, ait, Carlomanni, quam mittebat ei, significans qualiter eandem tractare deberet.

EPISTOLA HINCMARI REMENSIS ARCHIEPISCOPI ad Episcopos Provinciæ Lugdunensis, de Karlomanno ejusque criminis consortibus excommunicandis.

Nunc integra editur ex codice Petaviano, qui est in Bibliotheca Reginæ Suecorum.

Hincmarus Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, cum Remorum Diœceseos venerabilibus Consacerdotibus nostris, Remigio Reverentissimo Lugdunensium Archiepiscopo, & ipsius Diœceseos venerandis Episcopis salutem.

KARLOMANNVS Domini nostri Karoli Regis gloriosi carne filius, in Diœcesi Remorum Spiritu sancto regeneratus: & à Patre, sacro altari oblatus, religiosis divini obsequii serviciis mancipandus ac in Clericum tonsus, in Diœcesi verò Senonensi, & in Parochia Meldensi ab Hildegario ejusdem civitatis religioso Episcopo per singulos gradus usque ad ordinem Diaconatus provectus nuper à Patre, post plurima benignitatis ac Beneficentiæ dona sibi collata, fuga lapsus congregavit secum plurimos filios Belial, qui inaudita nostris temporibus mala in Parochiis Diœceseos Remorum exercuerunt, in rapinis, & deprędationibus, & homicidiis atque adulteriis, & Ecclesiarum violationibus, aliisque quamplurimis flagitiis ac facinoribus, quæ diabolica instigatione, & humana crudelitate possunt pattari, quem piè domnus Rex noster Karolus, sed & complices ejus, benignè ac misericordiret sicut in mandato quod eis direxerat, potestis relegere, quatet studuit revocare; verùm & ego Hincmarus Remorum Episcopus illum ac suos satellites per meipsum ore ad os ter alloquens, & posteà quartâ vice per comministrum nostrum unà cum Collegis quibusdam, & Coepiscopis nostris eum, & suos complices publicè commoneri faciens, quantùm mihi Dominus dedit, & suavitatem regni cœlestis, & æternorum tormentorum terrorem illis proposui, & quàm gravissimè Deum ipse offenderit in patris sui, ac sanctæ Ecclesiæ, totiusque Christianitatis læsione, atque raptorum à se congregatorum, consensione atque favore offendi: & si mala cœpta desereret, & ad patrem suum redire, quàm benignè illum, & Ecclesiastica pietas, & paternus affectus debuisset recipere, demonstravi: & quæ clementia illis qui cum eo èrant, offerebatur, innotui; & si hæc negligeret, vel despiceret atque in Apostasiæ suæ cœptâ obstinatione perseverare ipse, & complices sui deligerent, inculcavi eis, qualiter post hanc quartam conventionem secundùm præceptum Domini sicut Ethincus, & publicanus forent nobis habendi, & gladio Spiritus, quod est verbum Dei, Episcopali auctoritate secundùm sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, juxtàque Apostolica sedis decreta Pontificum, ut revera Apostatæ, à corpore, & sanguine domini atque unitate corporis Eccesiæ, omnium videlicet fidelium Christi societate essent modis omnibus abscindendi, quem sed & quosdam suos nec intentatæ pœnæ terruerunt, nec promissæ dulcedines invitaverunt. Et ideo quod flentes dicimus, gementes denuntiamus, complices illius qui sunt de Rhemensi Diœcesi, & nostræ sunt Curæ commissi ac in nostris Parochiis tanta, & alia ut pręmisimus crimina commiserunt, & toties commoniti resipiscere à cœptis malis, & ad sinum piæ matris Ecclesiæ redire, ut satisfacerent, noluerunt, sed in pejus, quod dictu nefas est, exereverunt, quia sicut dicit Apostolus, hujusmodi regnum Dei, non possidebunt, & cum talibus vetat vel cibum sumere, judicio sancti Spiritus, à corpore, & sanguine Domini, & Christianorum societate atque consortio segregamus, & Episcopali authoritate post V. idus Mart. præsentis quartæ indictionis, si se anteà non correxerint, secernimus, donec si fortè juxta eumdem Apostolum, eos respiciens, det illis Deus pœnitentiam, ut ad ejus voluntatem resipiscant, à laqueis diaboli, à quibus capti tenentur, & per dignos pœnitentiæ fructus satisfaciant Ecclesiæ, quam læserunt ea videlicet conditione, ut secundùm formam mystici Nicæni Concilii, & Africæ Provinciæ Canonum, juxtaque Apostolicæ sedis decreta Pontificum Siricii, Innocentii, Celestini, Leonis, vbicumque fuerint, ultima pœnitentia, & necessarii viatici communio, petentibus non negetur: eos autem qui de Remorum Diœcesi non sunt, nec specialiter nostræ Curæ sunt commissi, & memorata mala in nostris Parochiis commiserunt, ab eisdem nostris Parochiis post V. idus Martias pręsentis quartæ indictionis, si se anteà non correxerint excommunicatos esse decrevimus eo tenore, ut nullam participationem in eis, vel in communione Ecclesiastica vel in societate Christi fidelium nobis commissorum habeant, quia nulla est participatio Christi cum Belial, nec pars debet esse fideli cum infideli, donec consilio, & judicio eorum quorum interest, Deo, & sanctæ Ecclesiæ satisfaciant: Et quia essentialiter ac summè bonus pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, neminem vult perire, & venit quærere, & salvum facere quod perierat, ostendit nobis viam, quam sequamur, & formam cui imprimamur, decernimus, ut si fortè in pręscriptis Parochiis nostris cuiquam illorum imminens mortis periculum ingruerit, secundùm pręfatam sacrarum regularum formam poscenti, ultima pœnitentia, & viatici muneris communio non negetur, quæ idcirco vestræ reverendæ Paternitati innotescere procuravimus, ut vobis commissos ante talium correctionem, vitare perniciosum concilium secundùm sacram regulam denuntietis, ne illorum pestilenti contagione maculentur: nomina autem vobis eorum omnium, de quibus agitur, adnotata propter pluralitatem mittere non valuimus, sed signa vobis certissima designamus, quia sicut Christus dixit, in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem, ita & vos cognoscetis illos à discipulatu Christi, qui suos docuit esse pacificos,

pacificos, forè per insolentiam alienos, & ab unitate ipsius separatos, qui Karlomanno, & suis complicibus in Apostasiæ obstinatione perseverantibus, pertinaciter adhęrere decreverunt. Valete fratres carissimi semper in domino, memores nostri, quia nos vestri oblivisci non possumus.

EPISTOLA HADRIANI II. PAPÆ ad Hincmarum Remensem Archiepiscoporum.

Arguit illum negligentiæ in multis ad ejus Provinciam spectantibus.

Hadrianus Episcopus servus servorum Dei, Reverentissimo confratri nostro Hincmaro Archiepiscopo.

Ex codice Tuaniano.

FIDELIUM relatione comperimus, quod tua fraternitas debitum vigorem in Provincia Remensi non agitans, multa reprehensione dignissima à tuis Comprovincialibus convalescant. Cujus rei gratiâ negligentiam vestram his Apostolicis affatibus excitamus, ut secundùm venerandorum Canonum regulas, ita omnium omnino Comprovincialium tuorum Synodicè, salvo sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegio, reseces vitia, ut privilegii tui coram Deo, nostroque judicio, non merearis sustinere jacturam. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere. Data VIII. Kal. April.

EPISTOLA HADRIANI II. PAPÆ ad Hincmarum Laudunensem Episcopum.

Quâ illum increpat, quòd & obedientiam Metropolitano non deferat, & votum visitandi Apostolorum limina solvere negligat.

Hadrianus Episcopus servus servorum Dei, Hincmaro Laudunensi Episcopo.

Ex eodem Codice.

SOLLICITUDINE Pastorali super tuæ remorationis negotio liquidiùs perscrutantes, reperimus te sanctæ Sedis Apostolicæ promissa visitatione, ambitus propriæ voluntatis, quo satis tergiversatoriè uti diceris, tepidum reddidisse, & aut nunquam visitare sanctorum Apostolorum limina voluisti: aut Dominum vota tua non audire credidisti; aut & Dominum, cui vovisti, & nos à quibus vocari voluisti, procul dubiò contempsisti. Ergo ne fortè, ut credimus, occasione adeundæ sedis Apostolicæ fretus, à Reverentissimi fratris nostri Hincmari Metropolitani tui debita subjectione aliorsum declinans, tantò liberiùs libita per abusum pertinaciæ tuæ committas, quantùm & Metropolitano regulariter subjici, & ad nos de die in diem differendo venire detrectas; auctoritate sancti Spiritus tibi pręcipimus, ut memor sacrorum Canonum, qui jubent per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, Metropolitano tuo per omnia, secundùm sacros Canones, subjectus existas; neque molestè feras hinc tibi esse prelatum, qui te nosti tuis ovibus esse prępositum. Quin potiùs obedientiam, quam à tuis exigis, etiam ipse Mepolitano tuo, saluo duntaxat Apostolicæ sedis Synodico proclamandi judicio, Canonica lege dependens vota tua, si verè vota fuerunt, procrastinando tandiu non differas, ne existimationis tuæ merearis, quam non optamus, sustinere jacturam. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere.

CONCILIVM DVZIACENSE I.

Elenchus omnium quæ subsequuntur, & ad Concilium Duziacense pertinent.

Illa autem dividuntur in sex partes.

Quarum prima est, Proclamatio Caroli Calvi Regis adversus Hincmarum Laudunensem Episcopum.

Secunda pars, Expostulatio Hincmari Archiepiscopi Remensis adversus eundem Hincmarum Episcopum Laudunensem.

Tertia pars continet responsa Episcoporum ad Proclamationem Caroli Calui Regis prædictam.

Quarta pars continet acta Synodi, atque sententias Episcoporum.

Quinta pars continet Epistolam Concilii ad Hadrianum II. Papam, ac Epistolam Hincmari Remensis ad eundem Papam.

Sexta pars continet, quæ post Concilium, & ab Hadriano Papa, & à Rege Carolo, tandem ab Episcopis gesta sunt. Sic autem se habent.

Epistola Hadriani II. Papæ ad Episcopos Synodi Duziacensis, *extat in tomo 3. concil. Galliæ.*

Epistola Caroli Calvi Regis ad eundem Hadrianum Papam, *nunc Editur ex cod. Petaviano.*

Epistola ejusdem Hadriani ad Carolum Regem; quæ incipit, *Laudabilis caritatis,* &c. *Extat in eodem tomo Conciliorum Galliæ.*

Epistola ejusdem Regis ad eundem Papam, quæ incipit, *Legimus in libro Paralipomenum,* &c. *Ex eodem codice auctior editione Parisiensi.*

Epistola ejusdem Hadriani Papæ, respondens præcedenti ejusdem Caroli Regis, quæ incipit, *Litteras vestræ nobilitatis,* &c. *Extat in eodem tomo Concil.*

Rescriptum Episcoporum Synodi Duziacensis ad Epistolam Hadriani II. Papæ, *Auctius* IX. *Capitibus, ex eodem codice Petaviano, in quo distinguitur illud per capita, Quæ divisio non habetur in fragmenti editione, tomo eodem 3. Conciliorum Galliæ.*

CONCILIVM DVZIACENSE. I.

In quo Hincmarus Episcopus Laudunensis tertiùm accusatus Episcopali gradu dejectus est.

Apud Duziacum Villam mense Augusto celebratum, anno Christi 871. Hadriani Papæ II. anno 4. Caroli Calvi Regis 32.

Nunc primùm editum ex codice Petaviano, qui est in Bibliotheca Reginæ Suecorum.

Pars Prima Concilii.

PROCLAMATIO DOMINI Caroli Regis adversus Hincmarum Laudunensem Episcopum in Synodo porrecta.

Cap. IV.

Multa desunt è principio, quæ tamen petenda sunt ex responsis Episcoporum ad illam, quæ leguntur in tertia parte Concilii.

QVAS habeo, profitetur, mihi concessit, ut eas Nortmanno beneficiarem. De quibus post talia, ut tanta Sacramenta, & subscriptionis suæ professionem, sicut præmisi, antequam me inde cum Archiepiscopo, vel cæteris Coepiscopis suis in Synodo Remorum Provinciæ, cùm plures Synodi, in eadem Provincia habitæ fuerint, compellaret; latenter me ad sedem Apostolicam, ut distractorem rerum Ecclesiasticarum per calumniam accusare, missum suo nomine Celsanum, & litteras suas transmisit, sicut ipsæ litteræ Domini Apostolici, quam mihi idem Hincmarus in Carisiaco, coram suo Archiepiscopo, & aliis Archiepiscopis, & Episcopis, & pluribus fidelibus nostris obtulit. Quæ, ipsius Hincmari adversum me accusationem, apud Apostolicam sedem demonstrant: dicente in his mihi domno Apostolico. Sicut enim gaudemus, cum serenitatem tuam, erga statum Ecclesiasticum more prędecessorum Principum liberalem tam litteris audimus quàm vocibus. Sic nimirùm cum eam in aliquo distrahenrem extra consuetudinem suam comperimus, tota cordis valitudine contristamur. Dominus namque dicit, sicut audio, judico; Ita & domnus Apostolicus, manifestè demonstrat, quia sicut ex hac causa per Hincmarum litteris, & vocibus audivit, de distractione rerum Ecclesiasticarum, ita etiam scripto mihi mandavit. Et Hinemarus Laudunensis Episcopus in scripto suo quod mihi direxit, ita dicit: hanc autem villam idcirco per eum, id est per Apostolicum, recuperandam Ecclesiæ, cui indignus Præsideo, dignum duxi, quia omnibus cassus, ut pręmisi, rebus, omni consequenter deinceps extiteram vestræ liberalitatis spe destitutus. Et racere ulteriùs non fui ausus, cùm per octo transactos penitus annos, nonoque ferè completo satagens pro ea recipienda, defecerim. Ac per hoc, quod ad modicum sine dispendio profuturo, tempus præfixo rationis modo indulseram rebus, damnandus Assensor judicarer, si meo negligeretur torpore, quasi conhibita abrogatione, quod vestra erogatum fuerat devotione. Nihil verò in hoc saluti vestræ contrarium, nihil vestræ Regiæ dignitati, Domne dignissime, fecisse me putavi, vel puto obliquum, quoniam Romam misi.

Et idem in scripto suo dicit, quia, Episcopi verba

verba aut vera sunt, aut sacrilega. Sed cùm domnus Apostolicus mihi scripserit, qnia cùm distractorem me erga statum Ecclesiasticum, tam litteris quàm vocibus accepit, & comperit, tota cordis valitudine contristatur. Quæ verba nostræ regiæ saluti, atque regiæ dignitati sunt profectò obliqua, quę domnus Apostolicus non de se protulit; sed sicut ab ejus scriptis vel vocibus à Misso suo, ex sua parte prolatis accepit, rescribere procuravit. Et leges sacræ decernunt, scripturâ vel testibus quenquam jure posse convinci. Ecce scripturam, quæ eum convincit, me ad Sedem Apostolicam mendaciter accusasse, quia distraxerim statum Ecclesiasticum; cùm ipse Hincmarus in scriptis suis confiteatur, mihi ad petitionem Chunradi, & Rodulfi easdem res præstitisse, ut illas Normanno beneficiarem: & Celsanus ipsam Epistolam à sede Apostolica se detulisse negare non potest, in qua domnus Apostolicus, sicut litteris & vocibus de me audivisse comperit, se mandasse manifestavit. Cujus testimonio, ut rectum est, credimus, quoniam non mandavit, nisi velut litteris & verbis Hincmari per Missum ejus accepit; & sancta Scriptura ostendit, duorum vel trium testimonio sententiam confirmari.

Cùm Hincmarum sępissime litteris, & frequentibus tam Ecclesiasticis, quàm & reipub. Missis venire ad me vocaverim, & venire ad me contempserit, & ad me relatione verisimili pervenerit, quoniam cum Hlotario nepote meo illi convenerit, ut Ecclesiam & plebem sibi commissam desereret, & in regno illius honores acciperet, unde in scriptis ejusdem Hincmari quæ habeo, significationes inveni; ad Laudunum Missos meos direxi, & homines liberos de ipso Episcopio, quibus ut ad me perventum erat, Hincmarus non permisit ad me venire, quatenus ad me perducerentur: de ipsis hominibus, qui sacramento firmaverunt, ut de regno meo sine mea licentia non exirent, & in mea fidelitate verbis vel scriptis in regno meo, vel extra regnum meum, missaticum non portarent: misit Vvalconem, & Bernonem, qui illud sacramentum juraverunt, ad sedem Apostolicam furtim & latenter, atque mendaciter iterùm me accusare, sicut ipsa Epistola domni Apostolici manifestè demonstrat pro villa Pauliaco & pro aliis, quæ hic audire potestis, & obtinuit talem Epistolam in meam contrarietatem & inhonorationé, qualem à sede Apostolica nullus antecessorum meorum Regum Francorum accepit. Et non suffecit illi, quia in tantis Sacramentis, sicut audistis, se perjuravit, & contra suam professionem, & subscriptionem fecit; sed & prędictos suos homines perjurare fecit.

CAP. V.

De inobedientia erga Regem.

ISdem Hincmarus anno Incarnationis Dominicæ 870. 16. Kal. Iul. tertiæ indictionis, in Synodo Epīscopotum decem Provinciarum, quorum habemus nomina, dedit mihi libellum manu sua subscriptum, qui ita se habet. *Ego Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis Episcopus, amodò & deinceps domno Seniori meo Carolo Regi sic fidelis & obediens ero, sicut homo suo Seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet.* Et postquam hujusmodi libellum in Synodo mihi dedit, sine mea licentiâ noctu fugâ lapsus ab Attiniaco Palatio nostro discessit, quem ad me venire mandavi, ut diceret, qua ratione aufugerit. Et ipse mihi per Bertharium clericum suum litteras misit hæc continentes. Sine mora, instanterque vestræ dominationi occurerem, sicut pro posse agere consuevi, nisi recidiva febri retinerer, & maximè dum nudo solis fervore perfundor, rubea in me accenditur cholera, totumque corpus exæstuare compellit. Pronus igitur cordis supplicatione ad vestros devolutus pedes efflagito, ut nulli meorum credatis clanculùm, qnia palam non audet, suggerenti inimico, quasi me velle in aliquo à vestra fidelitate deviare; de qua in quibuscumque pro scire & posse, ut dignum est, cupio decertare; tantùm ut mihi canonicæ institutionis legem, sine qua subsistere nequeo, conservare dignemini. Illustret igitur superni fomitis instinctus vestri serenissimi cordis aulam, ut licentiam ac liberam pro Christi Clavigeri amore facultatem ejusdem mihi adeundi limina, ad Apostoleam etiam pręsentaliter concedatis deprecationem. In quo labore ab hac febrium vexatione me liberari quantocius confido, quoniam ab hac eadem olim erutus sum hoc devovendo; & idcirco me repetit recidiva, ut implere non tardem bene devota. Supersidet quoque, ne si secùs egero, etiam ob inobedientiam Apostolica, ut sitis, auctoritate vocatus, meritò judicer, ac Ecclesiasticis ictibus feriar. Cui remandavi, quod mirabar valde de eo quod mihi mandabat, se ad me venire non posse, in loco proximo, febre detentus, & se posse Romam ire cum eadem febre, ut ab ea absolveretur, mandabat. Veniret autem ad me, & sic contra rationem & auctoritatem illi Romam eundi licentiam non denegarem. Sed tunc ipse venire non voluit. Posteà autem circa Kalendas sequentis mensis Septembris, in Silvacum ad me veniens, nihil mihi inde dixit. Deinde mense Octobrio Remi mecum veniens, ubi & domni Apostolici Missi, & Archiepiscopus ejus fuit, nihil inde loquutus est. Posteà in mense Febroario Compendio per aliquot dies mecum fuit, & nihil inde petiit. Inde in mense Iunio, sicut & suus Archiepiscopus, & alii ejus Coepiscopi, in Silvaco ad me venit, & nullam significationem de suo itinere Romam ostendit. Et non solùm de die in diem, sed & de hora in horam, quando sibi videtur, & pro quibus sibi videtur, Apostolicam Sedem appellat, & se invitatum ab Apostolico, & à me sibi licentiam dari obtinere non posse proclamat. Verùm & alia quæ mihi modò longum est enarrare, in suis scriptis meæ personæ imponit. Vnde à vestra Episcopali auctoritate, consilium & auxilium diu fatigatus exposco, quatenus vel tandem ab illius vexationibus valeam requiescere.

CAP. VI.

Quod Regiæ potestati restitit.

IN super hæc omnia, postquàm eundem Hincmarum, litteris Regio more ad hanc Synodú convocavi, ad quam eum & suus Metropolitanus, & auctoritate domni Apostolici, & sua Metropolitana solicitudine regulariter evocavit: quia Comiti & Misso meo pręcepi, ut quosdam liberos homines de regno meo sibi commendatos, qui de infidelitate mea reputantur, &

Anno Christi 871.

& sicut ad me perventum est, aufugere de regno meo parabant, ne ad rationem venirent, præcepi, ut secundum legem Francorũ, & antiquam consuetudinem prędecessorum meorum Regum per fidejussores mitterer, donec ad rationem legaliter venirent: idem Hincmarus tam liberos quàm & colonos, & servos secum degentes contra meam Regiam potestatem armari, & Missis meis resisti fecit, ut quod secundùm legem pręceperam, Missus meus legaliter implere non posset. Et Missum suum Heribrandum ad me misit, qui hæc penitus non denegavit per quem mihi mandavit, ut Episcopos & Missos meos obviam illi transmitterem, cum quibus liberè & securè ad me venire posset. Et in sequenti nocte eosdem homines, sicut & ipse Missis meis dixit, à se emisit; & sicut manifestum est, ne ad rationem venirent, fugam attripere in mea infidelitate pręcepit. Quam rem novam, nec antè visam exhorrui: cum de sub isto cælo non legimus, ut Episcopus militari manu, & in regno pacifico, Regi resisteret, ut leges non adimpleret. Et sacri Canones dicunt, quomodo Episcopus Provincialis regulariter evocatus ad Synodum venire debeat: & si pro certa causa venire nequiverit, apud Primatem suum & non apud alios, sicut Hincmarus postposito Metropolitano suo facit per vicariam personam, cum tractoria suam excuser personalem pręsentiam, suumque regularem repręsentet consensum. Quod si secus egerit, manifestum est quid inde sacri decernant Canones. Et hac perlecta, obnixè Domnus Rex petiit Episcopos, ut quia Hincmarus eatenus venire ad Synodum detrectabat, quid de his quæ in sua petitione continentur, Scripturæ sacræ, & leges, ac regulæ dicant, in unum colligerent, & scriptis alligarent: quatenus si fortè Hincmarus veniret ad Synodum, legaliter, ac regulariter inter se, ac ipsum Hincmarum discernerent.

Pars Secunda Concilii.

Schedula, sive libellus expostulationis Hincmari Metropolitani Remensis adversùs Hincmarum Laudunensem Episcopum, in Synodo recitatus.

Præfatio.

Sanctus Cęlestinus Synodo apud Ephesum scripsit, Spiritus sancti pręsentiam testificat congregatio Sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia non potest veritas nostra mentiri, cujus in Evangelio sententia ista est, *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum.* Quod certissimum retinens vestræ sanctæ congregationi consilium & auxilium, sicut & jam feci apud eos, qui conventibus interfuerunt, scilicet in Vermeria, deinde in Gundulfi Villa, & posteà in Attiniaco, porrecta in Synodo Schedulâ de fratre, & Coepiscopo nostro Hincmaro expostulo: quem multis Epistolis, quarum habeo exemplaria, ut à pertinaci contumacia sua, erga Metropolis suæ privilegium resipisceret, corripui; sed corrigere non pręvalui. Nam post multas commonitiones, quibus apud eum nihil profeci, nuper 4. Id. Iunias pręsentis 4. indictionis, de his quæ in hac scedula breviter collecta sequuntur: sed & de petitione Bertharii Diaconi Laudunensis, mihi

Matth. 18.

Caroli Calvi Regis 32.

A adversùs eum directâ, cujus exemplar hic habeo: pro loci mei officio, illum ad proximè futuram Synodum invitans, scripto cõmonui volens illum statuere contra faciem suam, ut illa quæ coram Deo recta, & coram hominibus oblita penitus cupiebam, alligata litteris, & ad memoriam ejus reducta legeret, ac se intelligeret, ne quando eum regulare judicium raperet, quod effugere non valeret. Et in indiculo, quo ad hanc Synodum eum vocavi, sicut & cæteros Provinciæ Remorum Episcopos, illi superaddidi. Sciat etiam tua fraternitas, eos, qui adversum te anno præterito apud me querelas suas deposuerunt, & de quibus in Synodo fuisti apud Attiniacum

B impetitus, quoniam quæ conventa ibi fuerant, non es regulariter prosecutus, nunc iterum suas querelas deponere. Vnde moneo fraternitatem tuam, ut ita inde pręcogitatus, & pręparatus ad denuntiatam Synodum venias, quatenus querimoniæ indecentes Episcopo sopiantur, ne nomen bonum, quod Apostolica regula jubet habere Episcopum, in tua opinione notetur, & sicut idem dicit Apostolus, non vituperetur ministerium nostrũ. Dat. Prid. Id. Maii pręsentis 4. indict. Vnde exardescens sicut ignis in spinis, mihi more suo prolixissimam Rotulam 16. Kal. Iulias pręsentis 4. indict. per hominem suum nomine Chunibertum, exprobrationibus repletam & calumniis respersam direxit. Cui hoc

C modo per Compresbyterum nostrum rescriptum direxit: domnus Apostolicus Hadrianus misit mihi Epistolas de causis nostræ Diœceseos, quas oportet in Synodo legi. Propterea auctoritate ipsius domni Apostolici, te ad proximam futuram Synodum in Duziaco Remensis Parochiæ, Non. Augusti pręsentis 4. indict. venire commoneo. Data. 3. Non. Iulias præsentis quartæ indictionis. Igitur quoniam per me corrigere nequeo, vestram consultationem ac consolationem inde similiter adeo, si fortè Spiritus sanctus, qui ubi vult spirat, & cujus pręsentiam sancta congregatio vestra testificatur, vestris salubribus monitis, & Deo dignis oratio-

D nibus, eum tandem aliquando corrigat, aut regulari medicamento insolentiam ejus compescat: quoniam diutius eum sine correctione, & propter Deum, & propter Metropolitanam solicitudinem indigno mihi commissam, sustinere non audeo. Pręsertim cùm & domnus Papa Hadrianus me nuper Apostolicis suis litteris hinc commonuerit. Et hæc quidem, sed & alia quæ sequuntur, non de propriis & specialibus meis injuriis vice accusatoris, sed solicitudine privilegium Metropolis Remorum Provinciæ, per sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos decretum, & auctoritate Apostolicæ Sedis confirma-

E tum contra convellentem illud, evindicantis & contra professionem, & subscriptionem suam erga sanctos sanctorum Conciliorum Canones, & decreta sedis Apostolicæ ex eisdem Canonibus promulgata, ergaque sacras leges, quibus vnà cum Canonibus moderatur Ecclesia, ejus contemptum monstrantis, & ei per scripturam falsò illatas mihi calumnias refellentis inculco. Quia ut B. Cęlestinus dicit, meritò nos causa respicit, si silentio faveamus errori. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretorum norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentiâ populis permissa frangatur. Non est agentium causa solorum: universalis Ecclesia quacumque novitate

novitate pulsatur. Novum est enim quòd provincialis Episcopus, qui non in civitate, quæ ex antiquo inter provinciales sedes fuerit computata, sed in municipio Lauduni à Marcobrio Prętore condito, ut produnt historiæ; quod ab exordio sui nunquam inter sedes provinciales Remorum proviuciæ in paganismo, vel in Christianismo nomen vel locum habuit, donec sanctus Remigius xv. Remorum Archiepiscopus, certis quibusdam accidentibus causis primus ibidem ordinavit Episcopum, & eidem municipio de rebus Remensis Metropolis satis superque ditato, ipsum comitatum in quo consistit, partem scilicet ex Remensi parochia delegavit: sed semper fuit Remensis parochiæ municipium, sicut hodieque & alia municipia in Remensi parochia, quæ in subjectionis loco ac nomine permanent, privilegium sibi arrogat, & contra privilegium Metropolis suæ rebellat. Cùm sanctus Leo diffiniat, scribens ad Maximum Antiochenum Episcopum: Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita Pręsulum, jura tamen permanent sedium; quibus possunt Concilii perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Quapropter non queror adversùs hunc fratrem speciali causa mearum injuriarum, sed contempti privilegii Remorum Metropolis, quod sacri Canones mystici Nicæni Concilii sedibus singularum provinciarum servari irrefragabiliter decreverunt. De quibus item Leo ad Anatolium diffinivit, ut omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum.

CAPVT I.

Quòd Palatii regii & Abbatiæ administrationem contra Canones obtinuit.

CVM sacri Antiocheni Canones pręcipiant, ut pręter Metropolitanum nihil agere debeat, secundùm antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantùm quæ ad suam parochiam pertinent, possessionesque subjectas, sine mea, vel Coepiscoporum conscientia administrationem in palatio domni Regis obtinuit. Quam administrationem illi coram eodem domno Rege, & aliis qui adfuerunt, ex sacris regulis interdixi. Postea iterum per exteras potestates, id est sęcularium interventione, contra Sardicenses Canones, eandem administrationem in palatio cum Abbatia in tertia provincia, ultra Remensem provinciam, sine mea conscientia impetravit, & per aliquot annos tenuit, donec contra domnum Regem in tantùm se, sine ratione contumaciter erexit, ut & administrationem palatinam, & ipsam Abbatiam illi auferret. Contra quæ Sardicenses Canones dicunt: Scimus enim & ipsi sępissime propter paucorum impudentiam religiosum sacerdotale nomen fuisse reprehensum. Et post aliquanta in hujusmodi litteris subscribi, & talem in communione recipi vetant.

CAPVT II.

Quòd ad eandem Abbatiam sine licentia Metropolitani contra Canones perrexit.

AD quam Abbatiam quoties sibi placuit, sine licentia mea perrexit; & quamdiu illi A placuit, ibidem commoratus fuit, contra Hilari Papæ decreta dicentis: Illud non potuimus pręterire, quod solicitudine diligentiore curandum est, ne pręter Metropolitanorum suorū litteras aliqui Episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci. Quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. Et sic antea Zosimus, & posteà sanctus Gregorius decrevit, scribens ad Vincentium & cæteros Episcopos: Hortamur, inquit, fraternitatem vestram, ut si quemquam vestrûm pro causis propriis ubicumque longiùs compulerit ambulare necessitas, à Metropolitano vestro, secun- B dùm inditam à sanctis Patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo debeatis. Et reliqua.

CAPVT III.

Quòd ad ordinationem Episcopi Cameracensis vocatus venire, aut vicarium mittere, contempsit.

PRęterea quoque litteris canonicis certum diem & locum designantibus, & ad Ecclesiam suam ex more directis, quarum exemplar habeo, evocatus ad ordinationem Episcopi in Ecclesia Camaracensi provinciæ nostræ, pastore destitu- C ta, unde Apostolica Sedes me suggerente, non modicè laboravit, nec ipse venit, nec pro se vicariam personam, vel litteras sui consensus ad me, sicut pręcipiunt regulæ sacræ, direxit. Qua de re ordinatio electi fuit dilata. Vnde iterum istiusmodi litteras ad Ecclesiam suam ex more direxi: Hincmarus Remorum Episcopus dilecto fratri Hincmaro, & venerabili Coepiscopo nostro, salutem. Sicut jam altera vice litteris dilectioni tuæ mandavi, clerus ac plebs Camaracensis Ecclesiæ cum decreto canonico petierunt sibi ordinari Episcopum Ioannem Presbyterum, virum boni testimonii, ad ejus ordina- D tionem Nonis Iulii convenimus secùs Belvacum. Sed quia tua fraternitas illuc non convenit, nec pro se personam aut litteras sui consensus direxit, ordinationem illius distulimus. Propterea quoniam sicut ipse scis, eadem sedes, diu in multorum periculum vacat pastore, xii. Kalendas Augusti conveni cum cęteris fratribus in Monasterium, quod dicitur Isla, in parochia Belvacensi ad eundem fratrem nostrum ex more ordinandum Episcopum. Data 3. Id. Iulii. Et convenientibus nobis ad prędictum locum, prędictis Kalendis, nec ipse venit, nec pro se vicariam personam, vel litteras sui consensus ad me, sicut pręcipiunt sacræ regulæ, direxit. Nos autem qui convenimus, auctoritate Nicæni Concilii, decernentis, ut in ordinando Episcopo, si E communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm regulam ecclesiasticam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum, eundem venerabilem fratrem Ioannem Episcopum ordinavimus. De contemptu autem fratris Hincmari, ut ad ordinandum Coepiscopum nostrum conveniret, & secundò litteris commonitus venire contempsit, Symmachus Papa ad Æonium ita ex sacris regulis promulgavit: ut si quilibet Episcopus Metropolitano Pontifici juxta canonicam diffinitionem vocatus, obtemperare noluerit, noverit succidendum se, quod non optamus, ecclesiasticâ disciplinâ. Sed dehinc à me

Anno Christi 871.

conventus, nullam satisfactionem, nec etiam humile responsum, mihi ac Coepiscopis nostris reddidit.

Capvt IV.

Quòd Regem sine ulla ratione vel necessitate offendit, & aliorum Episcoporum parochianos excammunicavit.

POsteà intervenit diutinum scandalum inter domnũ Regem & illius pertinacem contumaciã: eò quòd homines sui ad domnum Regem se reclamaverunt, quia beneficia eorum ab eis injustè abstulerit. Vnde domnus Rex semel ac secundò me, unà cum Coepiscopis nostris, & aliis Missis suis, inter eos habere audientiam jussit; sed illum ad rationem & obedientiam debitam flectere non potuimus. Quapropter jussit domnus Rex, ut ad Pontigonem palatium suum in Remensi provincia, quò plures Episcopi, & alii fideles ejus conventuri erant, aut ipse veniret, aut ita personas pro se instructas dirigeret, ut ipsæ querimoniæ finem acciperent. Ipse autem illuc non venit, nec ita instructas pro se personas direxit, qui legalem finem eisdem querimoniis imponerent. Qua de re domnus Rex ei mandavit, ut ipsis hominibus sua beneficia tenere permitteret, usque dum justè & rationabiliter causæ, de quibus apud eum reclamabatur, diffinirentur. Isdem autem sine Misso Regis, vel Metropolitani, absentibus illis qui contra eum querebantur, contra leges publicas & ecclesiasticas, septem homines, quod sibi fuerat visum, interrogavit, & quod domnus Rex ei mandaverat, non obaudivit. Et veniens demùm ad domnum Regem, adeò illum commovit, ut & suprafactam Abbatiam & administrationem palatinam ab eo auferret. Et post hæc, quia sicut ei præcepi domnum Regem venire, non voluit, nec advocatum suum, qui de rebus pecuniariis contra conquirentes adversùs eum rationem redderet, misit, nec electorum judicium juxta leges & regulas expetere voluit, nec mihi suo Metropolitano, ut ecclesiasticos judices, quorum judicio causæ finiuntur, sicut leges & regulæ jubent, illi delegarent, quiddam mandavit, domni Regis erga se animum non mediocriter exaggeravit. Cujus benignitatem ad eum veniens, adjunctis mecum nostris Coepiscopis, sicut antea & postea sæpius egi, placabilem ei feci. Sed frater Hincmarus, more sueto, iterum atque iterum domni Regis animum sine ulla ratione vel necessitate contumaciter recommovit: & sine ipsius licentia ab eo recedens, Laudunum per noctem aufugit. Quem domnus Rex litteris & Missis tam ecclesiasticis, quàm & sæcularibus, ut ad eum veniret, sæpe vocavit, qui ad eum venire contempsit. Et quoniam pervenit ad domnum Regem, quia cum Hlotario illi conveniret, ut Ecclesiam & plebem sibi creditam desereret, & in regno ipsius honores acciperet. Qui & in litteris domno Regi directis, scripsit, dicens: Deo teste vobis loquor, potiùs eligo extra vestrum degere regnum, quàm in vestro talis apparere, quosdam nosco susurrare. Tunc domnus Rex necessitate compulsus mandavit, ut quia ipse venire nolebat, liberi homines de Episcopio Lauduni ad eum Compendio palatio venirent, quò aliqui ex eis venerunt. Quibusdam verò, ut ad Regem

Caroli Calvi Regis 31.

A perventum est, Hincmarus venire non permisit: & ideo domnus Rex duos Episcopos Remorum provinciæ, Hodonem scilicet & Vuillebertum ad eum misit, mandans ut jam tandem ad eum veniret. Et misit reipublicæ ministros, ut liberos homines, qui ad eum sicut mandaverat, non venerunt, & cum Hincmaro degebant, aut voluntarios, aut invitos ad eum venire facerent. Hincmarus audiens eorum adventum, sicut etiam ipse in scripto suo demonstrat, antequam reipublicæ ministri ad eum directi, Laudunum pervenirent, inauditam antea nostris temporibus excommunicationem in meos, & multorum Archiepiscoporum, & Episcoporum parochianos, non de criminibus quibuscumque accusatos, vel confessos sive convictos; sed nec B evangelicè vel regulariter commonitos, in parochia sua perpetratis, sine mea conscientia, contra sacras regulas jaculavit. Vnde maximum scandalum, & Regi, & regno, & istis Cisalpinis ecclesiis intulit. Excommunicatio verò, quia potiùs maledictio, quam furia exagitatus intorsit, hoc modo se habet. Apostolicâ, imò divinâ auctoritate per virtutem hujus ligni (videlicet sanctæ Crucis) cooperantibus meritis sanctæ hujus genitricis Mariæ, cum auctoritate beatissimi Principis Apostolorum Petri, tam omnes hujus loci invasores, quàm parochiæ meæ, omnesque hujusmodi contaminatores, cunctosque C eis consentientes, anathemate damnamus, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ extorres virtute Spiritus sancti decernimus, atque ab omni Christianorum consortio alienos adjudicamus. Et mox subsequitur in suo scripto. Responditque omnis clerus, anathema sint: tenentibus Presbyteris in manibus sancta Evangelia, lignumque sanctæ Crucis. Præfati verò Episcopi ad eum venientes nihil de obedientia erga Regem, quam illi super sacrosancta juravit, obtinuerunt. Reipublicæ autem ministri à Rege directi, nullam ei, aut cuiquam violentiam inferentes, homines liberos Episcopii Laudunensis ad Regis fidelitatem sacramento confirmaverunt, & sic D ad Regem redierunt: ipse verò me postposito, in tali excommunicatione suis est libitibus usus; cùm sacri Africæ provinciæ Canones præcipiant, ut posteriores Episcopi anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Et lex prohibeat, ut per alienam messem transiens falcem non mittat, sed manu spicas conterat, & manducet. Falcem, inquit beatus Gregorius ad Augustinum, judicii mittere in ea segete non potes, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis exspolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo, converte. Et item sanctus Gregorius ad Ianuarium Episcopum, qui Isido-E num V. Cl. causâ suæ injuriæ excommunicaverat, scripsit, dicens: Quia, si ita est, nihil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te habere conversationem significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Vnde de cætero omnino esto circumspectus, atque solicitus, ne tale cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuò præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. Et sanctus Augustinus in libro de Pœnitentia: Auferte malum à vobis ipsis. Quibus verbis satis ostendit non temerè & quomodolibet,

dolibet, sed per judicium auferendos malos ab Ecclesiæ communione. Noluit enim Apostolus hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potiùs ex lege Dei, secundùm ordinem Ecclesiæ, sive ultrò confessum, sive accusatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit, *Si quis frater, nominatur aut fornicator, aut idolis serviens*, &c. nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam cum sententia ordine judiciario atque integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, nulli damnandi sunt innocentes, quia falsò sæpe in quoquam crimen nominatur.

CAPVT V.

Quòd Ecclesiæ suæ Presbyteros & ministros illicitè excommunicavit.

DE qua præsumptione corã Coepiscopis nostris, quia publicè illã admiserat, eum corripui; sed non acquievit ullo modo corrigi. Vnde iterum causa suæ injuriæ, me inconsulto, & sine consensu Coepiscoporum Remensis provinciæ, sicut petitio à clericis Laudunensis Ecclesiæ mihi porrecta demonstrat, & in Synodo apud Attiniacum habitâ demonstravi, Presbyteros & ministros Ecclesiæ suæ excommunicavit, ut nemo in eadem parochia Missarum officia celebraret. Vnde sanctus Augustinus doctor famosissimus, & ab Apostolica Sede receptissimus, qui Carthaginensi Concilio interfuit, & Constitutiones ipsius plenissimè novit, in epistola ad clerum & plebem Hipponiensium, inter alia dicit: Nuper in Concilio Episcoporum constitutum est nullum clericum, qui nondum convictus est, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam non se præsentaverit. Et sanctus Gregorius, Augustino tempore posterior, & loco prior, ex sacris legibus ad Martinum, & ad Sicilienses Episcopos promulgavit, ut nemo sine cognitione damnetur. Et de inlicita excommunicandi ratione lex Iustiniani Catholici Imperatoris, quam probat & servat Ecclesia Catholica, constitutione 118. Capitulo 441. decrevit ut nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici Canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversùs ea excommunicaverit aliquem, ille quidem, qui excommunicatus est, majoris Sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem, qui non legitimè excommunicavit, in tantum abstineat à sacra communione tempus, quantum majori Sacerdoti visum fuerit, ut id quod injustè fecit, ipse justè patiatur. Et hinc sanctus Gregorius ad Ioannem Episcopum injustè excommunicantem inter cętera scripsit, dicens: Cassatis priùs, atque ad nihilum redactis prędictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri Apostolorum principis auctoritate, decernimus triginta dierum spatio sacrâ te Communione privatum, ab omnipotente Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia & lacrymis exorare. Quòd si hanc nostram sententiam cognoverimus implesse remissiùs: non jam tantùm injustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognosces, juvante Domino, severiùs puniendam. Et item idem quosdam Episcopos excedentes post inquisitionem, utrùm excessus

A exilio vel depositione cujusque sit dignus? in sex mensibus dominici corporis & sanguinis communione privatos agere pœnitentiam in monasterio decrevit; ex conditione, ut si de communione privatis, mortis contigerit imminere periculum, benedictio eis Viatici non negetur. De qua causa, ut idem alibi & aliunde dicit, ostensa est nobis ira, quam sequamur, apposita forma cui imprimamur.

CAPVT VI.

Quòd infantes in sua parochia baptisari prohibuit.

B PRohibuit quoque, ut nemo parvulos in sua parochia, etiã in mortis urgẽtis periculo constitutos, baptisaret; sicut in petitione pręfata continetur: cùm veritas dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Et, *Non venit filius hominis animas perdere, sed salvare.* Et item, *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos.* Obviam etiam decretis Siricii, Leonis, Gelasii & Africani Concilii: nam de infantibus baptisandis, qui nondum baptisati noscuntur, quoties necessitas exegerit, regula ecclesiastica per beatum Siricium est prolata: cujus regulæ conclusio constat hoc modo: Nunc pręfatam regulam C omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli. Et sanctus Leo hujus salutis singulare pręsidium nullo tempore unquam denegari decrevit.

CAPVT VII.

Quòd Pœnitentiam & Viaticum morientibus dari vetuit.

NVllum siquidem etiam ad ultimã pœnitentiam suscipi, & nulli Viatico munere subveniri, contra Nicęnos & Africanos Canones & D decreta Siricii & Innocentii atque Celestini; necnon & Leonis vetuit; sicut in sępefacta petitione habetur. Cùm per se veritas dicat: *Venit Filius hominis quærere, & salvare quod perierat; qui non venit justos, sed peccatores vocare in pœnitentiam.* Multis voce Domini reclamantibus, & Ecclesiæ Catholicæ doctoribus, ut pręsidium regenerationis & pœnitentiæ, sacræque Communionis in mortis periculo positis, & petentibus, à quòquam nullatenus denegetur. Et sacrum Nicænum Concilium decrevit; Generaliter, inquiens, omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. Et de pręfatis Apostolicorum Pontificum, E ex hac causa decretis sanctus Leo Papa judicium protulit, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.

CAPVT VIII.

Quòd sepulturam mortuis in parochia sua denegari præcepit.

SEpulturam etiam mortuis, sicut in memorata petitione continetur, nimiã inhumanitate contra sacras Scripturas, sacrosque Canones denegari pręcepit. Cùm sicut in historia vene-

Dd ij randa

randa libri Regum legimus, etiameorum corpora, qui ad consultum Domini propter peccatum Saül, ob quod facta est fames in diebus David tribus annis jugiter, crucifixi fuerant, laudabiliter sunt custodita à concubina Saül, ne lacerarentur ab avibus per diem, neque à bestiis per noctem, donec stillaret aqua super eos de cælo; sicque sepulta sunt cum ossibus Saül & Ionathæ. Et in Evangelio legimus, quia petente Ioseph, Pilatus jussit reddi corpus Domini Iesu, quem quasi nefarium petentibus Iudæis crucifigi adjudicavit, unde & *cum iniquis* secundùm Scripturam, *deputatus est*. Et Iudæi ne remanerent etiam sceleratorum corpora in cruce die sabbathi, inhumata, obtinuerunt à Pilato, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et antiquorum Patrum regulæ, etiam eorum corpora, qui sibi quolibet modo mortem intulerunt, vel qui pro suis sceleribus puniuntur, ad sepulturam, licèt sine hymnis & psalmis, deferri præcipiunt, & non sepultura in ventre matris omnium, id est terræ, carere etiam talium cadavera præceperunt.

CAPUT IX.

Quòd de his excessibus monenti Metropolitano suo obedire neglexit.

QUÆ audiens vehementer exhortui, & proinde ad eum Metropolitana solicitudine semel & secundò litteras misi, monens & hortans illum, ut tam exitiabilem excommunicationem, & impietatis colligationem in suum & multorum periculum intentatam, quantocius solveret. Sed ad obediendum, eum invitare non valui. Cùm sanctus Bonifacius explanans Capitulum Nicæni Concilii ad Hilarium Narbonensem Episcopum, dicat: Advertat caritas, adeò nos Canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectat. Et Leo ad Theodorum Forojuliensem Episcopum: Solicitudinis, inquit, tuæ is ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo de eo, quod quærendum esse videbatur, conferres; quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent, omnium Domini Sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. Certum est enim quoniam illa, quæ de baptisandis parvulis, & de ultima pœnitentia & viatico munere, ac mortuorum sepultura nulli denegendâ, ex sacris regulis ad eum scripseram, ad generalem observantiam Domini Sacerdotum pertinent. Contra quæ præsumere non debuerat, & inconsultò præsumens etiam ad primam commonitionem ex evangelica veritate & apostolica, atque canonica auctoritate, & ex decretis apostolicæ Sedis Pontificum promulgatam, mihi qualicumque Metropolitano suadenti, ut easdem conligationes impietatis dissolveret, obaudire debuerat, S. Leone decernente; Qui, inquiens, scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. Et sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere. Et non debuerat oblivisci professionis & subscriptionis suæ ante ordinationem Episcopalem, qui coram altari sanctæ Mariæ, & cunctis qui adfuerunt, non solùm de Remensi Ecclesia, & de Laudunensi parochia, verùm & de Remorum provincia Episcopis, & aliis diversi ordinis viris, secundùm morem Remensis Ecclesiæ, sicut soliti erant Episcopi ordinandi subscribere, post Catholicæ fidei professionem, de obedientia sua secundùm sacras regulas erga Remorum Metropolim propria manu subscripsit; unde sacri Canones dicunt: Si quis contra suam professionem ac subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit.

CAPUT X.

Quòd professioni cuidam subscripsit cum consensu Episcoporum aliarum provinciarum, postposito Metropolitano.

DEinde sine mea, & Coepiscoporum Remensis provinciæ conscientia, in altera provincia consensu Episcoporum aliarum provinciarum professioni subscripsit, & Regi dedit, quæ ita se habet. Ego Hincmarus Laudunensis Episcopus de hora ista in antea sic fidelis ero seniori meo Karolo, sicut homo per rectum seniori suo debet esse, & Episcopus Regi suo: & sic obediens, quomodo homo per rectum seniori suo debet esse, & Episcopus Christianus secundùm meum sapere & posse ad Dei voluntatem, & ad Regis salutem, & ad statum regni sui, & ad meam ipsius salutem H. Cùm Africæ provinciæ Canones dicant: Posteriores Episcopi anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Et Canones Antiocheni decernant Metropolitanum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundùm antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantùm, quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Et si pro aliqua erga se causa, vel contentione sedanda huic professioni subscripsit; sine Metropolitani tamen, & Coepiscoporum Remensis provinciæ conscientia id agere non debuerat. Unde sanctus Innocentius ad Victoricium Episcopum decrevit, dicens: Si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundùm Synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ Episcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri) relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab ordine cleri submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Quid sit autem rem injuriarum judicari, in l. 5. sententiarum Pauli ostenditur: Qui per calumniam, inquit, injuriæ actionem instituit, extra ordinem puniatur: omnes enim calumniatores, exilii, vel insulæ relegatione, aut ordinis amissione puniri placuit. Et in l. 1. sententiarum ejusdem Pauli: Calumniator est, qui sciens, prudensque per fraudem negotium alicui comparat; & in privatis, & in publicis judiciis omnes calumniosi pro qualitate admissi plectantur. Interpretatio. Qui aut apud cinctos, aut apud privatos judices fuerit calumniæ objectione convictus, non expectatâ ordinis sententiâ, prout causa fuerit, supplicio subdatur. Et in suprascripto capitulo beatus Innocentius dicit: Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ:

devolutæ: ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium Episcopale deferantur. Et S. Gregorius ad Vincentium & cæteros Episcopos ait: Ut nemo Coepiscopotum Metropolitanum suum postponere in aliquo præsumat; excepto si contra eundem Metropolitanum eos habere aliquid causæ non contigerit, ut ob hoc sedis Apostolicæ judicium, si qui petere festinant, licentiam habeant, quod per Canones etiam antiquorum Patrum est institutione permissum. Nam de quibus Canonibus, & Innocentius & Gregorius hoc dicant, manifestissimè claret, scilicet de Sardicensibus, de quibus & Gelasius. Ipsi sunt Canones, qui appellationem totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri: ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere senserunt. Claret igitur ex his sanctorum Pontificum sententiis, quia me postposito, judicio vel hortamento aliorum, & aliarum Provinciarum Episcoporum Wenilonis Rotomagensis Archiepiscopi, & Æneæ Parisiorum Episcopi, sine mea, & Coepiscopotum Remensis Provinciæ conscientia, præfatæ professioni subscribere, & Regi dare non debuit. Nam etsi contra me aliquid habebat, aut Apostolicam sedem adire, aut petitionem veritate subnixam debuerat mittere, & non me postposito, judicio vel consilio Episcoporum aliarum Provinciarū in altera Provincia professionem & subscriptionem Regi porrigere.

CAPUT XI.

Quòd ineptam decretorum collectionem composuit, eidemque indebitè subscripsit.

POST hæc quærens adinventiones, ut se à Metropolitana subjectione posset exuere, libellum de antiquorum Patrum scriptis ante sacros Nicænæ Synodi, & aliorum sanctorum Canones editis collegit; in quibus sententias inter se dissonas, & contra Evangelicam & Apostolicam atque Catholicam, & Apostolicæ sedis auctoritatem immiscuit, & eidem libello sine Metropolitani, & Coepiscoporum Remensis Provinciæ conscientia & consensu subscripsit, & à Clericis Ecclesiæ suæ, necnon & à parochianis Presbyteris subscribi fecit; cùm Africæ Provinciæ Canones dicant: Posteriores Episcopi anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant; & qui putaverit spretis majoribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni Concilio coercendum. Et Antiochenum Concilium decernit; Metropolitanum & honore præcellere, & nihil ampliùs præter eum cæteros Episcopos agere, secundùm antiquam regulam à patribus constitutam, nisi ea tantùm, quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Et S. Leo ad Theodorum Forojuliensem Episcopum decrevit: Quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent, omnium Domini Sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. In quo libello cum aliis diversis, & sibi aversis sententiis subscripsit, & à Clericis Parochiæ suæ subscribi fecit, quia non possunt Episcopi humano condemnati examine, quos Deus suo reservavit judicio. Et item, ut vocato Episcopo canonicè in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus Comprovincialibus Episcopis in sua Provincia audiatur. Qui concordem super eo proferre debebunt sententiam.

Quod & Antiocheni Canones apertissimè decreverunt. Et item subscripsit, & subscribi à Clericis suis fecit, ut delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Et subjungens Leonis sententiam, quâ dicit: Hæc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venire temptaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se noverit officio submovendum: nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ. Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè videatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Et ita subscripsit: *Hincmarus, Deo miserante, Ecclesiæ Laudunensis Episcopus his sanctorum Apostolicæ Sedis Patrem decretis obtemperandum subscripsi. Qui quoque mihi eodem Deo auctore commissi sunt, & in his similiter sentiunt, soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si verò aliqui secùs, nolentes fieri socii hujusmodi disciplina, nec habeantur participes communionis nostræ.* Quæ præmissæ definitiones ab eo subscriptæ, quàm sint contrariæ inter se, atque adversæ Evangelicæ veritati, & Apostolicæ auctoritati, nemo qui dubitet: cùm sint de Episcopis certa & manifesta in regulis sanctis judicis. Et *delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputari*, sicut hîc potestis videre, subscripsit; Et qui ex suis secùs, nolentes fieri socii hujus disciplinæ, non haberentur participes communionis suæ. Cùm Cyprianus in abusionum gradibus, & Innocentius in decretis suis ex Apostolica sententia judiciariæ potestati gladium legaliter vindicem doceant esse permissum, quem Ecclesiasticis ministris vel in bello, vel in seditione corripere, vel etiam portare, à majoribus nostris legimus non esse concessum. Et Dominus dicit; *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Et Petrus; *Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Et Paulus, *Non vos defendentes carissimi; sed date locum iræ.* Et sanctus Gregorius in Epistola ad Sabinianum Diaconum Constantinopolitanum: Breviter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis miscere formido. Et S. Augustinus ad Bonifacium Africæ Procos. Fas, inquit, non est, ut reus Episcopi suggestionibus occidatur, qui veniæ, si pœnituerit, reservatur. Si non est fas ut reus Episcopi suggestionibus occidatur, qui veniæ, si pœnituerit, reservatur: nefas est ut reus, qui veniæ, si pœnituerit, reservatur, ab Episcopo ad mortem adjudicetur, & in mortis ejus judicio subscribatur: & Episcopus, qui contra Ecclesiasticum ordinem, & regularem disciplinam subscripsit, ut sacri altaris ministri huic mortis disciplinæ nolentes fieri socii, non habeantur participes communionis suæ: videtur se hujus judicii subscriptione à communione Ecclesiastica separasse, à cujus communione si se ministri altaris, subscribentes mortis

Anno Christi 871.

judicio, separassent, solidiùs in communione disciplinæ Ecclesiæ perstitissent. Vnde B. Ambrosius in Epist. ad Valentinianum Imp. qui pertebatur contra Religionem Christianam legi subscribere. Convenio iterùm fidem tuam, convenio mentem tuam, vel respondendum secundùm hujusmodi petitionem Gentilium censeas, vel in ejusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adjungas; vox enim tua, manus tua, & subscriptio tua, opus est tuum. Et antiquorum Patrum Canones decreverunt dicentes: Sæpè Principes contra quoslibet majestatis obnoxios sacerdotibus negotia sua committunt, & quia Sacerdotes Christi ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia committitur, non ubi discriminis sententia præparatur. Si quis etiam Sacerdotum contra commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, ut reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum. Hìc autem nullo comminante neque jubente, gratis subscripsit, ut delatori aut lingua capuletur, aut caput amputetur, & qui noluerit fieri socius hujus disciplinæ, nec habeatur particeps communionis suæ. Et non suffecit illi, ut subscriberet, quatenùs convicto delatori caput amputetur; verùm & ministros Ecclesiasticos suæ Parochiæ, huic perversæ sententiæ fecit subscribere: Reclamante Gelasio in Epist. ad Anastasium Imperat. Dicit Apostolus, qui non solùm non facienda faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus. Legibus certè vestris criminum conscios, susceptoresque latrocinantium per judiciorum pœna constringit: nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem, fœdusque receperit. Hic autem & fecit, & facientes ad agendum contra regulas quosdam impulit, quibusdam persuasit. Hinc Apostulus: *Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, & peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est.* Et B. Gregorius in regula Pastorali: Scite, inquit, Prælatus debet, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, ut tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per prava quæ faciunt, non soli moriuntur. Et item Gelasius in decretis ad Episcopos per Dardaniam constitutos, ac si de his loquatur, quos secum fecit subscribere: Sicut, inquit, in simili conditione constricti non possunt complicem suum judicare non jure damnatum, nequeteiteum possunt, competenter absoluere: sic illo justè prævaricatore damnato, isti quoque pari jacent damnatione prostrati: neque inde nisi resipiscentes poterunt prorsus absolvi, quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est, qui in eandem perfidiæ cecidetant actionem, sic in uno eodemque qui pro omnibus scripsetat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressio est punita cunctorum. Et quia sacrum Nicænum Concilium Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos privilegium habere decrevit. Vnde Leo ad Anatolium dicit: Illa, inquiens, Nicænorum Canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla est, parte solubilis. Sed & alia Catholica Conciliia ita ab omnibus teneri diffinierunt, quia eorum immobilibus decretis

A contraria subscripsit, se sibique complices à Catholica communione segregasse videtur. Sicut item Leo in Epist. ad Pulcheriam Augustam manifestè demonstrat dicens: Contra statuta Canonum paternorum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritalibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat. Et quia, ut ipse B. Leo, & ante illum Damasus & Bonifacius, & post eum alii Apostolicæ Sedis Pontifices scripserunt, iidem sacri Canones, mansuræ scilicet usque in finem sæculi leges, Spiritu Dei sunt

B conditi. Qui scilicet Spiritus, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem Spiritus est Patris, Spiritus est Filii, quia æqualiter à Patre procedit & Filio, & totus est Patris, ac totus est Filii Spiritus; & Pater, & Filius, & idem Spiritus sanctus, quorum est una substantia, una voluntas, & operatio; scilicet ipsa sancta Trinitas unus est Deus ac Dominus. Constat quia à Patre & Filio, & Spiritu sancto, totâ videlicet Trinitate, uno Deo & Domino ipsi Canones sunt conditi, à quibus, qui per contemptum pertinaciter deviat, in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum Deum ac Dominum peccat. Et in hac subscriptione Apostoli est sententia, in qua Hincmarus solicitus non fuit servare unitatem Spiri-

C tus in vinculo pacis, sed solicitus fuit dissolvere unitatem Spiritus, contra vinculum pacis. Dicit enim Apostolus, cujus sententiam subscriptioni suæ perversæ inseruit: *Soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis; unum corpus, unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Vnde B. Gregorius: Ad unam igitur vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam unita cum proximis mente curratur. Est, inquit Dominus ad Moysem, locus penes me, & stabis supra petram. Locus quidem apud Dominum est sanctæ Ecclesiæ unitas, in qua super petram statur, dum confessionis ejus soli-

D ditas utiliter tenetur. Hi enim in loco, qui penes Dominum est, & super petram stant, qui per hæreses & per schismata ab unitate se Ecclesiæ non dividunt. Quia ut sanctus Hilarus Papa dicit: Non minùs in sanctarum traditionum sanctiones committitur, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur. Et B. Leonis decernentis, quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri, non fuit socius disciplinæ: unde timendum est, ut non sit etiam consors communionis suæ, à cujus communione si fuerit alienus, cum his, qui præfatis Synodis interfuerunt, & quorum decreta convelli fecit, ac per hoc cum Ecclesia Catholica cõmunionem

E habere non poterit. Et in edicto quinti Concilii scriptum est: Miramur eorum dementiam, qui divinæ Scripturæ contraria agunt, evidenter dicenti, quia æqualiter horribilia sunt apud Deum impius, & impietas ejus: actio enim cum actore punietur. Si autem similiter impietas horribilis est Deo, & ille qui impiè agit, certè separatus est talis à Deo, & anathemati justè subjicitur. Anathema enim nihil aliud significat, nisi à Deo separationem: sicut in veteri & in novo Testamento judicium de anathemate significat.

Caroli Calvi Regis 32.

Quod

CAPVT XII.

Quòd in ea collectione, sanctorum Patrum dicta, sensusque corrupit.

ET in eo, de quo agitur, libello, sed & in illo, quem per Vvenilonem quondam Archiepiscopum mihi misit, quem paulò infrà commemorabo (cum enim præ manibus habeo) verbis B. Gregorii, de quatuor eorum Capitulis, de quibus ad Theoctistam Patriciam scripsit, quibus dicit: Si qui verò sunt, qui dicunt, quia compulsus quisquam necessitate se anathematisaverit, anathematis vinculo non tenetur: verbis suis imposuit, immittens, & superadjiciens, B aut contra ea quæ sub anathemate prohibita sunt, præsumpserit. In eodem autem loco, ubi dixit, Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano, hæc prædiximus errorum capitula, aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere: detruncavit, & pervertit ad suum sensum dicens: Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc prædicare audent. Non timens sententiam sanctæ sextæ Synodi in duodecima actione prolatam hoc modo: Inveteratum Macarium in impietatis dogmatibus, & non solùm universam Christo amabilem plebem, quæ hanc à Deo conservandam regiam urbem inhabitat eversione turbulenta potantem, testimoniaque C sanctorum & probabilium patrum falsantem, & quędam quidem abscidentem, quędam verò addentem, secundùm quod ei videbatur, in devio mittentem, piissimum & à Deo coronatum principem per oblata ab eo codicia, sed & à solis ortu usque ad occasum per litteras suas, & per homines quos mittebat, universos perturbantem, & à fide vera segregantem, & justè, atque rationabiliter à Pontificali habitu denudatum, nullatenus divina regula de cætero suscepit in doctoris sede residere, ne ex hoc propriæ suæ hæreseos musto jam recrudescere faciat intelligentiam, & fiant, juxta quod scriptum est, novissima illius hominis deteriora prioribus. Et D Macedonius Constantinopolitanus Episcopus ab Imperatore Anastasio legitur expulsus, quoniam Evangelia falsasset, & maximè illud Apostoli dictum: *Quod apparuit in carne, justificatum est in spiritu.* Et pervertisse, ut legeretur, *Vt esset Deus, apparuit per carnem.* Quales redarguit Paulus Apostolus, de se & suis sociis dicens: *Non enim sumus*, inquit, *sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Adulterare est, inquit B. Gregorius, verbum Dei, aut aliter sentire quàm de illo est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fœtus quęrere laudis humanæ. Vnde Gelasius ad Episcopos per Dardaniam constitutos, de hujusmodi pravè sentientibus scripsit: Quia majores nostri necessariò pręcaverunt, ut contra unamquamque hęresim coacta E semel Synodus pro fidei cõmunione & veritate Catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent novis post hæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio pręberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci. Et post aliquanta: Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo A auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, execrationem sui gestat & pœnam. Post pręfati denique monstruosi libelli à se monstruosè collecti suam, suorumque subscriptionem, litteris, quarum exemplar habeo, denuò illum commonui, ut ea, quæ in Parochia sua contra rationem & auctoritatem egerat, studeret corrigere. Sed admonitioni meæ non paruit, cum dicat Apostolus: *Obedite præpositis vestris in Domino.* Et sanctus Leo decernat, ut qui scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prelatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat.

CAPVT XIII.

Quòd frequenter admonitus excusare culpas maluit, quàm corrigere; & accusatus in Synodo, non expectato fine judicii fugam arripuit.

DEINDE ex Epistolis Romanæ sedis Pontificum ante Nicænam Synodum scriptis libellum à se collectum, & viginti versiculis, in nomine domni Regis Caroli titulatum, per venerabilem quondam Archiepiscopum Vvenilonem, in Gundulfi villa coram Episcopis qui adfuerunt, mihi direxit. De quo illi, scripto respondi, cujus exemplar hîc habeo; monens illum, ut sacris Canonibus, & Apostolicæ Sedis decretis ex eisdem sacris Canonibus promulgatis fidem accommodaret, & debitam obedientiam illis dependeret. Inde in Attiniaco Remensis Parochiæ, illi coram Episcopis, qui adfuerunt, dedi libellum in 55. Capitulis, 44. versibus titulatum, auctoritates Ecclesiasticas continentem, contra illa, quæ in pręfatis suis duobus libellis colligerat: monens ut à talibus hujusmodi repręsensionibus se cohiberet, & se sacris regulis subdens, pacem & sanctimoniam secundùm Apostolum, sequi studeret. Is autem nullam inde meę admonitionis satisfactionem exhibuit, quin potiùs rotulam prolixissimam de quadam Capella, unde eum sæpe litteris pro reclamatione ad me hominum ex sua Parochia, monui: sed nihil profeci: & fabulis de fimo presbyteri Parochiæ suæ & Villæ Ecclesiæ nostræ, sed & de aliis mendacitè compositis, de quibus se ipse presbyter ad me non reclamavit, nec in aliqua Synodo comprovinciali ullam rationem inde commovit, contextam, in eodem Concilio mihi porrexit. De qua rotula loqui, in aliud tempus dignum duxi differre, ne vobis tædium deliramenta sua inferant, & ad necessaria vos deliberanda impediant. Sed & pręfatum suum monstruosum libellum, à se & à suis subscriptum, in eadem Synodo protulit, quem ibidem accipiens, hactenus servo. Et cùm me vidi post tot admonitiones nihil apud eum posse proficere, schedulam porrexi in Synodo decem Provinciarum, ab eisdem venerandis Episcopis quętens consilium, quid contra suam pertinacem contumaciam agere possem; &, quæ illi ac Parochiæ suæ contra colligationes suæ impietatis direxeram, coram illis nota feci. Vnde & ab eadem Synodo Conventus, quoniam injustè ac irregulariter tantas & tales excommunicationes facere præsumpsit, dedit mihi in eadem Synodo professionis suæ libellum de regulari obedientia sua, quem habeo, qui ita se habet: Privilegio Hincmari Metropolitani Provinciæ Remorum

morum Ecclesiæ secundùm sacros Canones, & decreta Sedis Apostolicæ ex sacris Canonibus promulgata pro scire, & posse me obediturum profiteor, & subscribo. Et ex eo quòd sui homines se ad Regem reclamaverunt, quoniam ab eis sua beneficia quæ apud antecessores suos, & apud eum proservierunt, injustè & inrationabiliter abstulisset, post datum mihi libellum, in Synodo de regulari obedientia sua electos judices Episcopos apud me expetivit, & tres secundùm Africanum Concilium, scilicet Actardum, Ragenelmum, atque Ioannem à me sibi designatos suscepit, & eorum atque aliorum Deum timentium judicio, in domni Regis, sicut postulavit, præsentia, de quibusdam decretum fuit, ut beneficia sua, quæ inrationabiliter perdiderunt, recuperare deberent. Tota autem eorum causa, usque ad alium tractatum, certis intervenientibus causis non diffinita, sed die alia diffinienda remansit. Et ante diffinitionem contra sacros Canones, sine ulla necessitate, vel ratione, noctu fugâ lapsus, regularem diffinitionem expectare contempsit. Vnde sacri Canones Africani Concilii de Quodvultdeo, qui antequam aut judices electos expeteret, aut etiam in rationem contra conquirentem adversùm, se introisset, rationem subterfugiens discessit, decreverunt dicentes: De Quodvultdeo, inquiunt, Episcopo Centuriensi, quoniam adversarius ipsius, cùm se petisset introduci ad Concilium nostrum, interrogatus utrùm vellet cum eo apud Episcopos experiri, primò promiserat, & aliâ die respondit, hoc sibi non placere, atque discessit. Placuit omnibus Episcopis, ut nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec causa ejus, qualem potuerit terminum sumat. Nam adimi ei Episcopatum, antequam causæ ejus exitus appareret, nulli Christiano videri jure potuit. Et item dicit, ut per Episcopos judices causa finiatur, sive quos eis primates dederint, sive, quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. Si autem ex communi placito vicinos judices elegerint, aut unus eligatur, aut tres: aut si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum. A judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare; & quisquis probatus fuerit pro controversia nolle obtemperare judicibus, cùm hoc primæ Sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet. Et Charthaginense dicit Concilium, ut quisquis Episcoporum accusatur, ad Primates Provinciæ, ipsius causam adferat accusator. Et post aliquanta: Verùm tandiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad Concilium universale anniversarium occurrere noluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur. Tempore sanè quo non communicat, nec in sua Ecclesia vel Parochia communicet. Et jam transactus est annus, ex quo à me, suo Metropolitano, præfatos judices electos expetiit, & accepit; & causam suæ accusationis regulariter executus non fuit. Et dilata est hactenus ex eo sententia Africani Concilii de Maximino Episcopo promulgata: De Maximino, inquit, Baeagensi, & ad eum, & ad ipsam plebem placuit de Concilio litteras dari, ut & ipse ab Episcopatu discedat, & illi sibi alium requirant.

CAPVT XIV.

Quòd fugam illam infirmis rationibus excusare conatur.

ET cùm hæc ita se habeant, idem frater mihi rescribens, multis allegationibus se necessitate compulsum, & persecutionem declinantem fugisse asseverat, sicut sua scriptura, quam hîc habeo, prodit. Videlicet, quia omnes homines sua banniti fuerunt ad causas, ita ut nec unus dum rediret ad mansionem, illum sequi permissus sit: Nortmanno hoc agente pro villa Pauliaco, eò quòd illam concessione Regia, & Apostolica etiam, ut scirem, auctoritate recipiens, illum iidem sui homines in eandem villam secuti sunt. Et in eisdem suis allegationibus ponit testimonia ex Epistola Iulii Papæ in Athanasii pro fuga defensione: Quia Dominus quando Pharisæi consilium fecerunt adversùs eum ut eum occiderent. Sciens autem Iesus, discessit inde. Et discipuli propter metum Iudæorum recesserunt, celantes seipsos. Et Paulus in Damasco à Principe gentis quæsitus de muro in sporta depositus est, & manus quærentis aufugit. Sed utrum pro eo, si Franci homines ad judicia suis legibus vocabantur, ut quod contra legem fecisse querebantur, aut legibus emendarent, aut legaliter defenderent, fugere illum oportuit, an non, causa in promptu est. Et utrùm præmissa testimonia, suæ quam dicit persecutioni, suæque causæ, ac personæ, vel persecutoris sui personæ, quam specialiter signat, sed & aliis personis se persequentibus à se designatis conveniant, an non, ratio manifestè demonstrat. De fugâ verò Athanasii & quando, ac qualiter, vel pro quibus, Episcopis vel Ministris Ecclesiasticis fugiendum sit, B. Augustinus in epist. ad Honoratum Episcopum inter alia dicit: Fortasse quis dicat ideò debere fugere Dei ministros talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent. Rectè hoc fiet à quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium, ne ab omnibus deseratur. Quod fecisse Athanasium suprà diximus. Nam quantùm necessarius fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, Catholica fides novit, quæ adversùs Arrianos hæreticos ore illius & amore defensa est. Sed quando est commune periculum, magis timendum est, ne quisquam id facere credatur non consulendi voluntate, sed timore moriendi: magisque fugiendi obster exemplo, quàm vivendi prosit officio: nulla ratione fugiendum est. Et item post aliquanta: Quicumque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiæ ministerium necessarium non desit, facit quod Dominus præcepit sive permisit: Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea quibus spiritaliter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus.

CAPVT XV.

Quòd res Ecclesiæ, quæ controvertuntur, Regi concessit Nortmanno tradendas.

DE eo quod scripsit me scire eadem villam illi concessione Regia, & Apostolica etiam auctoritate sibi redditam, quod in ejus litteris legi,

legi, hoc me scire non denego. Dicit enim ibi ad petitionem virorum venerabilis memoriæ Chonradi & Rodolfi, se eandem villam concessisse Regi, ut eam Nortmanno, qui antea illam tenuerat, beneficiaret. Superadjiciens in responsione sua, quia si ipsam villam in alodem haberet, quicquid Regis esset voluntatis ex ea facere gauderet, quia illud voto Regis non obviabat, nec inde ei periculum animæ imminebat. Ceterùm quando illam concessionem de rebus Ecclesiæ suæ fecit, nec mea conscientia, vel Coepiscoporum Remensis provinciæ, sed nec cum consensu Presbyterorum ac Diaconorum Laudunensis Ecclesiæ, sicut præcipiunt Canones, fecit. Sed & hoc inde scio, quod in domni Apostolici epistola exinde legi. Et quia quando Nortmanno ipsam epistolam ostendi, dicens illi, quia nisi ab ipsis rebus Laudunensis Ecclesiæ quas invaserat se mox exueret, illum secundùm jussionem domni Apostolici excommunicarem: coram plurimis Episcopis mihi respondit, ut pro amore & honore Dei, & sancti Petri, ac domni Apostolici illum non excommunicarem, quia nec meus parochianus erat, & ipsas res non invaserat, & habebat inde auctorem qui illi eas beneficiavit, & si ipse suus auctor eas illi contradiceret, nihil postea se inde præsumeret.

CAPUT XVI.

Quòd falsò dicit se detentum fuisse, ne Romam, quò appellabat, adiret.

Dicit etiam in eodem scripto suo Hincmarus, ideo se ab Attiniaco fugisse, quia Silvaci memor fuerat, ubi & ego adfui, quod illi nihil profuit, sed obfuit, quia pro eo solummodo retentus fuit, ne Romam domni Apostolici præceptis obediens iret; quod à seculo non est de Episcopo ab Episcopis auditum. Unde respondi, quia nec tunc, sicut pro certo scio, & illi mecum sciunt qui adfuerunt, nec unquam prout reminisci valeo, illum Romam appellasse pro quacumque causa audivi. Tunc autem ad Synodum, quæ in proximo futura erat, invitatum audivi. Sed & multorum divulgabatur oribus, quia cum Hlotario agebat, quatenus Ecclesiam sibi commissam, & oves sibi creditas desereret, ut ad Hlotarium iret, & in regno illius honores obtineret. Verumtamen ex hac causa nullam rationem tunc cum domno Rege habui, sed & domnus Rex nihil inde tunc mihi dixit.

CAPUT XVII.

Quòd post fugam Hincmaro Remensi per litteras significavit se Romam evocari à Pontifice, quibus ab eodem Remensi responsum est. Et quòd contra suam professionem venit.

Is autem frater Hincmarus, postquam electos judices à me regulariter, ut scripsi, datos sibi suscepit, & incautè ac inhonestè noctu fugâ lapsus abscessit, Pitaciolum irrationabiliter confectum, & manu sua subscriptum, ac præfatæ professioni suæ usquequaque contrarium, per Ermenoldum Diaconum suum 6. Non. Iul. 3. indict. mihi transmisit, quod ita se habet.

Reverentissimo Remorum Archiepiscopo Hincmaro, sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Hincmarus, Deo A *miserante Episcopus, debitam in Christo devotionem. Vos scitis quia ab universali sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papa patre quoque nostro & magistro Hadriano bis vocatus existo. Et vos ipsi in quaternionibus mihi à vobis in Attiniaco palatio coram Archiepiscopis & Episcopis qui affuerunt datis, quod ad eandem Sedem venire totidem vocatus detractem, me reprehendistis: si vitio scriptoris pro detrectem, quod est dissimulem, vel differam, detractem, quod valdè tractem non abs re accipi potest, intercharaxatum non fuit. Unde vos nunc pro amore Dei omnipotentis, & reverentia sancti Petri exposco, sicut & in eadem Synodo in Attiniaco à vobis convocata, quod impetrare non valui, expostulavi; ac jam etiam per integrum efflagitavi annum: & præcipuè* B *in Synodo apud Vermeriam palatium olim ab Horno habita, obsecrando declamavi.* Et quæ sequuntur: *Ego Hincmarus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopus sponte subscripsi.*

De quo Pitacio latiùs in quaterniunculis, ut suprà dixi, ei datis respondi: & quia numquam vel nusquam Apostolicam Sedem eum adire prohibui. Insuper etiam illum, sicut & ipse scripsit, cur jussionem invitationis domni Apostolici prosequutus non fuerit, reprehendi. Qui undicumque sibi visum fuit, cùm de suis insolentiis increpatus est, licentiam eundi Romam petit, vel Sedem Apostolicam appellat. Quando verò Rex & Episcopi sunt sibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicit, nec Sedem Apostolicam C appellat: cùm sacri præfigant Canones qualiter, & unde, & ubi appellare debeat Episcopus Apostolicam Sedem. Et anno præterito, postquam in Attiniaco libellum de sua regulari obedientia mihi porrexit in Synodo, Sedem Apostolicam non appellavit, nec de licentia illuc eundi aliquid dixit. Sed cùm commotus inhonestè inde discessit, præmissum Pitaciolum de licentia Romam eundi, circa Kal. Iulias mihi direxit. Postea verò nihil inde mandavit, nec quando mecum locutus fuit, inde aliquid dixit. Sed & cum domno Rege in subsequenti mense Septembrio in Silvaco, & in mense Octobrio Remi, ubi & ego fui, & domni Apostolici Missi ibi fuerunt, & inde nihil dixit. Deinde mense Februario in Compendio cum domno Rege per aliquot dies D fuit, & ego etiam illic fui: postea verò mense Aprili apud Silvanectis cum domno Rege fuit. Et demum in Silvaco per aliquot dies cum domno Rege fuit, & ego etiam ibi fui, & nihil inde dixit. Et jam plures Kalendæ mensis Augusti pertransierunt ultra placitum quod ei domnus Apostolicus misit, mandans ut ultra illas Kalendas non remoraretur quin Romam pergeret. Scripsi etiam, illi quia insulsè scripserit, quoniam si licentiam ei eundi Romam apud Regem non impetrarem, abhinc ut Archiepiscopo Coepiscopus obtemperare debet, canonicè mihi obsequi non posset. Et quia contra rationem hoc dixit, ei E ex epistolis beati Leonis ostendi: & ut decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consolatione dederunt, de quibus (ut à Metropolitano privilegio contra Canones & decreta Sedis Apostolicæ, ex eisdem sacris Canonibus promulgata se possit exuere, contumaciâ pertinaci contendit) illum commonui, ut secundùm dictum beati Gelasii venerabiliter susciperet, & sacra Concilia, ut Gelasius, & ceteri Catholici videlicet, doctique Pontifices decreverunt, inviolabiliter conservaret, illi suasi.

Ee Et

Et de eo quod scripsit, quia quod Apostolica Sedes de eo voluit, ac disposuit, Remigio & Arduico Archiepiscopis committere commisit: scilicet ut per eos domni Apostolici epistola, unde illi mandavi, ad domnum Regem perveniret, & ipsi ejus causam agerent: illi non credo, quoniam epistola domni Apostolici mihi directa apertè demonstrat, illam de qua obliquè fategit, mihi misisse, ut ego illius, videlicet suffraganei mei, causam agerem apud Regem: quatinus & Apostolica Sedes vigorem proprium retineret, & à se concessa aliis jura sua non demeret.

Et his, ut præmisi, subscribens, illi professioni & subscriptioni quam coram Episcopis decem provinciarum in Synodo apud Attiniacum professus fuerat, & manu propria subscripserat, scilicet quia privilegio Metropolitano provinciæ Remorum Ecclesiæ secundùm sacros Canones, & decreta Sedis Apostolicæ ex sacris Canonibus promulgata pro scire & posse se obeditutum, contraria profitendo subscripsit. De qua professione atque subscriptione in eadem Synodo mihi data, sanctus Leo in epistola ad Septimum Episcopum dicit: Salubertimum est, inquit, & spiritalis medicinæ utilitate plenissimum, ut sive Presbyteri, sive Diaconi, vel cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris authores damnari à se sine ambiguitate fateantur, ut sensibus pravis & dudùm peremptis nulla adspirandi supersit occasio, nec ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cùm per omnia professio illis propria cœperit obviare. In qua professione & subscriptione sua confratres, & venerabiles Coepiscopi nostri consulentes duritiæ animi sui, & supportantes eum in charitate, noluerunt eum exaggerare de præteritis, sed tantùm futuram correctionem profitendo & subscribendo promitteret. Attendentes quod beatus Gregorius in pastorali regula dicit: Quia plerumque quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam aqua tepens reduxit: & nonnulla vulnera quæ curari incisione ferri nequeunt, fomentis olei sanantur: & durus adamas incisionem ferri minimè recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.

Et hac professione quam subscripsit, quia si ei licentiam eundi Romam, quo illum, vel quemquam, nunquam vel nusquam volentem ire prohibui, apud domnum Regem Carolum non impetrarem, mihi extunc, ut Archiepiscopo Coepiscopus obtemperare debet, canonicè scirem illum obsequi non nosse, subjungens: Ego Hincmarus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopus, sponte subscripsi: illam quam in Synodo decem provinciarum apud Attiniacum habitam mihi dedit, quantùm in ipso fuit, destruxit. Sicut beatus Leo in epistola ad Leonem Augustum, etiam tantus Pontifex de se dicens, ostendit secundùm Apostolum, Si quæ destruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ Principis Marciani, sed etiam ego mea consensione firmavi. Destruxit enim in præfata Synodo inobedientiæ præteritæ insolentiam, ædificans profitendo & subscribendo futuram secundùm sacros Canones erga suæ Metropolis privilegium obedientiam. Quam iterum hac prævaricationis suæ professione atque subscriptione destruere & adnullare fategit, & pristinam suam insolentiam redivivo furore resuscitavit, ac per hoc se prævaricatorem constituit.

Quas omnes professiones & subscriptiones suas sapientia vestra simul conferat, & quod de subscriptione vel professione subscribentis, ac profitentis, & negligentis, atque refragantis sanctus Spiritus per eos in quibus locutus est, & qui cum Deo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, decreverit, sollicita mente recogitet atque dijudicet. Ait enim sacrum Carthaginense Concilium: Si quis contra suam professionem vel subscriptionem venerit, in aliquo ipse se honore privabit. Quid enim in hac novissima subscriptione sua sacris Canonibus, & suprascriptis professionibus & subscriptionibus suis contraria congruentiùs referri potest, quâ dixit, Ego Hincmarus contra meam professionem vel subscriptionem veniens, sponte me honore privavi?

Sed fortè dicet, alias subscriptiones se invitum atque coactum fecisse. Et quid dicet de illa subscriptione, quâ libello compilationum suarum, nullo petente, vel sperante subscripsit, & ab aliis quibusdam invitis subscribi fecit? Illi nempe qui de verborum differentiis loquuntur, sicut Nonius Marcellus Peripateticus, in libro de compendiosa doctrina, dicit: Hoc distare inter confiteri, & profiteri autumant, quòd confiteri voluntatis est, profiteri necessitatis & coacti. Sed non illi hoc ad voluntatem suam succurrit, qui contra suam professionem, & subscriptionem venit: cùm S. Leo, sicut multoties invenitur in illius epistolis, ab unanimitate Catholicæ pacis exorbitantes, professionem cum absolutissima subscriptione coram omni clero & universa plebe clarè præcipiat. Et sanctus Gregorius in epistola ad Theoctistam Patritiam, de his qui dicebant, quia si compulsi aliqui de quibus justè reprehendebantur, anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri manifestissimè dicat: Et si sunt, inquiens, qui certissimè talia sentiunt, vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est: eosque & ego & omnes Catholici Episcopi atque universa Ecclesia, anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur.

CAPUT XVIII.

Quòd scedulam fictam quasi ab Episcopis Concilii Tullensis conscriptam obtulit, cui rescripsit Remensis adhortans ad patientiam, & maturam rerum cognitionem.

DEnique post hæc 15. Kal. Aug. 3. indictionis misit ad me apud Pontigonem, Heddonem Ecclesiæ suæ Præpositum, & per eum scedulam quandam mihi direxit, quam habeo sub chirographo: cujus partem coram Episcopis qui adfuerunt, Remigio scilicet, Harduico, Francone, Hodone, atque Vvilleberto, & aliis ecclesiasticis viris referendam illi donavi; ne postea mihi eandem scedulam, si vellet, misisse negare valeret. Quæ confecta est quasi ex nomine Synodi apud Tusiacum: quam antequam per Heddonem clericum suum acceperim, nunquam vidi, & nunquam vel nusquam audivi, sed nec qui adfuerunt Episcopi, eam se vidisse & audisse dixerunt. Cui scedulæ ab Episcopis qui præfatæ Synodo interfuerunt, multifariè, multisque modis:

dis: sed & à se asserit esse subscriptum; quæ in quibusdam, sacris regulis contraria, & suæ excommunicationi quam fecerat in parochia sua, est consona. Dicitur enim ibi de damnato, ut dum vivit, ita à cœtu & societate fidelium remotus, à corpore & sanguine Domini separatus, ut nec in finem communionem accipiat, neque corpus ipsius more fidelium cum oblationibus & psalmis atque hymnis ad sepulturam deducatur. Et aliquantò inferius: Habeantque principes & judices hanc in populo Dei diligentiam, ut ubicumque tales in potestate eorum ab Episcopis requisiti fuerint, absque mora eis exhibeant, ne fortè si dissimulaverint, aut mandatum Episcopi contempserint, ab Ecclesia Dei projecti, nec sepulturam cum fidelibus recipiant. Et aliquantò supra istam sententiam: Si clericus tanti cupiditate sacrilegii corruptus, aut laïcus quicumque hac iniquitate deceptus fuerit, & cognoscens damnationem suam pœnitentiæ remediis secundùm ordinem & dispositionem sui Episcopi se summiserit, volumus ut pervasa & præsumpta secundùm qualitatem in simplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum Ecclesiæ cui damnum inlatum est, primùm restituat, inde pro sacrilegio ab Episcopo suo consilium salutis & pœnitentiæ modum suscipiat. Quæ constitutio restitutionis, salvo legum jure, contraria esse dinoscitur decretis beati Gregorii ad Augustinum Anglorum Episcopum interrogantem: Obsecro quid pati debeat, si quis aliquid de Ecclesia furto abstulerit? Responsio beati Gregorii hinc post aliquanta: Addis etiam quomodo ea quæ furto de ecclesiis abstulerint, reddere debeant? Sed absit ut Ecclesia cum augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucra de vanis quęrat.

Quæ scedula, ut ostendi, ecclesiasticis ordinationibus contraria, etiam & ex hoc mendax esse patenter ostenditur, quia eorum Episcoporum nomina ibi habentur subscripta, qui nondum erant Episcopi: & etiam duorum Episcoporum nomina ex una civitate, & uno tempore ibi sunt posita: & eorumdem Episcoporum nomina qui successerunt ante nomina suorum decessorum ibi ponuntur. Habetur enim ibi nomen Christiani Autissiodorensium, & longè pòst Abbonis item Autissiodorensium, cui Christianus successit. Et inscribitur ibi nomen Rainelmi Noviomagensium, qui nondum erat Episcopus: deinde longè pòst, nomen Immonis Noviomagorum inscribitur, cui Rainelmus successit. Et aliorum Episcoporum ibi habentur nomina, qui eidem Synodo non interfuerunt. Et nos qui interfuimus, sed & se nobiscum his subscripsisse mendaciter dicit, quibus non subscripsimus. Vnde videndum est si illi conveniat quod Africanum decrevit Concilium, de Episcopo qui Donatistis se communicasse mentitus fuerit, ut si probatum fuerit eum de communione illorum fuisse mentitum, dicendo eos communicasse, quos eo sciente non communicasse constiterit, etiam Episcopatum amittat.

Et postquam idem Præpositus Heddo mihi pręfatam scedulam dedit, dixit inter cętera, seniorem suum mihi mandasse, quia non posset dimittere, ut homines suos qui res de sua Ecclesia tenebant per potestatem & verbum Regis, non excommunicaret. Quoniam altera vice quando domno Apostolico mandavit de Nortmanno, hoc ei remandavit domnus Apostolicus, ut priùs inde fecisset suum ministerium, & tunc se reclamasset. Et hoc ideo hactenus dimiserat, donec hoc mihi mandaret, ut scirem quia nunc inde suum ministerium faceret. Vnde inter cętera ei scripsi: Age frater charissime, quod episcopalem condecet gravitatem, expectans donec ad provincialem Synodum, cujus jam tempus in proximo est, conveniamus: in qua favente ac cooperante Domino, secundùm decreta beati Gregorii, & de indecentibus causis disceptatio, & fit salubris de ecclesiastica observatione conlatio, quatenus dum per hoc & præterita corrigentur. Et quæ sequuntur in epistola Hincmari 34. usque ad finem.

CAPUT XIX.

Quòd post fugam ab Attiniaco, relecto Ecclesiæ judicio sæculares judices à Rege expetiit, & judicata retractari fecit.

ET evolutó duorum circiter mensium spatio, postquam noctu aufugit ab Attiniaco, antè diffinitionem causarum, de quibus apud Metropolitanam auctoritatem electos judices expetivit, quibusdam machinationibus exquisitis ab eo jussio est principalis elicita, ut de quibus electos judices secundùm sacros Canones accepit, non solùm eorum querela, quorum causa usque ad alium tractatum diffinienda remansit, verùm & quæ, ut dixi, in domni Regis pręsentiâ electorum judicum sententiâ decisa fuerint, sine Metropolitani conscientia, sineque canonico & Episcopali judicio per judices sæculares, Helmigarium scilicet Mercati palatii Telonearium, & Florarium ac Vrsionem villarum regiarum majores refricarentur. Contra Canones qui ab ecclesiasticis ad majoris auctoritatis ecclesiasticos judices, & non à majoribus ad minores, nec ab ecclesiasticis ad sęculares, neque à consensu partium electis provocari permittunt: à quibus sęcularibus judicibus à se petitis, quędam ex diffinitis refricata & immutata; quędam verò ex diffiniendis sunt diffinita, adinventitia reputatione, sicut ab ipsis qui in eodem placito fuerunt, dicitur de non necessariis & inconvenientibus juramentis reperta: & ab eo coram pręd ictis judicibus ipsis, sive accusatoribus quos contra electos judices, sicut expetierat, suscepit, proposita: quatenus & is, de quo legaliter ac regulariter diffinitum fuerat, ut beneficium suum haberet, quod contra rationem & æquitatem perdiderat, eadem adinventione dimitteret: & illi quibus judicatum fuerat, ut quoniam is post expetitum electorum judicium, idem judicium subterfugit, beneficia sua usque ad legalem diffinitionem tenerent, beneficia ipsa desererent, & ipse quod incœperat, evindicaret. Cùm sicut ei non licet, de accusatione sive criminalis, sive civilis causæ, relicto ecclesiastico, publico purgari judicio, ita etiam non licet illi postposito, vel contempto ecclesiastico judicio, ad sęcularia judicia convolare, vel quemcumque, vel etiam laïcam personam pertrahere, neque ad forum suum sequi, si ipsa persona laïca consenserit ecclesiastico subire judicio. Sicut lex Valentiniani quam probat Ecclesia, demonstrat, dicens: Clericus si aliquem lite pulsaverit, in foro illius quem ad judicium provocat, audiatur. Si tamen pulsatus non adquieverit ad Presbyteri & Episcopi venire judicium. Et sanctus Leo ac * Bituricensis Synodus in epistola Satma-

* Al. Romana

Sarmationi, Caratoni, Desiderio, Episcopis & A Presbyteris omnium ecclesiarum intra provinciam tertiam constitutis directâ dicit: Si clericus laïcum pulsat, priùs se audiri ab Episcopis poscat: tum si petitioni suæ laïcum viderit obviare, ex permisso Episcopi sui in seculi moderatoris disceptatione confligat. Videlicet non per se, sed per advocatum, sicut leges & regulæ sacræ decernunt. Et quod non licet cuiquam clerico, minimè autem licet Episcopo, quoniam ut sanctus Hilarus Papa in suis decretis dicit: Reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum. Et Africanum Concilium decrevit: Placuit, inquiens, ut quicumque, scilicet clericorum, cum quibus & episcopalis ordo connumeratur, ab Imperatore cognitionem judicum publicorum petierit, honore proprio privetur. Si autem episcopale judicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit. Et Carthaginenses Canones in III. Concilio: Cui, inquiunt, ad eligendos judices undique Ecclesiæ patet authoritas, ipse se indignum Ecclesiæ consortio judicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo, de judicio seculari poscit auxilium: cùm privatorum Christianorum causas Apostolus etiam ad Ecclesiam deferri, atque ibidem terminari precipiat. Et item Carthaginenses Canones precipiunt, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit; etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali; in civili verò perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit.

Vnde sanctus Leo cum Synodo * Biturigis habita, predictis Episcopis, Sarmationi, Caratoni, Desiderio, & Presbyteris omnium Ecclesiarum intra provinciam tertiam constitutis, suis subscriptionibus hæc quæ sequuntur, misit: Tantam seculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentiam prevalere voluerunt, etiam hi quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, ut jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserint; quod cùm & juris antiqui edictis, & inlatis frequentiùs sit legibus confirmatum, præsenti tempore à plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali judicio, passim ad examen sæcularium transierunt. Quocirca nobis visum est, ut hanc & sacrarum legum, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens ulcisceretur plena districtio, & observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicumque prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, à celesti arceatur altario. Neque ullus post hanc diffinitionem, quæ communi sedit arbitrio, quicquam sibi ultra præscriptum vindicare nitatur. Ita fieri, ut & hi qui antè erraverunt, congrua emendatione se corrigant, & qui sub observatione clericali, cælesti probatur servire officio, ex clerico habendum, si prætermisso Sacerdotum judicio, sæcularium adierit potestaté. Quod ideo singulos, universosque volumus agnoscere, ut quod pleno justitiæ & juris ordine constitutum est, effectum totius firmitatis ex omnibus clericorum negotiis sortiatur. Et paulò pòst: Leo Episcopus subscripsi. Victorius Episcopus subscripsi. Eustachius Episcopus subscripsi. Sic & ceteri qui adfuerunt Episcopi, subscripserunt.

* *Al. Roma.*

De his autem quæ, ut premisi, deffinita fuerunt, & irregulariter sunt retractata, sanctus Leo in epistola ad Leonem Augustum per Philoxenum agentem in rebus directa, dicit: Quæ patefacta sunt querere, & quæ perfecta sunt retractare, & quæ diffinita sunt, convellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Vnde attendendum est de tanta exaggeratione, quàm sit grave quod admisit, in obtentis, quæ patefacta B sunt, quærere, & quæ perfecta sunt, retractare, & quæ diffinita sunt, convellere. Quod tantæ sapientiæ, & sanctitatis, atque authoritatis vir Apostolicæ Sedis Pontifex reatui comparavit, qui, ut docet Apostolus, *in omnes homines pertransivit*, & nonnisi morte Filii Dei potuit expiari. Et videndum si tale commissum sine ultione delata absque periculo eorum quorum interest, valeat pertransire.

CAPVT XX.

Quòd excommunicationi complicum Carlomanni post quartam admonitionem non subscripsit.

DEnique postquam Carlomannus à domno nostro Carolo Rege glorioso inconvenienter ac perniciosè discessit, & multis filiis Belial sibi consociatis, regnum ejusdem domni nostri est depredatus: unde quantum potuimus, fideles illius qui in hoc regno commorabamur, fategimus. Sed & domnus noster Rex postquam huc rediit, promissionibus paternis ac blanditiis, atque indulgentiarum largitione non modicè laboravit, quatenus eundem filium suum Deo & sibi restitui, & complices ejus servare valeret. Sed cùm ipse & nos Episcopi regni ejus qui adfuimus, nec terrores divini judicii, nec promissiones regni æterni, ac temporalium honorum, apud eum & complices ejus proficere vidimus: Episcopale ministerium, quia ipse de Remorum diœcesi non erat, sed Diaconus provinciæ Senonum existebat, in complices ejus qui de nostris parochiis erant: sed & in eos qui in iisdem parochiis nostris multa scelera perpetrarunt, sententiam excommunicationis ecclesiasticæ, usquedum resipiscerent, jaculavimus. Quam sententiam ad Archiepiscopos diversarum provinciarum dirigendam decrevimus.

Et quia frater Hincmarus Compendio fuerat, quando adhuc de Carlomanni & complicum ejus conversione tractabatur: & sine conscientia mea inde recessit: consilio & consensu Coepiscoporum nostrorum qui ibidem mecum fuerunt, istiusmodi litteras ei, sed & aliis Episcopis Remorum provinciæ, qui corpore tunc nobiscum non erant, direxi. Hincmarus Remorum Episcopus ac plebis Dei famulus, Hincmaro dilecto fratri & venerabili Coepiscopo nostro salutem. Te latere non potest quanta mala Carlomanni complices in Remorum diœcesi fecerunt, propterea cum fratribus & Consacerdotibus nostris qui adfuerunt, tenore subjuncto eos excommunicandos decrevimus: & ideo his quæ subter adnotantur, relectis, presentialiter mihi per commi-

Anno Christi 871.

Carolo Calvi Regis 32.

comministrum litteras tui consensus in hac excommunicatione canonica mitte, ut per singulos Archiepiscopos diversarum Provinciarum eam concurram dirigere, antequam malum quod cęperunt, graviùs grassari, & longiùs ac latiùs serpendo possit excrescere. Data Prid. Kal. Febr. pręsentis 4. indictionis. Et direxi ei pręfatam huic subjunctam Epistolam. Deinde v. Non. Februarias, venit ad me Heddo prępositus suus, & quia sicut ei mandaveram, litteras sui consensus in hac excommunicatione canonica non direxit, per eum illi easdem litteras mihi dirigendas verbo mandavi: & evolutis plusquam triginta diebus, ex quo inde litteras accepit, remisi ad eum iterum litteras, mandans, ut veluti anteriores, & ordinatione posteriores sui, & etiam de longinquioribus partibus litteras sui consensus obedienter mihi miserunt, diutius & ipse mittere non differret: aut certam & regularem rationem mihi rescriberet, cur jam tertiò commonitus eas mihi mittere detrectaret. Ad quas mihi rescripsit hoc modo.

Venerabili Remorum Archiepiscopo Hancmaro, Episcoporum minimus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Hincmarus, salutis Christicolæ munificentiam. Quia adeo litteras mei consensus in excommunicatione à vobis facta requiritis, remandare litteris mihi quoque vestris, si ea in eadem addidistis etiam, quæ tantillitati meæ videri rationi & authoritati congruere per Heddonem parvitatis meæ legatum & comministrum mihi, Ecclesiæ quin etiam cui indignus pręsideo, Præpositum, non ab re ùtique reor, vobis intimavi. Et equidem ipse demum de meo consensu, prout res deposcit, coapto tempore suscepto, quod omni sub sole adjacet rei, locoque perspecto, nihilominus regulariter congruo funditus & despectivè, non detrectativè tractanda pertractans, litteris, dante Deo, canonicis rescribendo respondere, voto compote, & vita comite, cùm actutum, tum accuratim procurabo. Alioquin reminiscor, & in hoc negotio illius sapientis, cujus crebro agitis mentionem, dicentes: qui jubet impossibile, ipse se facit impossibilem.

Vnde inter cætera illi rescripsi hoc modo: Frater Heddo, quando ad me venit, nihil mihi innotuit quæ in litteris de pręfata excommunicatione superaddere debuissem. Verùm nec fratres & Coepiscopi nostri qui mecum pręsentes fuerunt, ibi tunc quiddam addendum viderunt: nec etiam illi qui corpore tunc non adfuerunt, & ætate ac ordinatione tui pręcessores ac successores habentur, quando mihi consensum suum inde regulariter & obedienter miserunt, ibi superaddendum aliquid mandaverunt. Pręsertim cùm eadem excommunicatio secundùm Evangelicam & Apostolicam, atque Canonicam, & decretorum Apostolicæ Sedis authoritatem habeatur contexta; sicut in Epistola tibi directa vel tenuiter intelligens, sine difficultate potest advertere. Veruntamen quia Deus sæpe juniori revelat, & S. Gregorius B. Petri Apostolorum Principis in Apostolica Sede successor, ad quendam Episcopum scribit; Ego, inquiens, & minores meos quos ab inlicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultum est enim qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemna. Rescribe mihi planis verbis, & non tortuoso, sicut soles, sed recto & aperto sensu, quæ tibi in tenore pręfatæ excommunicationis tibi directæ, videntur juxtà sanctarum Scripturarum tramitem traditionemque majorum superadjicienda, vel detrahenda, seu immutanda; & voluntariè à te, vel à quoquam alio salubriter discam quod nescio; & secundùm Evangelicam, & Apostolicam, atque Ecclesiasticam regulam, si quid perperè cum fratribus, & Coepiscopis nostris Ramorum diœceseos in hac causa quod adhuc non recognosco, decrevi, corrigere procurabo.

Tandem verò de eo quod scripsisti: Alioquin reminiscor & in hoc negotio illius sapientis, cujus crebrò agitis mentionem, dicentis: Qui jubet impossibile, ipse se facit contemptibilem: non videtur mihi, ut rationabiliter illud dictum, quod nec sacris Scripturis, nec Ecclesiasticis regulis continetur (licèt in communi colloquio fortè, ut dicis, me hoc audieris dicere) in authoritate ad contemnendam Metropolitanam commonitionem mihi debueris pręponere. Et me hujus causæ jussione apud te non feci contemptibilem, videlicet ad conserviendum habilem, quia nihil tibi contra fidem & bonos mores, contra sacras regulas, & Ecclesiasticam constitutionem seu consuetudinem scripsi: ac per hoc nihil contemptibile, & ideo nihil impossibile jussi scribens, ut in meis litteris tibi directis continetur, quatenus veluti anteriores, & ordinatione tui posteriores, ac etiam de longinquioribus partibus obedienter miserunt, diutius mihi mittere consensum tuum non differres, aut certam, & regularem rationem mihi rescriberes, cur ecce jam tertiò commonitus, & evolutis plusquam 30. diebus ex quo inde litteras accepisti, Metropolitano mandato in hac causa obedire detrectares: non immemor sententiæ B. Leonis quâ dicet: Qui non vult gravis oneris sarcinam ferre, non audeat alii importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus humilis & mitis Magistri dicentis: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenieris requiem animabus vestris. Et tu frater, sequere sententiam sancti Spiritus per eundem ibidem dictam: Qui scit se quibusdam prępositum, non molestè ferat aliquem sibi esse pręlatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat.

Quapropter nunc tibi iterum, frater, scribo, non pueriliter sermonibus per glosulas exquisitis, ut studes, quo sine ullo intelligentiæ ac instructionis fructu à fatuis inanes admirationis rumusculos capias, nec quasi aërem verberans, vel mundanæ sapientiæ verbis aut sæculari militia tecum pugno, sed virtute dispositionis divinæ, quia ut S. Leo ostendit, etiam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, unit tamen datum est ut cæteris emineret. De qua forma, Episcoporum quoque orta est distinctio, & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; quoniam etsi ordo generalis est omnibus Sacerdotibus, non tamen communis est dignitas omnibus. Te coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis ejus in virtute Spiritus sancti, quem per manus impositionem humilitatis meæ in Episcopali ordinatione creditum est te accepisse, commoneo & obtestor ut resipiscas à cœpta contumacia, & obedias secundùm sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos,

Anno Christi 871.

tos, tuæ Metropolis privilegio. Iuxta quod redargutus de insolentiæ tuæ frequenti ac periculosa inobedientia, manu propria coram multis testibus professus es, ac subscripsisti, & mihi porrexisti in Synodo plurimarum provinciarum, quatenus canonicum non subires judicium, ante oculos mentis habens quod de hujusmodi transgressoribus, qui contra suam professionem vel subscriptionem venerint in aliquo, sacri Canones præfigant. Et quæ hinc sacra historia, & in ipsius sententiæ expositione beatus Gregorius Apostolicæ Sedis Pontifex diffiniat, Melior est, inquiens, obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipes arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, B &quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Hinc beatus Gregorius: Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quisque citiùs Deum placat, quantò ante ejus oculos repressâ arbitrii sui superbiâ, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso ergo melius ostenditur quod de ejus laude scribitur. Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere: sola est quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis convincitur, etiamsi fidelis C esse videatur. Data 13. Kal. Maii.

CAPVT XXI.

Quòd deinde semel ac iterum eadem de re monitus obedire contempsit, & Concilii Antiocheni canonem indiscretè exponit.

POSTEA 3. Nonas Maii venit ad me Clericus suus, nomine Teutlandus, quædam mihi de parte illius referens, quæ hîc causâ brevitatis omitto. Et dixi ei, ut Episcopo suo diceret, quatenus sicut & litteris & verbis jam illi mandaveram, litteras sui consensus in excommunicatione complicum Karlomanni mihi mittere diu- D tiùs non differret: unde tunc quinta vice eum commonebam. Postea sexta vice litteris, quarum exemplar habeo, illum cōmonui, quatenus consensus sui litteras in excommunicatione canonica complicum Karlomanni, mihi mittere diutius non differret, qui obedire mihi more suo dedignatus fuit. Insuper in memorata rotula sua inter alia hinc mihi rescripsit: Cujus coüti dedignamini consilio, petere non operæpretium haberis consensum. Et miror cur in hoc meum requiritis consensum, cujus non quæsistis, imò sprevistis consilium. Cùm Anthiochenum decernat Concilium: Nec Archiepiscopus sine cæterorum agat consilio Sacerdotum: quod nullum E excludit Coepiscopum.

Non attendens, quàm indiscretè sententiam ipsius exponat Concilii, quàm discretè idem decrevit Concilium dicens: Placuit præter Metropolitanum cæteros Episcopos nihil ampliùs agere secundùm antiquam à patribus nostris regulam constitutam. Et reliqua. Quæ sit autem antiqua regula à nostris patribus constituta, sancta Nicæna Synodus patenter ostendit, decernens, ut quoniam primatus & sollicitudo omnium Ecclesiarum, in principatu beati Petri Domini ore percepto, pertinet ad primæ & sanctæ Romanæ Sedis Pontificem, ut Alexandrinus

Caroli Calvi Regis 32.

A Episcopus omnium sibi commissorum habeat potestatem. Similiter & apud Antiochiam cæterasque provincias sua privilegia serventur Ecclesiis. De quibus autem Ecclesiis dicat, & quæ & qualiter privilegia illis servari debeant, præfatum Antiochenum demonstrat Concilium: Per singulas, inquit, regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere: propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Et Africanum Concilium: Decreta, inquit, Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive Episcopos ipsos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Et reliqua. Et S. Bonifacius scribit: Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes: nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita incipit (ut eadem propriè verba ponamus) Per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas. Quod illi (quia aliter credendum non est) servandum sancto Spiritu suggerente, sibimet censuerunt. Et paulò pòst: Quod ideirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos Canonum præcepta servare, ut ita quoque constitutio nostra diffiniat quatenus Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Distinctè igitur Antiochenum decrevit Concilium, ut præter Metropolitanum cæteri Episcopi nihil ampliùs agant, nisi ea tantùm quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Hîc diœcesis pro parochia, sicut & alibi, ponitur. Et post aliquanta: Nec Metropolitanus sine cæterorum gerat consilio Sacerdotum. Et non addidit in hac sententia, quod in præcedenti præposuit: nihil ampliùs sine cæterorum gerat consilio Sacerdotum: quoniam sacrum Nicænum Concilium noverat decrevisse, ut si duo aut tres provinciales Episcopi, propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum.

Claret igitur fratrem Hincmarum aliter quàm debuerat, ad suum sensum inflexisse sententiam Antiocheni Concilii, quàm idem Concilium, sed & S. Bonifacius Papa intellexerunt sententiam sacri Nicæni Concilii: cùm idem S. Bonifacius in eodem Concilio promulgaverit, quatenus Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et non decrevit, quia non debuit, contra Nicænum & Antiochenum Concilium, ut in omnibus rebus Metropolitanus omnium Coepiscoporum provinciæ consilium semper expectet: quoniam de omnium negotiis qui de provincia ad Metropolitanum undique concurrunt, semper omnium Coepiscoporum consilium expetere vel expectare Metropolitanus non potest, verùm nec debet. Sed sicut S. Leo ad Anastasium Thessalonicensem scribens: Secundùm sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevit; ita ut à regulis præstitutis nullâ aut negligentiâ aut præsumptione discedant. Privilegium suæ Sedis Metropolitanus eo modo debet exercere, ut ea singulis servari præcipiat, sicut item Leo ad Hilarium Narbonensem Episcopum scribit: quæ nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adver-

adversum. Et hoc est à pręstitutis regulis nullâ aut negligentiâ aut pręsumptione discedere: videlicet ut præstituta pro viribus exequi Metropolitani non negligant, neque pręsumptione convellant. Quæ autem secundùm pręstitutas regulas singulis pro negotiis convenientibus præcipiens, quotumcumque rebellionem vel pręsumptionem non potuerit corrigere, sua præceptione debet, aut per judices à se datos, aut ex consensu partium electos corrigere: aut in comprovinciali Synodo secundùm sacras regulas, quæ neglecta, vel præsumpta sunt, cum consilio Episcoporum provinciæ emendare.

Quas sententias sacrorum Canonum ab omnibus omnium provinciarum Episcopis, præter eum, in istis regionibus observatas, ante mentis oculos habens, non sæpe memoratam excommunicationem canonicam in Karlomanni complices, sine cæterorum qui adfuerunt, & adesse voluerunt, vel adesse potuerunt, consilio vel consensu exerui; & aliorum qui tunc adesse non potuerunt, consensum & consilium requisivi, & obedienter ab illis datum, & missum recepi. Ab eo autem qui adesse potuit, & adesse non voluit, quique de tractatu ex causa Karlomanni, & complicum ejus sine conscientia mea discessit, consensum requisivi: & sicut ab antecessoribus & successoribus ejus in ordinatione obtinui, apud illius contumaciam hactenus obtinerē non potui.

CAPVT XXII.

Quòd in quibusdam Remensem ipsum malè reprehendit, & de pœna inobedienti irroganda.

SCRIPSIT etiam mihi valdè se miratum fuisse, si eum per suum Clericum commonere potuissem. Non attendens quia si ipsius Metropolitanus est, qui sedet in Remorum Metropoli, & Clerici sui est Metropolitanus, ad quem secundùm sacros Canones, totius provinciæ debent convenire omnes, qui videntur habere negotia: & ipse præcipere singulis, & in commune omnibus quæ nec præceptis Evangelicis contraria, nec decretis sanctorum inveniantur adversa: & corrigere in singulis singula si quæ fortasse emerserint. Quibus cõstat etiam per Clericum suum Metropolitanus eum prævalet commonere, & apud quem juxta Chartaginenses Canones, si est utile, debet & prævalet Provincialis Episcopus accusari. Et Presbyteri, & Diaconi, & cæteri inferiores Clerici in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, & ab eis atque à vicinis Episcopis ad Primatem provinciæ appellandum putaverint, ad quem ipsi Clerici appellaverint, ejus auctoritate suos Episcopos regulariter commonere valebunt. Nam & Coepiscopi Remensis Provinciæ in longinquioribus partibus constituti, ex antiquo, Metropolitanis litteris per vicinorum Episcoporum Missos ad Synodum, vel ordinationem regulariter & jure, sed & de aliis quibusque monentur.

Et subsequitur: Quod tamen synodali agendum erat tempore, & judicio, si esset digna ratio unde commoneret. Nam istæ tales vestræ præceptiones non illiusmodi commonitiones sunt, neque mihi aut alicui Episcopo per loca diversa, quæ pro vestrâ commoditate aditis, si impetiar respondendum est, sed in Synodo. Non videns, vel potiùs arrogantiâ cæcatus videre non valens, quia aliud est, si à quoquam impetitur vel accusatur, & aliud est, si pro reclamatione alicujus ex sua Parochia à Metropolitano commonetur, ut ea quæ properè egit, Provincialis Episcopus emendare monetur, aut pro causis necessariis consensus illius requiritur. Nam pro omnibus omnium negotiis, qui undique juxta Canones ad Metropolim suam conveniunt, ad eum commonendum non debet, nec valet Metropolitanus Synodum convocare.

Reprehendit etiam me quia Carlomanno, & suis, quibus excommunicationem intentaverat, sed adhuc eam, sicut & ipse scribit, in illos non protulerat, & qui se profitebantur velle corrigere, in sua parochia publicè sine suo consensu benedictionem petentibus dedi. Dicit de quibusdam Scriptura: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent laboraverunt, sed labor labiorum illorum operiet eos.* Quando fideles senioris nostri qui convenimus tam Episcopi, quàm Abbates, & Comites, & cæteri ejus fideles ad conlocutionem Karlomanni, atque suorum, & persuasimus eis, ut datis & acceptis utrinque obsidibus, à malis quæ perpetrabant in regno senioris nostri, quiescerent, & pacificè ibi degerent, quousque ad senioris nostri indulgentiam pervenirent: cùm solvenda erat conlocutio, & quique nostrûm ad sua redire pararent, tam senioris nostri fideles, quàm & Karlomannus, & sui, profitentes de correctione sua benedictionem sibi dari à me, sed & ab aliis qui adfuerunt Episcopis, petierunt. Et pręmissa sententia Domini, qua pręcepit discipulis suis dicens: *In quamcumque domum intraveritis, dicite, Pax huic domui; & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin autem, pax vestra ad vos revertetur.* Orando ut confirmaret hoc Deus quod operatus erat in nobis, & per nos in illis: benedictionem, ut fidelibus, & voluntatem, ac devotionem fidelitatis habere profitentibus, dedimus docente S. Gregorio ex legali sententia, ut per alienam messem transiens, manu spicas conterat & manducet, ut de segete quæ alteri videtur esse subjecta, per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis exspolietur, & in Ecclesiæ corpus monendo, & persuadendo, quasi mandendo convertat. Et Canones sacri dicunt, ut Episcopus alienam civitatem quæ non est illi subjecta, non adeat, nec ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet super ordinatione cujusquam; quod nec me fecisse intelligo, cùm iidem sacri Canones dicant: Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanam Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ gerere. Vnde in quacumque parochia totius provinciæ mihi visum fuerit, sicut & in Laudunensi parochia sæpe jam egi, secundùm Chalcedonenses Canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum liberè possum Synodum convocare, & corrigere singula, si quæ fortassis emerserint. Non ergo alienam civitatem, quæ non est mihi subdita, adii: nec ad possessionẽ quæ ad me non pertinet, super ordinatione cujusquam accessi. Quæ etsi Laudunensis parochia mihi in privilegio Metropolitanæ Sedis non esset subjecta, de segete quæ alteri videbatur esse commissa, per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis exspoliare, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo,

quasi

quasi mandendo liberè possem convertere.

Sed & quod scripsimus in epistola de excommunicatione complicum Karlomanni, per diversos Archiepiscopos dirigenda, dicentes: Eâ videlicet conditione, ut secundùm formam mystici Nicæni Concilii, & Africæ Provinciæ Canonum, juxtaque Apostolicæ Sedis decreta Pontificum Siricii, Innocentii, Cælestini, Leonis, ubicumque fuerint, ultima pœnitentia, & necessarii viatici communio petentibus non negetur. Secundùm suam singularem sapientiam corrigit, scribens in sua rotula: De viatico autem illis concedendo nonnisi per professionem, etiamsi in ultimo sint positi, videlicet ut si posteà convaluerit, quisquis eorum viaticum in infirmitate positus petierit, profiteatur non ulteriùs se talia acturum, neque talia agentibus se participaturum: quoniam in suis ita Papa Gelasius instituit constitutis, sententia præfigitur, vel præfixa est semper errori. Quæ sententia huic errori præfixa numquam omnino resolvetur. Qua de re quid est nobis agendum, nisi intremus apud illum in scholam, & nos magistrali ferula doceat, quod Patres qui in Nicænum Concilium convenerunt, & Canones Spiritu Dei conditos, mansurasque usque in finem sæculi leges præfixerunt? Sed & Episcopi Africæ Provinciæ, inter quos & famosissimus Augustinus, non parva Christi portio, & Ecclesiæ Catholicæ institutio atque defensio, extitit, nescierunt, vel obliti fuerunt? sed & Siricius, Innocentius, Celestinus, & Leo percipere non potuerunt? Verumtamen quia nobis de hac causa sufficit tantorum, quorum formam premisimus, Catholica & salutaris doctrina, cui ex superfluo, vel potiùs ex angustia quiddam quasi dissimulando superaddere voluit ac præsumpsit: quoniam eum repercussit, contra quam in sua perniciosa excommunicatione agere non pertimuit: & ideo sui consensus litteras in præscriptis Canonum, & Decretorum Apostolicæ Sedis Pontificum diffinitionibus mittere mihi ausus non fuit. Et accidit illi quod scriptum est: Qui fugerit arma ferrea, irruet in arcum æreum, Dum enim vitare voluit, ne contra suæ perniciosæ excommunicationis præsumptionem in consensu sibi mandato à me, scriberet, & de ipsa præsumptione inlicitæ excommunicationis, & de contempto privilegio suæ Metropolis, & de inobedientiâ contra suam professionem, & subscriptionem, in judicium sacrarum legum, & Canonum, & decretorum Apostolicæ Sedis Pontificum inruit. Et ut statueret suam sententiam, posuit in eodem suo scripto testimonium, contra se beati Augustini ex libro de fide, & operibus, de discretione correptionis, & excommunicationis, & quasi fugiens à facie leonis inruit in ursum, & in domo innisus parieti momordit eum coluber. Id est, testimonium contra se à seipso in scripto suo positum ex scripturis illius, qui exaltatus est in cruce, sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto. Non est, inquit Augustinus in testimonio ab Hincmaro posito, contrarius Apostolus Domino, quia dixit, peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant: cùm ille dicat, Corripe eum inter te & ipsum solum. Vtrumque enim faciendum est, sicut infirmitatis diversitas admonet, eorum quos utique non perdendos, sed corrigendos curandosque suscepimus. Quæ verba testimonii à se in scripto suo positi si attenderet, illam perniciosam excommunicationē ad

A perditionem multorum quos non perdendos, sed corrigendos, curandosque suscepit, intentare nequaquam præsumeret. Quo contrà Salomon dicit, *Sicut spina in manu temulenti, sic & in ore stulti parabola.* Vt enim temulentus spinam in manu gerens seipsum vulnerat: ita qui incautus est ad loquendum, sententiâ suâ se percutit. Et item in eodem testimonio beatus Augustinus dicit: Ita etiam est ratio dissimulandi, & tolerandi malos in Ecclesia: & est rursus ratio castigandi, corrigendi, non admittendi, vel à communione removendi. Errant autem homines non servantes modum: & cùm in unam partem

B proclives ire cœperint, non respiciunt divinæ authoritatis alia testimonia, quibus possunt ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utrisque temperata est, veritate, & moderatione consistere. Et si hanc discretionem corripiendi & excommunicandi, aut dissimulandi & tolerandi malos in Ecclesia, quam beatus Augustinus dixit, & ex verbis sacri eloquii rarissimam demonstravit, frater Hincmarus attendens à Metropolitano suo semel, & secundò ex Evangelica veritate, & Apostolica, atque Canonica authoritate, & decretis Apostolicæ Sedis commonitus, ut eandem perniciosam excommunicationem resolveret, in pertinaci contumacia sua in suum periculum non persisteret.

C Contra cujus inobedientiam, qui mihi, suo Metropolitano, litteras sui ex hac causa consensus contumaciter mittere recusavit, quid sacræ leges & regulæ dicant, subjungam: Honorius & Theodosius Aug. in legali edicto suo, directo Aurelio Charthaginensi Archiepiscopo decreverunt, dicentes: Religio itaque tua competentibus scriptis universos Episcopos faciat admoneri, sciturus diffinitione sanctimonii tui hanc sibi diffinitionem esse proscriptam, ut quicumque damnationi suprà memoratorum, quò pateat mens pura subscribere, impia obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati, in-

D terdicta in perpetuum, expulsi civitatibus communione priventur. Et paulò pòst: Vna enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando conhibentiam, aut non damnando favorem noxium præstiterunt. Et hinc S. Gregorius ad Felicem Episcopum in Sardica: Qualiter, inquit, obedientia, vel sit reverentia Præpositis exhibenda, ex tuis quoque subjectis ipse non ambigis. In qua re valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda servaverit. Pervenit ad nos itaque quòd fraternitas tua Ioanni fratri nostro, primæ Iustinianæ Episcopo, secundùm morem constitutum parere despiciat, & nec decreto ejus nec relationi juxta consuetudinem voluisset subscribere.

E Quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de te manifestè præbes judicium, quod quàm sit, præsertim in Sacerdote culpabile divinæ clementia monitionis eloquitur. Propterea hortamur ut mentis tumore deposito, antedicto fratri, & Coepiscopo nostro humilem te exhibeas, & parere non desinas: quatenus & Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, & alii sumant de te bonitatis exemplum. Nam si, quod non credimus, te in superbia permanere contigerit, districtam, canonicamque disciplinæ correctionem contumaciæ tuæ scito sacros Canones ulciscenter imponere. Bene ergo facis te talem sponte salubri consideratione præbere, qualis esse canonica coercitione compelleris. Nam nec tibi

tibi denuò post hanc nostram admonitionem licebit, ad tuæ voluntatis arbitrium contra morem majoribus tuis inobedientem existere: nec nos tantæ indisciplinationi Ecclesiasticam cognoscas dissimulare, vel differre vindictam. Vnde attendentes judicii comminationem beati Gregorii contra inobedientiam Archiepiscopo suo, quâ dicit: Denuò post hanc nostram admonitionem, nec tibi licebit ad tuæ voluntatis arbitrium, contra morem, majoribus tuis inobedientem existere: nec nos tantæ indisciplinationi Ecclesiasticam cognoscas dissimulare, vel differre vindictam. Discernite utrùm quod in terris consistens, & conversatione in cælis habitans intentavit; & adhuc nobiscum in suis constitutionibus vivens, de cælo in hujusmodi creditur intentare, post tot commonitiones, vindictam tantæ indisciplinationi istius regularum contemptoris dissimulare, vel differre diutiùs debeamus, nos qui per Dei gratiam ad cælestia suspiramus.

CAPVT XXIII.

Quòd Hincmaro eidem Remensi traditionis crimen per calumniam imponit.

POST tantas denique & alias plures, quas vitando prolixitatem prætereo, commonitiones, & sacras authoritates à me illi prolatas; sicut Dominus de rebellante adversùm se populo queritur: *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Et, *versa est mihi domus Israel in scoriam*; accidit mihi ab illo quod Salomon dicit: *Acetum in nitro, & qui cantat carmina corde pessimo.* Acetum, inquit Gregorius, si mittatur in nitrum, fervescit nitrum protinus, & ebullit: & perversa mens quando per increpationem corripitur, nec per prædicationis dulcedinem ad bona suadetur, & correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem succenditur: unde debuit ab iniquitate composci. Vnde subsequitur in rotula nuper 16. Kal. Iulias præsentis 4. indictionis mihi directa.

Nulla, inquiens, consanguinitatis pietate restricti, sed neque aliqua Archiepiscopalitatis præstabilitate, aut probitate ab orgiis non operante justitiam retenti, suadentes, ac inimo compellentes me tradendo, ut à regiâ potestate mancipater custodiæ, scribentes litteris vestris ad eum ita: Et cùm Silvanectis venerit habe tales homines strenuos ac peritos, sicut opus est ad talem bestiam capiendam. Et ad Odonem complicem vestrum, sicut quando ad Synodum venerimus, Deus poterit dare nobis quid loquamur, usquedum de isto indomabili unicornio, & inquieto animali nos liberabit. Hæc autem perficere laborare non cessastis, à tempore quo Synodum in Suessionica civitate pro depositione Rothadi habuistis: eò quòd renitebar substitui contra sacras regulas in ejus loco Episcopum, antequam universalis Papa pro tanto consuleretur, ut auctoritas se habet, negotio. Quod dum antè efficere non valuistis, quia nondum venerat hora mea, in Silvaco compote estis potiti voto meo. Et hoc vos egisse Remi mihi negastis; quod tamen tunc vobis apertè dicere nolui.

De quibus scribo. Lex Iustiniani dicit ut Metropolitanus, vel Primas provinciæ, de Ecclesiastico jure vel de aliis negotiis inter conquirentes audiat: & quod Ecclesiasticis Canonibus, & legibus nostris consentaneum sit, hoc diffiniat, & nulla pars valeat calculo ejus contradicere. Et hinc B. Gregorius sæpenumero in suis ex regesto decretis præcipit, ut secundùm leges & Canones Ecclesiastica judicia terminentur. Et sacræ leges, quas Ecclesia Catholica recipit, dicunt: Quoniam confiteri quisque in judicio non tantùm sua voce, sed & litteris, & quocumque modo potest: convinci autem nonnisi scripturâ aut testibus potest. Et de Clericis in posteriori lege Majoriani abrogatum demonstrant, ut Clerici per compromissi vinculum non adeant Episcopale judicium. Et item sacræ leges dicunt, ut in criminalibus causis nec accusator, nec accusatus per procuratorem aut aliam personam defensare se permittantur, nisi ingratum libertum patronus accuset. Et in causa capitali nemo damnatur, neque absens per alium accusare, aut accusari potest, nisi fortè accusatus legaliter ac regulariter evocatus, (quia, ut scribit Gelasius, ita vocatur ad judicium certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis,) ad purgandum se, contra evocationis regulam venire distulerit, ut secundùm leges & decreta Gregorii, in eum, quasi in contumacem proferatur sententia. Et secundùm leges & Canones, ut dicit Felix, respondere diffidens, objecta confirmat, quatenus ut Bonifacius Papa decrevit, dilatione sententiæ de absentiâ non lucretur. Cujusmodi judicio & accusator secundùm leges & Canones subjacebit, si accusatione suam legalem ac regularem prosequutus non fuerit, ut aut quæ objecit, legaliter ac regulariter comprobet, aut falsitatis reus judicio legali ac regulari subjaceat. Sicut in legis Theodosianæ lib. 9. cap. 26. & 27. & in Carthaginensis Concilii cap. 19. & Africani Concilii cap. 27. evidenter ostenditur. Sed & conspirans cum propria plebe, & nonnumquam vocatus ad Concilium venire detractans, putans sibimet plebem suam posse sufficere, fraterna dilectione, contempta non tantùm diœcesim amittere, verùm & auctoritate publica ab ipsa principali cathedra removeri, & propriis carere ut rebellis, præcipitur, sicut in 20. Capitulo Africani Concilii continetur.

Ceterùm quia gravissima ex hoc crimine judicia, & in legibus sacris & in Ecclesiasticis regulis demonstrantur, tam in accusatum quàm in per calumniam accusantem, & non probantem, sive præsens in judicio Hincmarus à se objecta prosequatur, vel objectis sibi respondeat, sive sæpius regulariter evocatus adesse neglexerit: necesse erit ex utrisque partibus veritatem inquiri, & quæ inventa fuerint, justè & rationabiliter diffiniri. Dicit namque suum me traditorem, id est, proditorem, videlicet Episcopum Episcopi delatorem. Et historiæ, ac Chronicæ Ecclesiasticæ adstruunt præcipuè Chronica Prosperi, Cæciliano Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo objecta crimina non probata fuisse, maximè quòd à traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Et non leve crimen est, si ego qualiscumque Archiepiscopus per me Domino consecratum Episcopum tradidi. Vnde & signa litterarum mearum, quibus recognoscerem mè suum traditorem mihi isdem frater noster ad comprobationem producere. Sicut & de traditore Domini nostri scriptum est, quia traditor eis quibus eum tradebat dedit signum, aut quemcumque osculatus fuisset, ipsum tenerent.

De quo idem Dominus ad Pilatum dicit: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Duarum quoque epistolarum mearum verba mendosè ac si duos testes adversùm me in testimonium protulit: ut & in accusatione summi capitis nostri factum fuisse legimus. Omnes, inquit Gregorius, electi, quia summi capitis membra sunt; caput quoque suum in passione sequuntur, ut ipsos adversarios in suâ morte sentiant, de quorum vita præsumebant; & tantò eis crescat merces operis, quantò eis virtutis lucrum proficit, & ex damno alienæ charitatis.

Sanctus autem Zosimus Papa ad Aurelium & ad universos Episcopos per diversas provincias constitutos scribens, ostendit quantum scelus sit traditionis, dicens: Lazarus dudum in Taurinensi Concilio, præmissorum Episcoporum sententiis pro calumniatore damnatus, cùm Briccii innocentis Episcopi vitam falsis objectionibus appetisset. Pòst verò indebitè ab eodem Proculo, qui inter cæteros in Synodo damnationi ejus adsenserat, sacerdotium consequutus est, à quo se ipse vitæ suæ conscientiâ datis litteris in abdicatione sui suâ sponte summovit. Et in lib. 8. Theodosianæ legis cap. 29. de calumniatoribus scriptum est: Gratianus, Valentinianus, Theodosius A A A. Hellibico Comiti, & ministro utriusque militiæ. Non est ratio qua manifesti calumniatoris supplicium differatur. Non enim patimur frequenter iterari, quæ consistere prima accusatione non quiverint, atque alienam innocentiam securitatemque sine crimine, damnabili appetitione terreri. Data 3. Kal. Iun. Merobaude, & Saturnino Conss. Iidem Augusti Menandro Vicario Asiæ: Nostris & parentum nostrorum constitutionibus comprehensum est, eos qui accusationem alienis nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducendos. Atque ideo calumniosissimum caput & personam judicio irritæ delationis infamem deportatio sequatur: quò posthac singuli universique cognoscant, non licere in eo Principum animos commoveri, quod non possit ostendi. Data Idus Maias, Arcadio & Bautone Conss. Et item Arcadius & Honorius A A. Victuro Proconsuli Africæ: Innocentes sub specie falsæ criminationis non patimur callidorum impugnatione subverti: qui si tentaverint, intelligant sibimet severitatem legum pro facinoribus commissis incumbere. Data 4 id. Mart. Mediolano, Honorio, Aug. III. & Eutychiano Conss. Et item ibi post alia: Calumniatores etiam sunt, qui falsa deferentes contra cujusque innocentis personam, Principum animos ad iracundiam commovere præsumunt, qui omnes infames effecti, in exilio detrudentur. Et in lib. 10. cap. 5. de delatoribus lex promitur, quam idem frater in suis compilatis quaterniunculis Synodo apud Attiniacum præsentatis subscripsit, & subscribi à suis Clericis fecit. Quæ quia Ecclesiasticis judiciis de ministris Ecclesiasticis non convenit, hîc eam mittere supersedi.

CAPVT XXIV.

Illa calumnia tabulis testibusque productis à Remensi dissipatur.

ET quia dixit, suadente, ac immo compellente me tradendo, ut à regiâ potestate manciparetur custodiæ, domnus Rex præsens, si di- A gnatus fuerit, veritatem coram vobis hinc dicere potest, quia nullus eo meliùs scit, si ipsum fratrem nostrum tradidi, & ei suasi, vel consilium illi dedi, sive consensum præbui, ut eum regia potestas manciparet custodiæ. Nam quando suis jussionibus resultabat, & adversùs eum rebellabat, domno Regi misit litteras suas, quas mihi dominatio sua direxit, mandans, ut apud Siluacum ad eum venirem; & antequam illuc venirem, litterariam responsionem de litteris Hincmari remandarem. Et quoniam mihi contra fidem, & bonos mores nihil mandavit, & Apostolica regula nobis præcipit, ut subjecti simus Regi tanquam præcellenti, feci de jussione illius ut potui, & istiusmodi litteras exinde illi B direxi.

Domino glorioso sit semper salus & vita. Carissima & reverentissima dominatio vestra, exiguitati meæ litteras Hincmari ad vos missas, & vestras illi remissas direxit, jubentes, ut de his considerarem: sed non jussistis ut inde responderem. Iussistis etiam, ut apud Siluacum ad vos venirem: sed qua die Kalendarum illuc venirem, non mandastis. Nunc autem iterum dominationis vestræ litteris rogastis, ut ad Siluacum veniam, sed diem non mandastis quando veniam. Mandastis etiam, ut antequam ad Siluacum veniam, litterariam responsionem de litteris C Hincmari vobis remandem. Et non demonstrastis utrùm vobis, quid mihi ex litteris Hincmari videatur respondeam; an quid Hincmaro ex his respondendum sit, quod mihi videtur, scribam. Vnde dominationi vestræ quod mihi ex illius litteris videatur scribo. Videlicet quia spiritu superbiæ illum agi, sicut & anteà, mihi videtur: & hoc, quantùm video, laborat, ut nulli subjectus sit, & maximam habet fiduciam ut per Sedis Romanæ potestatem omnia quæ cupit, evincat. Veniam autem, si Dominus permiserit, nunc 8. Kal. Iun. ad Codiciacum, & in crastino ubi vos esse audiero. Et si benigno vestro sederit animo, multùm cupio ut fidelis vester, filius noster Hodo Episcopus vobiscum sit, D quando ad vos venero, ut quod ex his quæ dominatio vestra injunxerit, per me agere nequivero, ipse perficiat. Sed & si esse possit, multùm vellem ut etiam alii de fidelibus vestris sociis nostris Episcopis ibi adessent, qui periti sunt ad hanc bestiam capiendam ad ipsius salutem, ne in perniciem suam captionis retia transilire, & sibi periculum, & aliis impedimentum, & sacerdotali ministerio vituperium aliquod possit facere.

Ego ita sicut hîc posui, me scripsisse non denego. Quo contrà ipse scribit, me scripsisse domno Regi cùm Siluanectis venerit, habere tales homines strenuos & peritos, sicut opus est ad E talem bestiam capiendam. Et quomodo ad tradendum eum scriptura mea conveniat, quæ salutem illius & non traditionem quæsivit, vos judicate. Et alteram domno Regi ex eo direxi prolixam Epistolam, cujus exemplar hîc habeo: in qua continetur ad locum.

Ego autem si hæc quæ acta sunt progredi timeo, & sic doleo, licèt isdem Hincmarus sicut ad me pro certo per eos qui ab ipso audierunt, & ejus frendentes motus, cùm de me loquitur, vident, perventum est, mihi hoc totum reputat, quòd vos à me provocati, quidquid contra eum egistis & agitis, dicens quòd hæc omnia meo consilio & instinctu agatis. Quod non esse verum

rum, meliùs ipsi scitis. Et item ad locum in eadem epistola: Quod autem jussistis ut consilium qualiter contra contumaciam Hincmari vobis agendum sit, remandare procurem, cum venia vestræ dominationis respondeo, hoc mihi non modò difficile, verùm etiam mihi videtur impossibile. Et paulò pòst: Sicut vobis sufficienter est cognitum, sacros præcipere Canones de causa Episcopi, maximè unde regia vestra potestas læsa se queritur, & Apostolicæ Sedis authoritas contentiosè, sicut mihi relatum est, in medium devocatur, sine Coepiscoporum tractatu atque consensu sententiæ consilium dare, vel quiddam diffinire non valeo.

Hodoni autem epistolam pro eo, misi, interroganti quid vellem, ut Hincmaro daret consilium: unde illi prolixas litteras misi, quarum exemplar hîc habeo; alteram autem eidem fratri Hodoni pro Hincmaro misi epistolam, cujus exemplar & hîc habeo, in qua continetur. Quantùm potes animum domni nostri Regis modifica, ne talia faciat in sancta Ecclesia, & in episcopali ordine, unde tunc pœniteat, quando illa facta habere nolebit. Et redue ei in memoriam quod beatus David de Nabal stulto faciendum juraverat; sed ad intercessionem unius sapientis mulieris, in vaginam ultionis gladium revocavit. Et dic ei, quod per ipsum David Spiritus sanctus decantavit, quod iste senior noster sedulò cantat, & cantare debet, & omnis Catholica cantat Ecclesia: *Irascimini & nolite peccare.* Et in libro Iob scriptum est: *Non te superet ira ut aliquem opprimas.* Et hæc non dico pro persona Hincmari; quem utinam non vidissem, & quem non, sicut Deus Iudam per providentiam, sed sicut homo per improvidentiam ordinavi, sciens à Domino dictum, *Si oculus dexter, aut manus, aut pes scandalizaverit te, projice illa abs te.* Sed pro ipso seniore nostro, ne in suo ministerio, & in Ecclesia, & in generali ordine episcopali, & in his qui alterius socordia perire possunt, ipse taliter peccet, & in Deum, quod absit, offendat.

Tertiam quoque eidem fratri pro eo misi epistolam, cujus exemplar hîc habeo, in qua continetur: Multum timeo ac doleo, ne fortè isdem filius meus ac frater noster propter arrogantiam à Domino per electionis judicium nesciatur, quem per humilitatem ipse scire non appetit. Quia de arrogantibus Dominus queritur, dicens: *Tenentes legem, nesciunt me, & ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi*, & nesciri se ab hujusmodi Dominus queritur, & nescire se principatum nescientium protestatur: quoniam qui eum per humilitatem nesciunt, à Domino nesciuntur. Hæc autem cordis dolore constrictus de illo per vocem luctus emitto, dicens, quod pius Dominus clementer perituræ civitati flendo dixisse legitur: *Quia si cognovisses & tu*; subauditur fleveras. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Tandem si istius indebitam pertinaciam Deus converterit ad debitam humilitatem, & ad bonum finem mala cœpta illius perduxerit, de his quæ in Synodo apud Vermeriam futura sunt, sufficienter nobis responsiones dabit, qui unicuique fideli in se fideliter credenti, repromisit: Aperi, inquiens, os tuum, & ego adimplebo illud, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

Ego sic scripsi. Et Hincmarus dicit me ad complicem meum Hodonem scripsisse, ut quando ad Synodum venerimus, Deus poterit nobis dare quid loquamur, usquedum de isto indomabili unicornio & inquieto animali nos liberabit. Quæ scripturæ quantùm inter se discordent; ratio manifesta demonstrat. Nam etsi, ita ut dicit Hincmarus, ad Hodonem scripsissem, non tamen ibi colligere poterat illius traditorem me fore: cùm etiam in litteris suis me dicat dixisse: Quando ad Synodum venerimus, Deus poterit nobis dare quid loquamur. Quæsivi enim inter exemplaria litterarum, exemplar epistolæ, in qua hæc verba quæ dicit, contineantur, sed invenire non potui, & licèt eum unicornem, scilicet indomabilem bestiam in meis litteris appellarem, non criminaliter peccatum committerem. Cùm beatus Gregorius exponens sententiam Domini ad Iob dicentis: *Numquid alligabis rhinocerotem, ad arandum loro tuo?* De suo Imperatore dicat: Sæpe, inquiens, vidisse me memini quòd cùm se ad feriendum graviter hic rhinoceros accenderet, quasi elevato cornu bestiolis minimis mortis exilia, damnationemque subjectis immensis terroribus intentaret, repentè fronti signo Crucis impresso, omne in se incendium furoris extinxit. Et utinam hic rhinoceros noster signum Crucis fronti & cordi imprimeret, & è suæ contumaciæ ferocitate semetipsum extingueret, & se alterum faceret: ut cum Apostolo dicere possit: *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.* Vnde Gregorius: Extinctus quippe fuerat sævus ille persequutor, & vivere cœperat pius prædicator. Adferat autem litteras meas, de quibus hîc scripsit, & proferat eum qui eas illi dedit, & cognoscatur inde veritas. Nam quod dicit mihi restitisse de Rhotado: subscriptiones manus suæ, quas habeo, inde mendacii eum redarguunt, ostendentes, quia nihil de Rothado decrevi, vel de ordinando alium in locum ejus feci, quod mecum ipse non fecerit, sicut & synodalia gesta Apostolicæ Sedi directa, quibus ipse subscripsit, patenter ostendunt.

Ceterùm veni ad domnum Regem ad Solarium in Cippido, & ei litterarum responsionem de suis & Hincmari litteris detuli. Quam responsionem coram me & Hodone Episcopo, & Ottulfo, atque Hildeboldo tunc Presbyteris, sed & coram Eirico Comite, & non recordor aliorum nomina qui ibidem affuerunt, Hincmaro dedit, & locum super noctem ad legendum concessit. Et in crastina ad Regem reversus, quia in solita contumacia pertinaciter perstitit, ut nec ego, nec frater Hodo, nec etiam qui adfuerunt alii, quiddam rationis, vel humilitatis, aut episcopalis gravitatis obtinere apud eum potuimus: licentiam apud domnum Regem petii: & quia satis infirmus eram, ad mansionem secessi: si autem quiddam de traditione illius, vel de custodiæ mancipatione cum domno Rege aliquid locutus fui, non solùm domnus Rex hoc meliùs sapit, verùm & isti religiosi Episcopi Hodo & Ottulfus & Hildeboldus veritatem nobis pro amore ipsius veritatis possunt edicere, & me aut noxium, aut innoxium de hac calumnia pronuntiare. Scriptum est enim, *In ore duorum aut trium testium, stabit omne verbum.* Et Apostolus accusationem sub duobus, vel tribus testibus adversùs Presbyteros recipi posse ostendit. Et Nicænum Concil. Neophytum Episcopū à duobus vel tribus testibus redargutum abstinere à clero præcipit, si aliquod delictum animæ circa perso-

 nam

nam reperiatur hujusmodi. Sed & quia, ut suprà posui, sacræ leges dicunt, quia convinci nemo potest, nisi scripturâ vel testibus: audistis scripturas, & suas, & meas, de quarum certitudine cum domni Regis, & istorum Episcoporum attestatione legaliter ac regulariter potestis discernere, atque decernere, si præfata judicia legum & Zosimi, in eum qui me falsò est calumniatus, recidere debeant; quæ in me procederent, si me per calumniam delatorem suum probare valeret.

Quæ & alia, de aliis mihi ab eo illatis, non causâ mearum injuriarum dico, sed zelo Dei, & ecclesiasticarum regularum, atque divinæ ordinationis, secundùm paternas constitutiones: ne pro loci mei officio damnari ex negligentia debeam, sed sicut beatus Gregorius in regula pastorali demonstrat, eundem zelum postmodum inter me & illum, fortem munitionem habeam, ne tunc ad vindictam sim destitutus, si nunc in correctiones fuero dissolutus. Necnon ut & de me veritas, & litterarum illius falsitas cunctis ejus accusationes, & meas excusationes legentibus liqueat. Et si fortassis idem frater Hincmarus ideo subscripsit, & subscribi ab ecclesiasticis Ecclesiæ suæ ministris fecit, ut delatori juxta forenses leges, aut lingua capuletur, aut caput amputetur, quatenus in me, quem suum delatorem postea scripsit, hæc vindicta procederet: egit præproperè, & contra ecclesiasticam disciplinam, ut antequam me confessum, vel ordine regulari convictum videret, judiciali me sententia, & illâ maximè quam non recepit censura ecclesiastica, condemnaret.

Caput XXV.

Aliam nepotis calumniam de contemptu Pontificiæ excommunicationis dissipat avunculus.

Aliam quoque rotulam nimis prolixam, præterito anno, Idibus Novembris, 4. indictionis, per Clarentium Presbyterum suum direxit, in qua contra me scriptum habetur. Non mihi, inquit Hincmarus, videtur dignum excellentiâ vestrâ fuisse, ut diceretis Berthario quod mihi renuntiavit vos dixisse: Si eos præsignatos meos excommunicassem homines qui talia agerent, & adhuc agunt, non eos excommunicatione teneri, videlicet anathematis vinculo non ligari. Sed non est mirum, si parvitatis meæ excommunicationem parvipenditis, ac fortè irrationabilem judicatis, quando Apostolicæ Sedis excommunicationem & pro nihilo ducitis, & pro nihilo ducendam, utpote absurdam, judicatis.

De qua calumnia mihi inlata, quia sanctus Gregorius in libro ex Regesto frequentissimè dicit, secundùm leges & Canones, causas investigari debere, & judicia terminari, legantur leges & Canones. Dicunt enim antiquorum Patrum nostrorum regulæ: Dignum est ut vita innocentis nullâ maculetur pernicie accusatoris. Ideo quisquis à quolibet criminetur, non antè accusatus supplicio detur, quàm accusator præsentetur, atque legum & Canonum sententiæ exquirantur. Quòd si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non admittatur. Et, quòd si Episcopus aliquem de crimine putat esse damnandum, accusatoris vice discutiendum se sciat. Fas est enim, ut quæ uni probantur, probentur & omnibus. Quos Canones si, ut solet ea quæ contra illum faciunt, refutare voluerit: audiat, quid hinc Leo Papa ad Maximum Antiochenum Episcopum dicat: Quicquid, inquiens, propter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutionibus discordat, Apostolicæ Sedis nunquam poterit obtinere consensum.

Et Antiochena Synodus, perfectum illud esse Concilium, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes. Et Zosimus Papa in epistola ad universos Episcopos per diversas provincias constitutos, provincialem Gallicanorum Episcoporum Synodum approbat, dicens: Lazarus, inquit, dudum in Taurinensi Concilio gravissimorũ Episcoporum sententiis pro calũniatore damnatus, cùm Briccii innocentis Episcopi vitâ falsis objectionibus appetiisset. Et Africæ provinciæ Canones: Causæ, inquiunt, quæ communes non sunt in suis provinciis judicentur. Et Africanum Concilium decrevit, ut quotiescumque clericis, cum quibus & Episcopi numerantur, ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis de quo priùs egerit, probare non valuerint, ad cętera non admittantur. Et sacræ leges dicunt, quia nemo convinci nisi scripturâ, aut testibus potest. Et Gelasius in Commonitorio fausto, legatione fungenti dato, de Episcopis prævaricatoribus: Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? Et Africanum dicit Concilium: Testes ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt: vel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit. Et item sacræ leges dicunt: Vnius testimonium quamlibet splendida, & idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum.

Vnde quia scriptura quam frater Hincmarus calumniatus est, inpræsentiarum habetur, aut producantur ab accusatore adversùm me legales & regulares testes, vel scriptura, quâ me de hac calumnia, quâ dicit, excommunicationem Apostolicæ Sedis, & pro nihilo me ducere, & pro nihilo ducendam, utpote absurdam prædicare. Quòd si agi ab eo, vel à quoquam negaverit: leges & regulæ de calumniatore sententiam proferent. Et veniet frater Berthatius Diaconus in præsentiam vestram, quem sibi Hincmarus renuntiasse dixit, me illi dixisse, quòd si præsignatos suos homines excommunicasset, qui talia scilicet contra leges ecclesiasticas egerunt, & adhuc agunt, non eos excommunicatione teneri, videlicet anathematis vinculo ligari. Et quia discreta est ista Hincmari in scriptura sua sententia, quia de sua excommunicatione à me annullata ad Bertharium se reclamat, liceat mihi legaliter, ac regulariter in præsentia vestra confligere cum eodem Berthario.

Caput XXVI.

Sensum suum catholicum de summa Sedis Apostolicæ in solvendo ligandoque potestate publicè profitetur Hincmarus.

De eo autem quod dicit Hincmarus: Sed non est mirum si parvitatis meæ excommunicationem

nicationem parvipenditis, ac fortè irrationabilem judicatis, quando Apostolicæ Sedis excommunicationem & pro nihilo ducitis, & pro nihilo ducendam, utpote absurdam, prędicatis: cum eo legaliter ac regulariter est mihi consilio, & auxilio vestro agendum. Qualiter autem de Apostolicæ Sedis, quæ est omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum mater & magistra, & cujus Pontifex, Patriarcha est Patriarcharum, & Primas Primatum cunctarũ provinciarum, ligatione atque solutione sentiam atque teneam, ut sciatis mendaciter hinc me ab Hincmaro calumniatum: quanquam decernat Africanum Concilium, ut quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis de quo priùs egerit, probare non valuerint, ad cętera jam non admittantur: coram vobis expono, sicut corde credo ad justitiam, & ore confiteor ad salutem.

Et sicut ex doctrina beati Leonis ejusdem sanctæ & primæ Sedis Pontificis didici, qui in sermone sui Natalis inter cętera dicit: Quod dicitur beatissimo Petro, *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis:* transivit quidem etiam in alios Apostolos jus istius potestatis, & in omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur; Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus, Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium: nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligarit, aut solverit: qui Regem cælorum, ut Augustinus & cęteri Doctores exponunt, majore præ cęteris devotione confessus est, meritò præ cęteris ipse conlatis clavibus regni cęlestis munere donatus est, ut constaret omnibus, quia absque ea confessione ac fide regnum cęlorum nullus possit intrare. Claves autem regni cęlorum, ipsam discernendi scientiam, potentiamque judiciariæ potestatis nominat, quâ dignos recipere in regnum, indignos secludere debet à regno. Vnde Dominus manifestè subjunxit: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cęlis.

Quæ solvendi ac ligandi potestas, quamvis soli Petro data videatur à Domino, absque ulla tamen dubietate noscendum est, quia & cęteris Apostolis datur, ipso teste, qui post Passionis, Resurrectionisque suæ triumphum apparens eis, insufflavit, & dixit omnibus, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nam sicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondit unus pro omnibus; ita & quod Petro Dominus respondit, in Petro omnibus respondit. Necnon etiamnunc in Episcopis ac Presbyteris omni Ecclesiæ officium idem committitur, ut videlicet agnitis peccantium causis, quoscumque humiles, ac verè pœnitentes respexerit, hos jam à timore perpetuæ mortis miserans absolvat: quos verò in peccatis quæ egerunt, persistere cognoverit, illos per eam omnibus suppliciis obligandos insinuet. Vnde aliàs Dominus, de correpto semel & iterùm ac tertiò, sed non pœnitente fratre pręcepit, dicens: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et ne leve quisque putaret Ecclesiæ se judicio condemnari, mox terribiliter adjunxit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Omni igitur electorum Ecclesiæ, juxta modum culparum, vel pœnitentiæ, ligandi ac solvendi datur authoritas. Sed idem beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore sequutus, specialiter claves regni cęlorum, & primatum judiciariæ potestatis, & curam pascendarum ovium dominici ovilis accepit, & in primatu illius successores ipsius in sede ejus acceperunt, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibetmodo semetipsos segregant, tales, nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt regni cęlestis ingredi.

De qua obligatione vel solutione episcopali, quod nobis Apostolicæ Sedis filiis ac discipulis satis tremendum, & cavendum, atque observandum est. Sanctus Gregorius in homilia Evangelii dicit: Sępe in ligandis ac solvendis subditis pastor suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit ut ipsa hac ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum moribus exercet. Vnde rectè per Prophetam dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabunt animas quæ non vivunt.* Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur: ac sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatos solvat. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda.

Cęterùm sicut beatus Augustinus, & cęteri Catholici Doctores dicunt, non sunt ligamenta vel solutiones sanctæ Ecclesiæ, quæ contra sanctam Ecclesiam fiunt, vel ab his fiunt qui contra dogmata Catholicæ Ecclesiæ sentientes, contraria ipsi Ecclesiæ ligant vel solvunt. Sancta quippe Ecclesia dicit: *Non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas.* In cujus solius Catholicæ Ecclesiæ unitate, quæ per hęreses & schismata non est divisa, ut vera sunt sacramenta, ita vera sunt ligamenta, atque solutiones; quæ ædificata est supra petram, quæ unica columba appellatur: quæ sponsa pulchra sine macula & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum, locus penes Deum in quo solidè statur, & locus auro in quo confletur, & domus Dei quæ claves regni cęlorum accepit, ac potestatem ligandi ac solvendi. Hanc domum si quis corrigentem corripientemque contempserit, pręcipitur à Domino, ut sit sicut ethnicus & publicanus.

Ita de ligatione & solutione sanctæ Catholicæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Pontificis, sed & subjectorum sibi Episcoporum ex ejusdem Apostolicæ Sedis doctrina credendum & tenendum atque sequendum accepi: & ita credo, teneo, & sequor. Et qui aliter de me dixit atque dixerit, ostendet se esse malevolum, & me probare non poterit non esse Catholicum: se autem comprobabit mendacem criminatorem, & non criminis esse me reum. Quæ autem mihi discenda sunt, & libenter & obedienter ab illius summæ Sedis Catholica doctrina paratus sum discere,

discere, tenere, & loqui, quæ in primatu beati Petri, cui Dominus trina repetitione pascendas suas oves commisit, & ut confirmaret fratres suos præcepit, privilegium primatus omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum accepit.

CAPVT XXVII.

Quòd plura falsò narrat de litteris Apostolicis secum non communicatis.

ISdem etiam frater noster Hincmarus mihi litteris suis impegit noxam non levem, si verum diceret, me commisisse contra eandem sanctam & Apostolicam Sedem, dicens: Vocastis me litteris vestræ auctoritatis Attiniacum ad Synodum, intimantes, quia litteræ domni Apostolici domno Regi Carolo & regni ipsius Episcopis directæ fuerunt, de quibus sine synodali consultu respondere non poterat. Quamvis has litteras in Gundulfi villa suscepissetis, ubi & præsens adfui: quas mihi ibidem nullatenus ostendistis. Cùm autem Attiniacum veni, dedistis mihi quasi exemplar earumdem, legere me rogantes, & sic statim inde me respondere, & ut perlegens idipsum exemplar vobis protinus redderem, præcepistis. Sicut autem postea per aliud didici exemplar, plura in indiculo vestro mihi ostenso defuerunt.

Quæ dicta illius non sunt vera. Nam ipsa die quando Missi domni Apostolici in Gundulfivilla ejus epistolas in præsentia Regis & Episcoporum, & cæterorum fidelium qui ibi aderant, mihi dederunt: sicut & domnus Rex scit, & Episcopi ac cæteri, in quorum præsentia epistolas illas accepi, antequam de ipsa domo exirem, audiente Rege, & audientibus Episcopis, & cæteris qui ibidem fuerunt, eas relegi. Et si Hincmarus ibi fuit, & audire eas voluit, sicut & cæteri eas audierunt, audire modis omnibus potuit. Quod dicit, quoniam quasi exemplar earumdem, quando Attiniacum venit, illi dedi, & legere rogavi, & sic statim respondere, non dicit verum. Exemplar secundùm tenorem authenticum epistolæ illi ad legendum dedi, sicut & Erardo, & Vvaniloni & Vvlfado, & cæteris Archiepiscopis domni Caroli ex integro misi, & eandem epistolam in Synodo apud Attiniacum relegi. Quod dicit, me jussisse illum, ut statim responderet: non sic dixi; sed ut legeret illud exemplar, & videret quid inde responderet. Quod dicit quia per aliud exemplar didicit plura in indiculo meo sibi ostensa defuisse: integrum exemplar epistolæ illi legendum dedi. In indiculo autem à me collecto & Regibus & Episcopis relecto & dato, quantum de ipsa epistola, sed & de illa quam domnus Apostolicus misit, necessarium ad mittendum vidi, misi, & exemplar ipsius indiculi domno Apostolico ex epistola mea direxi. Et ipsam epistolam domni Apostolici, sed & memoratum indiculum, sed & scripta ipsius fratris Hincmari hîc habeo: quibus probari potest me verum dicere, & illum à vero deviare.

CAPVT XXVIII.

Quòd vanè gloriatur excommunicationem à se factam à Sede Apostolica probatum iri.

SCribit etiam in rotula quam per Clarentium Presbyterum suum mihi transmisit hoc modo: A Tam intentativè in Attiniaco de excommunicatione à me in parochia mea facta interrogatus sum. Tantummodo hoc interea pando, eò quòd vos inauditam illam, ac contra Apostolicam doctrinam, & contra ecclesiasticam veritatem fuisse asseratis factam. Non aliam illam feci, quàm à vestra vivæ vocis doctrina faciendam didici, & vos ea quæ jure destruxistis, ab re ædificare non debetis. Immo & quam in Romana Sede Apostolica auctoritate cognovi præinditam, & de qua eandem mihi sedem declamo fore auctricem: cujus interest & de illa à me facta excommunicatione judicare, & de vestra resolutione decernere.

B Ad quæ rescribo. Majores ac Doctores nostri dixerunt quædam esse nomina quæ in femininum flecti non possunt, ut auctor, cursor. Et iste novus Doctor qui noviter adinvenit quid diceret de ipsa excommunicatione, Apostolicam Sedem se reclamat fore auctricem. Sed me auctorem non habebit, de eo quod super me dicit: quia non aliam illam excommunicationem in parochia sua fecit, quàm à mea vivæ vocis doctrina faciendam didicit. Et quod mox subsequitur, quoniam ea quæ jure destruxi, ab re ædificare non debeo, verum esse confirmo. Nam per evangelicam veritatem, & apostolicam, atque canonicam auctoritatem, necnon & per C Apostolicæ Sedis doctrinam atque decreta, suam perniciosam excommunicationem destruxi: quam ab re ædificare non debeo, nec volo, nec valeo.

In eo verò quod dicit, quia non aliam illam excommunicationem fecit, quam in Romana Sede, Apostolica auctoritate cognovit præinditam, id est antè inserram, antè impositam, antè immissam: nimis audacter posuit in cælum os suum. Et ideo non est mirum, si lingua ejus transivit in terram, ut de me peccatore diceret: Non aliam illam feci, quàm à vestra vivæ vocis doctrina faciendam didici. Sed sicut Apostolica D Sedes à nobis accusari non debet nec valet: ita excusatione nostræ humilitatis non indiget. Veruntamen quod non ab incertis relatoribus inde audivimus, cum venia ipsius sedis liberè dicere possumus. Audivimus namque, quia sanctæ memoriæ Nicolaus Papa, sanctâ Romanâ Ecclesiâ in afflictione positâ, auctoritate veteris & novi Testamenti, in jejunio, & fletu, ac planctu, in cinere, & cicilio, letanias indixerit. Sed à nullo audivimus, quia causa suarum injuriarum, & ipsius Sedis Apostolicæ, parvulos in discrimine mortis positos baptizari, & obeuntibus atque petentibus ultimam pœnitentiam, & viatici muneris communionem, & mortuis sepulturam negari præceperit. Et quòd de illa excommuni-E catione perniciosa quam fecit, eandem sibi sedem fere sermone vitioso, atque calumnioso dicit auctricem, non credimus. Absit enim ut, sicut hic frater Hincmarus in pernicioso scripto suo impropriè dicens declamat, suæ conligationibus impietatis Apostolica Sedes consentiat; minimè autem auctrix existat. Quæ per beatum Cælestinum universo mundo apostolicè intonat: Obsecrationum, inquiens, sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, & in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur: ut legem credendi, lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis

generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides. Et sic pro omnibus exorare Dominum, Catholicam Ecclesiam debere demonstrat, ut erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ; qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; & qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, & neminem vult perire. Absit, inquam, ut auctor sit sancta Sedes Apostolica istius pertinacis crudelitatis tantorum hominum, qui per baptismum, vel per sacerdotalis ministerii reconciliationem salvari, & per viatici muneris communionem ab æterno poterant liberari interitu morribus reo: quia non poterat fieri, ut in tam ampla parochia, sicut illa est quæ specialiter subjacet Lauduni municipio, per quinque circiter dies, quibus eo modo, sicut præmisi, fuerat conligata, quia eam antea metropolitanâ sollicitudine, evangelicâ, & apostolicâ, atque canonicâ, & Apostolicæ Sedis authoritate absolvere non concurri, plures sine baptismo & absque communionis gratia non obierent; de quibus quicumque salvati sunt, salvantis est donum; qui autem perierunt, perditoris & pereuntium fuit meritum.

Attamen licèt, velut sanctus Ambrosius in fidei devotione Valentiniani, & beatus Augustinus disputando demonstrat, ut sicut in illo latrone cum Domino crucifixo, & credente, & confitente, quod ei ex baptismi sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas: ita fortè parvulis quibus baptismum denegari jussit, parentum vel patronorum corde credentium, & etiam parvulis fideli confessionis verbo baptisma expetentium, sed non impetrantium fides, & fidelis postulatio prodesse potuerit: donante eo, cujus spiritus quo regeneratio fit, ubi vult spirat, & etiam ante baptismum se baptizandis infudit, sicut in sacra historia legitur. Similiter & de his qui ultimam pœnitentiam, & viatici muneris communionem petierunt, & impetrare pro sua interdictione non potuerunt, gratiâ ejus, cui ab omni fideli dicitur: *Gemitus meus à te non est absconditus.* Et quibus singulis Dominus dicit: *Mox ut ingemueris, salvus eris,* ad salutem prodesse valuerit. Ipse tamen de eorum perditione securus esse non potest, si aliqui sine eisdem sacramentis per suam jussionem abierunt, ut non districtè inde judicetur.

Et si vult dicere de excommunicatione Nortmanni, quam mendaciter per subreptionem à Sede Apostolica elicuit, suggerens Nortmannum res suæ Ecclesiæ invasisse, quas ipse, aut Regi, aut Nortmanno beneficiandas concessit, aut filio Nortmanni beneficiavit, sicut scripta sua demonstrant; respondendum ab eadem sancta & discretissima Sede credimus: *Fiat tibi secundùm fidem tuam:* Et, *ex verbis tuis condemnaberis.* Et quod beatus Augustinus in sermone 7. Evangelii Ioannis dicit; Iuris, inquiens, forensis est, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit. Dixisti enim quod voluisti: & cui dixisti, nescivit an verum sit. Dimisit te adversario tuo convincendum, ut si ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille, nisi præstare, nesciens an fueris mentitus, ibi careas beneficio rescripti, quo perduxisti rescriptum. Et hoc jus in corpore libri Theodosianæ legis haberi legimus. Cæterùm sicut de Deo omnipotente cùm omnia possit, scilicet quæ omnipotentiæ illius conveniunt, rectè dicit Apostolus, *Seipsum negare non potest:* ita & nos de illa sancta Sede dicimus, quia sibi ipsi, præsertim in tam manifestissimis & maximis causis, & humanæ redemptionis atque salutis singularibus præsidiis contraria nullo modo esse potest; & quæ secundùm evangelicam veritatem, & apostolicam traditionem, atque canonicam authoritatem per Siricium, Innocentium, Cælestinum, Leonem inrefragabiliter constituit, refragari à quoquam impunè nulla ratione dimittet. Cujus interest, sicut isdem frater Hincmarus scribit, de illa à se facta excommunicatione judicare, & de mea resolutione decernere.

Verumtamen sicut ex Concilii Sardicensis Canonibus sanctus Innocentius, Bonifacius & Leo promulgaverunt, priùs majores causas quæ ad statum ecclesiarum & ad concordiã pertinent Sacerdotum, apud nos, sub timore Domini convenit ventilari, & de cõponendis quæ fortè nostro nequiverint sopiri judicio, & de judicio nostro compositis post judicium oporter ad Sedem Apostolicam plenam rationem transmitti, ut ea quæ juxta ecclesiasticum morem justè & rationabiliter apud nos fuerint diffinita, ipsius Apostolicæ Sedis sententiã roborentur. Sic enim & sanctus Ambrosius scribens ad Theophilum Alexandrinum Episcopum sacras leges & Canones, ut post judicium ad Sedem Apostolicam relatio referatur, & qui legaliter evocatus, judicio adesse neglexerit, dilationem sententiæ proferendæ, sicut in contumacem, de absentia non lucretur se intellexisse demonstrat, dicens: Cùm sancta Synodus cognitionis jus unanimitati tuæ, cęterisque ex Ægypto Consacerdotibus nostris commiserit, iterùm oportet fratrem nostrum Flavianum convenias, ut si in eo perseveraverit, quò veniendum non putet, salvis Concilii Nicæni, etiam Synodi Capuensis statutis, inlibata pace universorum ita consulas, ut non videamur destruere quod ædificatum est. Si enim quod ædificavi destruo, prævaricatorem me ipse constituo: ac si quæ destruxi, iterum ædificem. Servetur ergo impertitæ pacis gratia inter universos, & nihilominus declinatio partis alterius frustrandi effectum habere non possit. Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum quæ etiam illi displicere non queant. Ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat, ut nos quoque acceptâ vestrorum serie statutorum, cù m id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.

CAPVT XXIX.

Quòd similem excommunicationem ab ipso Remensi factam esse falsò criminatur.

DE hac etiam excommunicatione mihi in Gundulfivilla per venerabilem quondam Archiepiscopum Vvenilonem mihi mandavit, sicut domnus Adventius, & cęteri qui adfuerunt Episcopi, sciunt, quia quod de illa excommunicatione fecit, egò illi insinuavi, dicens se habere

habere quandam villam in mea parochia, & quia homines ejusdem villæ rogavit, ad illam Ecclesiam dare illotum decimam, ad quam eam dare debebant, excommunicaverim illos: & habebat inbreviatos, quot infantes sine baptismate, & quot homines sine communione inde obierint: quæ mihi in publicū objicere nollet, ne postea illi improperarem. Quòd si alia mala de me sciret, illa etiam diceret. Vnde illi statim per eundem Vvenilonem remandavi, quià & inde, & de quibuscumque vellet, quæ illi viderentur, objiceret. Sed de hac causa verum non diceret, & contra Canones se confitebatur egisse, qui me postposito ordinationem decimæ in mea parochia usurpavit.

Et postea inde illi scripto respondi, cujus exemplar hîc habeo: in quo continetur, tria me considerasse in hoc quod dixit, me illi insinuasse quod de illa excommunicatione fecit. Primum quidem, quoniam si ratio inter illum & clericos Laudunensis Ecclesiæ agitanda foret, de petitione ex causis in eo continentibus ab eisdem mihi porrecta, utrùm esset, an non veritate subnixa, nullam quęstionem deberet recipere, postquam suæ confessionis attestatione firmatur. Aliud verò, quia silentio suppressis bonis quæ illi insinuavi, atque insinuari feci, imputando mihi quod malè illi de hac excommunicatione quam perpetravit, insinuaverim, reum se confessus est, quia scienter malè fecit. Ac per hoc, secundùm decreta beati Hilari Papæ suum contra regulas factum deberet ipse dissolvere. Quòd si nollet, per sententias Canonum, & Apostolicæ Sedis decreta, quæ nulla possunt ratione convelli, auctoritas metropolitana illud deberet annihilare. Tertium, quia ut secum me posset inlaqueare, si fortè, ut assolet improvisæ menti accidere, illi statim hæc falsa de me rejiciendo imparatus, & irâ commotus non responderem, & se jactare valeret, me in aliquo inde concredidisse, voluntariè sibi de tali confessione laqueum studuit injicere. Et pro bonis mala retribuens, non ut quondam proditorum primicerius simulando pacem osculo, quam non habebat in pectore, sed exerto linguæ gladio, me apertè ac impudenter decrevit impetere: & quasi me qualicumque patrono, ac benefactore, atque ordinatore suo tradito, talis confessionis de tantis impietatibus laqueo se suspendere. Sed benedictus Dominus, qui secundùm promissionem suam qua dixit, *à flagello linguæ absconderis*, liberando animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa, adjuvit me, & consolatus est me: mox telum falsitatis, scuto veritatis respondendo rejeci.

Quæ animi dolore compunctus, non animi livore stimulatus, dixi, sciens Capiti ac Salvatori nostro mendaciter multa fuisse objecta: sed & productos adversùs eum falsos testes fuisse. Nam & Romanæ Sedis Pontificibus Damaso, Sixto, & Leone III. verùm & aliarum insignium ecclesiarum Pontificibus, Athanasio scilicet, Alexandrino, Ioanni Constantinopolitano, Cæciliano Carthaginensi, sanctitate fidei & operationis atque scientiæ doctrinâ pręclaris: necnon & quamplurimis aliis venerandis Episcopis, ab hominibus invidis, & eorum locum, ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus, sed non habere meritum illorum studentibus, mortalia & nefaria crimina falsò impacta, & usque ad ecclesiastica judicia, & cogni-

A tionem publicam fuisse perducta legimus. Sunt enim hujusmodi vipereæ nequitiæ homines, qui licèt priùs eorum mentes propria rodat invidia, in hoc tamen suas tegere posse iniquitates putant, si alios infamiâ modo quolibet maculare curaverint: quorum criminationes iidem viri sancti patientissimè toleraverunt, & constantissimè, adjuvante Domino, revicerunt. Et horum, sicut scriptum est, intuens exitum, conversationis fidem mihi necesse est imitari: & ita compertus, & de illo in me prorsus expertus, quia phreneticus sępe nulli majorem alapam dare solet, quàm ipsi medico, qui eum curare volet. Sed & multùm me miratum scripsi illi, ubi sensum suum habuit, quando de me tantæ au-

B ctoritatis, & sapientiæ, atque religionis viro, sicut domnus erat Vvenilo, dixit, & ad plurimorum Episcoporum notitiam pervenire fecit, quod si in judicio regulari dixisset, probare non posset: prҫsertim se reum de hoc ipso confessus, & confitendo se talia egisse, quæ etsi non confiteretur perpetrasse, negare non posset, seipsum inlaqueasse videre non potuit. Et quia mendacium erat quod dixit, me excommunicasse homines villæ de ipsa rusticana parochia, & infantes sine baptismate, & homines sine communione in ea excommunicatione inde obiisse, mox illi remandavi, quoniam nulli unquam in mea parochia postquam fui ordinatus Episcopus, baptismum, vel viatici muneris communio, à

C me, vel à quoquam comministro meo denegata fuere: sicut omnes in parochia mea tam ecclesiastici, quàm & seculares, tam viri quàm & feminæ sciunt.

CAPVT XXX.

Quòd postulavit, ut avunculus sua adversùs ipsum scripta igni absumeret. Iterum de superiore calumnia, propter quam non debet ad accusationem admitti.

MAndavit etiam mihi per prҫfatum venerabilem quondam Archiepiscopū Vvenilonem, ut si scripta quæ illi & Ecclesiæ sibi commissæ, de excommunicatione qua agitur ab eo

D intentata suæ parochiæ, transmisi, quęque ibi secum habebat, coram aliis incenderem, & annullanda dicerem, meque contra rationem & auctoritatem fecisse profiterer, mecum pacem habere vellet. Vnde illi pro tempore, cum aliis quæ mihi occurrerunt, per eundem Archiepiscopum, & Adventium gloriosum Episcopum remandavi. Et postea illa ipsa, & alia, scriptis, quorum hîc habeo exemplaria, inculcavi, quoniam in quocumque conventu me adire, mihique pacis osculum, sicut & domnus Rex, & Episcopi, ac cęteri illustres ac mediocres qui conveniebant, dare nolebat, nec etiam ullo verbo

E me alloqui dignabatur, de quibus hîc quędam studui replicare. Scripsi nempe inter cętera illi, quomodo ei in sensum suum venire potuerit, ut talia mihi mandaret. Nam diabolus loquens ad primos parentes nostros, sed & ad Redemptorem ac Salvatorem nostrum, non ex dejectione, sed ex provectu, & ex sublimitatis avaritia eos temptavit. Isdem autem supergressus, si dici fas est, diaboli malignitatem, oblitus scriptum esse quòd *malignitates exterminabuntur*, me stultissimè ex dejectione temptavit: sciens quia quæ illi & Ecclesiæ sibi commissæ in eisdem scriptis

scriptis direxi, de evangelica veritate, & apostolica atque prophetica, necnon & canonica authoritate, sed & de Apostolicæ Sedis constitutione, sicut acceperat eadem sancta Sedes, beatissimorum Apostolorum traditione constaret esse conscripta. Et sanctarum Scripturarum traditores & incensores inter sacrilegos legimus computatos. Si ergo illa quæ de Evangelio, & Apostolis, atque Prophetis, necnon & de sacris regulis Spiritu Dei conditis, sine admixtione alicujus hęreseos, vel schismatis, conscripsi, videlicet mensuram tritici à comburendis paleis & zizania puri, revera de horreo dominico in tempore illi ac Ecclesiæ sibi commissæ, & sollicitudini meæ subjectæ prolata incenderem, & vera negarem: sine dubio Christum, qui in eis prænuntiatus & ostensus est, & per quæ Christum cognovimus, quique illa locutus est, me nosse, & in eum credere, ac per hoc me Christianum negarem. Et si sacros Canones, & decreta Catholicæ Ecclesiæ incenderem, & abdicarem: me proculdubio ab Episcopatu non solùm ipse dejicerem, verùm & ab Ecclesia Catholica divisum & alienum, id est schismaticum & anathematizatum, publicis & ecclesiasticis legibus efficerem. Sicut sanctus Leo Papa scribens ad Leonem Augustum etiam de se dicit: Si secundùm Apostolum, inquit, quæ destruxi, hęc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me conditionum ultionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ Principis Marciani, sed etiam ego mea consensione firmavi.

Quapropter, etsi me infirmum ac fragilem, atque imbecillem, ut revera sum, adeò æstimavit, ut minis vel promissionum blanditiis ad hęc agenda trahi vel invitari valerem: non tamen Episcopus dubitare debuerat, verum esse quod ab eo qui perficit in infirmitate virtutem, ore veridico promittitur: Dominus, inquit, dabit virtutem multam evangelizantibus verbum: & Episcopus mihi qualicunque Episcopo mortiferum ad bibendum non debuerat propinare, scilicet ut eloquia sacra, gratiâ sui incenderem. Et licèt hinc me Deus gratiâ suâ servaverit, qui in se credentibus repromisit, dicens: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Dum pestiferas, inquit beatus Gregorius, suasiones audiunt, & tamen ad operationem pravam minimè pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt; sed non eis nocebit. Ipse tamen nisi pœnituerit ex hac perniciosissima suasione, studii sui luet judicium. Tardiùs, inquit beatus Gregorius, peccatum solvitur, quod & per consilium solidatur. Nisi enim mens omnimodo æterna despiceret, in culpa ex judicio non periret.

Et quia dicit Apostolus: Avaritia, quæ est idolorum servitus: Et beatus Gregorius, ex provectu avaritiæ primos parentes nostros tentatos & superatos demonstrat, ostendens avaritiam, non solùm pecuniæ, sed etiam altitudinis esse: & quia rectè avaritia dicitur, cùm super modum sublimitas ambitur: scripsi ei ex verbis beati Augustini de Scripturæ sacræ authoritate dicentis contra Donatistas schismaticos, qui se sine causa à compage unitatis Catholicæ separaverunt, dicentes quod probare non potuerunt, Cęcilianum à traditoribus sacrarum Scripturarum fuisse ordinatum; ut cognosceret quàm grave peccatũ sit idololatria, quod ex ambitu altitudinis admisisse videtur, dum nulli subjectus esse velit, qui cunctis pręesse non valet. Et quia gravius est peccatum incensio divinorum eloquiorum, ad quod me traducere voluit: & quoniam gravissimum sit peccatum schisma, quo se à fraterna nostra unanimitate per suam perniciosam subscriptionem separavit; sicut scripto ostendi in libello suo monstruoso à se, & à clericis suæ parochiæ subscripto: ubi quibusdam subscriptis quæ evangelicæ veritati, apostolicæ auctoritati, & decretis sanctorum Conciliorum, quæ universalis Ecclesiæ probavit adsensus, & Apostolicæ Sedis confirmavit authoritas, inveniuntur adversa. Ait enim beatus Augustinus loquens ad Donatistas de his tribus capitulis: [Non afferamus, inquit, stateram dolosam, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro, dicentes: Hoc grave, hoc leve est. Sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris divinis, & in illa quid sit gravius, appendamus: imò non appendamus, sed à Domino appendente recognoscamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, & idolum fabricatum, atque adoratum est, & propheticus liber irâ Regis contemptoris incensus, & schisma adtemptatum, idololatria gladio punita est, exustio libri, bellica cęde, & peregrina captivitate; schisma, hiatu terræ sepultis auctoribus vivis, & cęteris cęlesti igne consumptis: quis jam dubitaverit hoc esse sceleratiùs commissum, quod est graviùs vindicatum?]

Sed quia illi non suffecit me calumniari, quòd tam nefariam & exitiabilem excommunicationem illi agendam exemplo docuerim, nisi etiam nunc me scripto calumniaretur, non aliam illam excommunicationem se fecisse, quàm à mea vivæ vocis doctrina faciendam didicerit: respondendum mihi contra mendacem illius calumniationem ex sacris auctoritatibus necessarium video, ne quasi tacendo consentiens, reus pariter cum illo dijudicer. Sicut in petitione, quam clerici Laudunensis Ecclesiæ mihi dederunt, continetur; & sicut in Synodo coram illo apud Attiniacum habita, demonstravi: omnes Sacerdotes totius parochiæ suæ conligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tandiu uteretur, usquedum ille ipse iterum cum eis viva voce loqueretur, aut litteræ à Sede beati Petri Apostoli eis mitterentur: & ne baptizarent pueros, ne visitarent infirmos, ne reconciliarent cum viatico munere pœnitentiam petentes, ne sepelirent mortuos, penitus ab his omnes eos prohibuit. Et in sua rotula mihi scripsit, non aliam illam fecisse, quàm à mea vivæ vocis doctrina faciendam didicit. Quod mendacium esse profiteor. Et quia manifestum est, eum illas conligationes impietatis admisisse: quæ si crimina esse possunt, sicut sanctus Gregorius esse ostendit, criminaliter illas admisit; ostendendum est ex sacris authoritatibus, si criminosus alium criminari, & reum criminis facere possit. Sacræ quippe leges, quas Ecclesia Catholica recipit, dicunt, quia jure & legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est. Et item: Non credendum est contra alios eorum confessioni, qui in criminibus accusantur, nisi se priùs probaverint innocentes: quia periculosa est, & admitti non debet rei adversùs quemcumque professio. Et sacri Canones dicunt, ut ad accusationem non admittantur

tur, quos ad accusanda publica crimina, leges publicæ non admittunt. Et quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis de quo priùs egerint, probare non valuerint, ad cętera non admittantur. Et item sacræ leges Theodosianæ dicunt. [Si Episcopus, vel Presbyter, Diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis ministri, apud Episcopos, siquidem alibi non oportet, à qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis atripuerit, noverit docenda documentis se debere inferre. Si quis ergo contra hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturæ famæ propriæ subjacere: ut damno pudoris, existimationisque dispendio discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari, saltem dicere non licere.] Et Africanum dicit Concilium: Omnes infamiæ maculis adspersos, ad accusationem non admitti, nisi in causis propriis. Et de Episcopo qui Donatistis se communicasse mentitus fuerit, idem decrevit Concilium, ut si probatum fuerit eum de communione illorum fuisse mentitum, dicendo eis se communicasse, quos eo sciente non communicasse constiterit, etiam Episcopatum amittat.

Vnde vestra fraternitas inter me & illum discernat, atque decernat, ut si ego, licèt mendaciter me talia illum docuisse, vel hortatum fuisse, sicut ipse dicit, confiterer, reus criminis Episcopatum deberem amittere: quod ille mereatur, qui mendaciter me calumniatur, non solùm participem, verum & auctorem in impiis suis excommunicationibus esse. Vnde etiam antiquorum Patrum Canones sanxerunt, scribentes ad Episcopos per Gallias, & quascumque provincias constitutos hoc modo. [Nec illud fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis, quicumque sub ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submovendos: reos scilicet, vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolvi potest, qui in seipso dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit.] Quod enim in hac sententia Canonum dicitur, quicumque sub ordinatione, vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollutos à supradictis ordinationibus submovendos. Nemo sanum sapiens hęc de sola luxuria, & immunditia, vel pollutione carnis dictum intelligit, cùm scriptum sit, *Dispersit superbos mente cordis sui. Deus qui superbis resistit.* Et in Evangelio dicit; *Quæ de corde exeunt, hæc coinquinant hominem.* Et sanctus Gregorius dicit, quia per humilitatis custodiam servanda semper est munditia castitatis. Et item dicit, quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere, quam in cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare; neque enim Rex Babyloniæ tunc reus de elatione extitit cùm ad elationis verba pervenit. Quippe qui ore prophetico & antè, cùm ab elatione tacuit, sententiam exprobrationis audivit. Nam districtus judex priùs invisibiliter vidit, quod post publicè feriendo reprehendit. Vnde & in irrationabile hunc animal vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis, mutata mente conjunxit, ut districto videlicet, justoque judicio, homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines æstimasset. Et item Scriptura dicit: Initium omnis peccati superbia, quæ mater est inobedientiæ & regina omnium vitiorum, quâ de cęlo cecidit Archangelus, & factus est diabolus, *Qui est Rex super universos filios superbia.* Mortale igitur peccatum esse superbiam, nemo qui nesciat. Sed & inobedientiam, propterquam homo ejectus est de Paradiso, & de qua hic frater arguitur, omnes mortale peccatum novimus. De qua etiam Scriptura dicit: *Quasi peccatum ariolandi est, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.* Vnde sanctus Gregorius: Sola est, inquit, quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur.

CAPVT XXXI.

Quòd excommunicationem à se factam frustrà excusare conatur.

Et frater Hincmarus excommunicationem de qua agitur, se egisse in suis rotulis confitetur. Quam mortalem fuisse, & in plurimorum perditionem, in nullius autem salvationem à se absque ulla discretione intentatam, denegare non potest. De qua satis egit, ut se valeret contegere tam de Apostolicæ Sedis calumnia, dicendo ab eadem sancta Sede illam excommunicationem prędictam, & sibi fore auctricem: quam & dicendo super me falsa: Quasi ego illi & exemplo faciendam ostenderim, & verbo agendam docuerim. Quatenus exitiabiliter egisse à me non posset redargui. Sed quo fructu, ac cujus mercedis intuitu illam fecerit, in rotula per Clarentium mihi directa, manifestè denudat, dicens, ad excusandas excusationes in peccatis, ut impleat peccata sua semper. Docet quidem Papa Alexander in fine suæ epistolæ, quod non tantùm adtendenda sunt quæ fiunt, quantùm, quo animo fiunt. Nempe cum hoc examussim tam in vobis, quam in me fuerit perscrutatum, patebit illico inde æquitatis emolumentum. Et quæ sequuntur usquè ad hanc sententiam: Quod non me, pro me dicere reamini quasi propria instigatum injuria. Quia, Deo teste, pro cavendo potiùs ecclesiastici ordinis detrimento, vobis scribo uti scriptum est: *Nolite locum facere diabolo.*

Quibus verbis apertè ostendit, se sustinere non velle, ut auctoritas Metropolitano, secundùm regulas, excessus illius corrigendi ullam habeat potestatem, & quem violatorem Apostolicæ Sedis decreta, & delinquentem contra omnes leges, tam divinas quàm humanas significet, qui legit, vel audit, intelligat: Et cui Væ propheticum imminere ea docenti, per quæ hæc fieri quoquomodo à quibuscumque prę sumantur: & quem in ipso sacro-sanctam Religionem prę varicatum fuisse, convictum dicat, apertè in capite superiori demonstravit, in quo me suum traditorem vocavit. Verba quoque sancti Alexandri corruptè interpretatus est. Vbi enim idem Sanctus dicit: Non tantùm adtendenda sunt quæ fiunt, quantùm quo animo fiant. Paulò pòst subsequitur, inquiens: Vnde & illud est, quod Dominus ad munera Abel respexit, & non ad Caïn. Quia magis intendit ad offerentis animum, quàm ad ea quæ offeruntur.

Hinc

Hinc beatus Gregorius: [Ab omnipotente Deo munus non accipitur, quod corde obligato in malitia offertur: quia omne quod Deo datur, ex dantis mente pensatur, quia in his quoquo animo gerantur, ignoratur à proximis. Apud Deum igitur bona vera commendat intentio pura: quoniam non est arbor mala faciens fructum bonum. Arbor namque homo, fructus autem opera sunt ipsius.] In apertis autem malis non est necesse intentionem requirere cordis: quia non est arbor bona, quæ facit fructus malos. Dicit enim Apostolus: *Manifesta autem sunt opera carnis*: post quorum enumerationem subdit fructus spiritus. Inconvenientem ergo interpretationem præcepti Domini ad primos parentes nostros, non humilitatem quacumque simulatione conlectam, sed nudam superbiam frater Hincmarus se excusando de sua perniciosa excommunicatione ostendit, quia, ut dicit B. Gregorius: Veræ humilitatis testimonia sunt, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. At, contrà usitatum humani generis vitium est, & labendo peccatum committere, & commissum negando defendere, & convictum defendendo multiplicare.

Similiter & Apostoli sententiam ad suum sensum violenter inflectens dicit: Lex propter transgressores posita est. Quæ juxta ipsius sensum ad quem illam retorsit, ita exponi potest, ac si diceret. Transgressus sine timore legem, contra legem, excommunicationis posui legem, quam Rex timeret, & me contingere non auderet; & prędicans non furandum, furari non timui; & abominans idola, sacrilegium feci. Deinde ponens Gregorii verba dicentis: Qui non corrigit resecanda, committit. Ac si patenter diceret: In me resecanda, in multos excommunicando commisi, ut hoc facto nemo in me resecanda auderet corrigere. Demum subsequitur: Deo teste, pro cavendo potiùs ecclesiastici ordinis detrimento vobis scribo. Quibus verbis evidenter ostendit, qua intentione illam excommunicationem fecerit: videlicet suæ irrationabilitatis castigationem, vocans ecclesiastici ordinis detrimentum, ut Rex illam excommunicationem pertimesceret, & illum rebellantem contra se contingere non auderet: & ipse, qui pro Dei timore se non cohibebat, nec distringi à quoquam hominum revereretur, & propriæ voluntatis motus ut libenter, ita etiam exequi posset licenter. Tandem addidit: Pro cavendo ecclesiastici ordinis detrimento vobis scribo. ut scriptum est: Nolite locum date diabolo. Quod Apostoli testimonium, dum non apostolico, sed apostatico sensu in alium jaculare voluit, in seipsum retorsit. Sicut ipse Apostolus ad Ephesios apertè demonstrat, dicens: *Irascimini & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo.* Per iram, inquit Gregorius, lux veritatis amittitur, quia cùm menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Ipse ergo in se locum diabolo principi tenebrarum, id est, iniquitatum, donavit, qui radium cognitionis Dei, quæ lux est, per iracundiam menti suæ confusionis tenebras incussit, ut videre non posset, quàm magnum malum in sua perniciosa excommunicatione, de qua se excusando accusat, perpetrare non metuit: ille ecclesiasticas, immo divinas leges transgressus est, & locum diabolo dedit, ut sine baptismo & communione mortuos homines raperet; ne locum contingendi eum contra suam voluntatem quis habere auderet. Verumtamen secundùm suam intelligentiam, eandem Apostoli sententiam adulterino sensu hîc posuit: qua de causa in Synodis plures fuisse damnati leguntur.

CAPUT XXXII.

Refertur magna pars epistolæ Hincmari Laudunensis de subscriptione quam fecit in Synodo apud Attiniacum.

ET in rotula quam mihi 16. Kal. Iulias misit, ita scribit: [Quia me sępe de subscriptione redarguitis, quam in eadem Synodo (scilicet apud Attiniacum habita) primò violenter per regiam potestatem, & posteà fraudulenter à me extorsistis, compendiosè aliqua nunc respondebo, plura, si necesse fuerit, suo reservans in tempore. Nam sicut jam vobis rescripsi, ad illam Synodum pro responsione ad litteras domni apostolici me vocastis; ad quam veniens, non illam me introire permisistis, sed extra fores, ut privilegio vestræ sedis subscriberem, mandastis. Et ego respondi, quia nunquam contra privilegium vestrum fecissem: unde nec necessitas, nec ratio erat, ut à me illam subscriptionem requireretis. Dum verò ex hoc magis ac magis in crastinum fatigarer, reclamavi me per epistolam Papæ Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum directam, qui ait ad locum: non enim necessarium fuerat, ut obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso jam voluntarii adventus probabat officio. Deinde cùm nec hoc adjuvaret, proclamavi per libellum, de quo superiùs memoravi, legens capitulum istud. Quotiescumque Episcopi se à suis Comprovincialibus, vel à Metropolitano putaverint pręgravati, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent Sedem: & sic usque ad finem capitis percurri, quod & superiùs integrum descripsi. Legi etiam meæ vocationis à domno Apostolico litteras. Quod neutrum mihi profuit. Me autem hęc agente, domnus Rex vestra factione instigatus, qui priori die dixerat, si mihi nihil ex sua parte discredere minatus est, quia tantùm me, meosque oneraret, quantùm plus valeret, nisi illam subscriptionem facerem. De me autem mihi parum erat. Videns autem, quia mei homines cogerentur revadiare, quòd me in villam Pauliacum sequuti fuerant, cùm jam domum cum Harduico Archiepiscopo iturus essem, accessit Frotarius Archiepiscopus ad me alloquens, cur non acquiescerem ut subscriberem, quia nihil mihi periculi erat: cui respondi, quia aliter hoc non facerem, nisi & vos debito Ecclesiæ meæ privilegio mihi subscriberetis servando, uti Concilium Antiochenum constituit, ne demum mihi, quasi pro occasione hujus subscriptionis, aliquod prejudicium niteremini inferre. Qui respondit: Certè hoc ille nullatenus tibi contradicet. Et spopondi eo tenore mihi hoc esse facturum. Et petii mihi ipsam subscriptionem ostendi. Quam dum mihi ostenderetis, quędam quibus non acquievi, deleta sunt, & quędam addita: videlicet ut ibi haberetur secundùm decreta Sedis Apostolicæ. Est autem ipsa subscriptio talis: Ego Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus amodò & deinceps domno seniori

niori Karolo Regi sic fidelis & obediens secundùm ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, & Episcopus per rectum Regi suo esse debet. Ac privilegio Hincmari Metropolitani provinciæ Remorum Ecclesiæ secundùm sacros Canones & decreta Sedis Apostolicæ, ex sacris Canonibus promulgata, pro scire & posse me obediturum profiteor. Quam mecum deferens domum, hanc mihi à vobis scribendam dictavi. Et ego Hincmarus Remorum Archiepiscopus, tibi Hincmaro Laudunensis Ecclesiæ Episcopo, tuum debitum, sacris præcipientibus Canonibus privilegium conservabo, & in quibuscumque Ecclesiasticis negotiis indigneris, secundùm sacras regulas, debitum tibi jure adjutorium Archiepiscopali auctoritate adhibebo. Hanc autem vobis per Fredericum Harduiei Archiepiscopi Presbyterum misi, & remandastis mihi per eundem, quia voluntariè illud faciebatis: & sic in Synodo relegi, & subscripsi. Vos autem penitus subscriptionem, quam promiseratis, dimisistis: sed verbis fuistis professi quòd in quibuscumque me justè & rationabiliter posseris secundùm ministerium vestrum adjuvare, fecisseris. Ego autem nunquam contra privilegium Sedis vestræ quicquam egi, neque contra ullius Episcopi privilegium, Deo propitiante, acturus ero.

Contra quæ scriptum est: Filius stultus dicit se esse justum, sed exitum suum non abluit. Et aliis interpositis ad hanc suam subscriptionem resilivit, dicens: Ac si etiam in subscriptione illa aliquid haberetur, quod fortè intolerabile foret, beatus Papa Alexander, quintus post Principem Apostolorum Petrum, mihi manum porrigeret, qui suis ita inquit decretis, ad locum. Similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ, aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium, aut nocumentum, provenire censemus: neque ullam eos infamiam, vel calumniam, aut à suis sequestrationem bonis, unquam auctore Domino, & sanctis Apostolis, eorumque successoribus sustinere permittemus. Confessio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso adtestante qui ait: ***Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, & cætera, quæ sunt ad hæc pertinentia. Nec tantùm adtendenda sunt quæ fiunt, quantùm quo animo fiant.*** Si non sunt tantùm adtendenda quæ fiunt, quantùm quo animo fiunt: quo animo ego illud fecerim, neque parùm sciens potui ignorare: qui etiam multò plura tunc essem facturus, ut meos qui innoxii erant, & causâ mei opprimebantur, possem liberare.

Et ne solus hîc sanctus Papa Alexander hæc decrevisse putetur: quid B. Gregorius, quem venerabiliter suscipitis, de hoc sentiat, apparet, ad Constantium Mediolanensem Episcopum de Pompeio Episcopo scribens ita. Nunc igitur, quoniam illa quæ contra eum dicta sunt, & gesta quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem ejus probantur, posse sufficere. Non levis res igitur incautè vel in transcursu non debet diffiniri. Nam grave est satis & indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc gesta quidem poterant ad diffiniendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur: si tamen eandem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret: quæ frequenter hoc agit, ut noxios se fateri etiam cogantur innoxii. Nam postquam præfatus Episcopus, ut dicitur, cruciari, cremarique fame se asseruit, scire debemus, si ita est, utrùm noceat, si sic fuerit extorta confessio. Certe si non nocet extorta confessio, non nocet extorta subscriptio.

CAPVT XXXIII.

Hincmarus Archiepiscopus superiores objectiones vera rerum gestarum narratione dissolvit.

CVIVS verba sigillatim recenseamus. Dicit in eadem Synodo, primò violenter per regiam potestatem, & posteà fraudulenter à me fuisse ab illo ipsam suscriptionem extortam. Domnus Rex, Deo gratias, & ætatem, & sapientiam, & virtutem, & locum pro se respondendi habet, & de hoc facto plures habet & Archiepiscopos, & Episcopos veridicos testes.

Quòd dicit posteà, illam à me fuisse ab eo fraudulenter extortam, non est verum. Nam soluta Synodo illa die, in crastinum convenienda, postquam domnus Rex ab ea domo abscesserat, & quidam Episcopi in eadem domo, sicut cuique convenit, cum suo fratre loquebatur; & ego juxta quandam fenestram stans, cum fratre Odone loquebar, venit ad me Frotarius Archiepiscopus, & Æneas Episcopus, & dixerunt mihi coram Odone, quia frater Hincmarus vellet professionis libello subscribere, & de domni Regis obedientia: & essemus inter nos pacifici sicut pater & filius, ac Archiepiscopus & Episcopus esse debent. Quod ego gratanter recepi, & ab alia fenestra, juxta quam stabat Hincmarus cum aliis Episcopis, adduxerunt eum ad me: & ipse Hincmarus petiit, ut liceret illi loqui solo mecum solo. Et secessi cum eo juxta parietem domus; & dixit mihi, quòd pro me nihil dubitaret in illa subscriptione; sed pro eo qui post me erit in illa sede Metropoli. Et ego ei respondi ut ille ipse libellum dictaret sicut vellet, & petiit ut ego illum dictarem. Et reversi sumus simul ad fenestram, juxta quam Æneas & Odo stabant: & dixi Odoni ut acciperet suas tabulas, & exciperet in illis libellum, cui Hincmarus deberet subscribere. Et excepit Odo, sicut tunc semel dictavimus. Et dixi illi, ut quidquid ibi vellet aut mutare aut subtrahere, aut addere, faceret: sicut & factum est. Et dixi ego Odoni, ut in crastinum illum apportaret scriptum, & in Synodo ei Hincmarus subscriberet. Hincmarus autem respondit, quia febris illum tangebat, & statim se inde vellet deliberare, ut sanguinem posset minuere. Ego autem jussi Odonẽ ire ad Cancellarium Regis, & accipere ab eo pergamenum, & attramentarium, & scriberet illum citò. Intereà dixi Æneæ, cui tunc auscultabat Hincmarus, quòd meliùs esset ut in crastina expectaret: & persuadente Ænea adquievit ita Hincmarus. Et in crastina veniens in Synodo professus est secundùm quod in illo libello cõtinetur. Et porrigente sibi Odone pennam, coram omnibus, sicut tunc paruit, eidem libello sponte subscripsit, & Regi mihi manu sua porrexit. Et tunc domnus Rex pacem illi dedit: & ego post illum. In crastino autem antequam in domum intrarem, in quam Episcopi

pi convenire debebant: Harduicus Episcopus in alia domo mecum loquens secretissimè dixit mihi, quod Hincmarus mihi mittebat unum parvulùm scriptum, petens ut ei subscriberem: & occultè illum mihi dedit. Ego autem illum suscepi, & in sinum meum misi: quem posteà non legi, antequam in via essem qua ad mansionem meam redibam. Et coram Odulfo Episcopo qui mecum ibat, primùm idem scriptum relegi: posteà nec Hincmarus, nec aliquis alius inde mecum rationem habuit. Verùm & Fredericus Presbyter Harduici, unquam de illo libello mecum ullam rationem non habuit. Et per talem fraudem, sicut auditis, eandem subscriptionem ab eo extorsi.

Quòd dicit illam professionem, antequam ei subscriberet, suam domum portasse, non est verum; quia postquam Odo Episcopus eam in tabulis suis excepit, scriptam Hincmarus illam non vidit, usquequo 16. Kal. Iul. 3. indictionis eidem professioni in Synodo coram omnibus qui adfuerunt Episcopis, & coram domno Rege subscripsit: & domno Regi, ac mihi porrexit, & ei in Synodo exemplar illius donavi. In crastino autem, id est 15. Kal. Iulias domnus Harduicus Archiepiscopus, tali modo sicut præmisi, libellum ab eo mihi directum dedit. Et nihil posteà, quandiu in Attiniaco fuimus, inde Hincmarus vel verbo, vel scripto quiddam mihi dixit. Qui etiamsi mihi aliquid inde dixisset, responderem illi ex Iacobo: Petis, & non accipis, eò quòd malè petis. Quia injustum atque irrationabile est, ut Archiepiscopus à sacris Canonibus exorbitans excedenti Episcopo suffraganeo, & à se ordinato, professionis ac subscriptionis suæ libello satisfaciat. Sicut enim secundùm Scripturam minor à majore benedicitur: ita prorsus minor à majore, & non major à minore judicatur, ligatur, & soluitur: sicut & in decretis B. Gelasii demonstratur.

De eo quod subsequitur: Nam sicut jam vobis rescripsi, ad illam Synodum pro responsione ad litteras domni Apostolici me vocastis: ad quam veniens, non illam me intrare permisistis; sed extra fores, ut privilegio vestræ Sedis subscriberē, mandastis. Dicat, per quem hoc illi extra fores mandavi, & ostendat quomodo verum esse possit, quoniam ad Synodum veniens, non illum eam ego intrare permiserim. Nam postquam ad Attiniacum venit, quandocumque in Synodo fuimus, & ipse interfuit: & coram illo in Synodo ea quæ semel & secundò pro dissolvendis ipsius impiis conligationibus ad eum ex Evangelica veritate, & Apostolica atque Canonica auctoritate, & ex decretis Apostolicæ Sedis decreveram, relecta fuerunt. Et in Synodo coram illo, omnibus audientibus, Otulfus Episcopus dixit, eum sæpe dicere, sicut & alii cum eo audiebant Episcopi, quòd plenam buccam de aqua non valerent illa quæ legebantur.

Quod dicit se respondisse, quia nunquam contra privilegium meum, quod in Metropolis civitatis dignitate accepi, fecisset: vos judicate, si contra privilegium Metropolitanum in his quæ audistis quoquo modo fecerit.

Quòd dicit se Sedem Apostolicam appellasse: dicat quis ei contradixit ut suam appellationem non prosequeretur.

Quòd dicit, quia domnus Rex mea factione instigatus, qui priori die dixerat, se nihil illi ex sua parte discredere, & posteà illum minatus est: domni Regis responsio valebit sufficere.

Quòd dicit, quia sui homines cogerentur reuvadiare, quòd illum in villam Pauliacum sequuti fuerant: si reuvadiabant, quia inrationabiliter eum in Pauliacum sequuti erant, negare non potest se esse auctorem ipsius inrationabilitatis.

Quòd dicit, si etiam in subscriptione illa haberetur aliquid, quod fortè intolerabile foret beatus Papa Alexander illi manum porrigeret, Videamus quomodo illi conveniat, & manum illi porrigat, quod S. Alexander decrevit. Ait enim in epistola omnibus orthodoxis per diversas provincias Domino famulantibus: Est etiam & hoc ad sanctam perlatum Sedem quod pudet dicere, & non solùm Sacerdotali, sed etiam omni Christiani nomini est inimicum. Id est, quòd nonnullos Episcopos aut Sacerdotes aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, aliquos confessionis suæ in alteram partem quàm debeant, aut pro suarum non requisitione rerum, aut quod deterius est, alieni erroris sectas, scripturas facere, & propriis manibus roborare, & coram populis recitare atque confiteri. Aliquos dicunt carceribus & ergastulis recludi, ut saltem his territi insidiis devient Domini Sacerdotes, & suis faveant voluntatibus. Et plurimis Capitulis interpositis iterum hinc dicit ad locum, quæ Hincmarus adulterantium modo, in rotula sua posuit: Similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possent, quocumque ab eis conscriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus: neque ullam eos infamiam, aut calumniam, aut à suis sequestrationem bonis, unquam auctore Domino, & sanctis Apostolis, eorumque successoribus, sustinere permittemus. Confessio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso attestante qui ait: *Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemia, & cætera quæ sunt ad hæc pertinentia. Nec tantùm attendenda sunt quæ fiunt, quantùm quo animo fiant.* Et paulò pòst: *Vnde & illud est, quod Dominus ad munera Abel respexit, & non ad Cain, quia magis adtendit ad offerentis animum, quàm ad ea quæ offeruntur.*

Conferamus verba B. Alexandri cum professione ac subscriptione Hincmari. Alexander dicit nonnullos Episcopos vel Sacerdotes, aut metu compelli, aut vi extorqueri, aut fraude decipi, aliquas confessionis suæ in alteram partem quàm debeant, aut pro suarum non requisitione rerum, aut quod deterius est, alieni erroris sectas, scripturas facere, & propriis manibus roborare, & coram populis recitare atque confiteri. Et Hincmarus professus est, atque subscripsit hoc modo: Ego Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus amodo & deinceps domno seniori meo Karolo Regi sic fidelis & obediens secundùm ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet. Ac privilegio Hincmari Metropolitani Provinciæ Remorum Ecclesiæ, secundùm sacros Canones, & decreta Sedis Apostolicæ ex sacris Canonibus promulgata, pro scire & posse me obediturum profiteor & subscribo. In qua professione, & subscriptione nihil continetur de his quæ servari non debent: nec aliquid ibi sonat de confessione in alteram partem quàm debeat, neque pro suarum non requisitione rerum, ne-

que de sectis alieni erroris: nec eum quisquam, ut subscriberet, aut in carcere, aut in ergastulo reclusit, ut his territus insidiis, Domini deviaret Sacerdos, & voluntatibus alienis faveret.

Caput XXXIV.

Ejusdem refutationis continuatio.

De eo quod ibidem subsequitur; Si non sunt tantùm ad tendenda quæ fiunt, quantùm quo animo fiant, quo animo ego illud fecerim, neque parum sciens poterit ignorare: qui etiam multò plura tunc essem facturus, ut meos qui innoxii erant, & causa mei opprimebantur, possem liberare. Paulus Apostolus dicit: *Lex non est posita justis, sed injustis*. Et hinc S. Leo dicit scribens ad Ravennium: Iusto quippe ideo dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet judicio voluntatis. Si sui qui eum ad Pauliacum sequuti fuerunt, reuvadiaverunt per legem, quod contra legem commiserunt, innoxii non erant; & domnus Rex ut noxios distringere jussit: quantùm audemus dicere, contra regium ministerium fecit. Si judices Regii contra legem innoxios, velut noxios distrinxerunt, prævaricatores legis fuerunt: si arbitri innoxios, velut noxios judicaverunt, auctoritatem & locum judicii amittere meruerunt: Quia verò nec ipse nec aliquis suorum se tunc in judicio pari præjudicium reclamavit: & S. Gregorius sæpe juxta leges, & Canones terminari decrevit judicia: & ex interpretatione legis Honorii & Theodosii dicitur, quoniam quicunque quod in judicio adversario præsente non repetiit, posteà de eadem re litem aliam non poterit inchoare. Legem côculcat, qui contra legem legaliter judicata, etiam scripto, rediviva lite condemnat. Et quia personas privatas suos homines contra legem distrinxisse, vel judicasse Hinemarus probare non potest: constat, si sui homines legaliter reuvadiarunt, quod contra legem commiserunt, innoxii non fuerunt. Et qui dicit se conduxisse illos, ut eum ad commissum illud quod reuvadiaverunt, sequerentur, qui noxii fuere probati: innoxius rite dici non potest, & noxius innoxios facere suo testimonio nequit.

De hoc quod dicit, S. Gregorium scripsisse à Pompeio Episcopo cruciato, crematoque fame extortam confessionem: nos in illa Synodo satis superque illum vidimus corpulentum, atque confertum, & non cruciatum, neque necatum fame ut profiteretur ac subscriberet, vidimus vel audivimus.

De hoc quod dicit: Certè si non nocet extorta confessio, non obest extorta suscriptio. Puto clamare nunc contra illum de cælo, & clamaturos in divino judicio ducentos quatuordecim sanctos Episcopos, qui in Carthaginensi Concilio decreverunt, ut si quis contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. Et dicentem ex sua persona: Certè si non nocet extorta confessio, non obest extorta subscriptio: nisi pœnitentiam egerit, credo illum inter alia de hoc mendacio ab eisdem sanctis Episcopis judicandum. Sed & à beato Gregorio condemnandum, qui scripsit ad Theoctistâ Patriciam: [Si qui sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate se anathematizaverit, anathematis vinculo non teneri, ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt qui A ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere: ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt, & unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciùs ligantur. *Et aliquantò superiùs*: Et quia si compulsi aliqui de quibus reprehendebantur, anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et si sunt qui certissimè talia sentiunt, vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est: eosque & ego, & omnes Catholici Episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus, quia veritati B contraria sentiunt, & contraria loquuntur.] Sed & mihi alia mendaciter impingit: sed & super scriptum quædam dicit, contra quæ longum est mihi scribere, & vobis audire.

Caput XXXV.

Quòd tertiò vocatus ad Synodum non respondit, & ideò tractari debet ut contumax.

Ecce audivit vestra fraternitas, quomodo & in quantis scriptura fratris Hincmari, sit mendax. Et sicut sacræ leges dicunt, quia hoc in omnibus causis statutum est, ut scripturam prolator affirmet: nam si is qui scripturam protulit, C ejus non astruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum. Et in Concilio Ephesino, & Calchedonensi, sed & in quinta ac sextâ Synodo, propriis scripturis, & subscriptionibus suis convictos, nullorumque aliorum accusationem vel testificationem requisitum, secundùm sacras leges dicentes quoscumque convinci scripturâ vel testibus, legimus damnatos fuisse.

Sed & tertiò vocatos, & venire detractantes (quantò magis post tot ac tantas commonitiones) omni sacerdotali officio etiam absentes invenimus fore privatos. Sed & Ioannem Antiochiæ tertiæ Sedis Episcopum, quia blasphemias contra Cyrillum secundæ Sedis Archiepiscopum D per libellos emisit, tertiò vocatum, & non adeuntem Ephesinam Synodum legimus ibidem fuisse excommunicatum. Necnon & Dioscorum secundæ Sedis Alexandrinæ Episcopum inter cætera, quoniam adversùs regularem ordinem & Ecclesiasticam egerit disciplinam: insuper etiam quia multos libellos plenos iniquitatibus contra Archiepiscopum suum primæ Sedis magnæ Romæ sanctissimum & sapientissimum Leonem, sæpiùs Ecclesiasticos conculcans Canones in Concilio obtulit, privatum omni sacerdotali ministerio, ab eodem sanctissimo Leone per vicarios suos in eadem magna Synodo Calchedonensi; & tertiò vocatum, quia Synodo se præsentare contempsit, absentem legimus fuisse E damnatum. Verùm de trina commonitione sacræ leges dicunt, quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit evocatus, & præsentiam suam apud eum judicem, à quo ei denuntiatum est, exhibere noluerit, adversùs eum quasi in contumacem judicari potest: quin immo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum ab ea sententia, quæ adversùs contumaces data est; neque appellari, neque

neque in duplum revocari potest. Et hinc S. Gregorius, ad Maximum Salonitanum Episcopum: Ita, inquit, fac, ut ad veniendum ampliùs jam moras non ingeras: ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur, adsignet: Et nos inter hæc reo non solùm propter dicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam, diutiùs, scilicèt ut in contumacem cogat ex Concilio ferrre judicium: Et S. Cœlestinus de trina vocatione ad Nestorium ita scripsit: Itaque quamvis jam frater Cyrillus secundis te Epistolis asserat esse Conventum, intelligas volo post primam & secundam illius, & hanc correptionem nostram, quam constat esse jam tertiam, ab universitate collegii, & conventu Christianorum te prorsus esse sejunctum, nisi mox ea quæ malè dicta sunt, corrigantur, nisi in eam viam redeas, quam Christus esse testatur. Et item in eadem epistola: Persequar planè Domini mei fidelis servus inimicos: Cùm Propheta asserat, eos odio se odisse perfecto. Moneor rursus, altero loquente, ne parcam. Quem vis ego respiciam, cui honori aliquid servem, quando agitur ut mihi totius spei meæ causa tollatur. Ipsius in Evangelio verba sunt Domini, quibus ait, non sibi patrem, non matrem, non filios, non aliquam necessitudinem debere præponi. Est enim frequenter talis pietas ex qua nascatur impietas: cum vincente earum affectu carnis caritati illi quæ Deus est, caritas præponitur corporalis. Et sanctus Ambrosius in Psalmo 118. [Est justa misericordia, & etiam injusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam. Non miserebitur illius. Et in libro regnorum legis, quia Saül propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium Regem, quem prohibuerat sententia divina servari, & si quis latronis filiis deprecantibus motus & lachrimis conjugis ejus flexus, absolvendum putet, cui adsit latrocinandi affectus, nonne innocentes tradit exitio, qui liberet multorum exitia cogitantem! Certè si gladium reprimit, vincla dissolvit, cur laxat exilia, cur latrocinandi, quâ potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit, deinde inter duos, hoc est accusatorem & reum, pati periculo de capite decernentem alterum, si rem probasset, alterum, si non esset ab accusatore convictus, non id quod justitiæ est judex sequatur. Sed dum miseretur rei, damnet probantem, aut dum accusatori favet qui probare non possit, addicat innoxium. Non potest igitur hæc dici justa misericordia. In ipsa Ecclesia ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitiæ, ne quis consortio communionis abstentus, brevi lachrimula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitati Sacerdotis extorqueat. Nonne cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari: facilitas enim veniæ, incentivum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum est, ut sciamus secundùm verbum Dei, secundùm rationem, dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse se serpentis interiùs vulneris inveniat cicatricem, cùm debeat resecare vulneris vitium, ne latiùs serpat, tamen secandi, undique proposito lachymis inflexus ægroti medicamentis tegat, quod ferro aperiendum erat: Nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis, vel ustionis dolorem corpus omnino tabescat, vitæ usus intereat: Rectè igitur & Sacerdos vulnus ne latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ quasi bonus medicus, debet abscidere, & prodere virus criminis quod lateat, non fovere: ne dum unum excludendum non putat, plures dignos faciat, quos excludat ab Ecclesia. Iure ergo Apostolus divino nos hortatur exemplo, dicens: Vide ergo bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate.] Et sanctus Gregorius in regula pastorali: Malorum, inquit, cum incautè amicitiis cingimur, culpis ligamur. Vnde Iosaphat qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab Regis amicitiis penè periturus increpatur: cui à Domino per Prophetam dicitur. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda: Et in homilia Evangelii: Multum, inquit, est, quod carnales affectus intentionem mentis diverberant, ejusque aciem obscurant, sed non declinant à recto itineris, qui arcam Dei portant in mente.

Et ne quis dicat, beatum Cœlestinum de tertia commonitione scripsisse ad Nestorium hæreticum: Attendendum est quod Hilarius Papa dicit. Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur: & hujusmodi præsumptor, qui in sanctarum traditionum pertinaciter sanctiones delinquit, non inter Catholicos est computandus, sed cum schismaticis est condemnandus, quia sicut in decretis Apostolicæ Sedis scriptum est, quisquis schismatico assenserit, schismaticus esse negari non poterit: quod etsi omnes Sacerdotes & mundus assentiat, damnatio consentientes involuit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed roborescit cum generale fit ex privato, hoc enim Deus omnium judicavit, qui peccatorem mundum generali diluvio interemit. Et his beatus Gelasius concinit in decretis suis: sicut manifestè ex ejus verbis hîc possem ostendere, si prolixitatem non devitarem.

CONCLVSIO.

Qua monstratur non obstante appellatione ferri posse sententiam.

HÆc omnia suprascripta ut sæpe commemoravi, non causâ mearum injuriarum, sed evindicatione dignitatis mihi concessæ Metropolis contra fratrem Hincmarum contexui, nec sacras leges & regulas collegii adversùs eum in causis propriis intentando judicium, sed ostendendo qualitatem & quantitatem suorum excessuum, & mearum commonitionum, & quibus ac quantis constitutionibus pertinacem objecit contemptum. Vestra verò Deo placita unanimitas, coram se recitata vigilanti discernat libramine: quia licèt sacerdotibus, canones ignorare non liceat, levior tamen fuerat error, si per ignorantiam deliquisset, quam nunc, quia sciens & prudens ex consilio, & studio sacrarum regularum per contumaciam transgressor exstitit, quarum custodiam & observationem professione, ac subscriptione sua firmavit. Duplici ergo reatu tenetur adstrictus, qui non solùm contra venerabi-

venerabilium Patrum, sed etiam contra sua venisse decreta temerè comprobatur. Vtrùm igitur Deo medio prolata sententia, eum debeat percellere, an veraciter recognoscentem, & humiliter supplicantem absolvere, salvis sanctorum Conciliorum statutis, & Apostolicæ Sedis Pontificum ex eisdem sacris Canonibus promulgatis, & reservato per omnia primæ & Apostolicæ Sedis privilegio, ac Remorum Metropolis jure: quod ex me est, consilio, & judicio vestræ unanimitatis committo: pro modulo meo sequens dicta beati Cęlestini ad Cyrillum Episcopum de Nestorio: [Studeo, inquit, quieti Catholicæ, studeo pereuntis saluti, si tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne voléti se corrigere, forsitan deesse videamur. Nam si & nobis sustinentibus uvam, spinas sibi addiderit, impleatur manentibus statutis prioribus sui fructu judicii; colligat quod sulco diabolico seminavit, non nostro consilio, sed se periturus auctore: probet nos veloces pedes ad effundendum sanguinem non habere, quando sibi etiam remedium cognoscat oblatum.] Et hæc dico non pręjudicans vestræ deliberationi, utrùm juxta hęc beati Cęlestini verba veraciter recognoscens, & humiliter supplicans absolvi; an pro tam diutina pertinaci in contemptu sanctarum regularum permansione debeat percelli. Quia sicut à regulis pręstitutis de certis & manifestis causis quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura, nullâ aut negligentiâ, aut pręsumptione debemus discedere, sicut Leo ad Anastasium scribens, decrevit: ita de quibus diffinitivas sententias, quæ nullâ possunt ratione convelli, à sanctis Patribus promulgatas habemus, non debemus novum inire tractatum, vel novum expectare consilium.

Nec etiam Sedem Apostolicam in requirendo inquietare, sicut sanctus Innocentius scribens ad Macedones Episcopos, dicit: Cùm sępius, inquit, repeti fecissem (quin scripta vestra) adverti Sedis Apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput ecclesiarum, missa currebat, fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. Et ad Felicem Nucerianum Episcopum: Stupuimus prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta. Et sanctus Zosimus: Sciat quisquis hoc, postpositâ Patrum, & Apostolicæ Sedis auctoritate neglexerit, à nobis districtiùs judicandum, & loci sui minimè dubitet sibi non constare ratione, si hoc putat post tot prohibitiones impunè posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur. Et sanctus Cęlestinus: Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentiâ populis permissâ frangatur? Et item: Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. Et S. Leo ideo omnia decretalia constitūta tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus: ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Et Gelasius: Satis indignum est quenquam vel Pontificem, vel ordinum subsequentium, hanc observationem refutare, quam beati Petri Sedem videat edocere: satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. Et item: Non opus fuit nova Synodo, cùm veteris constituti sufficienter hęc forma pręscriberet. Et item: Nunquam cessisse manifestum est, qualiber necessitate cogente, noviter, quæ fuerant salubriter constituta, remerasse. Et sanctus Gregorius ad Sergium defensorem: Si homo esses, aut aliquam districtionem habuisses, ita regularis disciplinæ debuisses custos existere, ut ea quæ illic inlicita committuntur, antè vindicta corrigeret, quàm ad nos eorum nuncius perveniret. Et post pauca: Nam si quolibet modo in hac re negligens vel lentus extiteris, ita in te districtissimè noveris vindicandum, ut quod ex te nescis, pœnâ possis referante cognoscere. Et domnus Hadrianus Papa in epistola, sicut audistis, nuperrimè directa: Fidelium, inquit, relatione comperimus, quod tua fraternitas debitum vigorem in provincia Remensi non agitans, multa reprehensione digniſsima à tuis comprovincialibus convalescant. Cujus rei gratiâ negligentiam vestram his apostolicis affatibus excitamus, ut secundùm venerandorum canonum regulas, ita omnium omnino comprovincialium tuorum synodicè, salvo sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegio, reseces vitia, ut privilegii tui coram Deo, nostroque judicio non merearis sustinere jacturam.

Et quia frater Hincmarus sępe non in canonico judicio, nec pro certis causis, sed pro animi sui motibus, irregulariter Sedem Apostolicam appellavit, & prosequi appellationem suam, etiam inregularem neglexerit: si regulariter nunc appellare voluerit, sic summissè & temperatè legum & canonum sunt exequendæ sententiæ, ut & ipse comedat fructus vitæ suæ, suisque consiliis saturetur, & Sedes Apostolica secundùm sacros Canones, ut dignum est, honoretur; & nos pro dissolutione regularis disciplinæ redargui non mereamur. Nam de appellatione Constantinus Augustus ad Catulinum decrevit hoc modo. [Memorias, dilationes, frustratoriasque, non tam appellationes, quàm ludificationes admitti non convenit. Nam sicut bene appellantibus negari auxilium non oportet, ita his contra quos meritò judicatum est, inaniter provocantibus differri bene gesta non decet.] Et ex interpretatione legis Valentiniani, Valentis, & Gratiani Auggg. ad Claudium: Lex ista hoc dicit: Cronopium Episcopum à multis Episcopis fuisse damnatum, & studuisse eum ante judicium, sententiam quæ proferebatur, appellatione suspendere: à qua sententia, quia justè prolata fuerat, appellare minimè debuisset. In qua eum gravi mulcta, id est 50. libras argenti addictum fuisse dicit. Quæ tamen summa ipsius mulctæ, non fisco prodesse jussa est, sed pauperibus erogari. Vnde Apostolica Sedes discernet, si appellans Episcopus bonam causam habebit, velut decrevit Sardicense Concilium: [Si, inquiens, aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placeat, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo: & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem esse causam, ut non refricentur ea quæ acta sunt: quæ decreverit, confirmata erunt.] Et hinc in cap. 4. & 7. ordo

ordo appellationis Episcopi post episcopale judicium ad Apostolicam Sedem describitur. Quem eodem modo exequendum Innocentius, Bonifacius, & Leo in decretis suis ex eisdem sacris Canonibus apertissimè promulgaverunt. Vnde & Gelasius scribit: [Confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet. Quam Synodum Sardicensem Apostolica Sedes per Osium Cordubensem, & Gentium Capuensem, & Calepodium Neapolitanũ Episcopos, suos vicarios confirmavit: & Ecclesia nihilominus subsequente confirmatam tenuit semper & retinet.

PARS TERTIA CONCILII.

Responsa Episcoporum ad libellum proclamationis Caroli Regis, contra Hincmarum Laudunensem Episcopum.

CAPVT I.

Præfatio Episcoporum.

DE his quæ contra fratrem nostrum Hincmarum proclamans domnus Rex nobis proposuit, unde spatium ad respondendum petivimus pro temporis brevitate, quæ juxta sanctarum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, & auctoritatem sacrarum legum & Canonum invenimus, capitulatim proferimus.

CAPVT II.

De juramentis præstitis & refragatis.

PRimò quidem de juramentis illi præstitis, & ut in petitione sua invenimus, refragatis. Vnde Catholicæ Ecclesiæ Doctores, atque Rectores ita dixisse legimus, quantùm temeritatem jurandi vitare debeamus, & ipse Dominus in Evangelio, & Iacobus in sua epistola docet, dicens: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum: Sit autem sermo vester, est, est, non, non, ut non sub judicio decidatis.* Illo videlicet judicio, sub quo decidit Herodes, ut vel pejeraret, vel perjurium cavendo, aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid fortè nos incautiùs jurasse contigerit, quod observatum scilicet pejorem vergat in exitum, liberè illud consilio salubriori mutandum noverimus: ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quàm pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum. Sed quia in juramentis, quæ frater noster Hincmarus Regi juravit, nihil invenimus, sicut in ejus petitione relegimus, quæ non debuerit observare: quæ juramenta sicut prolata scripta, & domni Apostolici, suggestione Hincmari elicita, & ipsius Hincmari scripta demonstrant, quoniam postea non servavit à reatu perjurii, illum innoxium pronunciare non possumus. Scriptum est namque in Exodo: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* In vanum quippe, & frustrà, non ut nihil

A sit, sed ut ei qui nomen Domini Dei sui in vanum & frustrà acceperit, nocivum, ut criminis reo, sit. Item in Levitico Dominus dicit: *Non perjurabis in nomine meo, nec polluas nomen Domini Dei tui: Ego Dominus.* Et sanctus David in Psalmo: *Qui jurat proximo suo, & non decipit.* [Iurare est, inquit Cassiodorus, hominem sub testatione divina aliquid polliceri. Iurare enim dictum est, quasi jure orare, id est, justè loqui. Tunc autem quispiam justè loquitur, quando ea quæ permittit, implentur.] Et sanctus Ambrosius in epistola ad Valentinianum Imperatorem: Quid est jurare, nisi ejus quem testaris fidei tuæ præsulem divinam potentiam confiteri? Et item dicitur in Psalmo: *Nec juravit in dolo*
B *proximo suo.* Per dolum itaque jurat, quisquis aliter facturus est, quàm promittit: credens perjurium non esse, decepisse nequiter credentis errorem. Et hinc sanctus Hieronymus: Multi sunt, inquit, qui dolosè jurant, ut decipiant proximum: quod abominatur Pater luminũ, dicente Petro: *Non es hominibus mentitus, sed Deo.* Et in libro Regum scriptum est, quia *quando facta est fames in diebus David tribus annis jugiter, & consuluit David oraculum Domini, dixit Dominus: Propter Saül, & domum ejus & sanguinem, quia occidit Gabaonitas.* Filii quippe Israël juraverant eis, & voluit Saül percutere eos zelo, quasi pro filiis Israël, & Iuda, dicens Iosuë gratis eosdem Gabaonitas vivere permisisse.
C Hinc patet quanta impietas est perjurium, cui Dominus tantam reposuit ultionem. Et Ieremias Propheta: *Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacii quæ non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, jurare mendaciter.* Hinc ergo pensandum est, quantum crimen sit jurare mendaciter, quod adulterio, & homicidio, ac furto conjunxit Propheta: quorum perpetratores Apostolus, regnum Dei dixit non possidere. Et Hieronymus in expositione ejusdem Prophetæ: [Poterat fieri ut aliqui invenirentur in populo Dei, qui simularent cultum Dei, & jurarent per Dominum. Hoc prævenit, quod nequaquam Deus vanis sermonibus, sed veritate fidei delectetur, & dicet: Non eos diligo qui jurant per me, & jurant in mendacio; sed quorum
D corda, labiaque consentiunt.] Et in Zacharia Propheta: *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur: Educam illum, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio ejus, & consumet eum, & ligna ejus.* Et in Ezechiele Propheta: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam in loco Regis qui constituit eum Regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* [Spreverat enim, inquit Hieronymus, Sedechias juramentum, ut solveret fœdus.
E Et cùm omnia hæc fecerit, non effugiet. Et iterum Hieronymus: Ecce, inquit, dedit manum suam Regi Ægypti, & tradidit se, & perjurii contra Deum commisit sacrilegium. Et hinc item Hieronymus: Ne putaremus juramentum & fœdus & pactum Regis esse Babylonii, vel Sedechiæ qui fecerat: sequitur, in prævaricatione qua despexit me, ergo qui contemnit juramentum, illum despicit per quem juravit, illique facit injuriam, cujus nomini credidit adversarius. Quidquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus,

sed irâ Dei, in cujus nomine fuerat periturus. Legimus enim Sedechiam captum, ductum esse in Reblatha, ibique interfectis filiis excæcatum: & instar feræ clausum, caveâ translatum in Babylonem.] Et sanctus Cyprianus in nono abusionis gradu, Regis ministerium dicit esse impios de terra perdere, parricidas & perjuros vivere non sinere. Et sanctus Gregorius homilia Evangelii de Martyribus. [Ad extincta, inquit, eorum corpora viventes ægri veniunt, & sanantur: perjuri veniunt, & à dæmone vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur.] Hinc ergo colligendum est, quantum peccatum sit perjurare in nomine Dei, & Sanctorum ejus: quod & sacrilegium, ut præmisimus, dicit esse sanctus Hieronymus.

Capvt III.

De seditione.

De seditione, in l. 9. Theodosianæ legis, capitulo 23. de his qui plebem audent contra publicam colligere disciplinam: ex interpretatione legis Gratiani, Valentiniani, & Theodosii decretum est: Si quis populum ad seditionem concitaverit, damnis gravissimis subjacebit. Et in l. 5. sententiarum Pauli, capitulo 3. scriptum est (quæ non sunt nostri judicii) de his quæ per turbam fiunt: [In eos qui per turbam, seditionemque alicui dederint, damnumve curaverint, siquidem res pecuniaria est, æstimatione dupli sarciatur. Quod si ex hoc corpori alicujus, vitæ, membrisque noceatur, extra ordinem vindicetur. Interpretatio. Si aliquis collecta multitudine, vel concitata seditione, damnum cuicumque intulerit, si pecunia damnum fiat, dupli redhibitione componatur. Nam si corpus alicujus vel membra cæde pulsata fuerint, hujusmodi admissum à judice vindicetur. Quidquid ex incendio, rapina, naufragio, navique expugnata raptum, susceptum, suppressumve erit, eo anno in quadruplum ejus rei quam quis suppresserit, celaverit, rapuerit, convenitur: postea verò simplum.] Sunt & hinc alia & graviora judicia ad rempublicam pertinentia, & ab ecclesiastica mansuetudine aliena, quæ in suis locis lector poterit invenire, & hîc commemoranda duximus, ut quantum sit commissum seditio, eorum ultione colligatur.

In Canonibus autem Africæ provinciæ Concilii IV. capitulo 72. de seditionariis, aut usurariis ne clerici fiant, scriptum est ita: Seditionarios numquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios, vel injuriarum suarum ultores. Et si tales ordinandi non sunt: colligendum est quid mereantur, qui post ordinationem admittere talia non formidant. Et antiqui Patrum Canones in Synodo, cui plurimi Metropolitani cum suis suffraganeis interfuerunt, decernente Antiocheno Concilio, perfectū Conciliū illud esse, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes, concordi sententia decreverunt, ut clerici qui in quacumque seditione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu in Monasterio pœnitentiæ retrudantur. Et sacram Evangelii historiam Patres Catholici exponentes, de his qui concitaverunt turbam ad comprehendendum & crucifigendum Dominum, eos esse potiùs reos homicidii, qui auctores damnationis Christi fuerunt, dicunt. Et clericus qui ad seditionem arma

A contra ministerium corripi facit, immunis à reatu ipsius seditionis judicari non potest. Ipse, inquit sanctus Ambrosius ad Theodosium, facis quidquid fieri jussisti. Et Dominus in Evangelio, prælia & seditiones conjunctim posuit, dicens: Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Hinc beatus Gregorius: Pensanda sunt verba Redemptoris nostri, per quæ nos aliud interiùs, aliud exteriùs passuros denunciat: bella quippe ad hostes pertinent, & seditiones ad cives. Vt ergo nos indicet interiùs, exteriùsque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti. Vnde pensandum est, quàm gravissimum sit admissum ab Episcopo seditionem incitari, vel seditionibus se commiscere, quæ

B à Christo bellis hostium conjunctæ proferuntur. Et sanctus Hilarius in decretis suis: Reatu, inquit, majore delinquit, qui potiore honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum. Et sanctus Gelasius in decretis suis, dicit: [Quamvis enim membra ipsius, id est, veri Regis, atque Pontificis, secundùm participationem naturæ magnificæ, utcumque in sacra generositate summisisse dicantur, ut simul regale genus & sacerdotale subsistant: quoniam Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti consuleret, dispensatione magnifica temperavit: sic actionibus propriis, dignitati-

C busque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi: ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu, rerum imperialium dispositionibus uterentur: quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo, minimè se negotiis temporalibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus, ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptetur.]

D Quibus omnibus ritè collectis, satis evidenter ostenditur quàm gravissimum sit commissum, Episcopum contra ecclesiasticam disciplinam, & episcopalem gravitatem, & sanctitatis modestiam atque mansuetudinem, seditionarium esse, cùm regiæ sit potestatis hostes depellere, & seditiosos comprimere vel punire, & episcopalis sit ministerii cælestibus Sacramentis insistere, & orationi atque doctrinæ, cæterisque pietatis officiis indesinenter incumbere, qui prorogandis venerabilibus est attributus mysteriis. *Christus*, inquit Petrus, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;*

E *qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè, qui peccata omnium ipse pertulit in suo corpore super lignum, ut peccatis mortui, justitia vivamus, cujus livore sanati estis.* Et item, *Cùm modestia & timore conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt de vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam conversationem.* Quæ qui observat, seditionem non incitat.

CAPVT IV.

De pervasione.

DE pervasione siquidem sacræ leges, quibus unà cum sacris Canonibus, & decretis Apostolicæ Sedis sancta moderatur Ecclesia, dicunt in constitutione legum novellarum Valentiniani Aug. [Episcopi, seu pro pervasione rei alicujus, seu pro quibuscumque gravibus injuriis, si ad judicium fuerint provocati, licèt in criminalibus causis per alium nulli liceat respondere, Episcopis tamen & Presbyteris hac lege præstatur, ut in talibus causis, misso procuratore, respondeant; sine dubio ut ad nos redeat sententia judicati. In reliquis verò criminalibus causis, ubi de scelere convincenda persona est, suam in judicio præsentiam exhibere procurent. Quod si tertio conventi per executorem, ad judicium venire noluerint, sententiam excipiant contumacis.] Et hinc Gregorius ad Malchum Episcopum ex legibus & sacris regulis promulgavit: Præterea, inquiens, fraternitatem tuam præsenti præceptione curavimus admonendam, ut Stephanum Episcopum ad eligendum compellas venire judicium: & quicquid inter Ioannem virum magnificum, & supradictum Episcopum, electorum fuerit sententia diffinitum, (quin secundùm sacras leges, ut multoties scribit) ad effectum perducere non omittas. Et in l. 4. Thedosianæ legis capitulo 19. ex interpretatione legis Gratiani, Valentiniani, & Theodosii Auggg. ad Potitum: [quicumque causam suam non ita agere voluerit, ut adversarium suum publicè patefacta actione conveniat, & Dominum possessoris aliqua ratione conturbaverit: ita negotio ipso careat, ut eam causam nunquam valeat reparare, qui priùs rem voluit auferre, quàm speraret à judice ut deberet audiri. Similiter & ille omni causa privetur, qui judicis ordinatione suppressa, judicium se habere dicens, alienam possessionem sua præsumptione pervaserit.]

Et hinc Africanum Concilium capitulo 88. [Item placuit, ut quicunque Episcopi plebes, quas ad suam cathedram æstimant pertinere, non ita repetunt, ut causas suas Episcopis judicantibus agant, sed alio retinente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicunque hoc jam fecerunt, si nondum est inter Episcopos finita intentio, sed adhuc inde contendunt: ille inde discedat, quem constiterit prætermissis judiciis ecclesiasticis irruisse. Nec sibi quisque blandiatur, si à primate, ut retineat, litteris impetrarit: sed sive habeat litteras, sive non habeat, conveniat eum qui tenet, & ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacificè tenuisse Ecclesiam ad se pertinentem. Si autem aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices causa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.] Et in l. 4. Theodosianæ legis, suprascripto capitulo, ex interpretatione legis Valentiniani, Theodosii, & Arcadii Auggg. ad Messianum: [Cognovimus rem fisci nostri violenter aliquos invasisse. Sed nos evidenti lege præcepimus, ut si quis aut fiscalem rem, aut privatam, ante sententiam à judice prolatam invaserit, & noluerit expectare litis adventum, perdat negotium qui noluit expectare judicium. Ille verò qui præsumpsit invadere, quod per justitiam apud judicem non poterat

A obtinere, habita existimatione talem aliam rem illi Domino restituat, qualem noscitur ante judicium pervasisse.] Et in 4. l. capitulorum domni Caroli, & Hludovici Pii Impp. cap. 34. [Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra jussione reddiderit, aliud nobis tantum de suo proprio cum sua lege componat: & quicumque illud scienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur: quia sacramentum fidelitatis quod nobis promisit, irritum fecit, & reliqua.] Et in decreto synodali anno 13. imperante Mauricio, sanctissimus atque sapientissimus Gregorius Papa, cap. 3. de pervasione

B hoc decrevit judicium: [Præsenti, inquiens, decreto constituo, ut si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico, sive in urbano prædio sua sponte præsumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes, anathema sit. Et, item ibidem cap. 4. Is autem qui præest Ecclesiæ, si hoc vel ipse fieri præcipit, vel sine sua præceptione factum digna punire animadversione neglexerit, anathema sit. Et hinc ad Petrum Subdiaconum & rectorem patrimonii in Sicilia scripsit, in commonitorio capitulo quinto: Si quid justè conspicis, juri ecclesiastico posse competere, cave ne unquam hoc manu studeas defensare: maximè quia & decretum sub anathematis interpositione constitui, ne un-

C quam nomine Ecclesiæ urbano, vel rustico prædio tituli debeant imponi. Sed quicquid ratione pauperibus competit, ratione etiam debet defendi; ne dum bona res non benè agitur, apud omnipotentem Deum, etiam quod justè à nobis quæritur, de injustitia redarguatur. Et item idem in altero commonitorio ad eundem: præterea cognovi, quia quasdam res vel plures fundorum alieni juris esse cognoscit; sed pro quorumdam obtestatione, vel metu dominis suis restituere reformides, qui si veraciter Christianus esses, plus Dei judicium, quam homines timeres: quia ego quoque te hac de re indesinenter

D admoneo. Quod si implere neglexeris, etiam & meas voces contra te in testimonium habebis. Et in epistola ad Vitalem defensorem Sardiniæ inter cætera dici: Pro requirendis, inquiens, rebus ecclesiarum, uel monasteriorum, sive piarum causarum quod scripsisti, priùs quidem hi quorum interest, admonendi sunt, ut ab his te insistente atque solatiante, modis omnibus requirantur. Quod si fortè vel ipsi negligentes extiterint, vel certè qui eas res requirere debeant, inventi non fuerint, tunc omnia ipse perquire, atque ita reperta, recollige, ut manu aliquod judicium inferre cuiquam, minimè videaris.]

Ecce quod judicium de pervasione Apostolicæ Sedis, Pontifex sanctus Gregorius, qui adhuc nobiscum in suis constitutionibus vivit, in

E pervasores rerum alienarum protulit, dicens: Præsenti decreto constituo, ut si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico, sive in urbano prædio sua sponte præsumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes, anathema sit. Et in 4. capitulo: Is autem qui præest Ecclesiæ, si hoc vel ipse fieri præcepit, vel sine sua præceptione factum digna punire animadversione neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes, anathema sit. Cujus judicium nos refragari non possumus, dicente beato Gelasio in decretis suis, de secundæ Sedis Antistite, quod ab inferioris sedis Pontifice non possit

absolvi: [Nec ab inferiore, inquiens, qualibet, sed à prima sede jure possit absolvi; inferior quippe potiorem absolvere non potest. Sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci Pontifices, qui nullatenus se noverunt potiorem sibi, sine prima sede posse resolvere, præcipuè quem ejus sententiâ noverunt obligatum, prævaricatoria absolutione potiùs non illum penitus exuerunt, sed se prævaricatione potiùs nexuerunt.] Et item Gelasius ad Episcopos per Dardaniam constitutos: [Quod acta, inquit, semel Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica atque Apostolica promulgavit, majores nostri non siverunt novis post hac retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi, sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicaverunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus. Et post aliquanta: quoniam idem ipse error qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effectum execrationem sui gestet & pœnam.] Et in Commonitorio Fausto Magistro militum fungenti legationis Officio Constantinopolim dato: decessorem, inquit, meum exequutorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem. Quod non solum Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici. Si non licet juxta documentum B. Gelasii, nobis non solvere, quod per B. Gregorium Apostolica Sedes ligavit, & licet exequi constituti veteris decretum: non nobis est exequi negligendum, quod est à Sede Apostolica judicatum.

CAPUT V.

De eo quod Ecclesiæ bona Regi tradidisse confitetur.

DE eo quod frater Hincmarus in scriptis suis profitetur, deprecantibus Rodulfo, & Chuonrado, Regi res Ecclesiasticas, Laudunensi Ecclesiæ à Rege redditas, & etiam traditas concessisse, ut eas Nortmanno, qui eas ante habuit, beneficiaret. Videndum est quid sacri Canones dicant: *Unusquisque*, inquiunt, *Episcopus habet sua Parochia potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate.* Regat, inquit, possessiones juxta reverentiam regulis competentem, & non abroget contra reverentiam incompetentem. Et item Antiocheni Canones dicunt, *ut res & facultates Ecclesiæ Episcopus, non sine Presbyterorum conscientia,* E *Diaconorumque pertractet: Sed quæ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine, & conscientia bona & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat, judicatque, serventur:* Serventur quidem, & non sine ratione atque auctoritate aliis, nisi Ecclesiæ sibi commissæ subjectis, ab Episcopo concedantur, vel sine regulari consultu committantur. Et item Canones dicunt: *Si autem & aliter accusetur, Episcopus, aut Presbyteri qui cum ipso sunt, quod ea quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet facultate Ecclesiastica sibimet usurpent: ita ut pro hoc affligantur quidem pauperes, criminationi verò & blasphemiis tam sermo prædicationis, quàm his qui dispensant taliter, exponantur: & hos oportet corrigi à sancta Synodo, id quod condecet approbante.*

Videtur namque viam exteras Ecclesias lædendi, cum in hac causa contra sacros Canones dedisse: quia nisi hoc pro divino respectu dimiserit, potest princeps apud alios Episcopos petere possessiones Ecclesiarum, ut eas concedant à sibi commissis Ecclesiis abrogari: & illum in exemplum donans sicut ipse fecit, aliis in beneficium dari. Quod si fecerint, faciant contra Canones: si autem non fecerint, scandalum ipsis, & Ecclesiis illorum, fratre Hincmaro prævio, diversas afflictiones sustineant. Nam & in litteris quas B Canones ordinatos ab ordinatoribus suis jubent accipere, traditione Sedis Apostolicæ scriptum habetur: *Ministerium*, inquit, *ornatum, vel patrimonium atque reditus, vel facultates Ecclesiæ, prout leges divinitùs promulgata præfigunt, stude conservare, ampliare, augere, vel dispensare.* Unde videndum est, qualiter hæc, cum his quæ in scripto suo dicit, eum ad petitionem Rodulfi, & Chuonradi concessisse, & domnus Rex Nortmanno easdem res, quas suæ Ecclesiæ reddidit, sive tradidit, beneficiaret, conveniant. Sancto Cælestino adversùs illius consensum, suamque actionem clamante: nulli Sacerdoti suos liceat Canones ignorare nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obviare. Quæ enim à nobis C res digna servabitur, si decretalium Norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?

Dicit etiam scripto suo, quia si taceat, & non Clamet, si non quibus valet viribus insistat, ut eandem villam recipiat, sacrilegium à se fieri reputet. Par enim pœnam (sicut scribit) ut ait beatus Papa Lucius, & agentes & consentientes comprehendit. Considerandum est, si sacrilegium faceret, si taceret, ut eandem villam non reciperet: quid fecit, quando illam contra competentem reverentiam à sibi commissa Ecclesia integulariter abrogavit. Contra quem consen-D sum, immò factum suum Antiocheni Canones dicunt: quæ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat, judicatque, serventur. Contra quæ patet, quia ipsi villa sub omni sollicitudine & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, ab illo non est suæ Ecclesiæ conservata; nec regulariter & humiliter, sicut debuerat se recognoscere, ab eo est repetita: Donec commotus contra Principem suum, & contra præfatum Nortmannum diu sibi familiarissimè amicissimû, eam sua factione, & quasi per fortiã, & non per justitiam, vindicare curavit. Cum antiqui Carthaginenses Canones Concilio IV. ex auctoritate Evangelica & Apostolica dicant, ut Episcopus nec provocatus pro rebus transitoriis litiget. Sunt enim advocati & defensores Ecclesiam, quos sacri Canones & leges, quibus moderatur Ecclesia, Episcopos habere jubent, quorum hujusmodi est officium, ut per leges quæ sunt Ecclesiæ aut defendant, aut conquirant; & non violenter, & sua præsumptione, aut Episcopi jussione quæ Ecclesiæ dicuntur, vel putantur esse, pervadant. Et quia hæc frater Hincmarus observare neglexit, contra ipsius actionem S. Gregorius ad victorem, & Columbum Episcopos dicit: *Quantò cordi nostro lætitiam Ecclesiasticus Ordo inculpabiliter custoditus infundit, tantò rescissus tædium doloris imponit, quod pravitatis temeritas in eversionem disciplinæ tentat, &* quæ

quæ sunt olim laudabiliter statuta, dissolvere, & quæ fortiùs punienda præsumere. Et post aliquanta: *Accendat ergo vos zelus æquitatis, accendat justitiæ rectitudo; ad custodiendam in cunctis antiquam Ecclesiastici ordinis dispositionem operam instanter impendite; districtos sollicitosque vos inter culpas & innocentiam exhibete: Quatinus & justitiæ causam habentibus magna de rectitudinis vestræ zelo sit fiducia, & inquietis de futuro omnis excedendi amputetur occasio.*

CAPVT VI.

De calumnia apud Pontificem Regi imposita.

DE eo quod in petitione Regis humiliati nostræ porrecta continetur, quia post tanta & talia Sacramenta, & professionis suæ subscriptionem, antequam de ipsis rebus eum cum Archiepiscopo vel cæteris Coepiscopis suis in Synodo Remorum Provinciæ, cum plures Synodi in eadem Prouincia habitæ fuerint, compellaret, latenter illum ad sedem Apostolicam, ut distractorem rerum Ecclesiasticarum per calumniam accusare, missum suum nomine Celsanum, & litteras suas transmisit: Sicut ipsæ litteræ Domni Apostolici, quas Regi idem Hincmarus in Carisiaco coram suo Archiepiscopo & aliis Archiepiscopis, & Episcopis, & pluribus fidelibus suis obtulit, quæ ipsius Hincmari adversùm eum accusationem apud sedem Apostolicam evidenter ostendunt. Attendendum nobis videtur, quid inde sacræ leges & Canones venerandi decernant. Decernunt enim leges, Scripturâ vel testibus quemquam convincit. Et Gelasius in commonitorio Fausto legatione fungenti dato, de Episcopis prævaricatoribus: quid tamen dicerent; si non chartis suis in omnibus vincerentur! & in legis Valentiani, Gratiani, & Valentis interpretatione, ad Antonium dicitur: Quicumque scripturâ in audientiam protulerit, veritatem ejus probare videatur: quia hoc in omnibus causis statutum est, ut scripturam prolator adfirmet. Nam si is qui scripturam protulit, ejùs non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum. Necesse est igitur fratri Hincmaro, ut probet ea esse vera, quæ in Epistola à se per Missum suum à Sede Apostolica obtenta continentur: quam domno Regi coram suo Archiepiscopo, & aliis Archiepiscopis & Episcopis, & pluribus fidelibus suis in Carisiaco obtulit: Quia domnus Apostolicus sicut per Hincmari, petitionem de accusatione domni Regis audivit, ita etiam & rescripsit. Et si isdem frater Hincmarus scripturæ, quam sua petitione obtinuit, & in audientiam protulit, veritatem probare nequiverit, oportet ut falsitatis reum illum esse tenendum.

CAPVT. VII.

De accusatione Regis ante compellationem.

DE accusatione quoque ante cõpellationem, quâ Regi, ut sua petitio continet, contra sacras leges & venerandos Canones præjudicium fecit: Sacræ leges dicunt, ut ultra Provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum judicia agitare, ubi facinus dicitur admissum. Et ex interpretatione legis ipsius; criminum discussio

A ibi agitanda est, ubi crimen admissum est: Nam alibi criminum reus prohibetur audiri. Et ex interpretatione legis Martiani, si quis adversarium aut repetitione, aut criminis objectione pulsaverit, in Provincia in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones: nec æstimet adversarium suum alibi, aut longiùs ad judicium pertrahendum. Et secundùm has leges decrevit sacrum Carthaginense Concilium ut accusatus, vel accusator in eo loco unde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. Nam & si

B forum reipublicæ non habebat quo Regem per procuratorem suum accusare valeret, debuerat eum Synodali sententia convenire: Et si vel decreto Synodi quæ suæ Ecclesiæ jure competebant, obtinere nequiret, tunc prosequentibus Episcopalibus litteris, suam proclamationem ad sedem Apostolicam rationabiliter valuisset perferre. Sicut Innocentius ad Victricium Rothomagensem Episcopum decrevit, *ut secundùm Synodum Nicænam congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur: Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus qui in Provincia Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare Provincias.*

C *Quod siquis facere præsumpserit, & ab officio Cleri summotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post iudicium Episcopale, referatur.* Et quamquam idem B. Innocentius præmiserit in capite hujus capituli, ut si quæ causæ vel contentiones inter Clericos, tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ: & reliqua quæ præscripsimus: Non ab re tamen idem Capitulum ad Regiam potestatem, & Episcopalem auctoritatem derivandum putavimus. Cùm B. Gelasius ad Anastasiũ Impe-

D ratorem scribat: Duo sunt, inquiens, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas. Et Leo ad Anastasium: *Si fortè inter ipsos qui præsunt, de majoribus, quod absit, peccatis causa nascitur, quæ provinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curavit instruere; ut si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quicquid illud est, transferatur.* Debuerat ergo frater Hincmarus de his quæ per se non poterat obtinere, Regiam potestatem priùs in Comprovincialis Synodi convenire judicio; & si coram positis partibus nec nostro foret res sopita judicio, nostris litteris ad Sedis Apostolicæ cognitionem, quicquid illud erat

E transferre. Quod quia non fecit, juxta decretum B. Innocentii, & ab officio Cleri summotus, & injuriarum reus debet ab omnibus judicari. Quid sit autem reum injuriarum judicari, leges sacræ manifestè demonstrant, dicentes: Qui per calumniam injuriæ actionem instituit, extra ordinem puniatur. Omnes enim calumniatores exilii, vel insulæ relegatione, aut ordinis amissione puniri placuit. Et hic sanctus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem eundem in Hispanias, in causa contra Episcopum mota, sive probata, jubet requiri, utrum exilio, vel depositione sit digna?

Capvt VIII.

Quæ sit pœna calumniatori constituta.

DE eo quod in petitione Regis continetur, eum ad Sedem Apostolicam, ut distractorem rerum Ecclesiasticarum per calumniam accusare misisse: Sicut ipsæ litteræ domini Apostolici patenter ostendunt in libro IX. Theodosianæ legis capitulo XXIX. de calumniatoribus scriptum est: *Gratianus, Valentinianus, Theodosius AAA. Ellibico comiti, & magistro utriusque militiæ. Non est ratio quâ manifesti calumniatoris supplicium differatur. Nec enim patimur frequenter iterari quæ consistere prava accusatione non quiverint: atque alienam innocentiam securitatemque sine crimine, damnabili appetitione terreri. Data 3. Kal. Iuin. Merebodo, Et Saturnino Coss.* Idem Augustus Ninandro Vicario Asiæ: *Nostris & parentum nostrorum constitutionibus comprehensum est, eos qui accusationem alienis nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducendos: atque ideo calumniosissimum caput, & personam iudicio irrita delationis infamem deportatio sequatur: quò posthac singuli universique cognoscant, non licere in eo Principum animos commoveri, quod non possit ostendi. Data idibus Maii Arcadio & Bautone Coss.* Et item Arcadius & Honorius Augusti, victuro procos. Africæ: *Innocentes sub specie falsæ criminationis non patimur callidorum impugnatione subverti: qui si tentaverint, intelligant sibimet severitatem legum pro commissis facinoribus incumbere. Data 4. idus Mart. Mediolano Honorio Aug. III. Et Entychiano Coss.* Et item ibi post alia: calumniatores etiam sunt, qui falsa deferentes, contra cujusque innocentis personam, Principum animos ad iracundiam commovere præsumunt. Qui omnes infames effecti in exilio detrudentur. Et sanctus Zosimus Papa ad Aurelium, & ad universos Episcopos per universas Provincias constitutos, ostendit quantum scelus sit calumnia, dicens: Lazarus dudum in Taurinensi Concilio gravissimorum Episcoporum sententiis pro calumniatore clamatus est, cum Briccii innocentis Episcopi vitam falsis objectionibus appetisset. Quia sicut leges publicæ mortem inferunt delatoribus, id est, calumniatoribus: ita Ecclesiastica censura Ecclesiasticos ministros gradu privari debere decernit.

Capvt IX.

De eo quod post Sacramentum homines suos sine Regis licentia emisit è regno.

DE his, sicut in petitione Regis continetur, quòd post Sacramentum illi præstitum, ut de regno suo sine ipsius licentia non exirent: & in sua infidelitate verbis vel scriptis, in regno ejus, aut extra regnum suum, sine ipsius licentia non exirent: & post illud Sacramentum, ad sedem Apostolicam furtim & latenter, atque mendaciter iterum eum accusare pro Pauliaco Villa Hincmarus eos direxit: Regiæ benignitatis interest, utrum eis aut legaliter reputare, aut misericorditer parcere velit. Et tunc demum ipsi, quorum Parochiani sunt, eos secundùm modum culpæ, modo pœnitentiæ subdere procurabunt. Verumtamen sicut Dominus ad Pilatum dicit: *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet:* Qui eos ad peccandum vel suasit, vel pellexit, vel pertraxit, Majus illis exinde peccatum habet: plus, inquit Ambrosius, Astringitur qui labi infirmum coegerit; unde & Apostolus: Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: & peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est. Et B. Gregorius in regula Pastorali dicit; scire etenim debent Prælati, quia si perversa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quod ad subditos suos perditionis exempla trasmittunt. Vnde necesse est, ut tantò se cautiùs in culpa custodiant, quantò per prava quæ faciunt, non soli moriuntur. Et S. Gelasius ad Anastasium Imperatorem scribens: cum dicat, inquit, Apostolus, qui non solùm non facienda faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus, legibus certè vestris criminum consciosque susceptoresque latrocinantium par judiciorum pœna constringit: nec expers facinoris estimatur, qui licet ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdusque receperit. Vt ille igitur de quo scriptum est, *Qui peccavit, & peccare fecit Israel*, duplici reatu frater Hincmarus constringitur: in eo quidem quod ipse pejeravit, & in eo quod alios pejerare fecit.

Capvt X.

De inobedientia ejus erga Regem.

DE eo quod in petitione Regis continetur, quia isdem Hincmarus in Synodo Episcoporum decem Provinciarum dedit ei libellum nomine scriptum, qui ita se habet: Ego Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis Episcopus, amodo, & deinceps domno seniori meo Carolo Regi, sic fidelis & obediens secundùm ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet. Et postquam hujusmodi libellum in Synodo illi dedit, sine sua licentia noctu fugâ lapsus à Attiniaco Palatio suo discessit.

Quem ad se venire mandavit, ut diceret qua ratione aufugerit. At ipse ad eum, sicut jam & aliis vicibus, venire contempserit. Contra inobedientiam ejus sacra Scriptura dicit: *Melior est obedientia quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipes arietum.* [Tantò, inquit Gregorius, Deum quisque citiùs placat. Quantò ante ejus oculos repressâ arbitrii sui superbiâ, gladio præcepti se immolat. Quo contra Ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Si enim quasi peccatum Ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere: sola est quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis convincitur, etiamsi fidelis esse videatur.] Et sacri Sardicenses Canones, invitatum, vel evocatum Episcopum à religioso principe ad comitatum ire præcipiunt. Et in Evangelio legimus Dominum soluisse tributum Cæsari, ut nobis perpetuæ libertatis gratiam donaret. Vnde Catholici doctores: servivit, inquit, Dei filius homini Regi, qui divinæ servitutis ignorabat obsequium, ut nobis per hoc etiam humilitatis formam tribueret: insinuans videlicet quantùm per charitatem servire debeamus invicem, cum ipse non despexerit ei qui veræ charitatis erat nescius, impendere servitium. Vbi hoc quoque suo præmonstravit exemplo, quia

quia postmodum per Apostolorum Principis A erat verba docturus: *Subditi*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus tanquam ab eo missis.* Hinc S. Augustinus in sermone 6. Evangelii Ioannis: [Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit: Regem reveremini. Noli dicere, quid mihi & Regi? quid ergo tibi & possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? noli dicere possessiones tuas; quia ipsa jura humana renunciasti, quibus possidentur possessiones.]

Cùm igitur & Dominus suo exemplo & Apostolica regula Regem honorare, Regique subjacere præcipiat: & frater Hincmarus ostendere nequear, ut Domnus Rex contra fidem B vel bonos mores præceperit: & sacra Scriptura inobedientiam idololatriæ atque ariolationi comparet; non mediocriter in judicium B. Gregorii decidit, qui hujusmodi hominem adeo infidelitate denotavit, ut diceret: Sola est quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis esse convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. De professione autem & subscriptione sua refragata, sacri Carthaginenses Canones decreverunt, ut si quis contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. Et S. Leo ad Rusticum Narbonensem Episcopum, de Sacerdotibus quocumque crimine lapsis dit: Scriptum est; Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo? unde hu- C jusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illi satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

CAPUT XI.

De eo quòd Regiæ potestati armata manu resisti fecit.

HIs autem, quæ Domnus Rex in petitione sua in Synodo humilitati nostræ porrecta dicit, fratrem Hincmarum egisse, videlicet quia cum hominibus, tam liberis, quàm & colonis D vel servis secum degentibus armatis, contra Regiam potestatem missis suis resisti fecit: ut quod secundùm legem præceperat, Missi ejus legaliter implere non possent: id est, ut quosdam liberos homines de Regno suo Hincmaro commendatos, qui de infidelitate Regis reputantur, & rationem diffugere velle dicebantur, secundùm legem & antiquam consuetudinem fidejussione constringerentur. Apostolus contrà dicit: *Omnis*, inquiens, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem re- E sistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim est minister tibi in bonum. Si autem malè feceris, time: non enim gladium sine causa portat. Dei enim minister est: vindex in ira ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem:* Et hinc S. Innocentius ad Exuperium Tolosanum Episc. Legimus à Deo potestates has fuisse concessas; & propter vindictam noxiorum, gladium fuisse permissum; & Dei ministrum esse datum in hujusmodi vindicem. De his ergo, ita ut hactenus servatum est, sic habemus, ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Et S. Cyprianus in 9. abusionis gradu dicit: Regem correctorem iniquorum esse oportet. Et item idem: [Vndecimus abusionis gradus est plebs sine disciplina: quæ dum disciplinæ exercitationibus non servit, communi perditionis laqueo se constringit. Ira etenim Domini absque disciplinæ rigore non evaditur. Sicut enim tunicâ totum corpus tegitur præter caput, ita disciplina omnis Ecclesiæ præter Christum: quia Ecclesia & sub disciplina ejus protegitur, & ornatur. Ipsa verò tunica contexta desuper fuerat per totum; quia eidem Ecclesiæ disciplina à Domino de cælo tribuitur & integratur. Tunica enim corporis Christi disciplina Ecclesiæ est. Qui autem extra disciplinam est, alienus à Christi corpore est. Non scindamus igitur illam; sortiamur de illa: non solvamus quicquam de mandatis Christi; sed unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Deum.] Et quia Leo ad Rusticum Narbonensem Episc. scribens decrevit, ut id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum. Et S. Gelasius decrevit servanda quæ sunt secundùm tramitem sanctarū Scripturarum traditionemque Majorum: Frater Hincmarus non mediocriter hoc facto contra regulas sacras excessit. Qui enim in Ecclesiasticis regulis legit, quas, ut Cælestinus scribit, nulli Sacerdoti licitum est ignorare, à Principibus terræ leges ab Ecclesia, & pro Ecclesia petitas, & promulgatas, non debuerat leges dissolvere, vel eis, minimè autem militari manu, contraire. Dicit enim B. Ambrosius in Epistola contra Auxentium: Repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim sunt munimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere. Et item: habeo defensionem, sed in orationibus pauperum. Cæci isti & claudi debiles & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt. Denique munera pauperum, Deum obligant: quia scriptum est, qui largitur pauperi, Deo fœnerat. Præsidia bellatorum divinam sæpe gratiam non merentur.] Quid igitur obedientius potest esse, quàm ut Christi sequamur exemplum, qui specie inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Denique omnes per obedientiam liberavit. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt plurimi; ita per unius obedientiam justi, constituentur multi.*

CAPUT XII.

De eo quòd Regi infideles à se fraudulenter emisit.

DE eo quod in præfata petitione Domni Regis continetur, quia sicut frater Hincmarus Missis suis dixit, ipse à se homines suos qui de infidelitate Regis reputantur, emisit: sentiendum videtur, quod S. Gelasius in Epistola ad Anastasium Imperatorem dicit: [Apostolus inquit, qui non solùm non facienda faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus. Proinde

Proinde sicut non potest perversitatis communicatore suscepto, non pariter perversitas adprobari: sic non potest refutari perversitas complice sectatore perversitatis admisso. Legibus certè vestris criminum conscios, susceptoresque lattocinantium par judiciorum pœna constringit: nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatè fœdusque receperit.] Et S. Cyprianus: [Duodecimus abusionis gradus est, populus sine lege: qui dum Dei dicta, & legum scita contemnit, per diversas errorũ vias eundo, perditionis laqueum incurrit. Vtique multæ perditionis viæ tunc inceduntur, cùm una regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram, neque ad sinistram declinat, per negligentiã deseritur. Igitur populus sine lege, populus sine Christo est. Non itaque non simus sine Christo in hoc tempore transitorio, ne sine nobis Christus esse incipiat in futuro.] Non leviter igitur frater Hincmatus excessit, eosdem homines virtute defensans, & à se fraudulenter emittens; ne secundùm leges constringerentur, ut aut per legem liberarentur, aut per legem judicarentur. Quia, sicut Hilarus Papa dicit, reatu majore delinquit, qui potiore honore perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum. Et si, ut Cyprianus dicit, populus sine lege, populus sine Christo est: Episcopus legem conculcans exhonorare videtur Christum, qui dicit: *Per me Reges regnant, & conditores legum justa decernunt.* Vnde timendum illi est, quod B. Cyprianus dicit: Non fiamus ergo sine Christo in hoc tempore transitorio, ne sine nobis Christus esse incipiat in futuro.

CONCLVSIO.

Quorumdam criminum recapitulatio, & quòd leges Ecclesiastica servanda sint.

DE fidelitate autem contra juramenta à se præstita, & contra professiones & contra subscriptiones suas refragata, egimus. Sed & de seditione sufficienter supra responsum putamus. Hoc tamen super adjiciendum vidimus, ut in beato Ambrosio contempletur, quantùm cavere debuerat, ut in tot seditionibus à se commotis, sicut multi se nosse dicunt, humanus sanguis effundi non posset. Ait enim de se idem B. Ambrosius: [Dominicâ post lectiones, atque tractatum, dimissis Cathecumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisterii tradebam Basilica. Illic nunciatum est mihi, comperto quod ad Portianam Basilicam de Palatio Decanos misissent, ut vela suspenderent: populi partem eò pergere. Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi à populo Castulum quemdam, quem Presbyterum dixerunt Ariani: hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, ut subveniret, ne cujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret effusus. Certè ut meus sanguis pro salute non solùm populi, sed etiam pro ipsis impiis profunderetur. Quid multa? Missis Presbyteris & Diaconibus eripui injuriç virũ.] Hæc sunt enim Episcopi; *Quia nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit:* & non militari manu regi resistere; ac per hoc, ut Apostolus monstrat, Dei ordinationi resistere.

Et quisquis Clericorum, in quibus connumerantur Episcopi, contra tramitem scripturarum, traditionemque majorum contumaciter venit, ordinis sui detrimentum patenter incurrit: quia nemo judicum Ecclesiasticorum, Ecclesiasticarum regularum judiciis audet, aut prævalet obviare. Cùm S. Leo decernat, secundùm sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis, intemeratum habere: ita ut à regulis præstitutis nullâ aut negligentiâ, aut præsumptione discedant. Et S. Augustinus in libro de vera religione dicit: Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, non est fas judicare. In istis autem temporalibus legibus, quamquam de his homines judicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas. Et S. Cælestinus: Quæ, inquit, à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentiæ populis permissa, frangatur? Et si Imperatores Romanorum suas leges æternas vel perpetuas appellaverunt, multò magis leges illæ æternæ atque perpetuæ sunt, quæ sunt sancto Spiritu promulgatæ. Vnde Leo ad Anatolium scribens, dicit: [Sancti illi & venerabiles patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Arrio cum sua impietate damnato mansuras, usque in finem sæculi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt. Et apud nos & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt: & si quid usquam, aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem instituta sunt, nulla commutatione varientur.] Et sacrũ Carthaginense Concilium sub Grato Episcopo dicit: [De quibus apertissimè divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potiùs exequenda. Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia, nemo contra Apostolos facit sine periculo. Et quæ facta vel dicta superiùs comprehensa sunt, vel aliis Conciliis conscripta, quæ secundùm legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis verò statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laïcus est, communione; si clericus est, honore privabitur.] Et S. Papa Hilatus dicit: Quia non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur. Et Dei virtus, ac Dei sapientia per Salomonem præcepit dicens: *Ejice derisorem, & exhibit cum eo & jurgium, cessabuntque causa & contumelia.* Et per semetipsam dicit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cælestis, eradicabitur. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, nisi incrementum det Deus.*

PARS QVARTA CONCILII.

Acta Synodi cum Hincmaro Laudunensi Episcopo canonicè vocato & præsente.

CAP. I.

Ter vocatus ad Synodum tandem comparet.

ET dum hæc omnia præmissa legebantur in Synodo, quoniam isdem Hincmarus non in angusto

angusto tempore, & Regis, & Metropolitani suis litteris ad eandem Synodum regulatiter evocatus: & quia de certis causis, certæ personæ, querelarum petitiones adversùs eum deponebant, à Metropolitano suo venire præmonitus, venire cõtempsit: per ter, ternis Episcopis, ac ternis Presbyteris, ternisque Diaconibus ad eandem Synodum est iterum vocatus hoc modo.

Directis ad eum Hildeboldo Suessionicæ urbis Episcopo, & Adelulfo Presbytero, atque Hadeberto Diacono, ei dicentibus: Frater Hincmare, domnus Apostolicus Hadrianus misit Hincmaro nostro Metropolitano epistolas, de causis Remorum diœceseos: sed & tibi specialem mittit epistolam, quas in Synodo coram fratribus nostris, sed & coram te recitari oportet. Necnon & certæ personæ, de certis causis petitiones adversùm te porrexerunt in Synodo. Propterea sancta Synodus, quæ apud Duziacum parochiæ Remensis convenit: sed & prædictus Metropolitanus noster, mandant tibi auctoritate domni Apostolici & sacrorum Canonum, ut quantociùs ad Synodum convenias, & ibi mandata domni Apostolici audias. Sed & his quæ per libellos proclamationum contra te deponuntur, sicut regulæ jubent, respondeas. Isdem verò Hincmatus obtulit eis prolixam rotulam defendendam in Synodo, & Sedem Apostolicam appellare se dixit. Cui præfatus Episcopus, Presbyter, & Diaconus responderunt. Veni ad Synodum, ad quam regulariter es convocatus; & audi mandata domni Apostolici; & responde de his regulariter, quæ opponuntur tibi: & tunc, si necesse tibi fuerit, secundùm regulas Sedem Apostolicam appellare, sicut præcipiunt Canones, appellationem tuam prosequare. Et si tibi appellare necesse non fuerit, & aut voluntarius, aut à Sede Apostolica vocatus illuc ire volueris: cum fraternitatis unanimitate, religiosum iter aggredere. Et insuper præfatus Episcopus, Presbyter, & Diaconus addiderunt. Mandant tibi omnes Episcopi, qui ad illud Concilium convenerunt, ut ad Synodum illorum, ad quam regulariter es vocatus, venire non dubites: quia pro illius personæ respectu, tibi nullum præjudicium contra sacras regulas inferent: sed sicut justiùs, & rationabiliùs, Domino revelante, scire potuerint, de his quæ adversùm te proponuntur, æquali lance secundùm sacras regulas & leges judicia proferent.

Et quia quendam Presbyterùm suæ rusticanæ parochiæ, de villa Remensis Ecclesiæ, nomine Haimeradum secum habebat, Romam mendaciter proclamare ducendum, de rebus inutilibus, de quibus, nec ad Metropolitanum, nec in Synodo comprovinciali se reclamavit; cùm plusquam centies in eadem villa ubi est Haimeradus Presbyter ordinatus, cum Metropolitano fuerit, & plures Synodi in eadem provincia, & in sua vicinitate habitæ fuerint, postquam Hincmarus Laudunensis fuit ordinatus Episcopus. Sed nec de his se reclamavit apud Synodum, quæ à longo tempore diffinita manserunt, & usque ad nuperrima Hincmari Laudunensis tempora obtinere non potuit: cùm leges dicant, ut res olim judicata post longum silentium in judicium deduci non potest: & longum tempus inter præsentes, decennium computatur: & Canones etiam inter Episcopos diffiniant, ut si quisquam aliquem locum per triennium obtinuerit, nemine repetente, si tamen per ipsum triennium fuit Episcopus, qui posset repetere, & tacuit, ulteriùs non repetatur. Et item leges atque Canones, & decreta Gelasii diffiniunt, ut ultra 30. annos nulli liceat pro hoc appellare, quod legum tempus excludit. Et parochia de qua isdem Presbyter queritur, per septuaginta & ampliùs annos sine altercatione fuit: donec conhibente, & ut quidam dicunt, instigante Hincmaro, isdem Presbyter ea quæ sua non fuerunt, obtinuit: unde hactenus villani homines adversùs eum, sed & adversùs Hincmarum reclamant. Quapropter præfatus Episcopus, Presbyter, & Diaconus adjecerunt, dicentes: Metropolitanus, etiam noster Hincmarus, & Coepiscopi Remensis provinciæ mãdant tibi, ut Haimeradum Presbyterũ parochiæ tuæ, quem tecum habes, ad hinc comprovincialem Synodum in Remensi parochia venire jubeas: quatenus ibi de omnibus querimoniis ejus, de quibus Haimerado absente, & in Laudunensi parochia commorante Hincmaro Metropolitano nostro, in Synodo apud Attiniacum Remensis parochiæ, anno præterito rotulam dedisti, quam secum habet, sicut præcipiunt Canones, regularia judicia, præsente ipso Haimerado, determinentur. Quia secundùm sacras leges, neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest: nisi ingratum libertum patronus accuset; aut in absentia defendatur. Et Canones jubent qui se læsos existimant, comprovincialibus Synodis adesse debere, ut Synodi experiantur examen.

Sed & Hincmatus Metropolitanus Heiroardum Diaconem suum ad eundem Haimeradum Presbyterum misit, vocans eum ad Synodum; hoc modo: Haimerade, Hincmatus Metropolitanus Remorum Episcopus, & Coepiscopi Remensis provinciæ, mandant tibi ut venias ad hanc provincialem Synodum in Duziaco Remensis parochiæ, si te læsum existimas: quatenus ibi de querimoniis tuis, de quibus tuus Episcopus Hincmarus, Hincmaro Metropolitano Episcopo, in Synodo apud Attiniacum, te absente, rotulam contextam donavit, quam secum habet, ut secundùm sacros Canones de his, te præsente, regularia judicia terminentur.

Et quia nec sic vocati isdem Hincmarus Episcopus, & Haimeradus Presbyter, venerunt ad Synodum, iterum eodem modo per Ioannem Episcopum Camaracensem, & Vvinefridum Presbyterum, ac Bernonem Diaconum, isdem Hincmatus Episcopus est vocatus. Et per Hildradum Diaconum Remensis Ecclesiæ, præfato modo Haimeradus Presbyter est vocatus. Similiter & tertiò per Rainelmum Tornacensem Episcopum, & Vvanilonem Presbyterum, ac Bernonem Diaconum Hincmatus vocatus, tandem venit ad Synodum. Presbyter autem Haimeradus non venit.

CAPVT II.

Accipit à Synodo petitionem Regis, & literas Hadriani.

ET Hincmaro præsente in Synodo, iterum domnus Rex Carolus petitionem proclamationis adversùs eum porrexit: quæ coram eo est relecta, & per Hodonem Belgivacorum Episcopum illi data, ut diligenter eam inspiceret: & haberet inducias, quatenus his quæ ibi continentur, singillatim ad singula regulariter in Synodo responderet. Sed & epistola domni Hadriani Papæ in Synodo est illi data: & ipso jubente,

bente, & inspiciente, ab Hodone Episcopo relecta: ne more suo Hincmarus denegaret ea in illa contineri, quæ ibi continentur. Cujus & exemplar his gestis dignum duximus inserendum.

Hadrianus Episcopus servus servorum Dei, Hincmaro Laudunensi Episcopo. Sollicitudine pastorali super tua remorationis negotio liquidiùs perscrutantes, reperimus te sanctæ Sedis Apostolicæ promissa visitatione, ambitus propriæ voluntatis, quo satis tergiversatoriè uti diceris, tepidum reddidisse: & aut nunquam visitare sanctorum Apostolorum limina voluisti, aut Dominum vota tua non audire credidisti, aut & Dominum cui vovisti, & nos à quibus vocari voluisti, procul dubio contempsisti. Ergo ne fortè, ut credimus, occasione adeundæ Sedis Apostolicæ fretus, à reverentissimi fratris nostri Hincmari Metropolitani tui debita subiectione aliorsum declinans, tantò liberiùs libita per abusum pertinaciæ tuæ committas, quantùm & Metropolitano regulariter subjici, & ad nos de die in diem differendo venire detrectas: auctoritate sancti Spiritus tibi præcipimus, ut memor sacrorum Canonum, qui jubent per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, Metropolitano tuo per omnia, secundùm sacros Canones, subjectus existas: neque molestè feras hunc tibi esse prælatum, qui te nosti tuis ovibus esse præpositum. Quin potiùs, obedientiam quam à tuis exigis, etiam ipse Metropolitano tuo, salvo duntaxat Apostolicæ Sedis synodico proclamandi judicio, canonica lege dependens vota tua, si verè vota fuerunt, procrastinando tandiu non differas, ne existimationis tuæ merearis, quam non optamus, sustinere iacturam.

CAPUT III.

Denuò vocatus ter ad Synodum, tandem advenit.

Sequenti autem die Synodus Actardum Episcopum, & Vvinefridum Presbyterum, & Adalgarium Diaconem, ad eundem Hincmarum direxit, mandans illi hoc modo: Frater Hincmare, mandat tibi sancta Synodus, ut si præparatus es breviter & capitulatim reddere rationem de his, quæ pridiè opposita sunt tibi per scripturam à domno Rege, de quibus jamdiu fuisti impetitus, & non in angusto tempore à Metropolitano tuo præmonitus, vade ad Synodum, & propone tuam defensionem & justificationem præparandam; qualiter te exuere possis ab his quæ opposita sunt tibi: & proxima die sabbati veni ad Synodum, & sicut tibi supradictum est, responde capitulatim de tibi oppositis. Quia, ut dicit beatus Gelasius, ideo vocatur ad judicium certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Isdem autem Hincmarus iterum ad se missis prolixam rotulam obtulit Synodo deferendam. Qui responderunt, ut ipse per se in Synodo responderet objectis.

Deinde missi sunt à Synodo ad Hincmarum Rainelmus Episcopus, & Vvanilo Presbyter, & Berno Diaconus, dicentes illi hoc modo: Frater Hincmare, quia non in angusto tempore primùm, & regiis litteris, & Metropolitana sollicitudine, insuper & auctoritate Apostolicæ Sedis, ad certum locum, & diem, de præsignatis tibi rebus regulariter evocatus ad Synodum, venire detractasti; iterum ab hac Synodo evocatus, usque dum tibi fuit visum, distulisti venire:

A quò tandem te perveniente denuò domnus Rex in tua præsentia eandem petitionem porrexit in Synodo, quæ ibi coram te fuit relecta, & à Synodo per venerabilem Coepiscopum nostrum Hodonem, tibi data, ut diligenter inspiceres quæ tibi objiciuntur; & inde ad singula capita singillatim & capitulatim in Synodo responderes. Deinde Synodus die sequenti, per venerabilem Coepiscopum nostrum Actardum, & Vvinefridum Presbyterum, & Adalgarium Diaconem, tibi mandavit, ut, si præparatus eras breviter & capitulatim rationem de his, quæ tibi sunt per scripturam à domno Rege opposita, respondere, ires ad Synodum. Sin autem, haberes inde die illo & in crastinâ inducias ad præparandam tuam responsionem; & hodie ita præparatus venires ad Synodum, quatenus de his quæ objiciuntur tibi, responderes. Quapropter post has inducias, si ad respondendum de his quæ objiciuntur tibi, ita es præparatus, sicut Synodus tibi mandavit: vade ad Synodum, & de his quæ tibi opposita sunt, redde regulariter rationem. Quia, ut dicit sanctus Gelasius, ideo vocatur ad judicium certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. De prolixis tuis rotulis ex eis causis contextis, de quibus Metropolitanus tuus pro loci sui officio te ad correctionem tuam præmonuit, quas relegendas in Synodo agis, & ipse fers, nec tibi est ratio Synodo eas offerre; nec legaliter, vel regulariter eas Synodus ad legendum, vel quamcumque tuam proclamationem ad discernendum vel decernendum potest recipere, donec de his, quæ tibi sunt per scripturam opposita, legaliter & regulariter rationem reddas in Synodo: nec potes legaliter ac regulariter quemquam de quacumque causa in judicio synodali impetere, usquedum legaliter ac regulariter exutus fueris ab his quæ sunt tibi apposita. [Neganda est, inquiunt sacræ leges, accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint. Nam sanctionum veterum conditores adimendam licentiam omnibus censuerunt, in accusatores suos invidiosam dicendi vocem. Nullam itaque obtineat auctoritatem in judiciis periclitantium furor; qui si latiùs evagetur, nec ipse quidem cognitor tutus erit, aut quæstionem securus agitabit; qui exequendo juris severitatem, non potest illorum quos punit, odium evitare.] Et sacrum Africanum decrevit Concilium, ut ad accusationem non admittantur, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt.

CAPUT IV.

Tandem præsens interrogatus in Synodo, recusat respondere, & Regem calumniatur.

Tandem 19. Kal. Augusti, 4. indictionis, residentibus Episcopis qui convenerant, cum Presbyteris, & diversarum ecclesiarum legatis, adstantibus Diaconibus, cum laïcis fidelibus, domnus Rex eidem Synodo præsentavit, ut proclamationem suam legaliter ac regulariter prosequeretur. Vocatus est autem & frater Hincmarus ad Synodum. Quò veniens cum Presbyteris & Diaconibus Laudunensis Ecclesiæ, dixit ei Metropolitanus suus Hincmarus Remorum Episcopus: Frater Hincmare, tu scis quam petitionem proclamationis adversùm te domnus

domnus Rex de certis causis huic sanctæ Synodo porrexit, quæ & coram te relecta, & tibi data est, ut eam diligenter inspiceres, & singillatim ad singula regulariter responderes. Propterea acceptis ad respondendum induciis, de his unde non in angusto tempore fuisti præmonitus; videlicet de his, quæ anno præterito in Synodo apud Attiniacum fuisti impetitus, quoniam ea, sicut ibi conventum fuerat, non es regulariter prosequutus: profer eandem petitionem, & responde, sicut præcipiunt regulæ, de singulis tibi objectis.

Cui frater Hincmarus respondit: spoliatus sum omnibus rebus & facultatibus meis, & ideo nihil in hac Synodo respondebo. Et protulit quaterniones de sinu suo, & cœpit legere sententias de appellatione Episcoporum. Cui dixit Hincmarus Metropolitanus Episcopus: Frater Hincmare, habemus Sardicenses Canones à Sede Apostolica confirmatos, qui dicunt, de quibus, ac qualiter Episcopus appellare debeat Sedem Apostolicam. Hæc quæ legis, ubi invenisti? qui respondit: Felicis Papæ sunt verba. Cui Synodus sancta dixit: Responde in hac Synodo. Sicut præcipiunt regulæ, de tibi objectis: Et tunc, si necesse tibi fuerit secundùm regulas Sedem Apostolicam appellare, sicut præcipiunt Canones, appellationem tuam prosequere. Et si appellare tibi necesse non fuerit, & aut voluntarius, aut à Sede Apostolica vocatus, illuc ire volueris, cum licentiâ domni Regis, & fraternitatis nostræ unanimitate religiosum iter illud aggredere. Ad hæc frater Hincmarus respondit: spoliatus sum omnibus rebus & facultatibus meis: nihil ad hæc quæ objiciuntur mihi, respondebo.

Cui Synodus sancta respondit: Dic, frater, certas personas, quæ te exspoliaverunt rebus & facultatibus tuis. Qui respondit: Isti mei clerici sciunt, quis me exspoliavit. Synodus illi respondit: Tu ipse potes dicere; ætatem enim habes, & licentiam respondendi. Qui respondit: Isti mei Clerici dicant. Et conjuratus Fagenulfus Presbyter Laudunensis Ecclesiæ, ut memor ordinis sui, veritatem & corde, & ore inde proferret, quem sciret Episcopi sui à sede, & rebus, & facultatibus ecclesiasticis spoliatorem esse. Qui dixit: Etiam de se nullam potestatem habet, cui Rex dixit: Dic certas personas, quæ eum exspoliaverunt: Et ego faciam inde, secundùm legem, justitiam. Cui Fagenulfus dixit: Vos illum exspoliavistis. Tunc Rex surgens, Synodo dixit: Non dicit iste frater verum.

Regiis litteris, more præcessorum meorum, Hincmarum Laudunensem Episcopum ad hanc Synodum convocavi: & post eandem convocationem, certa relatione fidelium meorum comperi, quia homines liberi de regno meo sibi commendati, mihi infideles erant, unde etiam comprobati fuerunt. Et jussi Comiti, & meis missis, sicut in petitione mea continetur, ut eosdem homines, secundùm legem & antiquam consuetudinem, per fide-jussores mitterent, usque ad rationem reddendam. Et iste Hincmarus Episcopus, tam liberos quàm & colonos, & servos secum degentes, contra meam regiam potestatem armari, & missis meis resisti fecit; ut quod secundùm legem præceperam, missus meus legaliter implere non posset. Quod cùm mihi nunciatum fuit, quoniam eum, sicut & cæteros Episcopos qui ad Synodum convocati fuerunt, cum paucis hominibus venire jusseram, ut alii eorum homines parati essent ad patriæ defensionem contra Nortmannos: & Hincmarus cum omni plenitudine suorum hominum, armata manu veniebat ad Synodum: Direxi Missos meos ad ipsos homines, & mandavi eis ut parati essent, sicut & antea jusseram, quatinus, mox ut eis mandarem, ad locum ubi militia de ipso Episcopio Laudunensi contra paganorum infestationem ad custodiam esse solebat, irent: Et decem vel duodecim de ipsis casatis hominibus, præter clericos & servientes, cum Hincmaro venirent ad Synodum, qui & illi veluti seniori obedirent, & ei servirent, & ad sua custodienda sufficerent.

Deinde nunciatum est mihi certa relatione, quia ipsos homines & propinquos suos, qui de mea infidelitate reputantur, & quos per fidejussores mittere jussi, usque ad rationem reddendam, à se Hincmarus latenter cum facultatibus ecclesiasticis, ne ad rationem venirent, emisit, & fugam arripere fecit. Post quos, & ipse, sicut & jam sæpè fecerat, fugâ lapsus ne veniret ad Synodum, vellet abscedere. Et insuper facultates ecclesiasticas, & vasa sacra, & vestimenta; sed & alia, quæ ego, & uxor quondam mea, Ecclesiæ sanctæ Mariæ Laudunensis Episcopii in nostra eleemosyna dederamus, & bonæ memoriæ prædecessor suus Pardulus Episcopus, eidem Ecclesiæ reliquerat, fraudulenter secum asportabat. Et ideo misi fidejussores, ut satagerent ne isdem Hincmarus cum thesauro & facultatibus ecclesiasticis fugam arripere posset. Et si ad Synodum venire vellet, liberè eum venire permitterent, & nullam violentiam, vel dehonorationem illi facerent: Et sui clerici, ac sui vassalli & servientes, illi debitum obsequium, sicut seniori & Episcopo, exhiberent: mei autem homines, quos ad præfatam custodiam miseram, à longè in circuitu illius custodiæ agerent, ne ipse cum eis quæ sunt Ecclesiæ, post fugitivos à se missos, effugere posset.

Hincmarus autem post tertiam regularem evocationem, venit ad Synodum, & noluit ire ad mansiones, quas sui homines præmissi acceperant, & ad quas dispensa sua adducta fuerat: sed dixit mihi, quia non haberet mansionem. Et dixi illi, ut si vellet, iret ad suas mansiones: sin autem, maneret in mansione juxta Ecclesiam in corte mea. Et respondit, se ita velle. Et præcepi custodi nostro Bernoni, ut eum cum honore exciperet, & sua scrinia cum Hincmari clericis & hominibus custodiret, si Hincmarus sic vellet. Sed Hincmarus ad mansiones suas perrexit: & sua scrinia salva & inviolata ei fuere delata. In quibus & crux aurea cum gemmis pretiosis, quam uxor mea bonæ memoriæ Yrmintrudis, sanctæ Mariæ Ecclesiæ Laudunensis donavit, cum aliis ecclesiasticis rebus, adhuc in eisdem habetur scriniis: & nullus meorum fidelium illi vel suis contradixit, ut quando vellet, ad Ecclesiam ire non posset. Et ecce clerici religiosi & laïci nobiles, cum quibus hæc ita esse possunt probare.

Et productis utriusque ordinis testibus, probata sunt hæc ita se habere. Sed & ipse Fagenulfus, ac cæteri clerici Laudunensis Ecclesiæ, hæc ita esse dixerunt. Hincmarus autem more suo, quandoque confitebatur, quandoquidem verò negabat.

CAPVT V.

Convincitur in Synodo spoliati thesauri Laudunensis Ecclesiæ.

ET probatum est coram omnibus in Synodo, quia calicem onychinum de ipsa Ecclesia auro & gemmis ornatum, & patenam onychinam, quam Domnus Rex sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ dedit, auro & gemmis ornatam, de scriniis suis, ne in suis scriniis invenirentur, ipso die Presbytero suo Yrminoni latentiùs jussit accipere: sicut & ipse Yrmino ibidem fuit confessus: sed & reliquias, quæ & ab antiquo tempore in eadem fuerunt Ecclesia, & quas decessor illius Pardulus, Rege & plurimis aliis largientibus, ipsi Ecclesiæ contulit, cum præfata cruce, quam Yrmintrudis quondam Regina Ecclesiæ Laudunensi donavit: sed & præcepta, & instrumenta chartarum, de rebus ipsius Ecclesiæ, secum asportare est accusatus. Crucem quoque auream cum ligno sanctæ Crucis, quam Pardulus decessor suus sanctæ Mariæ dedit, ipse Hincmarus ibidem secum habebat. Quæ cùm ab eo fuit reperita, dixit, ut si Hincmarus Metropolitanus suus ei præciperet, utique illam redderet.

Hincmarus autem Metropolitanus, intelligens quòd de exspoliatione, sicut & de aliis, more suo eum falsò insimulare vellet, proferens librum Canonum, dixit: Non aliter tibi reddere aliqua jubeo, nisi velut hæ regulæ dicunt. Et jussit has regulas in Synodo recitari: [Quæ sunt Ecclesiæ sub omni solicitudine, & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat, judicatæ serventur. Quæ etiam dispensanda sunt judicio & potestate Pontificis, cui commissus est populus, & animæ quæ intra Ecclesiam congregantur. Manifesta verò sunt quæ pertinere videntur Ecclesiæ, cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum sunt: ita ut cognoscant, nec ignorent quæ sint Ecclesiæ propria; nec eos aliquid lateat: ut, si contigerit Episcopum migrare de sæculo certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ conlapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi, sub occasione eorum pervadantur Ecclesiæ. Iustum namquam & acceptum est coram Deo, & hominibus, ut sua Episcopus quibus voluerit derelinquat; & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ: ut nec Ecclesiæ aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ.]

Quâ perlectâ sententiâ, Domnus Rex dixit: Iste Hincmarus Laudunensis Episcopus est, de nihil habentibus: quia quando est ordinatus Episcopus manifestum est, quia nec unum habebat denarium. Nam avunculus suus eum de rebus & facultatibus pascebat, & vestiebat Remensis Ecclesiæ, in qua eum totondit, & nutrivit, & per singulos gradus ecclesiasticos ordinavit. Et Hincmarus Laudunensis Episcopus respondit, quia res & mancipia habebat. Quod constat esse mendacium. Nam nec unam tigam de terra, nec ullum habebat mancipium proprium, nisi quantùm avunculus suus Hincmarus apud propinquos & cohæredes suos, sed & apud matrem suam, aviam scilicet istius Hincmari, eo modo de rebus & mancipiis quædam illi tradi obtinuit, ut ipsa invita sua illa haberet, & post suum discessum Hincmarus ea possideret: quæ avia illius easdem res & mancipia in sua pote-

A state per annum & ampliùs quàm quatuor menses habuit, postquam Hincmarus Laudunensis Episcopus ordinatus fuit. Sed & pater ejusdem Hincmari Laudunensis Episcopi res & mancipia suæ hæreditatis; sed & res & mancipia matris ipsius Hincmari olim defunctæ, in sua potestate habebat: qui per aliquot annos in corpore vixit, postquam Hincmarus fuit ordinatus Laudunensis Episcopus: & nec quantùm valet unus denarius, de omnibus rebus suis se melioratam sensit hactenus Laudunensis Ecclesia. Et quid de nihil habentibus in Clerum ordinatis decernant Africæ Provinciæ Canones, B constat esse notissimum.

Et quia propinqui ipsius Hincmari sunt, qui cùm aliis facultates ecclesiasticas fugâ lapsi asportaverunt: & per diversa loca libri & facultates de ipsa Ecclesia ab Hincmaro per diversos latenter dicebantur esse commendata: lecta est etiam hæc quæ sequitur sententia Canonum. [Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summâ reverentiâ & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis quàm fratrum qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturus: ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur juxta sanctum Apostolum sic dicentem: Habentes vitam & tegu- C mentum, his contenti simus. Quòd si contentus istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos; & ejus commoda, vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conscientiâ, Diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujuscemodi personas occultè cæteræ lædantur Ecclesiæ: Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat. Si autem & aliter accusetur Episcopus, aut Presbyteri qui cum ipso sunt, quòd ea quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet Ecclesiastica facultate, sibimet usurpent: ita ut ex D hac affligantur quidem pauperes; criminationi verò & blasphemiis tam forma prædicationis, quàm hi qui dispensant taliter, exponantur: & hos oportet corrigi à sancta Synodo, id quod condecet approbante.] Et post hanc lectionem, Hincmarus Laudunensis Episcopus de sinu suo producens præfatam crucem, reddidit eam Yrminoni thesaurario Laudunensis Ecclesiæ.

CAPVT VI.

Iussus ad objecta respondere, Hincmarum Metropolitanum judicem recusat per calumniam, quæ statim publicè revincitur.

ET his quæ suprà diximus legaliter ac regula- E riter probatis atque ostensis, Hincmarus Metropolitanus Episcopus Hincmaro Laudunensi Episcopo dixit. Frater Hincmare post tantas commonitiones, sicut præcipiunt regulæ, ad objecta tibi responde: quia sicut sanctus dicit Gelasius, ideo ad Synodum vocatur certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Frater Hincmarus respondit. Tua jussione non respondebo, nec judicium tuum recipiam, quoniam adversum te habeo, unde Apostolicam Sedem appello. Cui Hincmarus Metropolitanus Episcopus respondit. Non habes contra me aliquid causæ, ut me in aliquo postponere debeas, & recipere judi-

cium meum non debeas: quia licèt te sæpissimè verbis & scriptis de certis causis commonuerim, ut resipisceres; & de certis causis te præmonuerim, ut præparatus esses ad objecta tibi in Synodo respondere: nullum tamen præjudicium intuli, nec adhuc te in Synodo judicavi, ut ob hoc, Sedis Apostolicæ judicium, bonam te putans habere causam, per antiquorum Patrum Canones expetere debeas: sicut B. Gregorius ad Innocentium, & cæteros Episcopos ex sacris Canonibus promulgavit. Et accusatus in Synodo per scripturam à certis personis, & de certis causis, non potes legaliter ac regulariter me, vel quemcumque alium de quacumque causa in judicio Synodali impetere, usquedum legaliter ac regulariter exutus fueris ab his quæ sunt tibi opposita, prout sacræ regulæ & leges demonstrant. Suscipies igitur de quibus opposita sunt tibi, si ab eis exuere te non poteris, regulare judicium: reservato per omnia juris privilegio, atque judicio Romanæ Sedis Pontificis, sicut sacri Sardicenses præcipiunt Canones: & post judicium, si appellare volueris, cum tua appellatione ad illius examinis perges diffinitionem, nobis ei scribentibus, qui juxta sacras regulas causam examinavimus. Quia sic consonantes regulis, domni Hadriani mihi, & tibi Epistolæ directæ præcipiunt. Et ecce Epistola, quam mihi direxit, & exemplar illius epistolæ quam tibi direxit. Et relectæ sunt in Synodo ipsa Epistolæ.

Post quarum lectionem, dixit Hincmaro Synodus. Frater Hincmare secundùm præceptionem Domni Hadriani Papæ, esto obediens juxta sacras regulas tuo Metropolitano, & ad objecta responde: salvo Sedis Apostolicæ proclamandi judicio, sicut ipsa Domni Papæ jubet Epistola: & sic tua vota, si verè vota fuerunt, implere non differes. Ad hæc Hincmarus respondit. In ista habetur Epistola mihi directa, ut vota mea eundi Romam amodò non differam, & ad ipsam Apostolicam Sedem me ire velle appello. Cui Synodus respondit. Inspice ordinem Epistolæ ipsius Domni Papæ, & secundùm ordinem in ea taxatum tua vota implendo ad Apostolicam Sedem perge; id est, sicut in eadem continetur Epistolâ, Metropolitano tuo per omnia secundùm sacros Canones subjectus existe: neque molestè feras hunc tibi esse prælatû, qui te nosti tuis ovibus esse præpositum. Quin potiùs obedientiâ, quam à tuis exigis, etiam ipse Metropolitano tuo, salvo duntaxat Sedis Apostolicæ Synodico proclamandi judicio, canonicâ lege dependens, responde ad tibi objecta, sicut Metropolitanus tuus, & hæc sancta Synodus auctoritate sacrorum Canonum, & Domni Apostolici Hadriani Papæ jubet, & tunc si necesse tibi fuerit secundùm regulas, Sedem Apostolicam appellare, sicut præcipiunt Canones, & Epistola ipsius Domni Papæ, appellationem tuam prosequere. Et si tibi appellare necesse non fuerit, & aut voluntarius, aut à Sede Apostolica vocatus, illuc ire volueris, sicut jam tibi dictum est, cum licentia Domni Regis, & nostræ fraternitatis unanimitate religiosum iter illud aggredere. Ad hæc Hincmarus respondit. Nulli objectioni in hac Synodo respondebo, & meum Metropolitanum judicem non recipiam, quoniam adversum illum habeo, quia me à Rege in custodiam mitti fecit.

Tunc Hincmarus Metropolitanus Episcopus surrexit, & coram Synodo, domno Regi dixit.

A Domne Rex, peto dignationem vestram, ut coram ista sancta Synodo dignetur clementia vestra dicere, si meo consilio, vel meo consensu, sicut frater Hincmarus super me dicit, eum in custodia aliqua religastis, vel misistis. Ad quem Domnus Rex cum multa obtestatione nominis Domini, & in fide sua quam Deo debet, testificatus est, quod nec consilio, nec consensu ipsius Hincmari Metropolitani Episcopi, Hincmarum Laudunensem Episcopum in quacunque custodia religavit vel misit, nec eum inde aliquid interrogavit: sed si pro ejus reverentia hoc non dimisisset, jam duo anni transierunt quod in arctissimâ, & longissimâ à Laudunensi Ecclesiâ custodiâ eum religaret; quia suas insolentias B sufferre non poterat. Et nisi ipse illum insolentem Episcopum à suis quamplurimis fidelibus eripuisset, ipsi illum etiam de Palatio suo violenter abstrahere, & aut membrorum demptione deturpare, aut usque ad mortem cædere disposuerunt, propter suas insolentias, & dehonorationes ac violentias, quæ non solùm illis, sed & suæ Regiæ dignitati adeo tam multipliciter ac frequenter inferebantur, sicut nullus Episcoporum unquã in isto regno aut Regi, aut regni Primoribus hactenus intulit. Et licèt, sicut sanctus Leo ad Anatolium scripsit, sufficere posset attestatio Principis Christiani causæ, cui tam venerabilis assertor accesserit; idem tamen Hincmarus Metropolitanus Episcopus, conversus ad C Episcopos, Hodonem scilicet, & Hildebaldum, qui tunc ibi erant, sicut & Otulfus, qui ad Synodum propter infirmitatem venire non potuit; precatus est eosdem Episcopos, ut in amore veritatis quæ Christus est, quid inde scirét, veraciter Synodo responderent. Qui coram Synodo testificati sunt, in veritate & Sacerdotio suo, quia consilio, vel consensu seu hortamento Hincmari Metropolitani Episcopi, Hincmarus Laudunensis Episcopus à Domno Rege custodiæ mancipatus non fuit. Similiter & Sigemundus Presbyter & Abba, & Agenulphus Presbyter, & Angelramnus, atque Eiricus Comites, & illustres viri, & alii quamplurimi testificati sunt, qui tunc cum Rege fuerunt, quando eundem Hincmarum, ut corrigeretur, & à gradu non D caderet, Rex custodiæ mancipavit: quoniam ab eo nec hoc potuit obtinere, ut vel verbo diceret, si ad Synodum tunc proximè futuram venire debuisset: & multorum oribus dicebatur, quia Ecclesiam & plebem sibi commissam vellet deserere, & ad Hlotarium nepotem suum ire, & in regno suo vellet honores obtinere.

Et post tantorum ac talium virorum testificationem, quia Hincmarus Laudunensis Episcopus falsò Metropolitanum suum calumniatus erat: judicavit Synodus, Hincmarum Metropolitanum Episcopum ab hac calumnia exutum & purgatum; Et Hincmarum Laudunensem Episcopum, E ut calumniatorem judicari debere: & quia ejusdem Metropolitani sui judicium regulare nón posset rejicere.

CAPUT VII.

Interrogatus de singulis accusationis Capitibus, neque ad illa respondens, testibus convincitur.

TUM sancta Synodus dixit Hincmaro Metropolitano Episcopo, ut jubeat Hinc-

marum Laudunensem Episcopum quatenus ad objecta sibi regulariter respondeat. Et à synodo monitus Hincmarus Metropolitanus Episcopus dixit Hincmaro Laudunensi Episcopo: Frater Hincmare, profer petitionem proclamationis adversùm te à Domno Rege Synodo porrectam, & responde regulariter ad tibi objecta. Hincmarus autem Laudunensis Episcopus dixit, eandem petitionem in sinu suo habere: quam dum proferre non vellet, exemplar ipsius petitionis Hincmarus Metropolitanus Episcopus, per singula jussit relegi in Synodo. Et primum relecto tenore juramenti à se Domno Regi præstiti, interrogavit eum Hincmarus Metropolitanus Episcopus, si tale juramentum Domno Regi fecisset? qui noluit respondere utrum ita jurasset, au non: sed tantum dixit, quia non fuerint ibi, quando juravit, quatuor Evangelia. Unde à multis ibidem probatum fuit quia non verum dixerit. Deinde dixit, quia fidelitatem Regi juravit, quam & attendit. Dixit etiam se Scriptum habere qualiter juravit. Et jussus proferre idem Scriptum, dixit se illud secum non habere; nec habere cum quibus se idoneum posset reddere, de his quæ illi objiciebantur: cùm Presbyteros, & Diaconos suæ Ecclesiæ, sed & libros laïcos plures secum haberet.

Et superadjecit, ut quilibet illi quęcumque vellet objicere, iret cum illo Romam, & in Domni Apostolici judicio quæ voluerit illi diceret. Et hoc etiam in suis scriptis dicit. Quod quàm sit contra leges & Canones dictum, nemo qui nesciat. Dicunt enim leges, ut ultra Provinciæ terminos, accusandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum judicia agitari, ubi facinus dicatur admissum. Et Carthaginenses Canones: [Placuit ut accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille qui accusator, si meruit aliquam vim temerariæ multitudinis locum sibi eligit proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur.] Quod Capitulum sanctus Gregorius in Regesto, & Africanum Concilium ad Cęlestinum scribens, non pro accusato, sed pro accusatore testibus producendis decretum fuisse demonstrant? cùm ostenditur ratum judicium esse debere, quo testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro aliis impedimentis, ad locum proximum possunt adduci: quia convinci nemo nisi aut Scripturæ, aut testibus potest. Et Sardicenses Canones, Episcopum à congregatis regionis Episcopis de gradu suo dejectum, à finitimis Episcopis, cum ejusdem Provinciæ Episcopis, Apostolicæ Sedis auctoritate, vel cum à latere suo directo, in Provincia in qua causa ventilata, & judicata est, jubent audiri. Et hinc sanctus Gregorius ad Columbum Numdiæ Episcopum dicit: [indicamus, inquiens, sanctitati vestræ venisse ad nos quemdam, Petrum nomine, qui se asserit esse Episcopum; atque causæ suæ à nobis remedium postulasse. Et priùs quidem retulit, quæ digna miseratione esse potuissent: Sed requirentes posteà, multò aliter quam indicavit, invenimus; & vehementer nos ejus actio tristavit. Sed quia causæ ejus interna subtiliter nequaquam addiscere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus: eam, incerti quippe, diffinire nequivimus. Et Paulò pòst. Quia ergo pręsentes, subtiliùs causam potestis scire, hortamur ut ita eidem Petro servare quidquid justum Canonicumque fuerit debeatis: quatinus & rectitudinis vigor à vobis in omnibus impleatur, & causa ipsius secundùm Dei timorem, & Ecclesiæ videatur regulas judicata.] Quia verò leges pro Ecclesia & ecclesiasticis, vel de Ecclesia & ecclesiasticis, seu Ecclesiæ ac ecclesiasticis, ab Imperatoribus & Regibus promulgatas, regulæ sacræ ab ecclesiasticis judiciis non repellunt: Sed ubi ab ecclesiastica religione non discordant, conjunctim in judiciis proferre & secundùm eas judicari pręcipiunt: sanctus Leo in Epistola ad Leonem Augustum etiam tantus Pontifex de se dicit: secundùm Apostolum, inquiens, si quæ destruxi, hæc ædifico, pręvaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ Principis Marciani, sed etiam ego meâ consensione firmavi. Et sanctus Gregorius ad Naralem Archiepiscopum. Quæ sunt legibus Canonibusque placita decernantur. Et sic multoties in regesto idem beatus inculcat Gregorius.

Et licèt idem Hincmarus in familiari sua contumacia permanens fateri noluisset, quod ita, ut in petitione Domini Regis habetur, jurasset: multorum tamen testium idoneorum testimonio est comprobatus ita jurasse: quia coram Episcopis, & presbyteris, & Diaconibus, & quamplurimis laïcis juramentum illud peregit.

De subscriptione autem suæ professionis interrogatus, si hanc professionem à se subscriptam, Regi, sicut in petitione illius continetur donaverit? Respondit: si fortè eidem petitioni subscripsi, utique attendi. Sed suis actibus, & idoneorum testium est testimonio comprobatus, professionis suæ subscriptionem non conservasse.

De aliis autem singillatim interrogatus, respondere nihil voluit, sed ex verbis, & scriptis, ac subscriptionibus suis, & idoneorum testium testificatione, de singulis quæ in eadem petitione continentur, est coram Synodo comprobatus atque convictus. Scilicèt quia, sicut in scriptis suis quæ habemus, ipse fatetur & testium veridicorum testimonio in Synodo est comprobatum, auctor & incentor seditionum extitit: Et post juramenta Domno Regi pręstita, & subscriptionem illi datam de fidelitate & obedientia ei servanda, rerum proprietatis ejus pervasor, & suis verbis, ac scriptis, & testium idoneorum testimonio comprobatus perjurii reatu revictus, & contra subscriptionem suam, quam Domno Regi de servanda fidelitate & obedientia dedit, venisse probatus est. Sed & post juramenta Domno Regi pręstita, & professionem ac subscriptionem illi datam, de fidelitate & obedientia ei servanda: de rebus Episcopii Laudunensis ab eodem Episcopio à longo tempore abstractis, & suo pręcepto eidem Episcopio redditis, insuper & aliis suæ proprietatis rebus traditis, quas laïcorum petitione, sicut ipse Hincmarus in suis scriptis fatetur, sine conscientia sui Metropolitani, ac Coepiscoporum Remensis Provinciæ, vel comministrorum Ecclesiæ, contra sacras regulas eidem Regi concessit, ut eas Nortmanno beneficiaret, latenter & mendaciter per calumniam ad Sedem Apostolicam eum accusare direxit: sicut & in scriptis suis, quæ habemus, & veridicorum testium testimonio, in Synodo est comprobatum. Sed & homines suos liberos, contra juramentum Domno Regi

Regi præstitum, perjurare fecit, & sacrilegum se esse in suis scriptis ipse professus est. Et de inobedientia post Sacramenta præstita, & professiones ac subscriptiones à se Regi datas, quia denegare non potuit, comprobatus extitit. Regis quoque infideles contra ecclesiasticam auctoritatem armata manu defendit, ne secundùm leges ad reddendam rationem venirent: ipsosque infideles fraudulenter ac latenter à se cum facultatibus ecclesiasticis emisit. In Synodo etiam decem provinciarum Episcoporum est comprobatus, quia omnes Presbyteros & ministros Ecclesiæ sibi commissæ, non accusatos, nec confessos atque convictos de quocumque crimine, sed causâ suæ injuriæ excommunicavit, ut Missam Presbyteri non cantarent: & nemo parvulos, etiam in mortis urgentis periculo constitutos, baptisaret: nemo ad ultimam pœnitentiam aliquem susciperet, necnon viatico munere ulli subveniret: nulli mortuo sepulturæ humanitatem exhiberet. Et inde litteris à Metropolitano suo ter commonitus, ut hanc impietatis ligationem solveret: obedire illi contra suam professionem, contempsit: sicut in litteris, quæ ante gestorum seriem præmittuntur, in hoc opusculo demonstratur.

Libellum etiam idem Hincmarus Laudunensis Episcopus, in Synodo Episcoporum decem provinciarum obtulit: cui sine Metropolitani ac Coepiscoporum Remensis Provinciæ conscientia & consensu, contra sacras regulas subscripsit, & à Clericis Ecclesiæ suæ, ac à Parochianis Presbyteris subscribi, contra professionem ac subscriptionem suam veniens, fecit. Quem libellum & præterito, & hoc anno, in Synodo inspeximus; & subscriptionem suam ac suorum conspeximus. Sed & ipse se eidem libello subscripsisse, in scriptis suis non denegat. In quo inter cetera subscripsit, ut delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Et defendi, & protegi se obtendit de verbis S. Innocentii, qui dicit, gladium vindicem judicibus traditione Apostolica permissum à Deo. Cùm licèt S. Cyprianus & Innocentius ex Apostolica sententia judiciariæ potestati gladium legaliter vindicem dicentes esse permissum; non tamen ipsi, vel quisquam Catholicorum Episcoporum, sicut Hincmarus, subscripsit, ut qui suæ disciplinæ (scilicet ut delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur) socius fieri nollet, suæ communionis particeps non esset. In eodem etiam libello, sed & in alio à se collecto, & à sua professione, & subscriptione, adulterator verborum & scripturarum Catholicarum est comprobatus. Sed & contemptor privilegii suæ Metropolis, contra sacram Nicænam Synodum, contraque cetera sancta Concilia, & decreta Sedis Apostolicæ, multipliciter & suis scriptis ac subscriptionibus, & vobis, & epistolis sui Archiepiscopi est comprobatus: & contumax contra sacras regulas, & Domni Apostolici mandata revictus. Præterea quæ multifariè multisque modis, & in epistolis commonitoriis sui Metropolitani, & in suis ipsis scriptis quæ habemus, & coram nobis relecta sunt, & in plurimorum petitionibus continentur: de quibus, his nostris judiciis nihil inserimus, exceptis his de quibus in nostra Synodo fuit revictus & comprobatus: quia propter brevitatem temporis, & varias occupationes, tantùm in Synodo remorari nequivimus, ut de singulis singillatim ejus pertinax contumacia legaliter ac regulariter revinceretur.

Et quia isdem Laudunensis Hincmarus, sine ratione & auctoritate, non solùm sine Episcopali gravitate, verùm etiam sine Christiana modestia, suis clamoribus Synodo obstrepebat: iterum atque iterum Synodus Hincmaro Metropolitano dixit, ut ei regulariter præciperet, ad objecta sibi, secundùm sacras regulas respondere. Cui isdem Hincmarus Metropolitanus dixit: Frater Hincmare, hæc sancta Synodus, & mea humilitas, auctoritate Dei & sacrorum Canonum, & Domni Hadriani Papæ, & Metropolitana solicitudine, tibi præcipimus, ut secundùm sacras regulas ad objecta tibi respondeas. Et respondente Hincmaro, quia nulli objectioni in eadem Synodo responderet: usque tertiò Hincmarus Metropolitanus Episcopus Hincmaro Laudunensi Episcopo hæc eadem inculcavit: & eodem Hincmaro Laudunensi in sua pertinacia contumaciter permanente, sancta Synodus dixit, dignum esse ut in eundem Hincmarum Laudunensem Episcopum sententia contumacis proferretur. Sicque Hincmarus Metropolitanus Episcopus sanctæ Synodo dixit.

CAPUT VIII.

Hincmarus Metropolitanus Patres rogat sententiam.

SANCTITAS vestra, domini fratres, audivit quid in petitione Domni Regis adversùs Hincmarum Laudunensem Episcopum contineatur: quam, detractante venire eodem Hincmaro ad hanc Synodum, ad quam tertiò regulariter fuit evocatus 8. Idus Augustas præsentis 4. indictionis, porrexit in Synodo. Quæ iterum per ter, ternis Episcopis, ac ternis Presbyteris, ternisque Diaconibus eundem Hincmarum ad hanc Synodum evocatum, in præsentia illius est à Domno Rege porrecta, & coram eo relecta, atque data, ut eam diligenter inspiceret, & singillatim ad singula regulariter responderet. Et post datas sibi inducias nunc regulariter respondere contemnit. Audistis etiam ex scriptis, & subscriptionibus, ac verbis ipsius Hincmari, per quanta & qualia contra Episcopalem ordinem, & ecclesiasticam disciplinam excessit: & adversùs quanta & qualia regularum sacrarum judicia per plures annos, ab ipso etiam ordinationis suæ initio, multoties ac multipliciter correptus, sed non correctus: quin potiùs adversùs sacros Canones se pertinaciter erigens, canonicam in se proferri sententiam elicuit. Unde quid vestræ sanctitati videatur, edicite.

CAPUT IX.

Patres Concilii adversùs Hincmarum Laudunensem Episcopum sententiam dicunt.

HARDUICUS Vesontionensium Archiepiscopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, contra regulam Apostolicam dicentem, *Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus*, auctor & incentor seditionum, & suis verbis, ac scriptis, & testium veridicorum testimonio comprobatus, depositione dignus à sacris regulis judicatur: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Frotharius Burdegalensium Archiepiscopus dixit.

dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, post juramenta Domno Regi præstita, & subscriptionem illi datam de fidelitate & obedientia ei servanda, rerum proprietatis ejus pervasor, & suis verbis, ac scriptis, & testium veridicorum testimonio comprobatus: perjurii quoque reatu revictus: & contra subscriptionem suam, quam Domno Regi de servanda fidelitate & obedientia dedit, venisse probatus, secundùm tramitem sanctarum scripturarum traditionemque majorum, juxtaque sacros Canones, non solùm gradus amissione dignus à sacris regulis & legibus judicatur, sed & secundùm decreta Gregorii, anathema esse decernitur.

Vulfadus Biturigensium Archiepiscopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, post juramenta Domno Regi pręstita, & professionem ac subscriptionem illi datam de fidelitate & obedientia sua ei servanda, & de rebus Episcopii Laudunensis ab eodem Episcopio à longo tempore abstractis, & suo præcepto eidem Episcopio redditis: insuper & aliis suæ proprietatis rebus traditis, quas laïcorum petitione, sicut ipse Hincmarus in suis scriptis fatetur, sine consensu sui Metropolitani ac Coepiscoporum Ecclesiæ suæ, contra sacras regulas, eidem Regi concessit, ut eas Nortmanno beneficiaret: latenter, & mendaciter per calumniam, antequam eundem Regem, inde in Synodo Episcopali compellaret, ad Domnum Apostolicum, Missum suum Celsanum, ut distractorem rerum ecclesiasticarum accusare direxit: sicut & in scriptis suis, & veridicorum testium in Synodo coram nobis est testimonio comprobatum. Quapropter secundùm sacras regulas, & leges, ut calumniator, Episcopalis gradus amissione mulctari debet: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Bertulfus Trevirensium Archiepiscopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, post juramenta Domno Regi præstita, & subscriptionem illi datam de fidelitate & obedientia ei servanda, homines liberos qui fidelitatem eidem Domno Regi juraverunt, & quod de regno illius sine sua licentia, & in sua infidelitate non exirent, & ullum Missaticum in illius infidelitate usquam non portarent, in ipsius Domni Regis infidelitate, falsò eum accusare misisse manifestissimis documentis est comprobatus. Quapropropter secundùm sanctarum scripturarum tramitem, traditionemque majorum, gradus Episcopalis depositione dignus addicitur: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Adalardus Rothomagensium Archiepiscopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus in scriptis suis dicit, quia si taceat, & non decertet; si non quibus valet viribus insistat, ut villam Pauliacum recipiat, sacrilegium à se fieri reputet, ipse prodit se sacrilegium perpetrasse, quando appetitionem laïcorum, sicut ipse scribit, eandem villam sine conscientia sui Metropolitani, & Coepiscoporum, ac suæ Ecclesiæ comministrorum contra regulas abrogavit: & manifestus sacrilegus tractare sancta in Episcopali officio à sacris regulis non permittitur: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Ansegisus Sennensis Archiepiscopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, post juramenta Domno Regi præstita, & professionem manu sua subscriptam in Synodo decem

A Provinciarum, de fidelitate & obedientia illi servanda, sine sua licentia fugâ lapsus ab Attiniaco ejus Palatio discedens, ab eo mandatus ut veniret, & rationem redderet, de his unde accusatus erat, & ad Regem, sicut jam & aliis vicibus obedire illi ut veniret contempsit; non solùm inobedientiæ & infidelitatis notam, sed & alia crimina pertinaci contemptu incurrit: sicut sacra Scriptura, & sanctus demonstrat Gregorius, quasi ariolandi peccatum est, inquit, repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere. Et, sola est quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis B convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Quibus revictus verbis isdem frater in Episcopali ordine regulariter manere non potest: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Actardus Provinciæ Turonensis Episcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus contra professionem, & suam subscriptionem, quam in Synodo decem Provinciarum porrexit, veniens comprobatus, ipse à sacris Canonibus se honore privasse decernitur. Vnde post tot & tantos excessus, sicut admisisse probatur, velut S. Leo decernit, ad promerendam misericordiam Dei est illi expetenda secessio: unde & satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

C Franco Tungrensis Episcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, Regiæ potestati, & jussis ejus armata manu restitisse, ne liberos homines quid de regia infidelitate reputabantur, secundùm legem & antiquorum consuetudinem per fidejussores mitterentur, & suis verbis, & testium veridicorum testimonio in Synodo comprobatus, Apostolico beati Pauli judicio condemnatur: [Qui pręcipit ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi D sibi damnationem acquirunt.] Et hinc sanctus Innocentius decrevit, potestatibus ad vindictam noxiorum ab Ecclesiasticis non resistendum, ne disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Quibus decretis & Apostoli, & Apostolicæ Sedis Pontificis, quoniam isdem Frater contraire pręsumpsit, ipse in se damnationis sententiam proferri elicuit: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Hildegarius Meldensis Episcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, post juramenta Domno Regi pręstita, & professionem, & subscriptionem illi datam de fidelitate & obedientia ei servanda, homines liberos, qui de infidelitate Regia reputabantur, emisisse à se suis verbis in Synodo comprobatus, Apostolico & E Apostolicæ Sedis Pontificis Gelasii judicio percellitur: qui scripsit ad Anastasium, Apostolus, inquit, qui non solùm non facienda faciunt reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus. Legibus certè vestris criminum conscios, subceptoresque latrocinantium par judiciorum pœna constringit; nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdusque receperit. Vnde isdem frater, qui infideles ne ad rationem venirent, abduxit, perjurii & infidelitatis, ac refragationis suæ professionis & subscriptionis triplici reatu revictus, Episcopi ordine est privandus: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Adventius

Adventius Metensium Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, in Synodo Episcoporum decem provinciarum coram nobis est comprobatus, quia omnes Presbyteros & ministros Ecclesiæ sibi commissæ, non accusatos, nec confessos, neque convictos de quocunque crimine; sed causa suæ injuriæ excommunicavit; ut Missam Presbyteri non cantarent, & ministri nullum ministerium ecclesiasticum exhiberent. Et inde litteris à suo Metropolitano ter commonitus, ut hanc tam inregularem excommunicationem solveret; contra suam professionem, quam ante ordinationem suam coram multis testibus, de fidei Catholicæ & sacrorum Canonum observatione, & obedientia erga suæ Metropolis privilegium ordinatori suo porrexerat, obedire illi contempsit; qua de re juxta sacras regulas debet honore privari: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Gislebertus Carnotensium Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, in Synodo Episcoporum decem provinciarum coram nobis est comprobatus, quia contra evangelicam veritatem, & apostolicam traditionem, contraque sacras regulas prohibuit, ut nemo parvulos in sua parochia, etiam in mortis urgentis periculo constitutos baptizaret, nemo ad ultimam pœnitentiam, aliquem susciperet: nemo viatico munere ulli subveniret: nulli mortuo sepulturæ humanitatem exhiberet. Et inde litteris à Metropolitano suo ter commonitus, ut hanc impietatis conligationem solveret, obedire illi contra suam professionem contempsit. Qua de re juxta sacras regulas debet honore privari: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Hodo Belgivacensis Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus libellum coram nobis obtulit in Synodo Episcoporum decem provinciarum, cui sine Metropolitani ac Coepiscoporum Remensis provinciæ conscientia & consensu, contra sacras regulas subscripsit, & à clericis Ecclesiæ suæ, atque à parochianis Presbyteris subscribi contra professionem & subscriptionem suam veniens, fecit. Et in eodem libello qui in præsenti habetur, contra evãgelicam & apostolicam atque canonicam auctoritatem subscripsit, & subscribi à comministris Ecclesiæ suæ fecit, ut delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Et sanctus Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem, scribit. Vox, inquiens, tua, manus tua, & subscriptio tua opus est tuum. Et quia mortis judicio subscripsit, & subscribi contra episcopalem ordinem fecit, ipse in corpore vivens defungi sacerdotio, debet adjudicari: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Ragenelmus Tornacensis Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus in eodem libello, qui in præsenti habetur, sacrarum Scripturarũ sensum adulteravit, & verba Catholicorum impostoravit. Unde sententiam depositionis, quam in sanctis Conciliis adulteratores, & imposturatores sacrarum Scripturarum ac verborum Catholicorum susceperunt, meretur suscipere: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Engenoldus Pictavensis Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus privilegii suæ Metropolis contra sacram Nicænam Synodum, contraque cętera sancta Concilia & decreta Sedis Apostolicæ, contemptor, ab episcopali regimine deponi debet: qui non vult obedientiam, quam à suis subditis exigit, prælato suo dependere: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Ioannes Camaracensis Episcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, die constituta ad Synodum, ad quam regulariter primùm regiis litteris, & Metropolitana solicitudine, insuper & Apostolicæ Sedis auctoritate, ad certum locum & diem de præsignatis sibi à Metropolitano suo pro loci sui officio rebus, non in angusto tempore fuerat evocatus, non venit. Domnus Rex Carolus petitionem proclamationis adversùs eum porrexit in Synodo, quæ coram eo relecta fuit. Pręterea per ter, ternis Episcopis, ac ternis Presbyteris, ternisque Diaconibus, tandem iterum vocatus venit. In cujus præsentia domnus Rex iterum suam petitionem in Synodo adversùs eum porrexit, quæ coram eo relecta fuit. Unde non sicut ecclesiasticus, sed sicut indisciplinatus quilibet, ibi locutus fuit: neque cum debita religione se continuit, sed in calumnias & contumeliationes atque convicia quorumdam Episcoporum exarsit: & ea de quibus reputabatur, quandoquidem confitebatur, & quandoquidem iterum denegabat. Sed & de aliis talibus à se perpetratis, quibus transgressus est terminos, quos statuerunt Patres nostri, se indignum episcopali ordine judicavit, & judicandum se à nobis exegit: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Vualtharius Aurelianensis Episcopus, dixit. Fratrem Hincmarum Laudunensem Episcopum de pluribus excessibus comprobatum, de quibus sancti Patres nostri, per quos Spiritus sanctus sacras regulas promulgavit, in quibus de eisdem excessibus canonica præfixere judicia, eum jam judicatum habent. Unde necesse est, ut & nos eorum prosequamur judicia: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Vuillebertus Catalaunensis Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, quia post tantas, sicut in promptu est, correptiones, à sua contra regulas sacras pertinacia corrigi non potest, dicente Domino, ut quilibet frater post tertiam correptionem non correctus, sit nobis sicut ethnicus & publicanus, ab episcopali ordine dejici est judicandus: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Hildebaldus Suessionensis Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, quia dicente Gelasio, ideo ad judicium vocatur certa quęcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Quoniam ad objecta sibi legaliter respondere contemnit, oportet ut secundùm sacras regulas atque leges, sententiam suscipiat contumacis: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Berardus Viridunensis Episcopus, dixit. Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, quoniam sicut domnus Hadrianus Papa auctoritate sancti Spiritus illi mandavit per epistolam suam, quæ ei est in hac Synodo data atque relecta, secundùm sacras regulas, salvo Sedis Apostolicæ synodico proclamandi judicio, Metropolitano suo obedire contemnit, dignum est ut etiam de contemptu ipsius domni Apostolici, salvo Sedis Apostolicæ synodico proclamandi judicio, sicut & ipse scripsit, ejus auctoritate damnetur, salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

Ingiluvinus Parisiacensis Episcopus, dixit. Frater

Frater Hincmarus Laudunensis Episcopus, in episcopali ordine nomine manens, agendo multoties contra sacras regulas, traditionemque majorum, sicut ex suis scriptis ac subscriptionibus, & certissimis patet documentis, se ab episcopalis disciplinæ societate discrevit: & Ecclesiæ ac ecclesiasticis votis, atque Regi & regno sæpe scandala non mediocriter intulit. Colligat sui fructum judicii, sicut Dei metus & Dei sapientia per Salomonem præcepit: Ejice, inquiens, derisorem, & exibit cum eo & jurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ. Et per semetipsam dicit, Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. Neque enim qui plantat aut rigat est aliquid, nisi incrementum det Deus: salvo per omnia Sedis Apostolicæ judicio.

Birico Tungrensis Chorepiscopus, dixit. Fratrem Hincmarum Laudunensem Episcopum, multoties contra regulas sacras agentem, & in sua diutina contumacia permanentem, quia sicut sanctus dicit Gregorius qui non corrigit resecanda, committit, Metropolitanus & ordinator illius judicet eum primus, & nos ejus judicium regulariter prosequemur: salvo per omnia Apostolicæ Sedis judicio.

CAPUT X.

Hincmarus Metropolitanus adversùs eundem Hincmarum Laudunensem, sententiam depositionis pronunciat ex scripto.

Hincmarus Remorum Episcopus dixit. Nunquam vellem in eum me judicare oporteret: & utinam nec ordinare contigisset, de quo semper timui, quod nunc video, postquam eum sibi sæculum rapuit, & ei frequenter scriptum prædixi: Qui mentis est duræ, corruet in malum. Sed quia ipse sibi judicium ferri exegit: vestra unanimitas dicat, si ego pro præmissis causis eum judicavero, utrum vos illum mecum unanimiter judicabitis, an non? Et singillatim Episcopis respondentibus se illum unà cum eo judicaturos: Hincmarus Remorum Episcopus dixit. Et postquam ego judicio, secundùm morem ecclesiasticum subscripsero, subscribetis mecum eidem judicio? Responderunt, quia quòd cum eo judicaverint, se juxta morem ecclesiasticum fore subscripturos. Et tunc lectæ sunt in Synodo ab Adalgario Diacono sententiæ canonum ita eo dicente. Sardicenses Canones decreverunt, ut si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putet se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet sancti Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices: si contrà probaverit talem esse causam, ut non refricentur ea quæ acta sunt; quæ decreverit, confirmata erunt. Et Innocentius Papa decrevit, ut si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referatur. Et Bonifacius Papa dicit. Nos per omnes provincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis jure Maximus obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare judicio. Quidquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, A cùm ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur. Et sanctus Leo Papa decrevit. Si quæ, inquiens, aliæ emerserint causæ, quæ ad statum ecclesiarum, & ad concordiam pertineant Sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ventilentur: & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur: ut ea quæ juxta ecclesiasticum morem justè & rationabiliter fuerint diffinita, nostrâ quoque sententiâ roborentur.

Tunc Hincmarus Metropolitanus Remorum Episcopus legens, dixit. Hincmarus Remorum Episcopus, Hincmarum hactenus Ecclesiæ Laudunensis Episcopum Evangelicæ veritati atque Apostolicæ auctoritati in pertinacia præsum- B ptionis inlicitæ excommunicationis repugnatorem; & sanctorum Canonum venerandorum Conciliorum & Decretorum Sedis Apostolicæ, ex eisdem sacris Canonibus promulgatorum transgressorem; & ecclesiastici ordinis ac regularis disciplinæ in contemptu privilegii suæ Metropolis contra sacram Nicænam Synodum, contraque cætera sancta Concilia, & decreta Sedis Apostolicæ novum impugnatorem, veternosis fæcibus corruptum, seditione scilicet Choræ, ac post Nicænæ Synodi constitutionem, quorumdam subjectorum rebellionis contra potiores suos resuscitatorem; & contra ordinem ecclesiasticum ac regularem disciplinam professorem ac subscriptorem; necnon & canonicæ professionis ac subscriptionis suæ prævaricatorem; sacræ- C que Scripturæ adulteratorem, & verborum Catholicorum interversorem, & impostulatorem. Regiæ siquidem subjectioni, & honorificentiæ contra regulam Apostolicam resultatorem, perjurum quoque seditiosum, & rerum alienarum ac facultatum pervasorem, calumniatorem, ac injuriatum reum; & post tertiam vocationem à Metropolitano suo ad Synodum evocatum; itemque ab ipsa Synodo per ter, ternis Episcopis, ternisque Presbyteris, ac ternis Diaconibus iterum evocatum, in diutina contumacia sua pertinaciter persistentem, & non resipiscentem; & ad objecta sibi regulariter respondere contemnentē. Per Dominum nostrum Iesum Christum, cujus evangelicæ veritati, pertinaci præ- D sumptione perniciosæ excommunicationis repugnavit, judicio sancti Spiritus, qui locutus est in beatissimis Apostolis, & Apostolicæ Sedis Pontificibus, quorum doctrinæ, atque decretis causa suæ injuriæ crudeliter & contumaciter obviavit, secundùm sacros sanctorum Conciliorum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, quibus sæpe correptus & non correctus, multoties resultavit: & ideo ipse contra se elicuit canonicam damnationis proferri sententiam, Episcopali honore ac dignitate privatum judico, & omni sacerdotali officio spoliatum decerno: reservato per omnia E juris privilegio domni & patris nostri Hadriani, Apostolicæ ac primæ Sedis Papæ: sicut sacri Sardicenses Canones decreverunt, & ejusdem Apostolicæ Sedis Pontifices, Innocentius, Bonifacius, Leo, ex eisdem sacris Canonibus promulgaverunt.

Subscriptiones Episcoporum.

Hincmarus Remorum Episcopus judicans subscripsi.

Harduicus Vesontionensis Episcopus judicans subscripsi.

Remigius

A Remigius Lugdunensis Episcopus relegi, consensi & subscripsi.

Frotharius Burdegalensis Episcopus judicans subscripsi.

Vulfadus Bituricensis Episcopus judicans subscripsi.

Bertulfus Trevirensis Episcopus judicans subscripsi.

Adalardus Rothomagensis Episcopus judicans subscripsi.

Ansegisus Senonensis Episcopus judicans subscripsi.

Actardus Episcopus judicans subscripsi.

Franco Tungrensis Episcopus judicans subscripsi.

B Hildegarius Meldensis Episcopus judicans subscripsi.

Adventius Metensis Episcopus judicans subscripsi.

Gislebertus Karnutensis Episcopus judicans subscripsi.

Hodo Belgivagorum Episcopus similiter judicans subscripsi.

Ragenelmus Tornacensium Episcopus judicans subscripsi.

Engenoldus Pictavorum Episc. judicans subsc.

Ioannes Camaracensis Episc. judicans subsc.

Vvaltherus humilis Aurelianorum Episcopus judicans subscripsi.

C Vvillebertus Catalaunorum Episcopus judicans subscripsi.

Hildeboldus Suessionicæ Ecclesiæ Episcopus judicans subscripsi.

Berhardus Viridunensis Episcopus judicans subscripsi.

Ingeluinus Parisiorum Episcopus judicans subscripsi.

Birico Chorepiscopus subscripsi.

Getholdus Presbyter ad vicem domni & patris mei Helmeradi Ambianensis Ecclesiæ Episcopi subscripsi.

Frothardus Presbyter ad vicem domni & patris mei Erpoini Silvanectensis Episcopi subscripsi.

D Ageteus Presbyter ad vicem domni & patris mei Erchamberti Bajocagensis Episcopi subscripsi.

Ego Leuderius vice patris mei Arnulfi Tullensis Episcopi subscripsi.

Eudo ad vicem Liudonis sanctæ Æduensis Ecclesiæ Presulis subscripsi.

Helias Presbyter legatus patris mei Ottulfi augustæ Trecorum Episcopi subscripsi.

Heliseus Archidiaconus, ad vicem patris mei Christiani Presulis Ecclesiæ sancti Stephani Autisiodorensis subscripsi.

Ansoldus Archidiaconus, ad vicem patris mei Abbonis Nevernensium Episcopi subscripsi.

E Sigloardus Remensis Ecclesiæ Archipresbyter sive servans locum Archidiaconi subscripsi.

Hrodoldus Archipresbyter Remensis Ecclesiæ subscripsi.

Reinfredus Burdegalensis Archidiaconus subscripsi.

Fredegisus Vesontionensis Ecclesiæ Presbyter subscripsi.

Rado Suessionensis Ecclesiæ subscripsi.

Frotgerus Carnotensis Ecclesiæ Archidiaconus subscripsi.

Vvillebertus Sacerdos subscripsi.

Dodo Biturigensis Archidiaconus subscripsi.

PARS QVINTA CONCILII.

Epistola synodalis ejusdem Concilii ad Hadrianum Papam.

DOmno sanctissimo, ac reverentissimo patri Hadriano, sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ primæ Sedis Papæ, Hincmarus, Harduicus, Remigius, Frotarius, Vulfadus, Bertulfus, Adalardus, Ansegisus, Actardus, Franco, Hildegarius, Adventius, Gislebertus, Hodo, Rainelmus, Engenoldus, Ioannes, Vvaltharus, Vvillebertus, Hildeboldus, Berardus, Ingiluvinus, Episcopi, qui cum diversarum ecclesiarum legatis, in Synodum apud Duziacum Remensis parochiæ, in nomine Christi convenimus. Diutinis, ac multis, gravissimisque, atque frequentibus, ab insolentiis Hincmari Laudunensis, vexationibus fatigati, quem nec Metropolitanus suus, qui orfanum benignè illum nutrivit, in clericum totondit, litteris erudivit, per singulos gradus, electione cleri & plebis Laudunensis Ecclesiæ cum favore domni Regis Caroli, ad apicem Episcopatus provexit, multifariè, multisque modis, & verbis, & scriptis commonitum, corrigere non potuit. Quem domni nostri Regis Karoli benignitas multorum beneficiorum largitionibus, & castigationibus, ad episcopalem mansuetudinem, & gravitatem attrahere non prævaluit; & nec ipse, neque Metropolitanus suus ad hoc eum compellere potuerunt, ut clericis ac laïcis, quibus injustè fecerat, quod lex, & justitia dictabat, restitueret. Sed potiùs quicunque ad Regem, vel ad Metropolitanum suum se contra eum reclamavit, nequaquam cessavit, donec eos penitus exterminavit. Cui etiam synodales invectiones, ut à contumacia & levitate sua resipisceret, & bonum nomen quod apostolica regula, Episcopum etiam ab his qui foris sunt, habere jubet, morum probitate, & ordinis sui religione obtinere. Et bonorum operum exemplum demonstrare studeret, persuadere non potuerunt. Quem etiam humana verecundia à suis reprehensibilibus, & improbabilibus actibus, ut non vituperaretur ministerium nostrum, extrahere nequiverunt. Quem vestræ postremò apostolicæ epistolæ, obtestationes, & commonitiones corrigere, & ad obedientiam debitam flectere non potuerunt.

Tandem quod non sine gemitu, & cordis dolore dicimus, quoniam aliud medicamentum quo sanaretur, reperire nequivimus, ab ordine sacerdotali removimus: sicut in gestorum serie sanctitas vestra inveniet, quam per hunc fratrem, & venerabilem Coepiscopum nostrum Actardum, qui nobiscum resedit in Synodo, auctoritati vestræ dirigimus. Quia diutius nec sibi commissa Ecclesia; quæ sub eo veluti sub gravissimo fasce gemebat, illum portare; nec aliarum Ecclesiarum rectores, sine reprehensione insolentias ejus ferre; nec regiæ dignitatis potestas, vel regni unanimitas, ejus inquietudinem ac dehonorationem sustinere valebat. De quibus quędam, & juxta pluralitatem aliorum excessuum in pręfata gestorum serie, pauca invenietis: quia & pro temporis brevitate, quoniam isdem Hincmarus constituta sibi die noluit venire ad Synodum; & domnus Rex cum quibusdam Episcopis ad colloquium fratris sui, pro reconciliatione filiorum ejus, ad patrem illorum & fratrem suum

festinare accelerabar; ne commota seditione A carne propinquos inter se compugnantes Christianorum parricidalis sanguis effunderet; & hac de causa Ecclesiarum Dei res scinderentur, & Sacerdotum ac servorum Dei facultates diriperentur, & pauperes depopularentur. Verùm & ipsum Hincmarum ad hoc perducere, multùm laborantes non potuimus, ut secundùm rationem & auctoritatem ad objecta sibi redderet rationem. Sed obstrependo clamoribus, & inconditis vocibus, ea quæ verbis confitebatur, & in scriptis suis professus fuerat, iterum denegabat, & ea quæ negaverat, iterum fatebatur.

Propterea prętermissis aliis, quæ in gestorum serie invenieris, & quæ in plurimis sui Metropolitani epistolis, & quæ in ipsius Hincmari scriptis habentur: intermissis etiam quamplurimis plurimorum querelis, qui datis petitionibus in Synodo adversùs eum querebantur, tam de clericis & laïcis Ecclesiæ suæ, quàm & de parochianis, Presbyteris & liberis hominibus, non solùm suæ parochiæ, verùm & aliarum parochiarum. Intermissa nihilominus ratione de auro, & gemmis quamplurimis & pretiosis, & multis ac variis ornamentis ex auro & gemmis compositis, quibus Pardulus Episcopus decessor illius, altare sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ pulchrè satis ornavit: quod iste desabricavit: & sicut ministeriales ipsius Ecclesiæ dicunt, inde umgas ad spatas, & balteos, & calcaria, atque ligaturas hosarum, quas hosobindas dicunt, fieri jussit; & suo fratri, & quibus sibi placuit, dedit. Sed & de auro purissimo ex calice, quod prętatus decessor suus eidem Ecclesiæ contulit. Necnon & de alio auro, verùm & de argento ipsius Ecclesiæ; sed & de casulis pretiosis, quas dedit, quibus sibi visum fuit. Necnon & de sactato panno optimo ex altare sanctæ Mariæ, quem ad seculares usus dedit: & alia plurima, quæ ad rationem & judicationem mittere non concurrimus.

Sicut nec de seditionibus aliis, prętet eam de qua Rex eum accusavit per scripturam, præsens pręsentem in Synodo: in quarum una ipse fuit, & veniens cum plurimis armatis hominibus, & permixtâ vulgi multitudine, cum gladiis & fustibus ad mansum, ubi mulier Comitis Regis, nomine Nortmanni, de partu more femineo jacebat, ejecit eam inde, & omnia quæ ibi habuit, aurum, argentum, vestimenta, pannos plurimos, annonam, vinum, & generis diversi ac sexus pecuniam, sine misso, vel literis, aut verbo Regis, in sua parochia, & missatico, illi per violentiam abstulit: sicut in petitione ipsius Nortmanni nobis porrecta in Synodo continetur. In altera verò seditione, quæ ipsius jussione fuit concitata, sicut illi dicunt qui in ea fuerunt, unus homo fuit occisus. Nam quia domnus Rex cuidam vassallo de Laudunensi Episcopio, nomine Amalberto, cui beneficium reddere jussit, quod ab eo injustè tulerat, pręcepit hominibus suis, & familiæ Episcopii Laudunensis illuc ire cum armis & fustibus, & inde illum ejicere: sicut & factum est, & fugato eo unus homo ibi fuit occisus.

Sed & plura sunt alia, quæ nobis longum est scribere: tantùm de his quæ in petitione domni Regis contra eum in Synodo data continentur, judicia terminavimus: reservato per omnia juris privilegio Apostolicæ Sedis, ac vestro judicio: sicut sacri Sardicenses Canones, & decreta Sedis Apostolicæ Pontificum, Innocentii, Bonifacii, & Leonis, ex eisdem sacris Canonibus promulgata decernunt. Ea verò quæ Metropolitanus suus, & jam in altera, & nuper in ista Synodo ad correctionem illius, quem per se non valebat corrigere, legenda obtulit, idcirco auctoritati vestræ dirigimus, ut expressiùs & certiùs, seu pleniùs fastum & animi ejus duritiam, & inrevocabilem ipsius Hincmari pertinaciam cognoscatis; & non prępropere, vel immaturè, ac inconsultè, sed satis coactè nos in eum, ipso compellente, damnationis sententiam protulisse.

B Vnde obnixè precamur vestram auctoritatem, ut à tanto hujus incorrigibilis pestis tędio, nos etiam suo judicio, quem longiùs supportare nequivimus, liberet: secundùm decreta Bonefacii & Leonis, ea quæ juxta ecclesiasticum morem, prout intelleximus, non inimico animo, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati, justè & rationabiliter diffinivimus, vestra quoque sententia roborando. Et si fortè, quod non putamus, visum vobis necessariò fuerit, ut secundùm Sardicenses Canones renovetis judicium, & detis judices, scribendo Episcopis qui in finitimis & vicinis provinciis sunt, ut & ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis diffiniant. Vel si decreveritis mittere à latere vestro habentes auctoritatem vestram, qui cum C Episcopis judicent, eo in gradu adhuc non restituto, sicut sacri Sardicenses Canones pręcipiunt, non abnuimus. Licèt, quantùm possumus, redire ad laborem quo diu vexati sumus, refugere cupiamus: & ea quæ propter verecundiam sacerdotalis reverentiæ tegi potiùs quàm publicari optamus, si valuerimus, ad plurimorum notitiam deferri modis omnibus resultemus. Verumtamen quantâ possumus devotionis humilitate deposcimus, ut etiam in hac causa nobis canonicam diffinitionem servetis. Videlicet ut si, quod non credimus, ea quæ regulariter diffinivimus, prout sacras regulas intelleximus, vo- D bis pręsentaliter non placuerit vestra sententia roborare; non antea communione sacerdotali, à qua separatus est, restituatur, antequam secundùm regulas & leges, in provincia, in qua causæ gestæ & judicatæ sunt, requirantur. Quia usque ad nostra tempora nulla patrum diffinitione hoc Ecclesiis Gallicanis & Belgicis est derogatum: pręsertim quia decreta Nicęna, sive inferioris gradus clericos, sive Episcopos ipsos, ut Africanum scribit Concilium, suis Metropolitanis aptissimè commiserunt. Sicut & sanctus Bonefacius exponit, scribens ad Hilarium Narbonensem Episcopum. [Convenit nos, inquit, paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi con- E stitutio Nicęnæ, quæ ita pręcipit, ut eadem propriè verba ponamus. Per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere; nec cuiquam duas esse subjectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, sancto Spiritu suggerente sibimet, censuerunt. Et paulò pòst. Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua, adeo nos Canonum pręcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatinus Metropolitani sui, unaquęque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Prudentissimè enim sancti Patres nostri, justissimèque viderunt, ut Africanum Concilium ad Cęlestinum Papam scripsit, quęcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique

unicuique Provinciæ gratiam S. Spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.] Maximè autem cum diffinitione ac patrocinio sanctæ & Apostolicæ Sedis, secundùm leges & Africæ Provinciæ Canones illud ratum haberi posse ostendatur judicatum, ubi testium necessariæ personæ absque sexus, vel senectutis, seu infirmitatis, vel multorum aliorum excusatione impedimentorum, possunt adduci. Quoniam nemo nisi aut scripturâ, aut testibus, legaliter ac regulariter potest convinci: sicut Hincmarus suis scriptis ac subscriptionibus & idoneis testibus est in Synodo coram nobis convictus.

Quia ergo nos, quantùm scimus & possumus, privilegium sanctæ ac primæ Sedis Romanæ, & conservare & obaudire, & extollere cupimus atque satagimus, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesiâ nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet: servet vestra paternitas, & à Deo in prima Sede constituta auctoritas, nobis, filiis & subjectis sibi Episcopis Ecclesiastica privilegia, à sacris Canonibus, & vestris decessoribus ac prędecessoribus, nostris decessoribus ac prædecessoribus conservata. Quatenus & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa aliis sua jura non minuat. Sicut beatus Gregorius scribens ad Dominicum Carthaginensem Episcopum. [De Ecclesiasticis, inquit, privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus: nec cuilibet favente gratiâ, ultra quàm meretur impertior; nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante derogabo: sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo eos in honores subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. Et ad Natalem Salonitarum Episcopum. Quod verò diciris vestris temporibus debere servari, quæ à decessoribus quoque tradita & custodita sunt: absit à me ne statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.]

Et si fortè, quod absit, cujuscumque suggestione vel postulatione, Apostolicæ Sedi subreptum fuerit, ut idem contemptor & conculcator sacrorum Canonum in gradu restitutus, aut in nostras provincias ad audientiam remittatur, aut sine audientia in restitutione manere jubeatur, ut cum venia vestra dicamus, ulteriùs, quod isdem ab ipsis ordinationis suæ primordiis semper quæsiuit, ut in nostris provinciis, nullius coercitionis respectu quidquid vellet, licenter agere posset, sciens nos de singulis Romam mittere non posse: usquequò iidem sancti Patres nostri, qui adhuc nobiscum in suis constitutionibus vivunt, & secundùm tramitem sanctarum scripturarum, traditionemque Apostolorum pręventi, ac inspirati gratiâ sancti Spiritus, de hujusmodi factis, quæ insolens & transgressor sacrarum legum ac regularum Laudunensis Hincmarus noscitur perpetrasse, certa pręfixere judicia, cum Domino inde judicaturi adveniant, de ipsius in Episcopali ordine perpetratis ac perpetrandis excessibus, sicut hactenus actibus ejus conhibendo non communicavimus; ita in postmodum nulla de eo judicia decernemus, vel quamcumque proclamationem apud A quemcumque faciemus. Vivat sibi sicut vult, consolante nobis ac consulente Apostolo, qui dicit: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis & redarguite. Egimus enim de illo pro modulo nostro. Quia sicut B. Augustinus exponit, duobus modis nos non maculat malus, scilicet, si non consentiamus ejus operibus malis, & si ea redarguamus. Non consensimus quidem: imò & ejus opera redarguimus; & quem corrigere non potuimus, judicatum à nobis Dei mediante sententiâ, diffinitionis vestræ judicio reservavimus: & sub gestorum serie quæ acta sunt, per venerabilem Episcopum B nostrum Actardum, qui synodalibus diffinitionibus nostris interfuit, paternitati vestræ dirigimus. Quod de Rothado faceremus, si legatis nostris facultas transeundi Alpes in illis temporibus concederetur. Credite ergo fidei nostræ, quia non inimico animo, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati eum judicavimus: sed ipso multis & maximis, atque diutinis excessibus nos compellente: ac per hoc credite, juxta Sardicenses Canones, posse sufficere, sicut regulariter negotio terminum imposuimus, nostrum judicium vestrâ roborante sententiâ.

Venerabilem denique fratrem & Coepiscopum nostrum Actardum, quem Clerus & plebs Metropolis Ecclesiæ Turonensis, in eadem Ec- C clesia baptisatum, tonsum, & nutritum, ac per singulos gradus ad ordinem Episcopatus provectum, sibi incardinari deposcit: quemque vestra paternitas nobis incardinandum, etiamsi locus eveniret in nostris regionibus in Metropoli recommandavit, auctoritati vestræ remittimus. Quatenus illum in præfata Metropoli, eo, si vobis placet, tenore Archiepiscopum incardinetis, ut post decessum illius præfatæ Metropoli Ecclesiæ Cleri ac plebis electione, sicut regulæ sacræ pręcipiunt, & vetus consuetudo exigit, à suffraganeis & provincialibus Episcopis ibidem Metropolitanus ordinetur Episcopus. Quem licèt, juxta Antiochenos Canones per- D fecto Concilio, atque secundùm Apostolicas vestras litteras vacanti Ecclesiæ incardinare possemus: quia tamen Turonensis Ecclesia ex antiquo Metropolis, & beati Martini meritis famosissima, & honorabilis semper extitit, & præfatus frater noster Actardus venerabilis Episcopus genio Pallii à benignitate vestra est honoratus: rationabiliùs vidimus, ut petitione Cleri ac plebis ipsius Ecclesiæ, & consensu nostræ unanimitatis, ac favore Domni nostri Caroli Regis gloriosi, ac vestra auctoritate ei dem incardinetur Ecclesiæ. Deus noster sanctitatem vestram ævo longiore orantem pro nobis custodiat, Domine Reverentissime Pater in Domino. Data VIII. Idus Septembris præsentis 4. indi- E ctionis.

EPISTOLA HINCMARI Remorum Archiepiscopi ad Hadrianum Papam.

DOMINO Sanctissimo & Reverentissimo Patrum Patri Hadriano, primæ Sedis Apostolicæ, & universalis Ecclesiæ Papæ, Hincmarus, nomine non merito Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus. Venerabilem fratrem & & Coepiscopum nostrum Actardum, sicut vestra dignatio exiguitati meæ litteris suis pręcepit, in gremio dilectionis suscepi, & à Paganis Nort-

 maunis,

mannis, nec non & à Pseudochristianis Britonibus de sua sede expulsum, consensu Coepiscoporum Remensis Provinciæ ac favore Domni nostri Caroli Regis gloriosi, in vacante Ecclesia Morinensi Diœceseos nostræ locū sacrificandi. & Episc ministerium peragendi concessi: & secundùm Sardicenses Canones immorandi licentiam dedi: & de rebus & facultatibus ejusdem Ecclesiæ, largâ benevolentiâ humanitatem exhiberi præcepi: usquedum aptus & conveniens sibi locus eveniret, ubi secundùm præceptionem vestram posset incardinari. In qua vacante Ecclesia Diœceseos nostræ, secundùm Apostolicas litteras vestras, incardinari non potuit; quia res Ecclesiæ Namnetensis à paganis residuæ, longè ab Ecclesia Morinensi Remorum Provinciæ distant, & in duabus provinciis regulariter conscribi non poterat. Nunc autem quia Clerus & plebs Metropolis Ecclesiæ Turonensis, in eadem Ecclesia baptisatum, tonsum & nutritum, ac per singulos gradus ad ordinem Episcopatus provectum, sibi eum incardinari deposcit, quem vestra paternitas nobis incardinandum, etiamsi locus eveniret in nostris regionibus in Metropoli, commendavit, auctoritati vestræ remittimus: quatinus illum in præfata Metropoli, eo si vobis placet, tenore Archiepiscopum incardinetis, ut post decessum illius, præfatæ Metropoli Ecclesiæ, Cleri & plebis electione, sicut regulæ sacræ præcipiunt, & vetus consuetudo exigit, à suffraganeis & provincialibus Episcopis, ibidem Metropolitanus ordinetur Episcopus. Quem licèt juxta Antiochenos Canones perfecto Concilio, atque secundùm Apostolicas vestras litteras vacanti Ecclesiæ incardinare possemus: tamen quia Turonensis Ecclesia ex antiquo Metropolis, & beati Martini meritis famosissima & honorabilis semper extitit; & præfatus frater noster Actardus venerabilis Episcopus, genio Pallii à benignitate vestra est honoratus: rationabiliùs vidimus, ut petitione Cleri ac plebis ipsius Ecclesiæ, & consensu nostræ unanimitatis, ac favore Domni nostri Caroli Regis gloriosi à vestra auctoritate eidem incardinetur Ecclesiæ.

De causa verò fratris Hincmari, sufficienter vobis gestorum series, quam per hunc venerabilem fratrem, & Coepiscopum nostrum Actardum, Synodus in Parochia Remensi nuper habita, vestræ auctoritati transmittit, plenam notitiam intimabit. Cui post omnia gesta, quæ de illo gerenda fuere cum aliis Episcopis & confratribus nostris, apud Domnum Regem obtinui, ut quicumque de Clero, vel de familia Laudunensis Ecclesiæ eum illo pergere vellet, licentiam haberet. Quem utinam non vidissem, minimè autem illum me ordinare in Episcopum contigisset, per quem tantum scandalum in nostrarum provinciarum Ecclesiis, & in regno in quo degimus, sine ulla necessitate commotum, & diutino tempore hactenus est perduratum. Adeò ut non inconvenienter de eo dicere possem: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille: qui pro eo ut ad Episcopalem gradum provectus in religione proficeret, sub qua nutritus fuerat, pompas & inlecebras seculi cœpit sequi, & familiaritates ac contubernia secularium delectari; de negotiis secularibus sermocinationes frequentare; cupiditatem & avaritiam, non solùm pecuniæ, sed & altitudinis ac turpis lucri emolumenta sectari; meas, & quorumcumque correptiones aspernanter & indignanter accipere, & in sensu ac sapientia sua confidere; sicut multi, proh dolor! in nostris regionibus sciunt. Et ut alia plurima specialiter computare omittam, quæ per plures annos in timore, & cordis dolore, de illius moribus & improbabilibus actibus, & etiam humana verecundia de insolentiis ejus sustinui: sæpissimè illum & verbis, & scriptis, familiariter & per me, & per communes familiares nostros corripiens, & ad cognitionem vel correctionem adducere non valens; de his pauca commemorabo, quę ante quadriennium in pejus proficiens, & excrescens, cum virtute laborare cœpit ut caderet.

Cœpit enim clericos & laïcos qui eum elegerant, per varias occasiones affligere, & ab eis quæ habebant vel acquirere poterant, per diversa ingenia surripere, & ut dicā apertiùs, rapere: indeque illos de loco, in quo nutriti fuerant, exterminate, & alios pravæ opinionis ex diversis Provinciis recipere. Vnde afflicti tam Clerici quàm laïci de sibi commissa Ecclesia, cœperunt se reclamare ad domnū Regem & ad meam exiguitatem, pro quibus satis superque laboravi, sed aut parum aut nihil profeci. Idem autem pro reclamatione suorum hominum contra Domnum Regem commotus, de rebus quasi à Normanno invasis, quas ipse Regi sine meo ac Coepiscoporum meorum consensu concesserat, ut eas Nortmanno beneficiaret, sicut & ipse in suis scriptis fatetur: misit illum apud vestram auctoritatem, me inscio, sine ulla necessitate accusare, per Missum suum Celsanum. Et mandavit mihi, quod domnus Rex eum & omne Episcopium Laudunensis Ecclesiæ, exceptis principali Ecclesia & Episcopii domo, & claustro fratrum, proscripserit & confiscaverit, quia ipse sæculare judicium adire noluerit. Ego autem illi ut Episcopo credens, scripsi inde Domno Regi plura & minùs cautè, reprehendens illum de injusto judicio. Et quia non ita se res habebat sicut idem Hincmarus mihi mandaverat, & posteà ipse dixerat: assumpto eo mecum, veni ad Domnum Regem, & unà cum Coepiscopis nostris, sicut anteà & posteà sæpiùs egi, Domnum Regem ei placabilem feci. Posteà verò sine mea conscientia vel consensu, misit iterum ad vestram auctoritatem, non solùm Regem, sed & me accusare, sicut in sanctitatis vestris litteris inveni. In quibus inter cætera continetur, quare ministerio juris Episcopalis in regionibus istis abutar, & Hincmarus nepos & æquivocus meus venerabilis dumtaxat Episcopus, sicut audistis, non minima in Ecclesia sua sustinet detrimenta: si me tepescente nullam potuit consolationem invenire. Vnde jure vestræ auctoritati rescripsi, quod non est modò necesse repetere.

Sed ipse Hincmarus unde cautior & humilior esse debuerat, scilicet de mea intercessione, & Domni Regis benignitate, inde elatus in superbiam, & amarus animo effectus, non solùm se non correxit, sed malis pejora semper adjecit. Et quia suis pravis actibus, & improbabilibus moribus consentire non volui, & incautè suis mendaciis fidem accommodare vitavi, immò & illum redarguere cœpi: etiam contra me irremediabiliter se commovit, & plura & majora scandala, & Regi & regno, & mihi ac Coepiscopis nostris & Ecclesiæ, suæ tam Clericis quàm laïcis semper accumulavit. Et horum scandalorum, licèt non apertis vocibus scandalisari ab eo ut audivi, me auctorem esse dicebant: quoniam cum scilicet

scilicet nepotem meum Episcopum ordinaveram. Non attendentes, quia non ut Iudam electum præsenti justitia Apostolum, & Saul Regem posteà reprobatum, de quo scriptum est, erat vir electus & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo, Deus omnia sciens ordinavit, & nihil culpæ contraxit, quia peccare non potuit: sed ut homo nesciens quod futurum erat, istum per improvidentiam ordinavi, & divini judicii non injusti minister extiti; quia sicut timeo, aliis peccatis meis hoc esse promerui. Quamquam & sancti Apostoli cum beato Stephano, & aliis Diaconibus Nicolaum ordinaverint, nec tamen dictis & factis illius improbabilibus posteà manifestis, per manuum suarum impositionem communicaverunt. Sicut nec Samüel culpam contraxit in ordinatione Saul: quem divina jussione à se ordinatum, & à Domino posteà abjectum diutissimè flevit, veluti sacra narrat historia. Qui autem dicebant quod nepotem meum Episcopum ordinaverim, non attendebant quia & alii per me sunt Episcopi ordinati, qui non sunt mihi carne propinqui: & qui non impedit ad quemquam ordinandum carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus, & peritus secundùm Ecclesiasticas regulas. Nam & Dominum à quo, & per quem cœpit Episcopatus, carne sibi propinquos legimus ordinasse Episcopos.

Sed licèt in isto nepote meo egerim unde gemo, quia nescio qualiter de hoc & de aliis meis factis terribilis in consiliis super filios hominum in oculto suo judicio, qui posuit tenebras latibulum suum disponet: scio tamen omnipotentem advocatum & misericordem judicem ante quem est omne desiderium meum, & gemitus meus non est absconditus. Consolatur enim me, quia recepi pro illo & per illum duplicia. Quoniam sicut S. dicit Gregorius, quos plus cæteris diligimus, cùm ab eis adversa patimur, majorem dolorem mala nobis ingerunt, quàm quæ ab externis inferuntur: & plus in nobis ea tormenta sæviunt quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ charitatis. Hinc est enim quod de Iuda traditore suo per Psamistam Dominus dicit: Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo, tu verò homo unanimis, dux meus, qui & notus meus simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Domini ambulavimus cum consensu. Et rursum: homo pacis meæ in quo sperabam & qui edebat panes meos, magnificavit adversum me supplantationem. Ac si de traditore suo apertis vocibus dicat; transgressionem ejus tantò graviùs pertuli, quantò hanc ab eo qui meus esse videbatur, sensi.

Cui multa & multipliciter ut se corrigeret, scripsi: quæ si in unum corpus fuerint congregata, non puto minoris fore voluminis quàm quinque sunt libri Moysi, & ideo ad scribendum illi me contuli, quia sufferre non poterat, quæ illi à me dicebantur. Sed nec de ullo homine patienter aliquid potest audire, ut semper non ipse loquatur, nisi ea illi quis dixerit, quæ in suo corde versantur. Contra quæ etiam scripta ipse multa multipliciter & irrationabiliter mihi rescripsit: nolens ea quæ illi scribebam sic intelligere, sicut scripta erant: Sed me & ipsa scripta A reprehendere, & calumniati atque refellere laborabat.

Per quæ intelligens illum esse incorrigibilem statui in corde meo, vlteriùs me apud illum non inaniter laboraturum: videns in eo impleri quod de Domino Psalmista dicit, immissiones per Angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ. [Cor, inquit Gregorius, Dominus prioribus meritis aggravatum, justè permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli: quod dum dignè in culpa trahitur, reatus jam in pœna cumulatur. Vnde & iræ suæ Domino viam facere, est in eos qui punire in se causas rectè noluerunt, districtè judicando dilatare: ut B qui in luminati agere recta noluerunt justè cæcati adhuc faciant unde ampliùs puniri mereantur. De quibus dicit Apostolus, ut impleant peccata sua semper. Et hinc voce Angeli ad Ioannem dicitur: qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Et hinc David ait: appone iniquitatem eorum & non intrent in justitia tua. Et hinc per Moysen dicitur: Nondum sunt completa peccata Amorrhæorum. Hinc per eundem Moysem Dominus dicit. Ex vinea enim Sodomorum, vitis eorum, & propago eorum ex Gomorrha. Vva eorum, uva fellis, & botrus amaritudinis ipsis. Furor draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Nonne hæc condita sunt apud me, & C signata in thesauribus meis? in die ultionis reddam eis.] Et quia multa eorum mala narravit, tamen illico adjunxit. In tempore quo lapsus fuerit per eorum. Ecce atrocissima peccata illorum describuntur: Et tamen ad ultionis diem adhuc subsequens lapsus adspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent jam quidem unde feriri mereantur: sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescens, ut peccantes possit acrior culpa cumulare. Iam meretur supplicium peccatum & causa peccati: sed exspectatur adhuc ut augmentum supplicii subroget peccatum, & pœna peccati. Quæ in illo compleri videns, pro modulo meo sequi decrevi quod Dominus dicit. D Non audivit populus meus vocem meam & Israël non intendit mihi: Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis. Et vocavi & renuistis, & despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Comedent igitur hujusmodi fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

Et quia ipse Dominus dicit: si oculus tuus dexter vel manus tua dextera scandalisat te, projice ea abs te: & odire nos proximos nostros præcipit, adhuc autem & animam nostram. Vnde beatus dicit Gregorius, quia amandus quilibet in hoc mundo nobis est adversarius: sed in E via Dei contrarius non amandus est nobis, etiam proximus: quia licet amandi sint proximi & impendenda charitas omnibus, & propinquis & extraneis, non tamen pro eadem charitate in Dei est amore flectendum. Quia pro affectu carnali, sicut nec vaccæ quondam portantes arcam Bethsames, non declinant à recto itinere, qui arcam Dei portant in mente: cognoscentes quia compassio proximis, & rectitudo debetur vitiis. Quæ idcirco vestræ sanctissimæ auctoritati scribens dolore cordis constrictus, de illo per vocem luctus emitto; ut sciatis, quanta non solùm ego, sed & Ecclesiæ Cisalpinarum regionum, & Rex ac regnum nostrarum partium per illum hactenus sustinuerunt. Suggero enim paternitati

Anno Christi 871.

ternitati vestræ, quia quamdiu in hac mortali carne vixero, sicut Metropolitanus cum Episcopo rationem habere debet, quantùm ex me est, nec de Parochia nec de quacumque causa, Metropolitana solicitudine, cum illo ullam rationem habebo: quem diutius insolentem sufferre non valeo. Et tolerabilius mihi est, etiam corporaliter oculum aut manum, aut pedem abscissione amittere, quàm cum illo, quem spe gaudens dilexi, & ea gemens diligo propter Deum, de suis insolentiis contentiones sine ulla utilitate conserere. Iam enim in multis & per plures ab eo vexato, necesse est mihi ut non rixas, sed quietem exquiram. Quatenus qui jam terminum meum exspecto, vel in eodem termino per Dei misericordiam dicere possim: Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace.

Cæterùm vestræ paternitatis auctoritas nuper mihi literas misit de Presbytero Parochiæ nostræ nomine Trisingo, præcipiens ut plenariis scriptis remitterem vobis notitiam de causa ipsius. De quo, sicut se rei veritas habet, vestræ auctoritati scribo.

Quædam libera fœmina, soror hominis nomine Livulfi, de ipsa villa de qua præfatus Trisingus Presbyter fuerat ordinatus, accepit maritum fratrem ipsius Trisingi Presbyteri, & hac familiaritate idem Trisingus cœpit frequentare domum fratris sui. Et sicut idem Livulfus, qui in ipsa villa manebat, & Parochiani atque vicini ejusdem Presbyteri dicebant, cum filia uxoris fratris sui, quam de altero marito susceperat, cœpit concumbere. Et quadam die ipse Presbyter atque præfatus Livulfus porrexerunt ad Castellum quod Mosomus dicitur, & inebriaverunt se in quadam taberna contra nostrum Episcopale interdictum: qui Presbyteris nostris in omnibus Synodis interdicimus, ut sicut Canones Africani diffiniunt, Clerici edendi, vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Et iste Presbyter Sulæ non peregrinationis necessitate, adinebriandum se tabernam intravit: quia idem castellum non amplius quàm quatuor milliaria à mansione ipsius Presbyteri distat. Revertêtes autem idem Presbyter & Livulfus ebrii de præfato castello, cœperunt verbosare inter se, sicut ebrii solent facere, & illorum verbosatio eò usque processit, ut de ipsa sua nepte improperaret Presbytero, & è contra ipse Presbyter opprobria quæ invenire potuit, eidem Livulfo retulit. Idem autem Livulfus fuste quem in manu portabat, bis percussit Trisingum Presbyterum: tunc ipse Presbyter irruens super filium Livulfi, qui spatam ad collum portabat, extraxit eandem spatam volens percutere eum per medium caput ut illum occideret; levavit idem Livulfus manum contra spatam, & suscepit spatæ ictum, & abscissi sunt illi duo digiti de eadem manu: & cadente illo de caballo putavit Presbyter illum esse mortuum, & saliens in caballum illius, perrexit domum suam.

Ego verò per multos hoc audiens, vocavi eum ad me in præsentia clericorum ac comministrorum nostrorum, & interrogavi eum ac veritatem. Qui de fœmina de qua reputabatur, negavit quòd cum ea non concubuerit. De voluntate autem, quia eo ordine sicut præmisi, ipsum hominem occidere voluerit, confessus fuit: qui juxta vocem Ioannis Apostoli homicidâ convincitur. Ego autem sicut B. August. de Presbytero suæ Parochiæ Xantippo primati suo scripsit, quæ negavit, Deo dimisi; quæ occultare permissus non est, judicavi; & eum ab officio sacerdotali removi, donec ad Synodum comprovincialem veniret, & ibi cum certo Episcoporum numero, sicut Carthaginenses præcipiunt Canones, causâ ipsius certum finem acciperet. Iisdem autem cùm plures Synodos in Provincia nostra habuerimus, ad Synodum posteà nullam venit. Quem per annum & sex menses expectavi, & eò se in Synodo nihil fategit. Et decernentibus sacris Canonibus, ut quotiens clerici convicti, & confessi in aliquo crimine, si fortè causæ adesse voluerint, & innocentiam suam adserere intra annum excommunicationis hoc faciant. Si verò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox posteà penitus audiatur. Post annum & sex menses reclamantibus Parochianis Ecclesiæ ipsius, in qua idem Presbyter fuerat ordinatus, se non habere Presbyterum: nam quia Romam perrexerit, ignoravi, donec post tres menses quàm in loco ejus fuit Presbyter ordinatus, Româ veniens mihi litteras vestræ sanctitatis attulit.

Caroli Calvi Regis 32.

In Canonibus autem Africæ Provinciæ Concilii 4. Capitulo 67. de seditionariis & usurariis, ne Clerici fiant, scriptum est ita. Seditionarios nunquam ordinandos vel injuriarum suarum ultores. Et si tales ordinandi non sunt, colligendum est, quid mereantur qui post ordinationem admittere talia non formidant. Et antiqui Patrum Canones in Synodo, cui plurimi Metropolitani cum suis suffraganeis interfuerunt, decernente Antiocheno Concilio perfectum illud esse Concilium, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes, manifestâ sententiâ decreverunt, ut clerici qui in quacumque seditione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu in Monasterio pœnitentiæ detrudantur. Et Zacharias Papa Bonifacio Episcopo Moguntino scripsit, ut Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos sanguinem Christianorum seu Paganorum effudisse repertos, ab eisdem ecclesiasticis gradibus removeret. Et jam plusquam duo sunt anni, ex quo præfatus Trisingus supra scriptum Livulfum volens occidere, demembravit, quando hanc relationem, ut jussistis, vestræ auctoritati transmitto. Et quia populus sine Presbytero tamdiu manere sine periculo dimitti non potest, vestra sapientia sufficientissimè novit. Deus omnipotens sanctitatem vestram ad doctrinam & correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ in suo cœpto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, Domine Sanctissime & Reverentissime Patrum Pater in Domino.

PARS SEXTA CONCILII.

Epistola Hadriani II. Papæ ad Episcopos Synodi Duziacensis. Extat in tomo 3. Conciliorum.

EPISTOLA CAROLI CALVI Regis ad Hadrianum II. Papam.

Domino Sanctissimo atque Reverentissimo Patri Hadriano, Carolus gratiâ Dei Rex.

VESTRA veneranda Paternitas nobis Epistolam pro Hincmaro Laudunensi, quondam Episcopo, misit. Cujus primordia ita se habent. Initium nostræ locutionis ad te, fili carissime,

Ex codice Pictaviano, nunc primùm editur.

Anno Christi 871.

Caroli Calvi Regis 32.

me cum Propheta est. Ecce qui dicit: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et non optaveramus apud reverentiam vestram alia voce, & postulatione alia loqui, si nos ad hæc, quæ inviti loquimur, & coacti deposcenda ducimus, necessitas nimia non compelleret. Sæpe nobis exprobrationum Epistolas mittitis, & crimina vobis incognita, nisi quantùm per malevolorum nostrorum ora audiris, nobis impingitis, quod vestræ sanctitatis ministerium non oporteret, neque deceret, sed neque decessores ac prędecessores vestri nostris decessoribus ac prędecessoribus talia impegerunt, vel mandaverunt. Sicut namque in Apostolicæ Sedis Pontificum & in Christianorum Regum, ac Imperatorum Epistolis legimus: Religiosi Reges & Imperatores beati Petri Apostolorum Principis successores, Patres appellaverunt; & Apostolicæ Romanæ Sedis Pontifices, Reges & Imperatores Christianos usque ad vestra tempora filios & dominos vocaverunt. Nunc è contrà (cùm dicat Apostolus: Filii, obedite parentibus vestris, quod devotissimè, si nobis liceret, agere cuperemus; & patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.) Perjurii ac tyrannidis atque perfidiæ non confessi, nec ordine judiciario legaliter ac regulariter convicti. Cùm sicut B. Augustinus ex legibus divinis atque humanis instructus dicat: Quia nemo sibi utrumque audet assumere, ut cuiquam ipse sit accusator & judex. Et tantis injuriis affecti contra præceptum Apostoli ad iracundiam provocamur, quantis, ut de Regia persona reticeamus, nec quemlibet plebeium vel liberi capitis virum hactenus audierimus à Sacerdote quolibet provocari, quem nec secundùm Ecclesiasticas regulas, vel secundùm leges publicas accusatum, vel sponte confessum aut legaliter ac regulariter convictum in judicio suo pręsentatum susceperit; nam decessor vester beatæ memoriæ Nicolaus, de publico adulterio nepotem quondam nostrum Lotharium deprehensum Regiæ potestati honorem conservans, non taliter in suis Apostolicis literis appellavit, sicut nos appellatis, quem nec confessum neque convictum tenetis, nec illum excommunicavit, sicut nos sine auctoritate & ratione excommunicandos minatis. Cùm non ignoremus ex sacrarum scripturarum tramite & doctrina Apostolicæ Sedis Pontificum, unde, & qualiter, ac quomodo & quo ordine quemquam Pontifex quilibet debeat regulariter excommunicare. Et certum tenemus nosse paternitatem vestram & sanctam Romanam Ecclesiam, quas Epistolas decessores ac prædecessores vestri Christianis Romanorum & Francorum Imperatoribus, & progenitoribus nostris direxerint, & qualiter eos, de quibus necesse fuerat, commonuerint, non exprobaverunt, neque crimina eis impegerunt, vel calumnias intulerunt, sed de his, quæ ad suum Ecclesiasticum ministerium pertinuerint, eos instruxerunt & commonuerunt, & regni ac secularia negotia sibi non usurpaverunt, scientes, quia sicut sanctus dicit Gelasius, duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata Pontificum, & regalis potestas; quoniam Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperavit, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis utrisque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, Imperalium dispositionibus uterentur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus. Scriptum est jam nobis inter alia voce vestra, quia in causa Hincmari agerem, non ut Rex pius, sed ut alius, id est, tyrannus impius; sicut namque nihil est medium, qui dici non potest bonus, restat ut vocetur malus; sic non Rex pius, tyrannus intelligatur impius; & qui mè peccatorem confiteor, impium esse diffiteor. Et Natham Propheta, David Regem de mortiferis peccatis redarguens, confitenti non dixit, tu es ille impius, sed tu es ille vir qui fecisti hoc, & sua facta confitendo, damnantem non judicio condemnavit, verùm competenter absolvit. Sed cùm scriptum sit, labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est, interminante Domino, ne quis dicat fratri suo sine causa Racha, vel fatue, non credimus ut talia erga me Regem qualemcumque, tamen Catholicum, & in Catholica Religione devotè manentem processerint de ore vestro, quo per sacrosanctam obsecrationem conficitur corpus & sanguis Christi, qui recte Apostolo pro impiis mortuus est. Nec ad suggestionem mendaciorum hæc vos nobis mandasse inconsultè credimus, qui sequendas scripturæ sententias retinetis. Descendam, inquit Dominus, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita ut sciam, & causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Sancti quippe doctique Pontifices, & jam ab eis præjudicia patientes, non sic Constantium Atrianum, & Iulianum Apostatam vocaverunt. Et si omnes Epistolas revolvitis, quas habemus ex eo tempore, quo Romani Pontifices ad Reges Francorum cœperunt scribere, nihil tale in eis invenietis. Scriptum est etiam nobis voce vestra, quia res omnes Hincmaro commissas Ecclesiæ, donec ad propria reverterer, nobis committereris ut indemnes consisterent, & aliquod dispendium non incurrerent; quibus referimus, quia ut beatus dicit Gregorius, nos Reges Francorum ex regio genere progeniti, non Episcoporum vice-Domini, sed terræ Domini hactenus fuimus computati: & ut Leo ac Bituricensis Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præesse præcepit, jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta divalia constituta permiserunt; non autem Episcoporum villici exstiterunt. Et Augustinus dicit, per jura Regum possidentur possessiones, non autem per Episcopale Imperium, Reges villarum fiunt actores. Et Dominus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ Dei sunt, Deo reddi pręcipit, qui etiam censum Regi reddidit. Et Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari, & non conculcari Reges: Regem, inquit, honorificate. Et item: Omnis, inquiens, anima potestatibus sublimioribus subdita sit, reddite ergo omnibus debita. Et paulò superiùs: Ideò necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed & propter conscientiam. Et quod de Episcopis à vobis Romam ex regno nostro accersendis scriptum est; legite gesta Sedis Romanæ Pontificum, & Epistolas

al. Roman.

stolas beati Gregorii ad Regem Francorum, & etiam ad Brunchildem licèt fęminam, tamen Reginam, & aliter invenieris vestros decessores, & prędecessores, nostris decessoribus ac prędecessoribus pro accersendis Episcopis, & pro Synodis congregandis scripsisse. Et in eadem epistola nobis scriptum est, ut homines de regno nostro Celsanum & Vvalconem atque Bernonem salvos & incolumes cum suis permitteremus consistere, & si aliter egerimus, vestræ communionis participes usque ad veram satisfactionem esse non valeremus, & non evasuros nos vestram censuram sciremus, si vestra à nobis fuerint amplius decreta vel monita violata. Ad quæ rescribimus, quod non tali modo Apostolicæ Sedis Pontifices, Francorum Regibus mandare consueverunt pro his, qui ad Apostolorum limina confugium suis temporibus faciebant. Nec talis est doctrina Catholica, ut pro hac vel hujusmodi causa, Rex corrector iniquorum à Sedis Apostolicæ communione debeat separari, sicut beatus Augustinus patienter ostendit. Spiritales, inquit, sive ad hoc ipsum pio studio proficientes non eunt foràs, quia cum aliqua vel perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probant, quàm intus permaneant, cùm adversùs Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed hi solida unitatis petra fortissimo caritatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur; Aves autem non divisit. Proinde non est credendum, ut hæc mandata ex apostolico vestro ore processerint; quoniam qui ita scripsit, non bene attendit, quasi quilibet mihi in Catholica & Apostolica communione permanenti, suam communionem subtraxerit, non me, sed se à Catholica & Apostolica communione sequestrat. Hinc enim beatus Gregorius etiam de Ecclesiæ rectore dicit: Sępe in solvendis, ac ligandis subditis, suæ voluntatis motus, qui Ecclesiæ Christi prępositus est, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, ut ipsâ hac ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorũ moribus exercet. Et cùm hęc ita se habeãt; egimus tamen de Celsano qui mẽdaciter me ex mendacis Hincmari parte, cujus Ecclesiæ duo circiter millia mansa plusquã tempore antecessorũ nostrorũ habuerit, adauximus, & etiam ipsius tempore plusquam sexcenta succrevimus, distrahentem ecclesiasticum statum apud sanctitatem vestram Apostolicæ Sedis Pontificem accusavit. Sed & de Vvalcone ac Bernone perjuris, & regia nostra infidelitate notatis, ac fugitivis, sicut nobis ex vestra parte scriptum est, obedivimus, non attendentes illorum mendacia, & in nos dictas calumnias, sed Apostolicæ Sedis honorem ac reverentiam; unde ut cum pace & veniâ vestrâ dicamus, quæ vestri ministerii sunt, Apostolicæ Sedis mandata, evangelica veritate & apostolica, atque canonica auctoritate secundùm tramitem sanctarum Scripturarum, traditionemque majorum suffulta recipere, & eis obedire. Et tale honoris privilegium volumus conservare, & obaudiendo vobis Pontifici Apostolicæ Sedis dependere in primatu beati Petri Apostolorum Principis, Domini voce percepto, quod Ecclesia subsequente, tenuit semper & retinet: sicut & sancti Canones & sacræ leges à Christianis Imperatoribus promulgatæ eidem primæ Sedi deferentes, demonstrant; & sicut decessores, ac prędecessores nostri eidem sanctæ Sedi detulerunt, & vestra paternitas sic debitum honorem nobis exhibeat, sicut sui decessores, ac prędecessores Christianis Romanorum Imperatoribus, & Francorum Regibus, itemque Romanorum & Francorum Imperatoribus, progenitoribus nostris exhibuerunt. Cęterùm tales literas & vestro ministerio incongruentes, & nostræ regiæ dignitati ac potestati inconvenientes, sicut nobis ex vestro nomine diriguntur, non à vobis, neque à sancta Romana Ecclesia in omnibus semper discretissima atque cautissima dictatas crediderim, quoniã ipsa sancta Sedes cum modestia & discretione semper corripere, & salubriter corrigere secundùm uniuscujusque personam & ordinem solita fuit. Servate ergo nostræ regiæ potestati, quæ nostra sunt, & liceat nobis servare vestræ pontificali auctoritati, quæ vestra sunt. Scriptum est etiam nobis, misisse nos vobis epistolam de Hincmaro accusationes nefandas continentem, quod scribi non decuerat, quia nefandas accusationes de illo vobis non scripsimus; sed quæ multi & Episcopi, & alii viri ecclesiastici, & primores regni nostri, & nobiles, & mediocres, & ignobiles de illo tunc fatebantur, & adhuc fatentur, vobis scripsimus suggerentes, ut quia eum corrigere volebamus, ne ad hoc perveniret, ad quod se ipse impegit, ut tueret, vobis quisque surriperet, antequam inde veritatem resciretis. Sed quia multipliciter & multoties illum corripuimus, sed corrigere non valuimus, ad hoc usque pervenit, sicut in gestis synodalibus vestræ auctoritati directis invenietis. Vnde obnixè vestram auctoritatem deposcimus, ut sicut vestri decessores ac prędecessores, decessoribus ac prędecessoribus nostris, & Archiepiscoporum ac Episcoporum regni nostri debita & ecclesiastica privilegia, dignitatumque distinctiones à sacris decreta atque distincta Canonibus ex antiqua consuetudine conservaverunt nobis, sed & illis etiam in hac causa conservare studeatis, quatenus sicut sanctus dicit Gregorius, & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa aliis sua jura non minuat. Multa sunt enim de quibus, cum his, ex quibus judicatus est, regulariter, judicaretur, si nos diutius in Synodo residere liceret. Sed quia necesse nobis fuit cum quibusdam Episcopis ad colloquium fratris nostri pro reconciliatione filiorum ejus ad patrem illorum & fratrem nostrum quantociùs festinare, ne commota seditione & jam propinquos inter se compugnantes Christianorum parricidialis sanguis effunderetur, & hac de causa ecclesiarum Dei res scinderentur, & sacerdotum ac servorum Dei facultates diriperentur, & pauperes depopularentur. De omnibus, de quibus accusabatur, judicia certa Synodus determinare non potuit. Verumtamen in his gestis, quæ vestræ auctoritati mittuntur, cognoscere poteritis, quàm diutino tempore, nos & Episcopi ac Primores regni nostri, ejus improbabiles & importabiles mores & actus cum labore maximo sustinuimus. Quapropter de illo vestra pontificalis auctoritas, ut credimus, faciet quod regulæ sacræ decernunt; vos tamen certissimum reddimus, quia quamdiu nos Deus in regni regimine conservaverit, Episcopium Laudunense idem Hincmarus in suo regimine non habebit; cui concessimus, quamvis non mereatur pietatis intuitu, ut quicumque de clericis, & de familia Episcopii Laudunensis pergere vellet, licentiam haberet.

ANNO CHRISTI 871.

haberet. Venerabilem denique Episcopum Actardum, quem clerus & plebs metropolis Ecclesiæ Turonensis in eadem Ecclesia baptisatum, tonsum & nutritum, ac per singulos gradus ad ordinem Episcopatus provectum sibi incardinari deposcit, quemque vestra paternitas nobis incardinandum, & jam si locus eveniret in nostris regionibus, in Metropoli commendavit, & cui hactenus Ecclesiam vacantem pastore, donec locus congruus in regno vestro aperiretur, ut ibidem regulariter incardinari posset, pro vestra deprecatione concessimus; auctoritati vestræ remittimus, quatenus illum in præfata Metropoli, eo si vobis placet tenore Archiepiscopum incardinetis, ut post decessum illius præfatæ Metropoli Ecclesiæ, cleri, & plebis electione, sicut regulæ sacræ præcipiunt, & vetus consuetudo exigit, à suffraganeis & provinciali bus Episcopis ibidem Metropolitanus ordinetur Antistes. Tandem in omnipotentis Dei honore, & veneratione sanctorum Apostolorum vos deprecamur, ut tales inhonorationis nostræ epistolas, taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro nobis venerunt, nobis & regnorum nostrorum Episcopis, ac primoribus ulteriùs non mandetis & non compellatis nos mandata, & epistolas vestras inhonorandas contemnere, & missos vestros dehonorare, qui vobis in his, quæ ad vestrum ministerium pertinent, secundùm ministerium nostrum cupimus obtemperare. Quæ pro vestri honore privilegii dicimus, quia vobis, sicut reverà vicario beati Petri Apostolorum Principis in omnibus debitè ac competenter obedire desideramus, & ne aliter eveniat, cavere per omnia cupimus, ac vestram sanctitatem idipsum cavere humili prece deposcimus. Deus omnipotens ad honorem, & salvationem atque exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ, vos per multa annorum curricula conservare dignetur, Domine sanctissime, atque reverentissime Pater in Domino.

Epistola ejusdem Hadriani ad Carolum Calvum Regem, quæ incipit, Laudabilis caritatis, *&c. Extat in eodem tomo Concil. Galliæ.*

EPISTOLA CAROLI CALVI ad Hadrianum Papam.

Sanctissimo ac reverentissimo Patri Hadriano summo Pontifici & universali Papæ, Carolus Dei gratiâ Rex & spiritalis filius vester.

LEGIMUS in libro Paralipomenon filios Israël mente pacifica ivisse ad prælium, quia non livoris vindictâ, sed obtinendæ pacis gratiâ dimicaverun. Quod rursum dicimus, qnia cogitis nos indecentibus potestati regiæ literis vestris inhonoratum, inconvenientibus episcopali modestiæ vestræ mandatis gravatum, contumeliis & opprobriis dehonestatum, aliter quàm vellemus mente pacifica vobis rescribere, ut tandem animadvertatis, quamquam perturbationibus humanis obnoxiū, in imagine tamen Dei ambulantē esse nos hominem, habere sensum paterna & avita successione, Dei gratiâ, regio nomine ac culmine sublimatum: & quod his majus est, Christianum, Catholicum, fidei orthodoxæ cultorem, sacris literis ac legibus tam ecclesiasticis quàm sęcularibus ab infantia eruditum, nullo crimine publico in audientia episcopali legaliter ac regulariter accusatum, minimè autem convictum. Et ut, quæ superaddere

Ex cod. Paraviano auctior editione Parisiensi.

A poteramus, alia taceamus, ne nos potiùs jactare quàm vera dicere videamur, licèt legamus Apostolum plura de se dixisse, ob aliorum salutem necessitate compulsum. Quoniam sępe humiliter vobis locuti, benigna & pacifica atque honorabilia nobis scripta impetrare nequivimus, ut quietem pacis & venerationem, quam apud antecessores vestros nostri decessores & nos habuimus, quoquomódo obtinere possemus. Scripsimus vobis per Actardum Episcopum & mansuetudinis nostræ legatum, singillatim ac viritim quàm inconvenientia pro Hincmaro quondam Laudunensi Episcopo ex nomine vestro nobis

B scripta fuerunt, quæ nos à vobis processisse non credebamus, putantes nos ratione comperta ab incompetentibus, quæ aliorum instinctu nobis eatenus scripta fuerunt, calamum revocare: sed spe vana frustratis, aliter nobis quàm sperabamus evenit. In capite quippe literarum quas per præfatum Actardum Episcopum nobis vestra direxit paternitas, auditam laudabilem caritatis & sapientiæ nostræ magnitudinem vos prętulisse invenimus, & mox de comperto murmure & tumultuoso clamore, indebitæ reprehensionis adversùs paternitatem vestram nos denotatos reperimus: sicque auditam nostram sapientiam collaudastis, ut quasi honestiùs & reverà onustiùs, nos solitis contumeliis afficere

C volueritis, quem non per insipientiam, sed per industtiam in murmuratione & clamore contra debitam caritatem delinquere demonstrabitis, & quasi ad ora vasculi melle illiti, & de eodem fonte quo & antè missæ literæ istæ posteriores nobis perniciosum poculum propinaverunt, fatentes illa, quæ aliorum instinctu & non à vobis processisse credebamus, vestra fuisse.

Nam in pręcedentibus literis, nos perjurum, tyrannum ac perfidum, & distractorem rerum ecclesiasticarum non confessum, nec ordine judiciario legaliter ac regulariter convictum vocastis: in istis autem murmurationis crimen nobis impegistis, & tumultuosi clamoris nęvum

D imposuistis, arguente Domino carnalem Israel per Prophetam, unde nos coarguitis: *Quia non fecerit judicium sed clamorem.* Et Apostolus, *Omnis*, inquit, *clamor & indignatio tollatur à vobis.* Et non levius est malum, murmuratio his, quibus nos antea denotastis, dicente Apostolo, *Neque murmuraveritis, sicut quidam illorum murmuraverunt, & à serpentibus perierunt.* Et ut beatus dicit Gregorius, Nullus murmurans regnum Dei intrare permittitur. Hinc colligendum est quantum peccatum sit murmuratio, quæ regnum Dei intercludit. Sicut & illa peccata gravia, post quorum enumerationem dicit Apostolus, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

E Et non, ut scripsistis, tumultuoso clamore paternitatem vestram indebitè reprehendimus, sed quæ nobis ex vestro nomine scripta fuerunt, non multorum vocibus, quibus tumultus fieri solet, sed nostra tantùm voce rescripsimus. Et quoniam talia vos misisse, & à sancta Romana Ecclesia, in omnibus semper discretissima atque cautissima, dictata fuisse, nequaquam credidimus: quia ipsa sancta Sedes cum modestia & discretione semper corripere, & salubriter corrigere secundùm uniuscujusque personam & ordinem solita fuit, suggessimus. Igitur si male locuti sumus, testimonium perhibete de malo; si autem benè, quid nobis succensetis? Scriptum est, Abraham licèt sanctum, ut à Deo sanctifica-

CAROLI CALVI Regis 32.

Extant in tomo 3. Concil. Galliæ, quæ sic incipiunt, Laudabilis caritatis, &c.

Non extant sed harum fit mentio in epistola præcedente.

Ephes. 4.

1. Cor. 10.

Gal. 5.

tum hominem, tamen eidem Deo dixisse: *Num perdes justum cum impio? Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram*. Et non ingratè hoc Dominum suscepisse. Et nos arguitis, quoniam humili placatione vobis suggessimus, non esse vestrum, non confesso, nec legaliter ac regulariter convicto, regia etiam potestate, gratiâ Dei prędito, talia sicut plebeio, & de criminibus confutato, scribendo impingere, scientes quàm grave sit fratri, quod nobis impactis minus est, dicere fatuè, nullique detrahendum, vel contra fas maledicendum: minimè autem Regi, ut Apostolica doctrina, atque sancti David in Saulis jam à Domino reprobati reverentia, & Salomonis sapientia, ac Nabuthæ prodit historia.

Gen. 18.

Invenimus etiam in eisdem literis nobis datum consilium, si fortè dici potest consilium, quod est exemplo Domini contrarium, & decretis Sanctorum invenitur adversum, scilicet, ut verbis vestris dicamus. Omnia quæ à Sede Apostolica, cui per Dei gratiam pręsidetis, directa sunt, alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere. Scriptum est enim nobis ex vestro nomine: Nos perjurum, tyrannum ac perfidum, & distractorem esse rerum ecclesiasticarum. Et hæc alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere? Nisi scriptor fortè velit nos cum vulgo Æthiopes vocare argenteos, & ideo quis nobis pulcher videatur, qui à nomine bellus vocatur, & sibi cantare cum Persio: Quicquid calcaveris rosa fiat; illudque propheticum incurrere, *Væ his qui ponunt amarum in dulce*, cùm Dominus dicentibus ad se Iudęis, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* quod recognovit, tacendo consensit, & patienter repulit, quod dictum fallaciter audivit, dicens, *Ego dæmonium non habeo*. Cujus pro modulo nostro in hoc exemplum secuti, qui non dedignatus est ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare; de his quæ in nobis non recognovimus, humiliter & patienter apud paternitatem vestram nos excusavimus, ne si penitus taceremus, tales quales denotabamur, tacendo & consentiendo esse nos fateremur, & quasi confessi, nostra confessione convicti judicaremur.

Isa. 5.

Ioan. 8.

Et hoc hortamentum quod in literis ex nomine vestro ab Actardo Episcopo nobis delatis invenimus, scilicet ut omnia quæ à Sede Apostolica nobis veniunt, humili debeamus semper intentione recipere, non solùm ut pręmisimus, evangelicæ veritati, sed etiam decretis Sanctorum invenitur adversum. In quorum decretis legimus: eum absolvi non posse, qui in seipsum dixerit mortis causam, qua edicta in alium puniretur, falsum videlicet testimonium: cum omnis, qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit. Et hinc decreverunt, Vt quicumque sub ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submovendos. Et nos, si ad talia nobis impacta tacendo consentiremus, non solùm à regimine regio, verùm & à Catholicæ Ecclesiæ cōmunione nos [illegible]s sequestraremus. Non igitur talia nobis ex parte Sedis Apostolicæ, nomine vestro scripta, mente alacri percipere, & animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere,

Concil. Val. Can. 4.

quæ sicut in eisdem literis ex sententia sapientis Salomonis subjungitur: *Quasi stimuli & sicut clavi in altum defixi esse viderentur*, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Cui sententiæ item sapientis verba referimus, quibus dixit, *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris*, id est probaveris, *corripe justè*, sicut Nathan David Regem priùs interrogavit, & interrogatione probatum corripuit, & cùm causa correptionis defuit, humiliter adoravit, veluti in sacra historia legimus. Mandate & scribite quæ vestro & nostro ministerio congruunt, vel decessores vestri nobis & nostris decessoribus mandaverunt atque scripserunt, & alacri mente, animoque grato recipiemus.

Eccl. 12.
Eccl. 11.
2. Reg. 12.
2. Reg. 7.

Literæ autem ex nomine vestro semper sine interrogatione, id est sine probatione nos pungunt, & peccata, pro quibus invitum pungunt, sponte confessa, vel ordine judiciario legaliter ac regulariter comprobata non ostendunt: & cùm peccata manifesta & probata desint, fomentis benignæ adhortationis & allocutionis non refovent: reprehendente hinc Domino populorum rectores asperos, atque dicente: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia*. Quibus Apostolus regulam dedit commotionis, singulis dicens: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Misceas, temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris affectum ostendentes, id est indisciplinatos & inquietos debent duriùs arguere, obedientes autem atque patientes, ut in meliùs proficiant, obsecrare, negligentes autem & contemnentes debent utique increpare, atque corripere, & de criminalibus peccatis aut ultrò confessos, aut ordine judiciario convictos atque comprobatos, secundùm modum culpæ legaliter ac regulariter judicare. [Noluit Apostolus, inquit beatus Augustinus, hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potiùs ex lege Dei secundùm ordinem Ecclesiæ, sive ultrò confessum, sive accusatum & convictū: alioquin illud cur dixit: *Si quis cùm frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens &c.* nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quenquam, cùm sententia ordine judiciario atque integritate profertur: nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sępe falsò in quenquam crimina nominantur: plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sępe deseruntur, ut ea quæ sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possint: quamvis enim sint vera quędam, non tamen judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur, nisi ordine judiciario comprobentur, ut si per judicium mali ab Ecclesiæ communione auferri non possunt, tolerentur potiùs, ne perversè malos evitando quisque ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.]

Ezech. 34.
2. Tim. 4.
Homil. 2. de pœnit. cap. 4.
1. Cor. 6.

Quod scriptum est in eisdem ex nomine vestro literis, quia sanè non patienter Pontificii vestri monita & correctiones nos audisse comperistis, liquidò patet adhuc perfectæ aliquid caritatis minùs dumtaxat habere, de qua dicit Apostolus, *Charitas patiens est, benigna est, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia suffert, omnia sustinet*. Cujus caritatis modum & perfectionem

1. Cor. 13.

Anno Christi 871.

Caroli Calvi Regis 32.

ctionem in benignitate atque patientia, in humilitate & sufferentia, exemplo sanctæ paternitatis vestræ, in literis vestris discere admodum cuperemus, si Deus nos inde honorare dignaretur. Quod & in hoc possemus addiscere, si in his ad quæ ex nomine vestro nobis scripta, sanctitati vestræ rescripsimus; sustineretis modicum quid insipientiæ nostræ, & supportaretis nos, sicut magnus Petrus Apostolicæ & primæ Sedis primus Episcopus, non solùm patienter, sed & gaudenter adeò suscepit reprehensionem suam à Coapostolo suo Paulo sibi ostensam, ut ejus epistolas in quibus se reprehensum legerat, cum maximo favore laudaverit. Non enim ita supputatè eas laudare poterat, nisi legisset: & quia legit scriptum, reprehensum se in eis invenit: & quoniam eas tam granditer laudavit, quàm gratanter justam reprehensionem suam accepto tulerit patienter, ostendit: & cum à minoribus suis reprehensus fuit, cur ad gentiles intraverit, non eis nudo & tumido sermone respondit, ut omnia quæ egerat patientissimè sustinerent, nec aliquid in eorum querela de sua potestate dixit, sed humili ejus ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit. Quia si in querela fidelium, ut beatus dicit Gregorius, aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset. Si igitur Pastor Ecclesiæ, Apostolorum Princeps signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ, rationem humiliter reddere; quantò magis, inquit beatus Gregorius Apostolicæ Sedis Pontifex, nos peccatores cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare deberemus? Literæ autem ex nomine vestro nobis directæ, non humili nos ratione placarunt, nec contra rationem nos ea ratione & auctoritate quæsiisse monstrarunt, sed indebitâ increpatione os nostrum oppilare studuerunt, cùm Deo gratias, liberâ adhuc fronte, de his quæ nobis per literas ex nomine vestro directas impacta sunt, loqui possimus.

Scriptum est etiam in præfatis literis nobis ex nomine vestro directis, de Hincmaro hoc modo. [Volumus, & auctoritate apostolica jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum, vestra fretum potentia, ad limina Sanctorum, nostramque venire clementiam: quo sanè veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nullâ possit auctoritate legitimâ respui. Et tunc in præsentia nostra & totius Sedis Romanæ synodali collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita secundùm Deum & sacrorum Canonũ constitutiones Spiritu Dei prolatas sine protelatione aliquâ definietur.] Quæ relegentes licèt contra morem decessorum ac prædecessorum vestrorum hoc dictum invenerimus, id est umbrosum sæculi typhum inducere in Ecclesiam suam, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Domini videre desiderantibus præfert; tamen de voluntate non dubitavimus. Quia humano animo facilè potest subripi quod ex deliberatione conveniat immutari. Sed valdè mirati sumus, ubi hoc dictator epistolæ, nobis per Actardum Episcopum delatæ, scriptum invenerit esse apostolica auctoritate præcipiendum, ut Rex corrector iniquorum & districtor reorum, ac secundùm leges ecclesiasticas atque mundanas ultor criminum, reum legaliter atque regulariter pro excessibus suis damnatum,

Conc. Afr. Can. 105.

A sua fretum potentia Romam dirigat: maximè autem illum qui & ante depositionem contra custodiam publicam, & contra quietem moliri, in tribus Synodis extitit deprehensus, sicut in gestis episcopalibus paternitati vestræ directis continetur, & post depositionem suam, & per se, & per quoscũque potuit, à sua pervicacia non quievit. Sed non miramur si in posterioribus literis, ex nomine vestro nobis directis est insulcitũ, ut regulariter ac legaliter damnatus qui nullis legibus decernitur, à quoquam gradu, seu rebus ac facultatibus redonandus, antequam si contra custodiam & quietem publicam moliri non fuerit deprehensus, renovato Apostolicæ Sedis auctoritate judicio in provincia, qua fuerit judicatus, fortè inveniatur innoxius, regiâ nostrâ B potentiâ ad vestram veniat frerus, cùm se auctore damnato debeatur zelus rectitudinis, non clementia resolutionis: quæ si non de eodem foramine, de eodem tamen conamine manarunt; de quo & anteriores fluxerunt, in quibus continetur, ut res omnes Hincmaro commissæ Ecclesiæ, donec ad propria reverteretur, nobis committeretis ut indemnes consisterent, & aliquod dispendium non incurrerent.

Vnde sicut vobis rescripsimus, & nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente causa necessarium est, quia Reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum vice Domini, sed terræ domini hactenus sumus computati, & ut Leo * ac Bituricensis Synodus scripsit; C Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præcepit præesse, jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Et sanctus Augustinus dicit, per jura regum possidentur possessiones, non autem per episcopale imperium Reges villici fiunt, actoresque Episcoporum. Et Dominus, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo reddi præcipit*, qui etiam censum Regi reddidit, & Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari & non conculcari Reges, *Regem*, inquit, *honorificate*. Et iterum, *Omnis*, inquiens, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit, reddite ergo omnibus debita*, Et paulò superiùs: *Ideò necessitate* D *subditi estote, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam*. Etsi revolveritis regesta decessorum ac prædecessorum vestrorum, talia mandata sicut habentur in literis ex nomine vestro nobis directis per Actardum Episcopum, decessores nostros à decessoribus vestris accepisse nullatenus invenietis; unde pauca de pluribus vobis scribere necessarium duximus.

Intelligit epistolam præcedentem.

* Al. Romanus.

Can. unico.

Math. 22.

Matth. 17.

1. Pet. 2. 17.

Roman. 13. 7.

Sanctus Gregorius merito vitæ & sapientiæ doctrinâ Apostolicæ Sedis Pontifex, & toti orbi colendus ac imitandus, Francorum Regibus Theodorico & Theodeberto prædecessoribus nostris de præjudicio cujusdam Episcopi, non E ita ut vos nobis scripsistis, pro eo qui pro meritis suis legaliter ac regulariter justè depositus est: scripsit hoc modo: [Frater & Coepiscopus noster Ursinus Taurinæ civitatis Antistes, in parochiis suis quæ intra regni vestri sunt terminos constitutæ, grave omninò dicitur præjudicium sustinere, adeò ut contra Ecclesiasticam observantiam, contraque sacerdotalem gravitatem, & contra sacrorum Canonum definita, nullo ejus exigente crimine, alter illic nunc meruerit Episcopus ordinari. Et quia parum visum est, si illicitis non jungerentur illicita, etiam res Ecclesiæ suæ,

Lib. vii. Epist. 110. Indict. 2.

ANNO CHRISTI 871.

ut fertur, ablatæ sunt. Quod si ita se veritas habet, quoniam nimis intolerabile est, ut virtute opprimeretur, cui culpa non nocuit, premisso paternæ salutationis alloquio petimus, ut quod excellétia vestra amore ecclesiasticæ reverentiæ & æquitatis contemplatione sponte potest impendere, nostræ studeat benigniùs intercessioni concedere; & justitiam illi, sicut de æquitatis ejus bono confidimus, faciat in omnibus custodiri, atque patefacta veritate quod illicitè actum est, corrigi. Pro utilitate ergo animæ vestræ, hęc apud vos nostra exhortatio locum inveniat, &c.] Sed & ad Romanũ Exarchum minoris dignitatis quàm simus Dei gratiâ, regiæ potestatis, de quodam Episcopo scripsit hoc modo. [Pervenit ad nos Blandum Ortonensis civitatis Episcopum, longo jam tempore in civitate Ravennati à vestra excellentia detineri, & fit ut Ecclesia sine rectore, & populus quasi sine pastore grex fuit, & ibidem infantes pro peccatis absque baptismate moriantur. Et rursus: Quia non credimus quòd eum excellétia vestra, nisi ex aliqua probabilis excessus causa tenuerit, oportet ut habita Synodo palam fiet, si quod in eum crimen intenditur, etsi talis in eo culpa reperitur, quæ ad usque degradationem sacerdotii deducatur, aliam necesse est ordinationem inquiramus, ne Ecclesia Dei in his sine quibus eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta maneat: sin autem excellentia vestra aliter se habere quàm de eo quod dicitur esse perspexerit, eum ad Ecclesiam suam reverti concedat, ut officium suum in commissis sibi animabus adimpleat.]Quibus mandatis beati Gregorii prędecessoris vestri, de his qui necdum judicio synodali legaliter ac regulariter pro criminibus suis fuere depositi, collatis cum scriptis ex nomine vestro nobis directis, ex eo qui legaliter ac regulariter pro suis excessibus judicio synodali habetur depositus, ut eum nostra fretum potentia, Romam mittamus, quæ potiùs sequenda sint, judicate. Nos autem auctoritatem vestram judicaturam potiùs credimus, ut ea sequamur quæ decessores ac prędecessores vestri secundùm scripturarum tramitem, prędicationemque majorum scripserunt, quàm illa quæ scriptor sępedictæ epistolæ ex nomine vestro nobis directæ confinxit. Ait enim beatus Augustinus libro ad Ianuarium: Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, resecanda existimo. Et sanctus Leo, de his quæ à sacris Canonibus habentur ita prefixa, & eisdem Apostolicæ Sedis sunt promulgata decretis, ut nulla possint ratione convelli, constituit; ut omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Ac si cum Paulo diceret, Quia sibiipsi Apostolica Sedes in suis constitutionibus esse non potest contraria, *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Sed ut in controversia Quintiliani legitur: Floribus vafricia nebulonum veneficatis apes mortuas esse, quibus mellificandum fuerat. De Scripturis sacris beatus Petrus agi demonstrat, loquens de Pauli epistolis, *Quæ indocti & instabiles*, inquit, *depravant sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Et de traditionibus ecclesiasticis sanctus Innocentius:. Dum, inquiens, unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana prçsumptione corruptas, putant sibi aut ecclesiis non convenire, aut ab Apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Contra quem morbum sanctus Cęlestinus salubre cunctis celebravit antidotum, dicens: Nulli Sacerdoti liceat suos Canones ignorare, nec quicquam facere; quod Patrum regulis possit obviare. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur? Et sanctus Gelasius in decretis suis: Patres nostri, Catholici videlicet & docti Pontifices, in unaquaque secta quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundùm scripturarum tramitem, prędicationemque majorum, factâ semel congregatione, sanxerunt inconvulsum, voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuò quæ prçfixa fuerant retractari, qualibet recenti prçsumptione permiserunt.

Videndum est igitur quid hic trames sanctarum Scripturarum, & prędicatio majorum definiant. Scriptum quippe legimus in sacra historia, dixisse Dominum per Prophetam Iosaphat Regi: *Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda.* Et in Evangelio semel & secundò ac tertiò monitum & non obedientem ad correctionem debitam, Dominus sicut ethnicum & publicanum jubet haberi. Et beatus Gregorius in decretis suis, sicut in gestis Synodi invenire potestis, pervasorem non solùm rerum alienarum, sed etiam Ecclesiæ sibi commissæ anathematisatum definit: verùm & si alius hoc egerit, is qui prçest Ecclesiæ, si hoc vel ipse fieri prçcipit, vel sine sua prçceptione factum digna punire animadversione neglexerit, eum anathematisat: Satis ergo mirari non possumus, unde scriptor epistolæ nobis ex nomine vestro delatæ, hanc legem apud se auro sculptam produxit, quam Dominus digito suo non scripsit, nec scribendam cuiquam inspiravit, neque ordinatam per Angelos in manu Mediatoris illius dedit; quá non paganus indixit, non Christianus induxit, non ecclesiasticus vir decrevit, quæ de se sub isto cęlo, sicut non attamento manu justitiæ, ita nec Spiritu Dei vivi scripta personuit: qua me Regem à Deo constitutum, & gladio ex utraque parte acuto, ultore scilicet nocentium, & defensore innocentium insignitum, ad malefactorum vindictam, ut exponit Apostolus, laudem verò bonorum, rei atque damnati, atque anathematizati fautorem esse præcipit: jubens ut Hincmarum sacrarum legum prævaricatorem, sancti sacerdotii vituperatorem, regiæ dignitatis contra regulam apostolicam dehortatorem, regni perturbatorem, perjurum, & seditionum auctorem, Ecclesiæ sibi commissæ afflictorem, facultatum ecclesiasticarum sacrilegum, fraudatorem ac extirpatorem Episcoporum, ac totius populi nostrarum partium scandalisatorem, alienarum rerum pervasorem, & veniendo contra subscriptiones & professiones suas à se ipso damnatum, potentiâ

Marginalia: CAROLI CALVI Regis 31. — Lib. 1 epist. 32. — Epist. 2. — 2. Paral. 19. — Epist. cxix. cap. xix. — Rom. 13. — Galat. 1. — 2. Petr. 3. — Ad Decentiũ Epist. 29.

potentia Regia fretum, Romam venire faciamus.

Quis igitur hanc universam legem infernus evomuit! quis tartarus de suis abditis & tenebrosis cuniculis eructavit! contra quam literis sacris ostensa nobis est via, quam sequamur, apposita forma, cui imprimamur. *Clamavit*, inquit, *Propheta ad Regem Israël, & ait, servus tuus egressus est ad præliandum cominus, cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & dixit custodi virum istum, qui si fuerit lapsus, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subitò non comparuit. Et ait Rex Israël ad eum: hoc est judicium tuum quod ipse decrevisti. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, & cognovit eum rex Israël, quod esset de Prophetis: Qui ait ad eum; hæc dicit sibi Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. Reversus est igitur Rex Israël in domum suam audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.* Quænam vos dementia cepit scientes dixisse Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, *Per me Reges regnant, & conditores legum justa decernunt.* Et sacri Canones (sicut credimus & in Apostolicis literis sæpius legimus) Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ sunt consecrati: propterea videamus quid de hujusmodi sancti Canones & sacræ leges decernant. Ait enim sanctum Africanum Concilium: Et illud petendum, quin apud terræ principes, statuere dignentur: ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum, quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipiant. Et tunc Valens, Gratianus & Valentinianus constituerunt, ut quicumque residentibus sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus, & nomine si aliquid contra custodiã publicam, vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursumque sacerdotiũ petere, à quo videtur expulsus, procul ab urbe quam infecit, secundùm legẽ divæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat: sit ab eorum cœtibus separatus, à quorum societate est discretus, sitque hujusmodi personis illicitum tenore hujus legis sacra nostra adire secreta, & impetrare scripta, omnibus abjectis per culpam sacerdotio personis, quæ impetrata sunt, infecta permaneant, scituris his quorum defensione, nituntur, absque sui prehensione non futurum, si hoc eis pollicetur suffragium, qui divinum videntur non meruisse judicium. Unde & Leo Papa apud principalem potestatem petiit de Eutyche scandali, & pravitatis authore, ut ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus erat, longiùs transferretur, ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxit, uteretur. Et Gregorius Paulum Dyadinæ civitatis quondam Episcopum, quo usque omne quod dilapidavit, vel de substantia tulit Ecclesiæ, restitueret, in monasterium mittendum esse decrevit. Et si fortè post depositionem suam inverecundè, ac mente perversa aliquando de Episcopatu loqui, aut rursus ad hoc qualibet adspirare præsumptione tentaverit, dominici corporis & sanguinis communione privatum, in Monasterio eum usque ad diem obitus sui ad agendam pœnitentiam retrudi, studio Ioannis primæ Iustinianæ Episcopi jussit ut perpetrati sceleris maculas dignis disceret fletibus emendare, juxta legẽ Iustiniani Imperatoris, qui libro cõstitutionũ decrevit, ut si quis Episcopus explosus, ausus fuerit ingredi civitatem, de qua repulsus est, vel exire de loco, in quo degere jussus est, jubemus eum in Monasterio in alia provincia constituto tradi, ut quæ in sacerdotio peccavit, degens in Monasterio corrigat. Quas leges ab Imperatoribus & Regibus, nostris videlicèt prędecessoribus promulgatas, atque decretas, nos immutilatè & inrefragabiliter convenit conservare, sicut Apostolicæ Sedis antistites ad dominos, & terræ principes scripserunt. Ait enim Leo ad Leonem Augustũ: Debes, inquiens, incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ prȩsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene statuta sunt defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas. Et Gelasius ad Anastasium: Et enim Imperator Auguste, si aliquid contra leges publicas, quod absit, quispiam fortasse tentaret, nulla id ratione potuisset admitti. Quas etiam leges principali auctoritate promulgatas, non solùm à quibuscumque Episcopis, sed etiam ab ipsis Apostolicæ Sedis Pontificibus, ipsius primæ Sedis Antistites observari debere scripserunt, sicut beatus Leo ad Leonem Augustum scribens demonstrat, dicens non se refragari debere edicta Imperialia, vel ea quæ sui decessores secundùm tramitem scripturarum, prędicationemque majorum statuerant. Si quæ, inquiens, destruxi, ego ædifico, prȩvaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ principis Marciani, sed etiam ego mea consensione firmavi. Et sanctus Gelasius ad Anastasiũ Imperatorem: Si inquit, quantùm ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ, quo, oro te, affectu eis convenit obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis. Quod & nos juxta hortamentum beati Gelasii incunctanter atque libenter exequi cupimus, in his, quæ ad suum ministerium pertinent, cunctis generaliter sacerdotibus rectè divina tractantibus, & potissimè Sedis illius Prȩsulis, quem cunctis sacerdotibus, divinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ jugiter pietas celebravit, sicut nostri decessores ac progenitores orthodoxi. Imperatores & Reges egerunt, ut & Apostolicæ Sedis Pontifex, & reliqui Domini Sacerdotes nobis, quæ sunt à Deo constituta, exhibeant. Scientes, sicut idem beatus Gelasius dicit, quoniam Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperavit, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suosque volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro tẽporaliũ cursu rerũ imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se negotiis sęcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis prȩsidere videretur,

Marginal notes: 3. Reg. 20. 33. — Prov. 8. — Can. 29. — cod. Th. lib. 16. Tit. 11. lib. 31. — Epist. 47. ad Pulcher. Imp. — Lib. 10. Epist. 11. — Epist. 11. — Epist. 10. in fine. — Epist. 10. in principio. — Iatemo Anathem. sub finem.

deretur, qui esset negotiis sęcularibus implicatus, ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Omnis Pontifex, inquit Apostolus, ex hominibus assumptus pro hominibus, constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: videlicet non solùm pro populo, sed quia & ipse circumdatus est infirmitate, pro suis. Et Regis est, regni negotia dispensare, sicut inculcant literæ divinitus inspiratæ. Quia ergo sanctarum Scripturarum tramite, & prędicatione majorum ostenditur, sancto etiam attestante Gelasio, quia duo sunt quibus mundus principaliter hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. Et per Regem Regum ac Summum Pontificem cunctorum Pontificum, qui solus Rex & Sacerdos fieri potuit, conditores legum justa decernunt, quas leges principales potestates appellarunt æternas, & sacri Canones Spiritu Dei sunt conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati. Et ut beatus Ambrosius ad Valentinianum dicit, leges Imperator fert, quas primus ipse custodiat, quia quod pręscripsit aliis, pręscripsit sibi, ne cui esset liberum, aliud judicare. Et beatus Augustinus dicit, quia postquam leges subscriptæ fuerint & firmatæ, non licet judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas. Quia secundùm Pontificale ministeriũ vestrum Regio ministerio nostro monita vestræ paternitatis obedienter ac libenter cupimus obaudire, patimini nos omnia servare, quæ prędecessores vestri ac nostri de hujusmodi, unde agitur, constituerunt, & roborantes seruando, quæ gesta sunt, rata doceamus esse debere quæ gerimus. Nam quomodo leges principũ ritè vocabuntur æternæ, si transeuntibus principibus unà cum eis cõstitutio legis transibit? Et Papa Symmachus ad Eonium: [Dum, inquit, ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium, quomodo priorum statuta à sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod si eveniat hæc sententiarũ varietas, ad ipsam sacrosanctam Religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ à Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint: quid aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & robotando quæ gesta sunt faciat rata esse, quæ gesserit? Quanta enim Vicariis beati Petri Apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in Sacerdotio pręcipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur. Vniversa, inquit, perpetua sint quæ à sacerdotibus Domini statuuntur, qui, ut Moyses, ea quæ statuunt ab oraculo divino suscipiunt, non quæ ab his statuuntur, de quibus per Prophetam dicitur: *Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt.* Ea nihilominus, quæ à Vicariis beati Petri constituuntur, maneant inconvulsa, quia ut Leo dicit, nec nimia est severitas vel remissio, ubi nihil constituitur, nisi quod ex B. Petri æquitate profertur.] Hęc enim scimus esse canonicè, scimus esse Apostolica auctoritate roborata, & Apostolicæ Sedis decreta, quæ ut Gelasius, dicit, unamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet. Et paulò superiùs: Confidimus, quod jam nullus veraciter Christianus ignorat, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam. Et item idem: Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus, nihil temerè licere, & cùm Sedes Apostolica super his omnibus favente Domino, quæ paternis Canonibus sunt pręfixa, pio devotoque studeat tenere proposito; satis indignum est, quemquam, vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri Sedem & sequi videat & docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesię in hac sibimet observatione concordet, quam illic videre conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. Et de sacris legibus, quas unà cum sanctis Canonibus Catholica observat Ecclesia, idem Gelasius, ut præmisimus, dicit in Epistola ad Anastasium Imperatorem: Quantùm, inquiens, ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ.

Epist. 10. — Prov. 8. — Epist. 1. — Esa. 10. — Serm. 3. in anniv. — Epist. 10. ad Dardan. in principio. — Epist. 6. ad Episcopos universos. — Epist. 10.

Et cùm ita sacræ leges tam Ecclesiasticæ quàm mundanæ de damnato Episcopali, & Synodali Concilio decernant, non est nostri regii ministerii reum, & sacrorum Canonum judicio condemnatum, atque Apostolicæ Sedis definitione, sicut in gestis Synodi invenire potestis, anathematisatum, nostrâ potentiâ fictum quoquàm dirigere: cùm apertissimè sacri Canones definiant, & leges Iustiniani, ac cęterorum Imperatorum Catholicorum edicta, qualiter, & pro quibus, & à quibus debeat Episcopus judicari, & post judicium, quid & qualiter, & per quos sit inde Apostolicæ Sedis agendum, quæ non abnuimus, sed incunctanter atque competenter annuimus. A quibus definitionibus nulli est licitum deviare, quia ut sanctus Hilarus Papa dicit. Non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur.

Quocirca quia Dominus dicit per Prophetam, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus, id est, nuntius Domini exercituum est,* Nolite permittere nobis scribi ex vestræ authoritatis nomine, quæ in legibus sacris Dei sapientiâ conditis, & in sanctis regulis ejusdem Spiritu promulgatis non continentur, dicente item Prophetâ, id est, Sacerdoti pręcipiente: *Audiens nuntiabis eis ex me, ex me, inquit, & non ex te: & redarguuntur, qui de corde suo loquuntur, quoniam qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Nolite igitur, ut pręmisimus, ex vestro nomine, vel Apostolicæ Sedis auctoritate, jussiones vel excommunicationum intentationes, contra sacrarum scripturarum tramitem, pręcicationemque majorum ac sacrarum legum, sanctorumque Canonum constitutiones nobis de cætero scribi, cujuscumque instinctu permittere pręcamur: quia scitis & scimus totum esse irritum, quicquid fuerit ab eorum constitutione diversum. Dicitur, inquit sanctus Leo, à Domino, beatissimo Petro, *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus istius potestatis, & ad omnes principes Ecclesiæ

Malach. 2. — Ezech. 3. — Serm. 3. in anniv. — Math. 16.

clesiæ decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustrà uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate fertur. judicium: Qua sententia constat, quia non manet Petri priviligium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium. Cùm enim ubicumque dicitur, sicuti nullus locus, ita nemo rector Ecclesiæ ex Petri æquitate judicium ferens excipitur, vel contra illius æquitatem judicium proferens commendatur. Et quia ubicumque. sine ulla exceptione non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium, prolatum obaudiemus jussum, vel recipiemus judicium, quod non ex Petri æquitate fuerit prolatum, ac per hoc ipsius privilegio fuerit destitutum. De quo Episcopali judicio, quid cunctis Episcopis sequendum, & quid Ecclesiæ filiis tenendum sit atque servandum, beatus Gregorius sufficienter inculcat. Ergo jubere, & judicare privilegio Magni Petri juxta æquitatis ejus judicium, quæ jubenda, & judicanda sunt, ne, ut dicit ejus Coapostolus, *Vituperetur ministerium vestrum.* (2. Cor. 6.) Quia & nos secundùm Regium ministerium nostrum, quantùm ex nobis est, cupimus servare; quod scriptum est, *Filii, obedite parentibus vestris in Domino:* (Ephes. 6.) Videlicet quod fuerit jussum, vel indicatum à Domino dicente illo singulis, quia pro patribus, Apostolis Ecclesiæ, nati sunt filii, Apostolici viri: Tu autem audiens, nuntiabis eis ex me. (Ezech. 3.) Divina quippe nos lectio docet, quia nec etiam Balaam satis superque à Rege Balac petitus, licèt medicamento avaritiæ delinitus in consilio dando corruptus ostenderit; ullo tamen, aut ullius instinctu in judicio justitiæ aliud loqui adversùs Israël persuaderi, vel extorqueri potuit, quàm quod à Domino audivit. (Num. 22.)

De eo, quod in literis ex nomine vestro nobis directis habetur, ut veniente Hincmaro Romam, veniat accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui, rescribimus; quia licèt hæc commendatio nulla sit ratione atque auctoritate suffulta, si fortè apud vos exlex solus Hincmarus nova lege, priscis, tam publicis quàm Ecclesiasticis contraria, imò ordine novoque more habetur, ut nonnisi à vobis, & Romæ valeat judicari pro his excessibus, de quibus habentur certa sacrorum Canonum ac legum decreta, quæ ut Leo dicit, nulla possunt ratione convelli; cùm etiam de causa fidei, ut dicit Gelasius, cuicumque Pontifici licet, secundùm regulam erroris antè damnati quemlibet à Catholica communione discernere. Et ego ita exors ab omnibus accusationibus non solùm ab his quibus legaliter ac regulariter accusandi adversùs seipsum denegatur licentia, verùm & ab his quibus in propriis causis accusatio non negatur, ut sicut leges & regulæ jubent, in provincia, in qua orta sunt negotia, terminari non valeant, & secundùm Antiochenos Canones: Provincialium Synodorū non debeant experiri examen, si vobis vias cum voluntate & consensu dilectissimi nepotis nostri Imperatoris vestri, contra cujus dilectionem & debitum honorem, si tamen mutuam dilectionem & congruum honorem vobis exhibere studuerit, illuc ire non volumus, obtinueritis cooperante Domino, pace in regno nostro contra paganos, virtute, vel quacumque dispositione Dei obtenta, Romam venire congruo tempore non differemus. Et quia illum legaliter ac regulariter in Synodo Episcoporum plurimarum provinciarum de certis causis accusavimus, idoneum nos accusatorem illius ostendemus, & tantos testes idoneos diversi ordinis ac dignitatis nobiscum ducemus, cum quibus eum legaliter ac regulariter nos accusasse & comprobasse, sufficientissimè comprobabimus.

* [Non tantùm de his ex quibus eum ante depositionem suam legaliter ac regulariter præsentes, præsentem in Synodo Episcoporum plurimarum provinciarum accusavimus; verùm & quia post legalem ac regularem depositionem suam contra honorem Regium secundùm Apostolicam regulam nobis exhibendum, contraque juramenta nobis supra sacrosancta præstita, & contra professiones & subscriptiones suas adversùs publicæ rei custodiam & gravitatem Episcopalem, ac quietem Ecclesiasticam moliens contra leges & regulas non solùm quosdam propinquos suos, & etiam alios, quos adhuc seducere vel protrahere potuit perjuros, & publicis legibus condemnatos, sed etiam & quos locando conducere, & sibi conciliare valuit in Regnum fratris nostri Ludovici cum thesauro, & facultatibus Ecclesiasticis furtim direxit, qui usque hodie contra custodiam publicam, & contra quietem Ecclesiasticam ad vicem ipsius Hincmari moliuntur, & sub quorundam Episcoporum regni prædicti fratris nostri protectione ac patrocinio contra leges & Canones degunt, & ab ipso, initio fugæ suæ foventur. Qui Episcopi quando cum præfato fratre nostro proximè loquuti fuimus, & eosdem fures & perjuros atque sacrilegos ab illo repetivimus, *damnationi prædicti Hincmari subscribere voluerunt,* & ad hoc se obtulerunt, *ea conditione ut Episcopi, qui in Synodo residentes eundem Hincmarum regulariter judicaverunt, ordinationi Vuilleberti, quem ipsi in Agrippinensi Colonia ordinaverunt, subscriberent.* (Vide Annales Fuldenses ad annum 870. & Epist. Hadriani PP. II. ad Ludovicum Regem Germaniæ, quæ incipit, Sicut sæpe, &c.) Cùm in propatulo sit, quid leges mundanæ tam veteres, quam novæ, quid etiam sacri Canones & regulæ à sede Apostolica ex his promulgatæ, necnon quid Catholica & Apostolica Ecclesia secundùm tramitem scripturarum, traditionemque majorum de præfatis hominibus, perjuris scilicet, furibus & sacrilegis, qui cum facultatibus & thesauro Ecclesiastico à regno nostro effugerunt, & à quibusdam eorum jussione fratris nostri Ludovici suscepti dicuntur; verùm & de susceptoribus eorum definiant. Ait enim Paulus tuba cælestis: Avaritia quæ est idolorum servitus. Et item: Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri. Si quis frater nominatur, aut avarus, aut idolis serviens, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Et item: Vos injuriam facitis & fraudatis & hoc fratribus, an nescitis quia iniqui Regnum Dei non possidebunt. Unde & quidam Patrum scriptis suis inseruit congruentem sententiam, dicens amico quippiam rapere, furtum est, Ecclesiæ fraudare, sacrilegium est. Et hinc sanctus Augustinus in sermone Evangelii Ioannis: Ecce inter sanctos est Iudas, & ne contemnas, fur, sacrilegus, non qualiscumque fur, loculorum sed dominicorum, loculorum sed sacrorum, si crimina differuntur in foro, non qualiscumque fur, sed peculatus, peculatus enim dicitur furtum de re publica, & non sic judicatur furtum rei

Anno Christi 871.

privatæ, quomodo publicæ, quantò vehementiùs judicandus est sacrilegus fur non undecumque tollere, hoc est de Ecclesia tollere, qui aliquid de Ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur. Et hinc Africæ Provinciæ Canones, de quibus inquiunt, apertissimè divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potiùs exequenda. Proinde quod in laïcis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari. Vniversi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo. Si quis verò statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laïcus est, communione; si clericus est, honore privetur. Vniversi dixerunt: Placet, placet. Et talium susceptores sanctus Gelasius in decretali Epistola ad Anastasium Imperatorem redarguit, inquiens: Dicit Apostolus, qui non solùm non facienda faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus: proindè sicut non potest, perversitatis communicatore suscepto non pariter perversitas approbari, sic non potest refutari perversitas, complice sectatore perversitatis admisso, legibus certè vestris criminum conscios, susceptoresque latrocinantium par judiciorum pœna constringit, nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdusque receperit.]

Tandem quia vos non legisse vel audisse collegimus ex literis ab Actardo Episcopo nobis delatis, quæ anteà per illum paternitati vestræ direximus, iteratò scribimus ea quæ tunc scripseramus, deprecantes vos in omnipotentis Dei honore, & sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ Epistolas, taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac primoribus de cętero non mandetis, & non compellatis nos mandata, & Epistolas vestras inhonorandas contemnere, & missos vestros dehonorare, qui vobis in his quæ ad vestrum ministerium pertinent, si tamen ministerium vestrum, cupimus obtemperare. Quæ pro vestri honore privilegii vobis dicimus, quia vobis sicut revera Vicario B. Petri Apostolorum Principis in omnibus debitè ac competenter obedire desideramus, & ne aliter eveniat cavere per omnia cupimus, ac vestram sanctitatem idipsum cavere humili prece deposcimus, ne nos & nostros satis invitos ad id cogatis convertere, quod in quinta universali Synodo à Sede Apostolica, ut in Apostolicis literis, pręcipuè autem in Synodica B. Gregorii ad quatuor Patriarchas, & in aliis ejus Epistolis unà cum quatuor pręcedentibus legimus collaudatum atque susceptum, invenitur nobis tenendum. Quod adhuc nostris literis ad exemplum inserere noluimus, donec sciamus si duritiam mandatorum vestrorum erga nos aliter ad benignitatē inflectere poterimus. Quia quod ex Apostolicæ Sedis nomine secundùm sanctarum scripturarum tramitem, prędicationemque majorum, & Orthodoxorum decreta scribitur, sequendum & tenendum non ignoravimus, & quod secùs à quoquam fuerit compilatum sive confictum, non solùm respuendum, sed & redarguendum esse cognoscimus. Si denique aliter quàm nos & vos decuerat, reverentissimæ paternitati vestræ rescribendo factus sum insipiens, vos me coegistis. Petimus autem omnipotentem Dominum, ut inspiret cordi vestro, sic nos benignè tractare, quatenus ulteriùs nobis non sit necesse vobis ita rescribere; sed ut cupimus in veneratione Apostolorum, Apostolico Pontificio vestro humiliter ac devotè colla atque corda submittere. Deus omnipotens ad honorem & salvationem atque exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ, vos per multa annorum curricula conservare dignetur, Domine sanctissime, & reverentissime Pater in Domino.

Caroli Calvi Regis 32.

EMBOLVM.

QVIA literis ex nomine sanctæ paternitatis vestræ, ab Actardo venerabili Archiepiscopo nobis delatis, necessitate cogente prolixiùs respondere compulsi sumus, contra morem nostrum in quaterniunculo annulo nostro signato, responsionem nostram scribere necessarium duximus, quatenus legi planiùs valeat; & quæ vobis ratio respondere coegit, legenti pleniùs innotescant. Quam responsionem* sancta paternitas vestra non aspernanter, sed benignè suscipiat, quæ à nobis non est contumaciter, sed mente pacifica, ut in eodem quaterniunculo invenietis, contexta. Deprecamur autem vos in omnipotentis Dei honore, & Sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ Epistolas taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac primoribus de cętero non mandetis, sed liceat nobis Apostolico Pontificio vestro in veneratione Dei & sanctorum Apostolorum humiliter ac devotè, ut cupimus, colla & corda submittere. Deus omnipotens ad honorem & salvationem atque exaltationem suæ sanctæ Ecclesiæ vos per annorum curricula conservare dignetur, Domine sanctissime atque reverentissime Pater in Domino.

Epistola ejusdem Hadriani Papæ, respondens præcedenti ejusdem Caroli Regis, quæ incipit, Literas vestræ nobilitatis, &c. *Extat in eodem tomo Conciliorum Galliæ.*

RESCRIPTVM EPISCOPORVM Concilii Duziacensis ad Hadrianum II. Papam.

DOMINO sanctissimo ac reverentissimo Patri Hadriano sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ, primæ Sedis Papę, Episcopi diversarum provinciarum, qui in Synodo apud Duziacum Provincię Remensis in nomine Christi convenimus, quorum nomina & subscriptiones in gestorum ejusdem Synodi serie continentur, quam per venerabilem consacerdotem nostrum Actardum vobis direximus, & quibus per eum paternitatis vestrę literas remisistis. *Auctius ex codice Petaviano, in quo per capita distinguitur.*

Cap. I. Veniens ad nos prędictus venerabilis frater & Consacerdos noster Actardus tradidit nobis Epistolam à vestra paternitate filiolitati nostrę directam, quam cùm in conventu nostro fecimus recenseri, quędam in ea invenimus, quę stuporem mentibus nostris non mediocriter induxerunt, feceruntque nos non modicùm dubitare, utrum aliter putaremus, an illa ista essent posita, quemadmodum personabant. Quę cùm sępius repeti jussimus, ac pręfati fratris & Coepiscopi nostri relatione impedimenta vestrę sanctitatis, & occupationes ministrorum Sedis Apostolicę pro diversis & maximis negotiis audivimus, gesta Synodi ab exiguitate nostra sublimitati

ANNO CHRISTI 871.

blimitati vestrę per eundem fratrem nostrum secundùm Canones sacros directa, ab eo, cui nobis inde jussistis, sicut ipsę literę monstrant, rescribere, ex integro relecta non fuisse advertimus. Sed & Epistolam nostram de eisdem actionibus, auctoritati vestrę transmissam studio necessario, cum non relegisse comperimus. Scriptum est enim in Epistola sanctitatis vestrę nobis directa hoc modo. [Igitur de Hincmari Laudunensis, Ecclesiæ Episcopi depositione Pontificio nostro scripsistis, quatenus de eo, secundùm quod Canonicum est, vobis rescribere juberemus. Primò denique vestræ respondemus charitati, quia cùm clamaret in Synodo se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire, atque in pręsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia: tamen sicut in ipsius Concilii actionibus legitur, quoniam salvo in omnibus judicio Sedis Apostolicæ, illum ab Episcopis fuisse judicatum asseritis. Nos autem non aliquâ contra quoslibet commoti invidiâ, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate Apostolica, quia nullius partis favorem aut obsequium, sed rei gestæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum ad limina sanctorum Apostolorum, nostramque venire pręsentiam. Quo sanè veniente veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui, & tunc in pręsentia nostra, & totius Sedis Romanæ Synodali Collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundùm Deum & sacrorum Canonum constitutiones Spiritu Dei prolatas sine protelatione aliqua finietur.] A quâ reprehensione nostra, quod accusemur, quia cùm clamaret in Synodo se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire, atque in pręsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia, B. Petri Apostolorum primi pro modulo nostro imitantes exemplum, per quem sumpsimus Religionis exordium, nos minores apud vos potiores humiliter excusare satagimus: quia ille, ut in sacra historia legimus, reprehensus à minoribus suis, cur ad Gentiles intrasset, & comedisset cum eis, & cur eos in baptismate recepisset, querelam minorum suorum humili ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ testes adhibuit, dicens: *Venerunt autem mecum sex fratres isti.* Quam excusationis nostræ satisfactionem tantò vos placabiliùs acceptare confidimus, quantò nos in ea ipsius exemplum sequi velle cognoscetis, cujus Sedi divino consilio pręsidetis. Vnde nunc nobis non esset necessarium excusare, si is quem nobis jussistis rescribere, ad locum in gestorum Synodalium serie legisset, quod ibi, antequam damnationis in Hincmarum proferretur sententia, scriptum est ita. [Tunc lectæ sunt in synodo ab Adalgario Diacono sententiæ Canonum, ita eo dicente: Sardicenses Canones decreverunt, ut si aliquis Episc. judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur: si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinaverunt, Iulio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judidicium, renovetur, & det judices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea

Act. 11. 12.

Conc. Sardic. Can. 5.

CAROLI CALVI Regis 32.

quæ acta sunt; quæ decrevit, confirmata erunt.] Et Innocentius Papa decrevit, ut si majores causæ in medio fuerint devolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur. Et Bonifacius Papa dicit: Nos per omnes provincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis Maximus obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic se constituto pręsentare judicio. Quicquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est, auctoritate firmetur. Et sanctus Leo Papa decrevit: Si quæ, inquiens, aliæ emerserint causæ, quæ ad statū Ecclesiarū, & ad concordiam pertineant Sacerdorum, illic sub timore Domini volumina ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea, quæ juxta Ecclesiasticum morem justè, & rationabiliter fuerint definita, nostrâ quoque sententiâ roborentur.

Decr. cap. 10.

Decr. cap. 5.

Decr. cap. 49.

Sed quia illa non suffecerunt, quoniam à scriptore Epistolæ nobis delatæ aut non lecta, aut neglecta fuerunt; in via veteri, ut dicitur, nobis quęrenda est semita, & ut ad id quò perveniendum est, solidiùs perducamur, necesse est ut compendiis innitendis utamur. In libro Theodosianæ legis consona de appellatione diffinitioni Sardicensis Concilii continentur hoc modo: Constantinus Augustus ad Catulinum. Moratorias dilationes, frustratoriasque non tam appellationes quàm ludificationes admitti non convenit, nam sicut bene appellantibus negari auxilium non oportet, ita his contra quas meritò judicatum est, inaniter provocantibus differri bene gesta non decet. Interpretatio. In civilibus causis vel levioribus criminibus, quæ legibus non tenentur inserta, appellationibus constituta, legibus dilatio pręstanda est, per appellationem sententiæ judicantis; At verò homicidiis, adulteris, & reliquis, quos lex ista comprehendit, si convicti, confessique fuerint, & appellare voluerint, appellatio denegetur, sed statim in manifestis criminibus convictos, judicis est sententia proferenda. Et item ex interpretatione legis Valentiniani, Valentis & Gratiani Impp. ad Claudium, lex ista hoc dicit: Cronopium Episcopum à multis Episcopis fuisse damnatum; & studuisse eum ante judicum sententiam, quæ proferebatur, appellatione suspendere; à quâ sententia, quia justè prolata fuerat, appellare minimè debuisset; in qua eum gravi mulcta id est L. libras argenti addictum fuisse dicit, quæ tamen summa ipsius mulctæ non fisco prodesse visa est, sed pauperibus erogari.

CAP. II.

Et hinc Sardicense Concilium posuit, ut à majoribus nostris est traditum, si Episcopus judicatus in aliqua causa, bonam se causam habere putaverit, ut Romani Pontificis appellet judicium, & ipsius discernatur arbitrio, utrum bonam causam habeat appellans Episcopus, ut debeat inde necne renovari judicium, quia sæpe quidam se bonam dicunt causam habere, qui bonam causam diligenti examinis judicio non habere probantur, sicut & tramite sacræ Scripturæ, & traditione majorum ostenditur, ut de pluribus quædam in medium devocemus. Paulus Apostolus pręsens in judicio Festi secundùm fidem sacræ historiæ ad objecta respondit, & ne innocens damnaretur, Cęsarem appellavit. Vnde Bonifacius Papa ad septem Provincias de Maximo scripsit,

CAP. III.

Mm ij quod

quod Hinemarus obedire contempsit. Præsens A si confidit, ad objecta respondeat, quia sicut dicit Gelasius, ideò vocatur ad judicium certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Vtrumque Bonifacius & Gelasius scripserunt, monstrantes quòd in Romanis legibus manifestè legitur, scilicet, ut in judicio præsens ad objecta priùs respondeat, & si se viderit prægravari, & necessitas ei fuerit, tunc demùm appellet. Et quia putat, confidit hic, intelligi debet, quoniam confidentia de pura est conscientia, cui subest apertæ veritatis defensio. Sicut sanctus Augustinus de hoc, quod dicit Apostolus, puto quia & ego Spiritum Dei habeam, luculenter explanat, dicens: Non quod, B inquit, ipse hinc dubitet, sed quia non hinc dubitandum esse demonstret. Et si fortè sunt de manifesta causa, dubitantes redarguat, & humilitate verbi, alto sensu, ut dicit Ambrosius, judicium suum ratum & providum esse demonstret. Videte, inquit Augustinus, quàm bonam causam habeat vox justorum, quæ dicit Domino, propter te morte afficimur tota die; videte amatores auri quanta patiantur, dicant & ipsi auro, propter te morte afficimur tota die. Vox similis, sed causa dissimilis. Apostolica verò Sedes vocem similem, sed causam dissimilem secundùm Capitulum septimum Sardicensis Concilii, auctoritate sua, ejusdem Concilii regulari decreto, Innocentio decernente, sicut Synodus statuit, & vetus C consuetudo exigit, præjudicium Episcopale ad se relatum, non vocis sed meriti pondere vel probabit, vel improbabit, sicque sua jura non minuet, & aliis debita, & à sacris Canonibus decreta jura servabit.

Cap. IV. Nam de quibus, exceptâ disputatione de causa fidei, & de his, de quibus decreta non habemus judicia, sub gestorum justificatione ante Episcopale judicium Sedes sit Apostolica consulenda. In decretis Leonis & cęterorum Romanæ Sedis Pontificum ad Thessalonicenses & Arelatenses manifestè monstratur. De quibus autem in sacris Canonibus & in decretis Apostolicæ Sedis Pontificum certa expresè decreta & prędecessoribus nostris habemus directa judicia, ante executionem eorumdem judiciorum quasi tentantes D Apostolicam Sedem, aut dubias illius tenentes sententias non debemus inquietare. Sicut Innocentius ad Rufum & Eusebium, & ad Felicem Episcopum Nucerianum, & Cælestinus ac Leo, Gelasius quoque atque Gregorius in decretis suis manifestè demonstrant. Vnde Leo ea conditione secundùm sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decrevit, ut à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione discedant: videlicet quæ signantur statuta, E & de quibus certa sunt præfixa judicia non negligant exequi, & quæ specialiter sunt interdicta per contemptum præsumptio non admittat. Verùm quia, sicut beatus Augustinus dicit, in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cùm eas instituunt; tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas: multò minùs autem cuiquam licebit arbitrio suo aliter judicare de his, unde sacri Canones Spiritu Dei conditi certa præfixere judicia; & de quibus ex eorum auctoritate Apostolica Sedes inrefragabilia promulgavit decreta. Sicut sanctus Gelasius in decretis suis patenter ostendit; Patres, inquit, nostri, Catholici videlicet, doctique Pontifices, in unaquaque secta quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica secundùm scripturarum tramitem prędicationemque majorum factâ semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmumque constare, nec in hac eadem causa denuoque præfixa fuerunt, retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt; & reliqua. Et item idē: Quicquid pro fide, communione & veritate Catholica atque Apostolica majores nostri promulgaverunt, non siverunt novis post hæc retractionibus mutilari; ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter statuta fuerunt pulsandi, sed generaliter auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet vel professione sua, vel communione possit agnosci. Dicente namque B. Gelasio, auctore cujuslibet insaniæ cum errore damnato generaliter quemque aliquando hujus erroris communicatorem principali sententia damnationis esse obstrictum, quia sanctus Cælestinus decrevit, ut nulli Sacerdoti quicquam facere liceat, quod Patrum regulis possit obviare. Et Leo, ut Episcopi à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione discedant. Et Hieronymus: Discessio, inquit, Grecè Apostasia dicitur. Et Hilarius, atque Ambrosius ex Psalmi versu: Sprevisti omnes discedentes à justitiis tuis: discedentes vocant Apostatas. Et sanctus Gregorius dicit, quod duobus modis quisque apostatat, vel fide, vel operatione. Et Africæ Provinciæ Canones diffinierunt, ut si quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, videlicet si ab eis pertinaciter & per contemptum discesserit, si Clericus est, honore privetur, & sacræ regulæ secundùm tramitem scripturarum, prędicationemque majorum, ut hæreticum & schismaticum, ita & Apostatam principali constitutionis sententiâ damnatum esse decernunt. Iuxta præstitutas regularum sententias confessus, vel convictus de perniciosis contra regulas erroribus, sine retractatione debet utique judicari. Sicut item sanctus demonstrat Gelasius dicens, Decessorem meum, inquit, executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem. Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed & cuicumque Pontifici. Vnde colligendum est, si cuicumque Pontifici licitum est secundùm sacras regulas, canonica in excedentem proferre judicia, multò magis licitum est tot Episcopis tantarum Provinciarū in manifestissimū contemptorē regularū à SS. Patribus præfixa judicia jaculare. Alioquin Genethlianorum, qui diffinierunt, omnia in incertum, error stultissimus olim ab Ecclesia Catholica condemnatus, non solùm Ecclesiasticis, verùm & publicis legibus superinduci videbitur. Quia verò, ut sanctus Augustinus dicit, nova morborum genera, nova quærunt medicamentorum experimenta: de quibus certa & expressa sacrarum regularum non habemus judicia, si emerserint, *ante judicium est à nobis Sedes Apostolica consulenda, & ejus diffinitio præstolanda; & quoniam quilibet scripturâ, aut testibus legaliter ac regulariter potest convinci, sicut Hincmarus

Hincmarus suis scriptis ac subscriptionibus, & idoneis testibus est in Synodo coram nobis convictus ac comprobatus secundùm sacros Canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum, & juxta sacras Imperatorum leges, quibus unà cum sacris Canonibus sancta moderatur Ecclesia, legaliter ac regulariter à nobis est in Synodo judicatus, & secundùm sacras regulas à nobis qui causam examinavimus, vestræ paternitati admissa illius, & judicia nostra sub gestorum serie per consacerdotem nostrum, qui eidem Synodo interfuit, nostris subscriptionibus roborata direximus. Et quia beatus Apostolus Paulus regulam nobis præfixit, ut adversùs Presbyterum accusationem non recipiamus, nisi sub duobus & tribus testibus, sicut & Dominus in lege & in Evangelio anteà demonstravit, & sacrum Nicænum Concilium à duobus & tribus testibus redargutum à clero præcipit abstinere; contra sacras regulas nos fecisse adhuc non recognoscimus, quia Hincmarum in multis ac multipliciter suis scriptis ac subscriptionibus convictum, & in Synodo, quæ negare non potuit, apertè confessum judicavimus, judicii nostri diffinitionem Sedis Apostolicæ privilegio reservantes; qui secundùm sacras leges & regulas sententiam contumacis in se proferri frequenter promeruit, sicut in gestorum serie, quam vobis direximus, evidentissimè potestis cognoscere. Et quia Dominus in lege dicit, & in Evangelio confirmavit, Quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: rogamus prolatis tot testibus idoneis nobiscum facientibus, scilicet Sardicense Concilium, Innocentii, Bonifacii, & Leonis decreta patent, sanctissime, habetote nos excusatos ab hac reprehensione, quia nihil egimus, nisi ut in sacris Canonibus & in Apostolicæ Sedis Pontificum decretis legimus. Quæ quoniam debent ab omnibus observari, ita apertè sunt dicta, ut ab omnibus possint intelligi. Et hæc est secundùm Prophetam directa via, ita ut nec stulti errent per eam: apertissimè namque jubent sacri Canones Sardicenses, ut Episcopi in provincia qualibet regulariter judicantes Episcopum, post judicium scribant Romano Pontifici, qualiter causam examinarunt judicati Episcopi, dicentes ut si aliquis Episcopus judicatus fuerit, & paulò pòst scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo. Et ne quilibet in hoc intependere posset, in quarto & septimo capitulo idipsum consequenter repetendo, ac si apertiùs inculcando explanant dicentes: Cùm aliquis Episcopus depositus fuerit; & si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint, & de gradu suo eum dejecerint regionis Episcopi, & appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si justum putaverit ut renovetur examen, det judices, id est scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omninò requirant, & juxta fidem veritatis diffiniant, & reliqua sicut ibidem Canon prosequitur. Et sancti Innocentius, Bonifacius ac Leo consonanter ex eisdem sacris Canonibus promulgaverunt, quæ Canonibus ipsis conveniunt, ut in promptu esse legentibus constat.

CAP. V. Et quia metropolitanus Hincmari, quoniam sæpissime verbis & multiplicibus scriptis secundùm sanctarum tramitem Scripturarum, traditionemque majorum eum corripuit, & ad correctionem perducere non prævaluit apud legatos Apostolicæ Sedis Ioannem & Petrum, itemque Ioannem Episcopos, & Petrum Cardinalem Ecclesiæ Romanæ Presbyterum coram Hodone Coepiscopo suo, & Ansegiso venerabili tunc Abbate, nunc autem Archiepiscopo, se de illius contumacia & variis excessibus reclamavit, & quibusdam eorum scripto illius excessus ostendit, & per præfatum Ansegisum, qualiter eum tandem de specialibus ejus excessibus castigaverit, scriptis Romam direxit, & ut verbis apud auctoritatem vestram obtineret, quatenus apostolicis eum literis castigaretis, ut secundùm sacras regulas se episcopaliter gereret, & auctoritati suæ Metropolis obediret, sicut & vestra paternitas egit, suo Metropolitano & eidem Hincmaro apostolicas literas vestræ auctoritatis per Ansegisum dirigentes. Sed quia monitis vestris isdem protervus Hincmarus obedire non voluit, Metropolitanus ejus, & nos unà cum eo de illo sic egimus, sicut in epistola paternitatis vestræ in conventu nostro relecta nobis præcepit, quæ ita se habet. Hadrianus Episcopus servus servorum Dei, reverentissimo confratri nostro Hincmaro Archiepiscopo. Fidelium relatione comperimus, quòd tua fraternitas debitum vigorem in provincia Remensi non agitans, multa reprehensione dignissima à tuis comprovincialibus convalescant. Cujus rei gratiâ, negligentiam vestram his apostolicis affatibus excitamus, ut secundùm venerandorum Canonum regulas, ita omnium omninò comprovincialium tuorum synodicè, salvo sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegio, resecces vitia, ut privilegii tui coram Deo nostroque judicio non merearis sustinere jacturam. Et nos unà cum eodem Hincmaro metropolitano Hincmarum multa reprehensione dignissima perpetrantem, salvo sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegio, resecando illius vitia judicavimus, sicut epistolam vestræ paternitatis præcepisse relegimus. Post judicium autem, ut in epistola fratris & Coepiscopi nostri Hincmari Remorum Metropolitani vobis directa continetur, quoniam Franci homines de Episcopio Laudunensi, qui Regi hostem de capite suo debent, ad defensionem patriæ contra Nortmannos fuerant deputati, unà cum eo apud domnum Regem in eadem Synodo obtinuimus, ut quicumque vellent de clero & familia Laudunensis Ecclesiæ Romam cum illo ire, haberent licentiam, quem posteà non vidimus, quemque è vestigio post fratrem & Coepiscopum nostrum Actardum Romam iturum putavimus, qui non nostra jussione, vel factione, non nostro hortatu vel consensu, non nostro consilio, neque auxilio quoquam aliorsum modo quolibet declinavit, sive abstinere se illo retraxit: pergat igitur secundùm mandatum vestrum Romam, non abnuimus, non contradicimus, non resultamus, & sententia Sedis Apostolicæ secundùm sacros Canones & decreta ipsius Sedis Pontificum de illo exequatur; & ea, ut Leo decrevit, quæ juxta ecclesiasticum morem justè & rationabiliter à nobis sunt diffinita, vestrâ quoque sententiâ roborentur.

CAP. VI. Quod autem nobis scripsistis, ut eo veniente veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui, & tunc in præsentia nostra, & totius Sedis Romanæ synodali collegio causa illius prudenti ventilata examine ac diligenter inquisita secundùm Deum, & sacrorum

ANNO CHRISTI 871.

crotum Canonum constitutiones Spiritu Dei A prolatas sine protelatione aliqua firmetur, quoniam gesta synodalia, quæ nobis mandastis, & illius indicant damnationem, nobis idoneè satisfacere non videntur, in nullis Canonibus auctoritate confirmatis Apostolicæ Sedis, quæ ut dicit Gelasius, unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet. Neque in ullis Apostolicæ Sedis Pontificum decretis, quæ, ut Leo dicit, de Canonum promulgata sunt disciplinis, legimus, verùm nec in legibus, quibus unà cum sacris ecclesiasticis regulis sancta moderatur Ecclesia, ecclesiastica terminari jubeantur judicia, sicut beatus Gregorius multoties in suis demonstrat epistolis, invenimus, ut pro his & hujusmodi de quibus Hincmarus in nostra est Synodo accusatus, accusator Episcopi cum appellante Apostolicam Sedem, Episcopo Romam veniat, & ibi in præsentia Pontificis Apostolicæ Sedis causa accusationis ejus ventilata, & inquisita sine protelatione aliqua finiatur, decessoribus nostris usque ad nostra tempora à vestris decessoribus hoc præjudicium inlatum non audivimus. Et si vel nostris temporibus, nobis vel quodcumque in aliis partibus fuit inlatum, quod patienter à sollicitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis est supportatum, non præjudicat generali sacrarum regularum observantiæ, sicut sanctus Ambrosius in epistola ad Paternum ostendit, unde edicta Imperatorum i perpensas, inquiunt, serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones, nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. Et hinc sanctus Cælestinus: Nulli Sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare; quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur.

CAP. VII. Et quia hîc de quo agitur, insolens ac contumax sacrorum Canonum conculcator Hincmarus, sicut apud multos, aperta voce jactabat se obtinere posse, ut non ab alio, vel alibi judicari posset, nisi à Romano Pontifice, & in Apostolica Sede securitatem delinquendi assumpsit, ut de eo legitur, qui est Rex super universos filios superbiæ, qui factus est, ut nullum timeret, in tantam excrevit vecordiam, ut nec Deum timeret, nec hominem revereretur, & ideo seductus mendacio suo cecidit, quia in veritate stare non voluit, quæ discipulis suis jussit, *Discite*, inquiens, *à me, quia mitis sum, & humilis corde:* Qualiter autem causa judicati Episcopi in Synodo provinciali regulariter debeat diffiniri, & vestra sapientia sufficientissimè novit, & nos in septimo capitulo Sardicensis Concilii decretum legimus ita: Placuit, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint: si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopũ Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si justum fuerit, renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis diffiniant. Quod si is, qui rogat causam suam audiri, iterum deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet, & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio: si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio judicaverit. Meminerat quippe hoc Sardicense Concilium mysticam Nicænam Synodum definisse, ut antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & a- B pud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis. Et ideo de Episcopo Sedem Apostolicam appellante, si justum putaverit renovari debere examen, eo modo decrevit, ut à finitimis & propinquis Episcopis, vel à latere suo directo cum Episcopis provinciæ, à quibus judicatus fuerat, in eadem provincia ejus auctoritate, causa diligenter inquiratur, & juxta fidem veritatis diffiniatur; vel si sapientissimo suo consilio judicaverit, credat Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant. Vnde beatus Innocentius statuit, ut si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, ut C secundùm Synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ Episcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab officio cleri summotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Quæ autem debeat reverentia in hac causa specialiter Romanæ Ecclesiæ custodiri, idem ibidem subsequitur, dicens: Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ ad Sedem A- D postolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, pòst, judicium episcopale referatur. Et hac de causa, ut secundùm sacri Nicæni Concilii diffinitionem, singularum provinciarum suis privilegia servarentur ecclesiis, & Sardicenses Canones conservarentur. Idem beatus Innocentius Macedonianis Episcopis, blando excusationis suæ alloquio, & paternæ consolationis exhortatione rescripsit de Bubalio & Tauriano, quorum causam refricato judicio in provincia in qua judicati fuerant, audiri præcepit, ut eorum piissimis mentibus grave non videretur retractari judicium. Meminerat enim Antiochenum Concilium diffinisse, ut si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem pro- E vinciæ, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum manere sententiam. Si quis autem Episcopus de certis criminibus judicatur, & contingat de eo provinciales Episcopos dissidere, cùm judicatus, ab aliis innocens creditur, reus ab aliis æstimatur, pro totius ambiguitatis absolutione, sanctæ Synodo placuit, ut metropolitanus Episcopus à vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant, & per eos simul & provinciales Episcopos, quod justum visum fuerit, adprobetur, ut videlicet sicut Nicæni Canones diffinierunt. Si duo, aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia

CAROLI CALVI Regis 32.

tia plurimorum; quod jus uniuscujusque Metropolitani, quem Antiocheni Canones pro totius ambiguitatis absolutione ad controversiam tollendam de vicina provincia voluerunt judices convocare; Sardicensis Concilii Patres, salvo Nicæni Concilii decreto, sicut in gestis ejusdem Concilii demonstratur, ad privilegium beati Petri Apostoli transferri viderunt. Constituentes, ut si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum litem habuerit, ne unus è duobus ex alia provincia advocet Episcopum cognitorem: quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt, sicut explanatiùs in septimo ejusdem Concilii capitulo continetur. Et Carthaginense Concilium constituit, ut quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator, & reliqua quæ ibi sequuntur. Et si quis Episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis; & Presbyter & à sex Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus. Vt quid enim Episcopus apud Primatem provinciæ accusabitur, & ab Episcopis ipsius provinciæ audietur, si ab illis secundùm præstitutas regulas non poterit judicari, à quibus regulariter potuit ordinari? Vnde Majores nostri nobis tradiderunt, idcirco Sardicense Concilium appellantem Apostolicam Sedem decrevisse remitti ad provinciam in qua fuerat judicatus cum auctoritate Romani Pontificis, ut si justum putaverit, renovetur examen, & plurimorum Episcoporum vel legati sui judicio Episcoporum provinciæ, qui eum judicaverunt, sententia vel probetur à plurimis, vel emendetur, quatenus secundùm Antiochenum Concilium damnati à Synodo causa Episcopi, ne terræ principi sit molestus, ad majus convertatur Concilium, & quæ putaverit habere justa, plurimis Episcopis suggerat, eorumque discussiones ac judicia præstoletur, & rei veritate ostensa, quæ nonnisi in provincia, in qua judicatus Episcopus deguit, poterit edoceri. Sicut Africanum Concilium ad Cælestinum Papam scribens, demonstrat, quod sacris regulis conveniens inventum fuerit, Sedis Apostolicæ auctoritate firmetur, quatenus sicut Nicænum decrevit Concilium per singulas provincias suis privilegia serventur ecclesiis, beatus quoque Gregorius de Episcopo Sedem Apostolicam appellante, in provincia, in qua causa ventilata fuerat audiendo, ita in epistola ad Columbum Numidiæ scripsit, dicens: Indicamus sanctitati vestræ venisse ad nos quendam Petrum nomine, qui se asserit fuisse Episcopum, atque causæ suæ à nobis remedium postulasse, & priùs quidem retulit, quæ digna esse miseratione potuissent, sed requirentes posteà multò aliter, quàm indicavit, invenimus, & vehementer nos ejus actio contristavit; sed quia causam ipsius interna subtilitate nequaquam addiscere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus, tam incerti quippe diffinire nequimus. Et paulò pòst: Quia ergo præsentes subtiliùs causam potestis scire, hortamur ut eidem Petro servare, quiequid justum canonicumque fuerit, debeatis, ut causa ipsius secundùm Dei timorem & Ecclesiæ regulas videatur judicata. Si quis verò conscius vel particeps, præfato Petro, in his quæ accusatur, dicitur extitisse, subtiliter requirendum est, & veritate cognita, similiter canonicè judicandum. Et idem in epistola ad Columbum de Episcopo, qui præmio corruptus permisit Donatistarum Episcopum ordinari. Ob hoc, inquit, fraternitatem tuam scriptis præsentibus necessariò duximus adhortandum, ut veniente ad se Hilaro Cartulario nostro, adunato Episcoporum universali Concilio, habito præ oculis terrore venturi judicii, causa eadem subtili ac solerti debeat indagine perquiri. Etsi hoc capitulum à præsentium latoribus, prædicto Episcopo, documentis idoneis fuerit adprobatum, à dignitate officioque quo fungitur, modis omnibus degradetur, ut & ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, & cæteri tentare talia non præsumant. Et de quo Concilio universali dicat, in epistola ad Deodatum Episcopum Primatem provinciæ monstrat; Concilium, inquit, quod congregare disponitis, dum Deo fuerit solatiante peractum, de ejus nos unitate atque concordia ædificate, ac reddite per omnia certiores. Et in epistola ad Ioannem Episcopum Corinthiacum: Æquitatem atque sollicitudinem secundùm fratris & Coepiscopi nostri, quæ olim benè nobis est cognita, etiam series judicati monstravit, in qua re valdè placatos, lætosque nos reddidit, quia in causa Anastasii quondam Episcopi, quam ei examinandam injunximus, vigilantiam suam & diligenter exercuit, & cognita crimina ut justitia poscebat & oportuit, vindicavit. Et in epistola ad Constantium Episcopum Mediolanensem: Illum, inquit, Episcopum, quem à fraternitate vestra comperimus esse depositum, postquam sacri Canones, sicut nostis, ultra tres menses Ecclesiam præcipiant non vacare, si manifestum in eo crimen apparuit, Episcopum loco ejus studii vestri sit modis omnibus ordinare, quia diu sine proprio Rectore esse non debet Ecclesia. Et in epistola ad clerum & ordinem Neapolitanæ civitatis: Demetrius, inquit, qui nec antè Episcopus dici meruerat, tantis ac talibus negotiis inventus est involutus, ut si secundùm suorum qualitatem facinorum judicium sine misericordia suscepisset, dum mundanis legibus durissima procul dubiò fuerat morte plectendus, sed quia pœnitentiæ reservatus sacerdotali honore privatus est, Ecclesiam Dei sine doctore diu vacare non patimur, quia & canonicis est regulis constitutum, ut defuncto, vel sublato Pastore, diu Sacerdote privari non debeat.

CAP. VIII. De eo etiam quod in epistola vestræ paternitatis habetur, ut Hincmaro veniente Romam, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui. Suggerimus sacris legibus cautum esse, quia confiteri quis in judicio, non tantùm sua voce, sed & literis, & quocumque modo potest. Convinci autem nonnisi scriptura, aut testibus potest, & Ecclesiæ leges non damnant, nisi aut sponte confessum, aut ordine judiciario apertè convictum. Et item leges decernunt, ut unius testimonium quamlibet persona sit splendida, non admittatur. Et juxta

juxta legem ac Evangelium, Apostolus præcipit non recipi testimonium adversùs Presbyterum, nisi sub duobus & tribus testibus. Et sanctus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem ex legibus & regulis promulgavit, ut alii sint accusatores, & alii testes, & legaliter ac regulariter accusatores & testes adversùs majorem natu examinari jubentur. Quia igitur nobis ex nomine vestro scriptum est, ut Romam veniente Hincmaro, veniat pariter cum eo accusator idoneus, & in judicio vestro causa finiatur, quia non specialiter de fide insimulatur. Unde quilibet, ut dicit Gelasius, manifestè vel professione sua, vel communione potest agnosci. Si de aliis præter ea, de quibus in judicio nostro est legaliter ac regulariter accusatus, & suis scriptis ac professionibus atque subscriptionibus convictus, & idoneis testibus comprobatus, & judiciario ordine de singulis singillatim regulis, certa & expressa judicia decernentibus à nobis est judicatus, Romæ ab accusatore fuerit accusatus, & ille negaverit, quomodo accusator, qui illuc ire jubetur, eum sine scriptura vel testibus, quos secum non valet ducere, comprobabit. Et si fortè Hincmarus eundem accusatorem suum rejecerit, quomodo utrum idoneus, an rejiciendus cognoscetur. Dicitur etiam accusatrix illius esse in Remensi provincia, sicut in gestis à clero & plebe Laudunensis Ecclesiæ vobis directis continetur. De qua nihil est nobis rescriptum, & unde propter imminentem necessitatem quam paternitati vestræ innotuimus, nobis eatenus inquirere non licuit quidquam. Et quo ordine vel modo ipsa accusatrix paupercula, quia luxuria, ut vulgò teritur, nec Regum purpuras pertimescit, nec pannos pauperum perhorrescit, Romam ad vestrum judicium rationabiliter pergere debeat, invenire non possumus. Et si, ut epistola nobis ex nomine vestro directa prodit, vobis dubia sunt gesta synodalia paternitati vestræ à nobis directa. Quoniam sanctus Leo decrevit ad Rusticum, ut in dubiis vel obscuris id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctarum regularum inveniatur adversum. Et Dominus in Evangelio, peccantem semel secretò corripere, secundò cum testibus, ut si quando incorrectus apud Ecclesiam fuerit denotandus, denotator, non criminator, sed correptor esse videatur; post correptionem autem ecclesiasticam, si correptus se non correxerit, ut ethnicus & publicanus jubetur haberi, & ubi ac per quos veraciter cognoscetur, unde & qualiter fuerit peccans correptus & judicatus, nisi in provincia causa ventiletur, in qua fuit crimen admissum. Quapropter sicut & sacræ leges diffinierunt, in decretis Sanctorum legimus, ut in loco unde est ille qui accusatur, quò non sit difficile testes producere, causa finiatur. Et Sardicenses Canones non jubent Episcopos qui in provinciali vel generali Episcoporum plurimarum provinciarum Synodo Episcopum judicaverunt, accusatorem Romam cum appellante Episcopo mittere, sed ab his qui causam examinarunt, examinationem & diffinitionem Romano Pontifici scribere, & Romanum Pontificem, ut aut vicinis Episcopis scribat, ut cum Episcopis provinciæ auctoritate sua refricent judicium, aut destinatus à latere ipsius habens ejus auctoritatem cum Episcopis provinciæ judicet, aut credat sufficere posse, ut Episcopi negotio finem imponant; quatenus juxta Nicænos Canones per singulas provincias, suis privilegia serventur ecclesiis. Et juxta beati Leonis decretum, in dubiis vel obscuris sequatur, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum inveniatur adversum. Et etiam, quia secundùm Africanum Concilium, sicut omnes, quos ad accusanda publica crimina, leges publicæ non admittunt, ad accusationem clericorum non debeat admitti. Ita omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi non est licentia deneganda. Et quia sunt quamplurimi in nostris regionibus tam clerici, quàm laïci, qui in causis propriis de præjudiciis ab Hincmaro sibi inlatis, datis nobis in Synodo petitionibus questi sunt, qui omnes Romam ad accusationem illius ire, testesque secum ducere nullatenus possunt. Et quomodo Romæ valeant idoneæ ad accusandum vel ad testimonium personæ penitus incognitæ probari, vel rejiciendæ improbari, quæ in provinciis in quibus degunt, sæpe non sine difficultate probantur vel improbantur, videre non possumus, nec unquam hoc in nostris regionibus usque ad tempora nostra à Sede Apostolica nostris antecessoribus præceptum fuit. Et si domnus noster Rex idoneus illius accusator sumptus habet, quibus suffultus, si viam illi pacificam obtinueritis Romam ire, ad accusationem illius potest; tamen pauperes clerici & laïci ab eodem Hincmaro præjudicia multa passi illuc ire non possunt. Unde ex interpretatione sacræ legis Valentiniani & Valentis Impp. constitutum est, quia criminum discussio ibi agitanda est, nam alibi criminum reus prohibetur audiri. Et hinc sacrum Carthaginense Concilium statuit, ut accusatus vel accusator in eo loco unde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quò non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. Et Afric. Concilium hinc scribens ad Cælestinum PP. dicit: Quomodo ipsum judiciũ ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt. Potest enim fieri ut illi qui in vicinis parochiis sunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique juxta sacras regulas ad manus impositionem, & ad Synodos illuc solent secundùm antiquam consuetudinem convenire, ad hujusmodi causarum diffinitionem illuc conveniant: in his autem & aliis qui in similiter longinquis regionibus commorantur, hoc impossibile prævidentes Apostolica Sedes, & sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis sancto Spiritu, quæ sunt unicuique possibilia, & auctoritati convenientia, & paci ecclesiasticæ congruentia, tenenda & exequenda discretissimè præfixerunt.

Cap. IX. Sed & quia, & legum & Canonum constituta non sibi servari viderunt sancti Patres nostri ex Africano Concilio scribentes ad Bonifacium Papam pro causa Urbani Episcopi & Apiarii provinciæ Africanæ Presbyteri excommunicati, secundùm diffinitionem Carthaginensium Canonum, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos diffiniant, adhibiti ab eis Episcopi; quòd si & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed

ANNO CHRISTI 871.

sed ad Primatem suarum provinciarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est: ad Transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiatur. Contra quæ Papa Zosimus subreptione quadam præventus, sicut & sanctus Innocentius Apostolicæ Sedi subreptum per rumorem falsum de Photino Episcopo adsertione Episcoporum Macedonianorum ostendit, quoniam animus cum dividitur ad multa, fit minor ad singula, non sine molestia questi fuerunt; sicut in epistola ipsius Concilii sapientiæ vestræ notissimâ pleniùs recensere potestis per Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum Presbyteros Africano Concilio direxit, Capitula Sardicensis Concilii, de appellatione Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & ne ad Comitatum Episcopi importunè navigent, & de tractandis Presbyterorum & Diaconorũ causis apud finitimos Episcopos, si à suis excommunicati perperam fuerint, & de Vrbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quod quartum capitulum ex eo mandatum est, quia Apiarius Presbyter excommunicatus ab Vrbano Episcopo, non ad Primatem suæ provinciæ secundùm Africanos Canones, sed ad Transmarinum judicium provocavit. Quapropter idem Concilium ad Bonifacium successorem Zozimi post explicationem Sardicensis Capituli de Presbyteris & Diaconibus scripsit, quia si ita quemadmodum in ipso Capitulo continentur, scilicet finitimos interpellet Episcopos, & causa ejus audiatur, & diligentiùs tractetur, & ille Episcopus qui aut justè, aut injustè eum deserit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, & ut aut probetur, aut emendetur ejus sententia, eo ordine in Italia custodirentur, nullo modo ipsi in Africa, talia qualia commemorare jam nolebant, tolerare cogerentur, subjungentes. Sed credimus, inquiunt, adjuvante misericordiâ Domini nostri Iesu Christi, quod à sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente non sumus jam istum typhum passuri, sed servabuntur erga nos quæ nobis etiam non dissentientibus, custodiri debent cum fraterna caritate, quæ secundùm sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit altissimus, etiam ipse prospicis esse servanda. Vnde sanctus Bonifacius causa accidente, qua hinc scribi convenerat ad Hilarium Narbonensem Episcopum decrevit, dicens. Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes, nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit (ut eadem propriè verba ponamus) per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas, quod illi, quia aliter credendum non est, servandum, sancto Spiritu sibimet suggerente censuerunt. Et paulò pòst, quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua, adeò nos Canonum cautiùs præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.

CAP. X. Quod non solùm Apostolica Sedes secundùm sacros Canones singulis provinciis ex antiquo servavit, verùm & in epistola beati Gregorii ad Ioannem Ravennatium Episcopum etiam de Episcopis specialiter secundùm Nicænos Canones Sedi Apostolicæ deputatis, cui in primatu beati Petri commissa est sollicitudo omnium ecclesiarum, atque Episcoporum, ita eis consulendo scriptum legimus. De Episcopis, inquit, ad nos pertinentibus, qui tamen huc pro interpositione hostium venire non possunt, curam vestra fraternitas gerat, ita tamen ut pro causis suis ad Ravennatem urbem nullatenus revocentur. Ne eos hoc tempore vexare, aut fatigare in aliquo videamur. Sed si qua sunt, quæ in eis videantur justè reprehendi, debent fraternitatis vestræ epistolis admoneri. Sin verò crimina, quod absit, graviora contigerint, hæc ad nos subtiliter referre vos volumus, ut inquisitionis testimonio roborati, quæ legibus, canonibusque conveniunt, salubri, juvante Domino, consilio disponamus. Sed & Maximi Salonitani prævaricatoris Episcopi causa, qui prælaro privilegio beati Petri, Domini voce percepto, contra Nicæna decreta, contraque antiquam consuetudinem sine conscientia responsalis Apostolicæ Sedis fuerat ordinatus, & propterea, ac pro aliis, de quibus insimulabatur, à beato Gregorio excommunicatus & Romam venire jussus, ab eodem beato Gregorio Mariniano Ravennati Episcopo ad inquirendum & diffiniendum est sine retractatione commissa: de sollicitudine autem omnium ecclesiarum atque Episcoporum, Apostolicæ Sedi in primatu beati Petri conlata, sanctus Leo dicit. Divinis præceptis & apostolicis monitis incitamur. Vt omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac si quid usquam reprehensione invenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiæ imperitia, & à præsumptionis usurpatione revocemus. Et sanctus Gregorius ad Ioannem Episcopum Syracusanum, dicit. Nam quod se Sedi Apostolicæ dicit subjici, quin Constantinopolitanus Episcopus, si qua culpa in eis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit, cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis, æquales sunt. Et item idem de contiguis Romanæ Ecclesiæ, ad Conlimitaneos Episcopos scripsit. Clerus, inquiens, Ecclesiæ Regitanæ contra reverentissimum fratrem nostrum Bonifacium Episcopum suum, data nobis impetitione, conquestus est, petens ut ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus causæ majores hîc subtiliter probarentur, sed quia noverim prædictum fratrem nostrum hoc modo, quo prævidimus deducendum; visum nobis est deputare causam eandem cognoscendam, & reliqua. Et ad Ioannem Episcopum Syracusanum: Quæ, inquit, adversùs Lucillum Melitanæ civitatis Episcopum ex epistolarum vestrarum, & gestorum, quæ direxistis, paginâ declaratum est, & ideo, quia tanti facinoris ultio nullâ debet dilatione differri. Fraternitas vestra tres vel quatuor de fratribus ac Consacerdotibus sibi nostris adhibeat, ut ipsis quoque præsentibus prædicta, ac satisfacta veritate, prædictum Lucillum de Episcopatus sui ordine, quem hujus sceleris contagium maculavit, studeat sine ambiguitate deponere, & hinc plura sunt alia, quæ causâ prolixitatis omisimus. Et beatus Leo vices Apostolicæ Sedis, & jam de Metropolitanis specialiter ad eam pertinentibus, & in longinquis regionibus ab urbe Roma existentibus, Thessalonicensi Episcopo commissas fuisse in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem demonstrat. Plures quippe Metropolitani specialiter authoritate Apostolicæ Sedis commissi habentur. Sicut & Alexandrinæ Ecclesiæ, ut in ecclesiasticis historiis,

CAROLI CALVI Regis 32.

Anno Christi 871.

historiis, & in gestis Synodalibus legimus. Et de Antiochena Ecclesia Innocentius Papa, ad Alexandrum Antiochenum Episcopum scribens demonstrat, de quorum ordinatione idem Innocentius ad eundem Alexandrum scripsit. Et Leo non solùm de Metropolitanorum, sed & de subjectorum sibi Episcoporum consecratione constituit, qui Metropolitani sub primate ex delegatione Sedis Apostolicæ, relatione, ac consensu ipsius primatis, & ordinantur & ordinant; illi verò Archiepiscopi, vel Metropolitani multotiens in sacris Canonibus appellari primates inveniuntur, qui in loco defunctorum Archiepiscoporum, ab Episcopis uniuscujusque provinciæ sine interrogatione ipsius Primatis prævalent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege à Sede Apostolica Pallii solent genio investiri, & in loco decedentium Episcoporum sine consultu, vel licentiâ Primatis alterius, in sua provincia quoque potest regulariter Episcopos ordinare. Sicut sanctus Gregorius in Epistolis suis ostendit, de quibus ad vestram paternitatem hîc quędam ponere dignum duximus, ad Dominicum Carthaginis Archiepiscopum. Intuentes omninò non tetigit, ne per ea, quæ apud vos gesta sunt, aliorum Conciliorum Primatibus, quod avertat Dominus, generetur scandalum. Et in Epistola ad Gennadium patricium Africæ. De supradicto, inquit, Episcopo quem communione privatum esse asseritis, valde mirati summus, cur nobis hoc, non Primati ejus, excellentiæ vestræ Epistola nunciavit.

Cap. XI. Sed quia recidenda sæpius pullulant, idem Africanum Concilium ad Cælestinum Papam cogente Faustini potiùs patrocinio, quàm judicio erga supradictum Apiarium circa medium Epistolæ scripsit hoc modo. Præfato debitæ salutationis officio impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis nec à nobis excommunicatos, in communionem ultrà velitis recipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facile advertit venerabilitas tua, Nam etsi de inferioribus Clericis vel laïcis id jubet ibi pręcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, à tua sanctitate præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione, hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive Episcopos ipsos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt; prudentissimè enim, justissiméque viderunt quæcumque negotia, in suis locis, ubi orta sunt, finienda. Nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur. Et reliqua quæ ibi prosequitur, ratione veritatis deprehendendæ, & depositione testium, qui longiùs propter sexus, vel senectutis infirmitatem aut aliud impedimentum adduci non possunt. Et hinc idem sanctus Cælestinus Papa universis, Episcopis per Viennensem & Narbonensem, Provincias constitutis scripsit, ut juxta decreta Canonum, unaquæcumque Provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec usurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. Et sanctus Leo de privilegiis Metropolitanorum, ita ad Maximum Antiochenum Episcopum scripsit dicens. Tanta apud me est Nicænorum Canonum reverentia, ut ea quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliquâ novitate violari. Quamvis enim diversa nonnumquam merita Præsulum, tamen jura permanent Sedium, quibus etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem, & ut hæc dignitas juxta decreta cuilibet Metropolitano provinciæ servaretur, sanctus Cælestinus Danielem Episcopum, de multis criminibus accusatum ad judicium Episcopale in provincia sua, missâ Epistolâ ad Arelatensem, Episcopum, destinari præcepit. Et Africani Patres decreverunt, ut quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem provinciæ, ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorũ judicum die statutâ literis evocatus minime occurrerit, hoc est infrà spatium mensis, ex ea die, qua eum literas accepisse constiterit. Quod si aliquas veras necessitatis causas probaverit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem, integram habeat facultatem, verùm tam diu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Tempore sanè, quo non communicat, nec in sua Ecclesia vel Parochia communicet, & reliqua. Vnde sanctus Augustinus doctor Ecclesiæ, ab Apostolica Sede receptissimus, qui Carthaginensi huic Concilio sua auctoritate firmato interfuit.

Caroli Calvi Regis 32.

Cætera desiderantur in codice, cujus folia usque ad finem lacera, legi non potuerunt

Audio quasdam hujus generis Epistolas ineditas extare Romæ in Bibliotheca Vaticana.

Finis Concilii Duziacensis I.

Anno Christi 873. — Caroli Calvi Regis 33.

CONCILIVM CABILONENSE,

In Ecclesia sancti Laurentii Trans Ararim celebratum.

Synodi huius meminêre scriptores rerum Burgundicarum, enumerantque Episcopos, qui interfuerunt. Meminerúntquoque decreti ab ea conditi de Ecclesia sancti Laurentii, in qua Synodus agebatur, cùm de ea quærebatur, liberané, ac sui Iuris esset, an sancti Marcelli Ecclesiæ, quod ista contenderet, potestati obnoxia foret. Quid autem hac de re statutum sit à Synodo, declarat vetus scheda hujus Ecclesiæ, notamque exhibet anni Caroli Calvi Regis in Burgundia, post mortem Lotharii Nepotis sui id est, in eiusdem regno tertii, xii. Kal. Iunii, qui cadit in annum regni eius in Gallia xxxiii. & Christi DCCCLXXIII. Sic igitur habet illa sancti Marcelli Cabillonensis scheda. [Remigius sanctæ Lugdunensis Sedis Archiepiscopus, & cum eo Ado Archiepiscopus Viennensis, Liudo quoque Augustodunensis,

Anno Christi 873. | Caroli Calvi Regis 33.

nensis, necnon Girboldus Cabilonensis, Bernardus etiam Matisconensis, reverendi Episcopi, & Leuboïnus Chorepiscopus Lugdunensis, simulque acceptabilis multitudo Canonicorum & Monachorum, Archidiaconorum, Abbatum, & reliquorum ordinum secundùm Dei voluntatem in Suburbio Cabilonensi nobiscum congregata, apud Basilicam sancti Laurentii, quæ juxta mœnia civitatis eiusdem constructa est, omnibus Christum per orbem quadrificum adorantibus, pacis concordiæque munus. Notum sit cunctis, quòd residentibus nobis in eadem Ecclesia antefati Martyris nomine insignita, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXIII. Regni Domini Caroli tertio, post mortem nepotis sui Lotharii in Burgundia, venit quidam Presbyter nomine Leutherius præpositus, & advocatus Canonicorum sancti Marcelli, & stans in medio Synodi monstravit nobis per privilegia ejusdem loci, ipsam Ecclesiam in qua residebamus, à Regibus ipsius loci constructoribus ex consensu Episcoporum Cabilonensis civitatis fuisse tributam illis, eamque injustè per injuriam & negligentiam, perdiram haberent; de qua re Dominum, & fratrem nostrum præclarum videlicet virum Gilboldum Episcopum interrogantes, quid ei placeret, (ut justis rebus fuit semper annuens) dixit: Si hæc à nostris Antecessoribus jam dicto loco donata ut superna nobis patescerent limina, hæc ipsa ex nostra parte dare debuissemus ei donaria; sed quia hujusce causæ evidentia nobis monstratur scripta; quod eatenus à nobis ipsa tenetur Ecclesia, decernat sanctitas vestra quid nos conveniat agere. Cujus verba audientes, ex ipsius, cunctæque illius congregationis Canonicorum consensu, judicavimus sancto Marcello ipsam Ecclesiam reddi, atque ut deinceps illi servientes possiderent, cunctum Concilium nostrum per has literas laudavit, & firmavit, ac in ipso nemo contradixit. Et quicumq; Clericus, vel laïcus contrariare præsumpserit, humanis legibus convictus, etiam divinis, iisque ad emendationem sub anathemate foret: hanc autem scripturam fieri præcepimus, ac ut in futuris temporibus teneatur, manibus roboravimus.

Remigius humilis Archiepiscopus Lugdunensis sign.
Ado Viennensis Archiepiscopus sign.
Gilboldus Cabilonensis Episcopus s.
Liudo sanctæ Ecclesiæ Eduensis Episcopus s.
Bernardus Matisconensis Episcopus s.
Leuboinus Chorepiscopus Lugdunensis s.
Heronius Abbas s.
Gontardus Abbas s.
Lenfingus Archidiaconus s.
Bertrandus Diaconus s.
Eudo humilis Abbas s.
Gondrannius Presbyter s.
Theotbertus Diaconus s.
Heriboldus Monachus s.

Dicto anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIII. Regno Domini Caroli in Burgundia III. 12. Kal. Iunii. Marcellus non meritus Levita scripsit, & roboravit in Dei nomine feliciter, Amen.

Anno Christi 874. | Caroli Calvi Regis 35.

CONCILIVM REMENSE AB HINCMARO Remensi Archiepiscopo mense Iulio celebratum.

In quo constituta sunt quædam Capitula maximè pro Presbyteris.

CAPVT I.

Quod iidem Parochiarum Presbyteri, & Canonici in Monasterio simul esse non possunt.

Ex codice Laudiens.

QVIA non solùm inlicita, sed etiam perniciosa sibi, ac commissæ plebi præsumptione, contra sacros Canones, Presbyteri nostræ Parochiæ dicuntur Ecclesias suas negligere, & prębendam in Monasterio Montis Falconis obtinere, sed & Canonici ipsius Monasterii Ecclesias Rusticanarum Parochiarum occupare, necesse nobis est, non solùm quid inde sacri Canones definiant demonstrare, sed & vigorem ac censuram eorumdem sacrorum Canonum, si se non correxerint, in contemptores exerere. Vt igitur de his interim sileamus, qui certis de causis secundùm sacros Canones de aliis Parochiis in nostram Parochiam veniunt, & regulariter à nobis suscipiuntur, vel qui vacantes Ecclesiis vacantibus incardinantur, vel causa regulis conveniente, secundùm easdem regulas de Ecclesiis ad alias Ecclesias transferuntur: De canonum transgressoribus iidem Canones sacri decernunt, ut in illa Ecclesia tantummodò quique ministrent, in qua priùs ordinati fuerunt: Si verò jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ rebus in nullo communicent. Eos verò qui ausi fuerint, post diffinitionem magnæ & universalis hujus Synodi, quicquam ex his que sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta Synodus à proprio hujusmodi gradu recedere. Et sanctus Leo Papa Sedis Romanæ hinc ad Aquileiensem Archiepiscopum scripsit dicens, Illam partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à sanctis patribus & à nobis sæpè decretum est, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti ordine Clericorum, ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces admonemus; ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est perseveret. Ita ut si quis sua quęrens, non quæ Iesu Christi, ad plebem suam & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Quæ verba beati Leonis, si quis intelligere attentè curaverit, & omnem pravam occasionem exclusam, & omnem utilitatis ac necessitatis rationem concessam inveniet. Ait enim, ut unusquisque, non ambitione inlectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ut ordinatus est perseveret. Si enim quis non fuerit ambitione inlectus, de minori ad majorem Ecclesiam non quæret ascendere: si non fuerit cupiditate seductus, non quęret quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, ac per hoc non

plebem suam deserere, & ad Monasterii quasi A tuitionem confugere, vel Canonicus ordinatus in Monasterio, obsequia Monasterialia derelinquens, turpis lucri cupiditate ob emolumentum decimæ rusticanarum parochiarum Ecclesias studebit invadere, non curans si infantes sine baptismate mortui casu fuerint, vel sine communione & reconciliatione infirmi obierint. Constat enim & certum est, quia & claustra Monasterii atque obsequia debita, & quæ sunt necessaria plebi in rusticanis parochiis, insimul exequi nemo valebit. Quomodo enim si intempestæ noctis silentio, aut infans natus periclitatur, aut infirmus viaticum munus petierit, Canonicus à claustris Monasterii exiet, & ad villam in- B firmorum necessitatibus pergens succurrere prævalebit? Quod videns S. Gregorius, tractans coram populo Ezechielem Prophetam, dicit: Thronus ejus, quin Domini, flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus. Hi, inquit, qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minimè permittuntur: sed quia uno in loco positi, divinitatis in se præsentiam portantes ardent, Thronus Dei flamma ignis dicitur. Quapropter non nobis est negligendum, sed studiosiùs exequendum, quod isti sancti Dei ex hoc causa obnixiùs tenendum decreverunt. Vnde sanctus Leo, ea quæ præmisimus ad Aquileiensem Archiepiscopum, scribens C mox subdidit: Non, inquiens, dubitet dilectio tua, nos si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro custodia Canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commovendos; quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere disciplinam. Si ergo quisquam Presbyter Parochiæ nostræ, aut infirmitate corporis, aut latente animæ peccato, senserit se non posse proficere plebi sibi commissæ, vel non debere præesse, & voluerit Monasterii por- D tum ad agendam pœnitentiam secundùm decreta beati Leonis expetere, professionis suæ libello, ab ordine & titulo atque regimine plebis secundùm Gregorii decreta se exuat, ut in Monasterium intret: sin autem, Ecclesiam suam & plebem sibi commissam secundùm sacras regulas teneat & gubernet. Si verò contra prædicta Canonum interdicta quisque Presbyter in Parochia nostra præsumpserit, modis omnibus se ab ordine abjiciendum cognoscat.

CAPVT II.

Quòd à loco matriculæ nihil à quoquam requiri vel accipi debeat.

SÆPE vos admonui de matriculariis, quales suscipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ dispensare debeatis: sed admonitionem nostram, imò Dei per nostram exiguitatem, quosdam parvi pendere comperi. Vnde necesse mihi est iterare, quod quosdam cognosco negligere. Interdixi enim vobis Dei auctoritate, ut nemo Presbyter pro loco matriculæ quodcumque xenium vel servitium in messe, vel in quoque suo servitio, præsumat requirere vel accipere: & matriculariis debitam partem decimæ, quam fideles pro peccatis suis redimendis Domino offerunt, nemo præsumat vendere. Quod & nunc iterum interdico, ostendens vobis divinam auctoritatem. Vt enim plurima de sanctis Scripturis prætermittam, & pauca vobis sed notissima in medium devocem, sanctus Spiritus per beatum David quod cantatis, cantavit, *Deus meus misericordia tua*. Et decima à fidelibus data, misericordia est, & misericordiæ quæ Deus est, datur. Quæ misericordia dicet in judicio misericordibus: Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. Eleemosyna enim Græcè, misericordia dicitur Latinè: & qui eleemosynam vendit, Deum, id est, misericordiam nostram vendit: Et similis est Iudæ, de quo in Evangelio scriptum est, quia loculos habebat Iudas. Ea quæ mittebantur, id est, quæ fideles Domino dabant, unde ipse & sui discipuli secundùm carnem subsisterent, & eleemosynas Deus faciebat, Iudas portabat, id est, asportabat & furabatur. Et Presbyter, qui de redemptione peccatorum, id est, de decima fidelium, quodcumque xenium requirit aut accipit, non est dignus inter Presbyteros nuncupari, sed dejici: sicut Iudas nuncupabatur inter Apostolos; sed de Apostolorũ numero dejectus, & in consortium diaboli est in æternum abjectus. Et sciatis, quia quicumque Presbyter ex hoc Iudæ latrocinio fuerit revictus, non solùm à Presbyterali ordine dejicietur, sed nec etiam partem de illa decima, quam matricularii accipiunt, accipere promerebitur: sed partem cum illo habebit, cujus fieri consors maluerit. In se, inquit, sanctus Hilarus Papa, quicquid in alium quis non resecaverit, inveniet. Et sanctus Gregorius: Qui non corrigit resecanda, committit.

CAPVT III.

De indebito accessu ad fœminas, & à ministerio dejiciendis iis qui se non correxerint.

IAM vobis Capitulum ex sanctis Scripturis, & Catholicorum dictis donavi de inconvenienti accessu, & indebita familiaritate ad fœminas. Sed video quosdam vestrûm illud parvi pendere. Vnde iterum illud in conventu vestro volo recitari, cum sententia Zozymi Papæ dicentis: Sciat, quisquis hoc, postpositâ Patrum & Apostolicæ Sedis auctoritate, neglexerit, à nobis districtiùs vindicandum, ut loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impunè posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quicquid interdum totiens usurpatur. Et sciatis pro certo, quia non in quocumque requiram de viso concubitu vestro cum fœminis, sed de interdicto canonico accessu ad fœminas. Quia ut Hilarus Papa dicit: Non minùs in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quàm in ipsius Domini inju- E riam prosilitur. Et eni vestrûm ampliùs placuerit indebita fœminarum familiaritas, quàm sacri ministerii puritas, habeat quod elegerit: quia insimul & sacri ministerii puritatem, & immundi contubernii habere non poterit impuritatem. Dejicietur ergo à sacro ministerio, cui non poterit prodesse correptio. Sicut sanctus Leo Papa ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum decrevit dicens: Debet vigilantia tua vigilanter insistere, ita ut his, quibus prodesse non poterit correptio, non parcat abscissio. Oportet enim nos Evangelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes,

pes, aut dextera scandalizaverit manus, à compage corporis auferatur: quia meliùs est his in Ecclesia carere membris, quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Abjicienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet aliorum peccatis parcendo non parcit: sicut Heli quondam Sacerdos, filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis divinæ sententiam justitiæ meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores. Cùm, inquit Ambrosius, uni Sacerdos indulget indigno, plurimos facit prolapsionis contagium provocari: facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Et sanctus Gregorius: Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur; & meliùs est, ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quàm per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cùm inter jumenta hæc fieri persępè cognovimus, ut ea quæ scabiem aut impetiginem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cętera damnentur, vel pereant. Satius est enim, ut manifestè corrigantur, quàm pro illis boni pereant, sicut verus agricola noster Christus, in Evangelio monstrat dicens: Omnem palmitem non ferentem fructum, scilicet bonæ operationis, tollam eum. Et hoc est, quod à Domino per Moysem in Levitico figuratè pręcipitur: Ut lapis in domo leprosus à Sacerdote inspiciatur, & si purificari nequierit, jam inter immundos computetur, ac ordine mundorum lapidum, id est, Ecclesiasticorum consortio eruatur, atque alius qui dignus est, loco ejus substituatur. Videlicet abjecto de cælesti, id est, Ecclesiastico ædificio tanquam mortuo lapide quolibet noxio, qui noluit servare quod dicitur; Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: juxta Petrum Apostolum: Tanquam lapis vivus in domo spiritali in ædificio scilicet sanctæ Ecclesiæ Hierusalem cęlestis, quæ constat ex Angelis & hominibus, & ædificatur, ut civitas utilis superædificetur.

CAPUT IV.

De iis qui de facultatibus Ecclesiasticis Alodes comparant, & illos Ecclesiæ non derelinquunt.

QUOSDAM vestrûm Ecclesias vestras negligere, & Alodes audio comparare, & in eis mansos extruere atque excolere, ac in eisdem mansis fœminarum habitationem habere, eosque mansos non Ecclesiis, secundùm sacros Canones derelinquere, sed contra sacros Canones, vel propinquis vestris, vel aliis quibuscumque distrahere, unde sciatis, quoniam à quocumque hoc fieri comperero, secundùm canonicam severitatem judicare curabo. Nullum enim Alodem Episcopus, vel Presbyter meliùs vel firmiùs potest habere, quàm qui est Ecclesiæ attributus, si secundùm suum ordinem vivere voluerit; si autem pro sua culpa perdiderit, nec Alodem, quem à die ordinationis suæ de Ecclesiasticis facultatibus adquisivit, habere valebit. Quam fraudem de facultatibus Ecclesiarum, contra Canones, & sanctarum seriem Scripturarum prędicationemque majorum, ex magna parte possent retundere comministri nostri, si secundùm Capitulum ex sacris regulis à nobis collectum, & illis ac vobis datum studerent requirere, quid de decimis singuli agant Presbyteri. Et quoniam nihil ab eis in Parochiæ circuitione exigo, quæ per singulos annos pareant in Ecclesiis, de his quæ à nobis sunt Ecclesiis constituta, & qualiter quique Presbyteri hospitales existant secundùm pręceptionem beati Petri Apostoli jubentis, Hospitales invicem sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes. Et sanctus Paulus dicit: Charitas fraternitatis maneat apud vos, & Hospitalem nolite oblivisci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Et Iacobus Apostolus dicit: Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sęculo.

CAPUT V.

Quòd pro Ecclesiis viduatis præmia Patronis dari non debeant.

SÆPE vos admonui de exeniis superfluis contra sacras regulas pro Ecclesiis viduatis non dandis. Sed sicut audivi, vos non inde castigatis, sed vos ipsos, & vestros nutritos, in maledictionem simoniacæ hęreseos traditis. Quam heresim sanctus Petrus Princeps Apostolorum, primam damnavit, dicens ad Simonem: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Si enim hominis sensum haberetis, qui hoc facitis, non enim de omnibus dico, potuissetis attendere, quia si vos benè viveretis, & vestros nutritos in bona vita & in bona conscientia nutriretis, non vobis esset necesse & vestra perdere, & vos ipsos in perditionem mittere. Ipsi enim scitis, quia nemo fidelis in Parochia nostra in sua Ecclesia, sine Presbytero esse cupit, & sine ordinatione Episcopali Presbyterum ibi habere non potest. Quapropter quisque defuncto Presbytero, in sua Ecclesia Presbyterum petit, apud quem cùm Clericum bonum quęsiero, ut illi Presbyterum ordinem, ipse Clericum bonum quęret: & si eum bonū mihi adduxerit, ordinabo illum; sin autem, alium requiram: & ipse tamdiu Clericum bonum quęret, usquedum convenientem ordini sacro inveniat. Et non necesse esset vobis petere Ecclesias cum superfluo exenio: quia quique fideles, si vestra culpa non esset, plus quęrerent bonos Clericos, quàm vestros denarios. Et hoc non suffertis: sed vos & vestros nutritos in maledictionem mittitis, cùm dato patronis pręmio vobis & illis peccatum emitis.

Anno Christi 875.

Caroli Calvi Imp. 1.

CONFIRMATIO IOANNIS VIII. PAPÆ.

De Rebus Abbatiæ sancti Vedasti Attrebatensis, à Carolo Calvo tunc Rege concessis per præceptum suum in Concilio Vermeriensi anni 869. ab Episcopis comprobatum, quorum mentio fit in hac Ioannis Epistola, in qua quoque suscepti ab eodem Carolo Calvo Imperii causa, locus atque dies leguntur.

Ex Cartario ejusdem Monasterii.

IOANNES Episcopus servus servorum Dei, fratribus Monasterii beati Vedasti, quod vocatur Nobiliacus vel Attrebas, ubi ipse sanctus Vedastus Confessor Christi corpore quiescit, salutē. Si utilitatibus servorum Dei piè consulimus, locaque Christo dicata, Apostolicis fulcimus sanctionibus, quo divini cultus servitores inibi Deo vacantes à turbinibus, & variis tempestatum secularium minuantur incursibus, nil hoc holocausto gratius Redemptori nostro credimus offerendum. Qua de re luce clariùs patet omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, quia charissimus filius noster Carolus Rex adiens limina beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, honorificè à nobis susceptus, postquàm solemniter vota regia persoluit, apud sepulchrum beati Petri die nativitatis Domini nostri, in Ecclesia ipsius beati Petri Apostolorum Principis, dignitatem Imperialem per impositionem manuum nostrarum adeptus est. Dehinc non minùs devotè quàm humiliter à nobis expetiit, ut beati Petri Apostolorum Principis, simulque nostri Apostolatus auctoritate decerneremus privilegium, Romanæ atque Apostolicæ Sedis astipulatione roboratum, fratribus jam dicti Monasterii Confessoris Christi Vedasti, per quod stabili jure ac sine perturbatione possiderent Castrum, atque prędictum monasterium, & omne quod eis per suum pręceptum concesserat ac Gallicanorum Episcoporum decreto muniri fecerat hujus rei gratiâ. Quia eundem Augustum divino contactum amore id fecisse perspeximus, gratanter petitionibus prębuimus assensum, decernentes Apostolica auctoritate, ea quæ hîc inserta habentur, inconvulsa manere. Data v. Kalend. Ianu. per manus Anastasii primi scriniarii, anno 1. Imperi Caroli serenissimi Imperatoris Augusti, & per Consulatum ejus anno primo, indictione octava.

Anno Christi 876.

Caroli Calvi Imp. 1.

FVNDATIO MONASTERII CARILOCENSIS

Diœcesis Matisconensis confirmata in Concilio Pontigonensi.

Ex Cartulario ejusdem Cænobii.

SANCTISSIMIS atque Reverentissimis totius religionis fratribus tam pręsentibus, quàm & futuris, ubique veritati sub nutu Domini famulantibus sacrosanctum Concilium Episcoporum Gallicanorum optabilem summæ, ac individuæ Trinitatis gratiam. Dum in nomine Domini Iesu Christi, omnium rerum Domini, ejus Incarnationis DCCCLXXVI. anno, Imperii quoque domini Caroli serenissimi, atque piissimi Imperatoris Augusti primo, mense Iunio, indictione IX. ab universis Galliarum partibus in Pontigonum celebre Palatium prædicti Principis, solicitatissima commonitione ob studium divinorum obsequiorum convenissemus, nonnulli quibusdam suarum opportunitatum votis nos adquiescere, & providere petentes, optarunt ut unanimiter eis etiam in futuro, sicut mos à sanctis Patribus cum fide sanctæ pietatis emanavit, consuleremus. Inter quæ confrater & Coepiscopus Robertus, Valentinensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus, nostram humilitatem expetiit, ut cujusdam voti sui modum, intentionem & executionem perpendentes, qualiter imposterum cassari quibuslibet oppositionum machinationibus, aut fraudibus nequiret omnimodis, prudenti deliberatione prospiceremus. Siquidem sanctus frater noster, & Coepiscopus unà cum fratre suo germano Eduardo, quem cęlestis dispositio nostro jam vocavit sęculo, succensus divino amore cænobium quoddam per manus venerabilis Abbatis Gausmari, suorumque Monachorum fundare atque construere, in possessione propria in pago Matiscensi super fluvium qui dicitur Scorvinus, non longè à flumine Ligeri elegit, & ejusdem suæ proprietatis Dominum nostrum hęredem instituit. Quem etiam locum, quod fuerit minùs gratum, Carilocum vocari voluit. Et ut promptissimam suam voluntatem tam superstes, quàm qui jam nunc viam universæ carnis ingressus evidenter ostenderent, publico testamento cunctam hujus rei seriem allegarunt. Prędictus itaque Pręsul fratris sui superstes tanti nostri Conventus unanimem fraternitatem exoravit, ut ejus voti, retributionisque participes in Christo Iesu Domino nostro, privilegium sacerdotali roborandum auctoritate, pręcepto nihilominus Imperialis munificentiæ confirmandum, ei, fratribusque inibi Domino famulaturis concederemus, & more solito nostrum assensum propriis subscriptionibus panderemus, & secundùm quod fieri firmitatis gratiâ solet, obtestationis vinculo omnem temeritatem malignantium obviaremus, ne fortè cœpta minui vel perturbari quolibet possint instinctu. Igitur debita charitate fraternam in Christo Domino nostro benevolentiam suscipimus, & hoc privilegium sic moderatè, ut idem frater noster juxta petitionem suam, dum advixerit, pręfati Cariloci dispositionem per Abbatem & Monachos, omnem exhibendo tuitionem & sollicitudinem, veluti Patrem decet, obtineat. Et ut effectum Monasterii perfectiùs assequatur, prudentissimè satagat. Dum autem eum Dominus omnium, in meliorem vitam sustulerit cælesti sorte, nullo suorum propinquorum, aut aliarum quarumcumque personarum ejusdem loci sibi potestatem usurpet, aut in aliquo dominari pertentet. Sed liceat ibi sanctis monachis

Anno Christi 876.

monachis normam suæ religionis nullis obstantibus exercere, & expedita dominatione liberè disponere, ut in omnibus benedicatur Deus, ne fas sit jure proprietatis, possessiones eorum, aut hactenus traditas, aut deinceps pro remedio animarum à fidelibus conferendas, sinistro quolibet ingenio præsumere. Sed habeant potestatem liberam Monachi, Domino, sanctisque Martyribus Stephano & Fortunato, ac sibi concessis dominari, & in militia cœlestis conversationis suam ex eis voluntatem exequi. Si quis verò (absit) hujus privilegii destructor, aut in ejus destructione fraudulentus machinator imposterum emerserit, salutem persequens, secundùm potestatem ligandi atque solvendi ab ipso D. Iesu Christo nobis traditam æterno vinculo damnationis, extra beatorum requiem alligamus, cum omnibus, qui ei in hoc nequissimo facto consentiunt; nisi hoc & actor, ejusque sequaces correxerint, qui quod ad multarum salutem animarum provisum est, impiè non timent infringere. Obsecramus etiam qui hanc piæ devotionis scripturam legerint, vel audierint, omnes fratres nostros, sed & religiosos Abbates, ut voluntate sua, nostræ faveant, & si rogati fuerint, propriis subscriptionibus nostram sententiam confirment.

Ego Aurelianus Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus hoc privilegium relegens in Christi nomine roboravi.

Ottramnus Viennensis Ecclesiæ Archepiscopus.
Hincmarus Remensis Archiepiscopus.
Ioannes Rothomagensis Archiepiscopus.
Isaac sanctæ Lingonensis Ecclesiæ Episcopus.
Lambertus Mariscensis Episcopus.
Vvilebertus Catalaunorum Episcopus.
Bermundus Ebredunensis Episcopus.
Anselmus Lemovicensis Ecclesiæ Episcopus.
Birico Vapincensis Episcopus.
Gilbardus Cabilonis Episcopus.
Abbo Nivernensis Episcopus.
Hildeboldus Suessionicæ Ecclesiæ Episcopus.
Bernarius Gratianapolitanus Episcopus.
Berardus Verdunensis Episcopus.
Hairardus Lexoviensis Ecclesiæ Episcopus.
Hildebrannus Sagiensis Ecclesiæ Episcopus.
Ingelvinus sanctæ Parisiacæ Ecclesiæ Episcop.
Otulfus Tricassinæ Ecclesiæ Episcopus.
Agilmarus Arvernensis Ecclesiæ Episcopus.
Theodoricus Vesontiensis Episcopus.
Rostagnus Arelatensis Ecclesiæ Episcopus.
Frotarius Dei pietate Bituricensis Archiepiscopus.
Ansegisus Senonum Archiepiscopus.
Gislebertus Carnotensis Episcopus.
Adalgarius Eduorum Episcopus.
Hemico Deensis Episcopus.
Ætherius Vivariensis Episcopus.
Vvillelmus Cadurcensis Episcopus.
Hadebertus Silvanectensis Episcopus.
Odo Belgivagorum Episcopus.
Arnaldus sanctæ Tullensis Ecclesiæ Episcopus.
Ioannes Cameracensis Ecclesiæ Episcopus.
Hedenulfus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopus.
Saginandus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus
Erchambertus Baiocensis Episcopus.
Alduinus Avinionensis Episcopus.
Agenulfus Gabalensis Episcopus.
Leuboinus Ecclesiæ Lugdunensis Chorepiscopus.
Legaldus Archidiaconus Ecclesiæ Turonicæ legatus.
Gumerius Corbeiensis Monasterii Abbas.
Bernardus Sonveniacensis Monasterii Abbas.
Carnulphus Belli-loci Monasterii Abbas.

Actum Kalendis Iuniis in Pontigono Palatio in Dei nomine fœliciter. Amen.

Mainardus scripsit Rogatus.

Caroli Calvi Imp. 2.

Admonitio de sequenti Epistola.

Iudicia Rothadi Suessionensis, Hincmari Laudunensis Episcoporum, tùm Vulfadi Remensis ac Herlefridi Silvanectensis presbyterorum lata sub Carolo Calvo Rege à quibusdam Galliæ Conciliis, simulque prædictorum appellationes ad sedem Apostolicam dedere occasionem eidem Carolo jam Imperatori, generatim scribendi ad Ioannem VIII. Papam de his omnibus judiciis, & appellationibus; Queis in Gallia nomen Transalpinum, sicut olim iisdem in Africa, Transmarinum nomen inditum est. Quam quidem Caroli Epistolam, Ecclesiarum disciplinâ, moribusque Gallicanis refertam, velut suo loco in his Conciliorum supplementis reponi visum est operæ pretium.

Anno Christi 877. — Caroli Calvi Imp. 2.

EPISTOLA CAROLI II. IMPERATORIS ad Ioannem VIII. Papam.

De judiciis & appellationibus Episcoporum ac Presbyterorum Ecclesiæ Gallicanæ ad sedem Apostolicam.

Sanctissimo ac Reverentissimo Patri Ioanni Summo Pontifici, & universali Papæ, Carolus gratiâ Dei Imperator Augustus, ac spiritalis filius vester.

Ex editione Bufaana.

ANTEQUAM Provinciæ Transalpinæ propter seditiones, & bella frequentia progenitorum nostrorum temporibus, sacrarum legum ac regularum notitiam, & observationem plenè caperent, sicut posteà per incrementa studio illorum ab hac sancta Sede gratiâ Dei ceperunt. Gloriosæ memoriæ Auus noster Carolus Imperator Augustus diu per egregios, ac præcipuæ auctoritatis, & sapientiæ viros, de presbyteris ex criminibus diffamatis, qualiter judicari, vel purgare se debeant, perquisivit & reperit, sicut in suæ Imperialis auctoritatis edictis, quæ in alia schedula habemus scripta, posteris servanda reliquit, quæque usque ad nostra tempora ex tunc, in

in Transalpinis regionibus servata, & quando A necessitas postulavit, executa fuerunt. In diebus autem Domini & genitoris nostri piæ memoriæ Hludovici Imperatoris, cum ipsa tepesci executio aliquatenus cepit apud Papam Eugenium, inde ab eo commonitio facta est: qua de re Synodus, id est, universalis Papa convocans inter alia generalia decreta promulgare curavit, quæ Leo quartus tempore fratris nostri Hlotharii, & nepotis nostri Hludovici observanda decrevit, sicut in gestis synodalibus, & in hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ archivo haberi credimus, & ab hac sancta Sede nostris decessoribus directa venerabili sanctione habemus: Cùm autem non longè ante hos annos nepos noster B Hludouvicus Italiæ Imperator instinctu quorumdam contra nos se commovit, missæ sunt nobis epistolæ, quasi ex Apostolicæ hujus Sedis auctoritate ac nomine, quas tenoris inconvenientia, hanc sanctam & discretissimam Sedem non misisse ostendit.

Et quoniam pravis sępius, prava quàm recta innosci solent, nacta hinc occasione transalpinarum regionum Presbyteri à suis Episcopis de certis criminibus regulariter ab ordine sacerdotali dejecti, & pœnitentiæ subacti sine licentia & conscientia Primatum & Episcoporum suorum huc venire, & hinc epistolas quæ regulis non conveniunt, referre ceperunt, quas non C jussione apostolica, sed ut assolet etiam in republica propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumque ministrorum quasi pia miseratione factas, & nos, & illius regionis putant Episcopi. Quapropter quia, ut sanctus Augustinus dicit, Cogunt multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum. Intermissis propter prolixitatem sacrarum legum capitulis prędecessorum nostrorum Imperatorum, quibus ecclesiasticæ regulæ consonant, necessarium duximus pandere sanctissimæ vestræ paternitati ac summæ auctoritati, qualiter regulas de honore in suo statu Episcoporum, & de appellatione D Presbyterorum intelligimus, & intelligi à rectoribus transalpinarum ecclesiarum didicimus, quatenus ab hujus Sedis auctoritate, nostra sana ut credimus, intelligentia confirmetur, à qua fidei ac religionis sumpsit initium, & quotidie gratias Deo sumit augmentum: & si quid malè in agro dominico pullulat decreti vestri falce recidatur. Si etiam quorumcumque negligentiâ, vel præsumptione à præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industria sit reformatum.

Epist. 50. ad Bonifacium Comitem.

Sicut Dei virtus Christus, & Dei sapientia ordinem ac dignitatem Apostolorum & 70. discipulorum in carnis pręsentia distinxit, ut lectio sancti Evangelii patenter ostendit, ita idem E ipse per quem Reges regnant, & conditores legum justa decernunt, sacris legibus, & Canonibus spiritu suo conditis, & totius mundi reverentiâ consecratis, ordinem & dignitatem Episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent Apostolorum & Presbyterorum, qui subrogantur loco 70. discipulorum, & in administratione, & in honore, sicut & in veteri testamento, inter summos Pontifices, & inter minoris ordinis Sacerdotes, discrevit Quapropter ab omnibus honorandi ac venerandi sunt pro patribus nati filii, id est, pro Apostolis ordinati Episcopi, & ordinis dignitate, & illius honore qui eis Apostolis dixit. *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos, & qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & de eis, ite nuntiate fratribus meis,* & alia quæ de illorum veneranda honoratione, sacræ Scripturæ textus eloquitur.

Ioan. 15. 51. Luc. 10. 16. Matth 28.10.

Qui fortè si aliqui temporalibus rebus sunt pauperes, & fortè merito divites: pro certo autem sunt ordine sacro sublimes à nullo quolibet sive ecclesiastica, sive sęculari potestate prędito debent vilipendi, nec potentibus sęculi modo quocumque postponi, pręcipiente omnibus Apostolo Iacobo. *Nolite in personarum acceptione, habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloria*, quia non qui ditiores ad sæculum, hi in divino examine sunt meliores. Nonne, inquit, Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & hęredes regni, quod promisit diligentibus se, & Paulus: *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus*, & reliqua. Et sanctus Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem. Sacerdotibus inquit, non ex consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur ut etiam debitam reverentiam impendat: nam in divinis eloquiis aliquando Sacerdotes, Dii, aliquando Angeli vocantur: nam & per Moysen de eo qui ad juramentum deducendus est, dicitur: *Applica illum ad deos*, id est ad Sacerdotes, & rursum scriptum est. *Diis non detrahes*, scilicet Sacerdotibus, & Propheta ait: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*, Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut deos, ipse etiam appellat Deus, ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino Principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quos acceperat, incendit, dicens: Vos dii estis à vero Deo constituti: ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est ut nos judicemus deos. In qua tamen sententia pie Domine, sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid pręstitit ex reverentia impensa: ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapides colebant; & tamen eorum Sacerdotibus maximum honorem tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, ut prędiximus, Principes honorem impendere Sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis & lapideis serviebant: Et idem sanctissimus atque facundissimus & discretissimus, veraciterque in oculis Dei humillimus in epistola ad Ioannem Episcopum Syracusanum scribens de Episcopo Constantinopolitano inter alia dicit, quod Sedi Apostolicæ dicat se velle subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit: cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis, æquales sunt.

Iacob. 2. 1.

1. Cor. 1. 28.

Lib. 4. epist. xxxi.

Exod. 22. 8.

Malac. 2. 7.

Post Constantinum autem, quique Christiani Imperatores decessores ac prędecessores nostri leges de Episcoporum honore ac privilegio condiderunt. Proinde, Pater sanctissime, quia ut sanctus Gelasius dicit: Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur. Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas ad quas appellari potest, & à quibus nemo permittitur appellare sub oculis districti & æquissimi judicis Dei, qui sine personarum acceptione judicat, nostra poneremus judicia, quia etsi plerumque existunt,

Epist. x. ad Anastasium.

Epist. xxxviii. Anastasio.

existunt inter negligentes vel desides fratres, A quæ oporteat majore auctoritate curari, sic tamen est, ut sanctus Leo dicit, adhibenda correctio, ut semper sit salva dilectio, & plùs erga corrigendos agat benevolentia quàm severitas, plùs cohortatio quàm commotio, plùs caritas quàm potestas. Episcopos sanè in statu suo manentes debitâ veneratione colamus, & à nobis eis competenti honore impenso, cęteris exemplum reverentiæ erga sacerdotalem ordinem præbeamus: quia si nos sacrum ordinem in personis eorum vilipendimus, qui velut in speculo ad sumendum exemplũ, in omnium, qui nobis subjecti sunt, oculis positi sumus, pro tantorum culpis à districto judice, summo videlicet Pontifice & B Rege Regum, judicabimur, quot nostro facto delinquendi, quod absit, exempla præbuerimus. Sicut idem beatus Gregorius in regula pastorali terribiliter intonat, dicens: Scire etenim Prælati debent, quia si perversa umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est ut tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per prava quæ faciunt, non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt: & contrà, quot suo vel verbo, vel exemplo, vel quibus potestas est data correptionis correptione, quia sępe invitis bona præstantur, dicente summo Patre-familias C ad servum, id est prælectorum chorum: *Exi citò in vias & sepes, & compelle intrare ut impleatur domus mea*; Domino lucrati fuerint, pro tantis gloriæ coronam accipient, attestante Apostolo, *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Part. 1. cap. v.

Luc. 14. 23.

Cęterùm, quia non est homo in terra qui faciat bonum, & non peccet, & nec ipsi sine peccato fuerunt qui cęlesti magisterio adhęrebant, dicente Ioanne, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: Et Iacobus sanctus plus dicit, *In multis offendimus omnes*, & ut Scriptura ostendit, *in Angelis re-* D *perta est nequitia*, si necessitas cum multa ponderatione atque examinatione coegerit Episcopos ab Episcopis judicari, vel Presbyteros ab Episcopis à gradu ecclesiastico dejici, sicut in honore atque administratione, sic & in dijudicatione atque appellatione discretionem auctoritas sacra distinxit, decernens, ut si necessitas & pondus legalis ac regularis accusationis exigit Episcopum judicari debere à suis judicibus Episcopis, à quibus regulariter unà cum Primate provinciæ potuit secundùm Nicęnos & Antiochęnos Canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum ordinari, congregatis unà cum Primate provinciæ ipsius regionis Episcopis secundùm Sardicenses Canones, atque à constituto E juxta Carthaginenses Canones duodecim Episcoporum numero, si plures nequiverint congregari.

Ioan. 1. Ep. 8.

Et si iisdem accusatus & judicatus Episcopus, congregatis ejusdem regionis Episcopis de gradu suo dejectus, Apostolicam Sedem appellaverit, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & ab eo se audiri voluerit post judicium, juxta Sardicenses Canones & decreta Innocentii ad Victricium, & Bonifacii ad Gallicanos Episcopos, & Leonis ad Anastasium, scribendum est ab his qui causam examinarunt, Romano Pontifici: & si judicaverit esse renovandum judicium, renovetur & det judices; si autem probaverit talem causam esse, ut non restituentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt, & si justum putaverit ut renovetur examen, scribere his dignetur Episcopus qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter requirant, & juxta fidem veritatis definiant: quòd si is qui rogat causam suam audiri, iterum deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, & quid velit, & quid æstimet: & si decreverit mittendos esse qui pręsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit. Interim tamen alter Episcopus in cathedra depositi Episcopi post appellationem ejus non ordinetur, antequam causa ejus fuerit in judicio.

Conc. Sard. Can. vii.

Quæ constitutio appellationis ad Apostolicam Sedem non discordat à sacra & mystica Nicęna Synodo, de qua magnus Leo Papa ad Anatolium scripsit: Illa, inquiens, Nicænorum Canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla unquam parte est solubilis: nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum comparare se audeat, vel pręferre cum tanto divinitùs privilegio Nicęna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum constitutione fuerit diversum, de cujus privilegio & beatus Gregorius dicit, Non humanâ industriâ, non compositione aliqua trecenti decem & octo Episcopi ad Concilium convenerunt, sed ut in numero eorum per signum suæ passionis & nominis Dominus Iesus suo se probaret adesse Concilio, crux in trecenris, Iesu nomen in decem & octo est Sacerdotibus: Et mihi, inquit Hilarius, ille ipse numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni sacerdotii est, forma benedicitur. Et hinc iterum beatus Leo Papa ad Anatolium: Sancti illi & venerabiles Patres qui in urbe Nicæna sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem leges Ecclesiasticorum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, & si quid usquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur.

Epist. lxi.

Lib. de fide c. 9.

De Synod. in fine.

Epist. lxi. post superiora.

Quod sanctum & mysticum Concilium præcipit de his qui communione privantur, ut sive ex clero, sive ex laïco ordine ab Episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis recipiantur, requiratur autem ne pusillanimitate aut contentione, nec alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus: & hoc ergo decentiùs inquiratur, benè placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter simul Episcopis cõngregatis provinciæ discutiantur hujusmodi quæstiones, & sic qui in suo evidenter peccaverunt Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.

Can. v.

Anno Christi 877.

Cap. vii.

C. v.

Carolii Calvi Imp. 2.

Cujus sanctæ Synodi constitutionem Sardicenses Canones non convellunt, qui cum Pontificis Romani vicario vel arbitrio causam Episcopi in provinciali Synodo judicati etiam Episcoporum arbitrio vel judicio qui eum judicaverunt cum Episcopis qui in finitima & propinqua provincia sunt, præcipiunt terminari, quatenus sive in manenda, sive in mutanda sententia juxta Nicænos Canones commune sit placitum. De quibus sacris Canonibus Nicænis Africanum Concilium ad sanctum Cælestinum Papam scribens: Prudentissimè, inquit, justissimèque providerunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.

Beatus quoque Innocentius ad Victricium Roromagensem Episcopum: Duo capitula magni Concilii Nicæni, de his videlicet qui communione privantur ex cleros & aliud, ut per singulas provincias suis privilegia serventur ecclesiis: & capitulum Sardicensis Concilii, de Episcoporum ad Apostolicam Sedem appellatione, uno capitulo sagaciter atque patenter explicat, dicens: Si quæ autem causæ inter clericos tam superioris quàm inferioris gradus fuerint ortæ, placuit ut secundùm sanctam Synodum Nicænam, congregatis omnibus provinciæ Episcopis judicium terminetur, nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Ecclesiam Dei nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab officio cleri submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut sancta Synodus constituit, & beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur. In eo enim quod dicit, ut secundùm Synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ Episcopis de exortis causis judicium terminetur, Capitulum Nicæni Concilii de excommunicatis explanat: In eo quod alias quemcumque de ecclesiastico ordine prohibet convolare provincias. Aliud capitulum Nicæni Concilii explicat, quod jubet, ut per singulas provincias suis serventur privilegia ecclesiis, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, ut si majores causæ, quarum una est de Episcopi judicati appellatione, in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus, quin Sardicensis Concilii capitulum, appellantis Episcopi causa in provincia in qua fuit exorta, diffiniatur, aut judicium Episcoporum provinciæ secundùm decreta Bonifacii Apostolicæ Sedis auctoritate confirmetur, & sicut Leo scripsit, ejusdem Sedis sententiâ roboretur. Quia verò sanctus Innocentius, non Nicænam, sed Sardicensem Synodum de appellatione Episcopi ad Sedem Apostolicam in auctoritatem traxit, qui utrasque Synodos legit, apertè intelligit.

Epist. 2. Innocent.

Sacræ leges ac regulæ Presbyteros ac cæteros inferioris gradus clericos, non alibi quàm apud suos Episcopos præcipiunt accusari, à quibus, sicut Africæ provinciæ Canones decernunt, eorum causa debet audiri, & sicut sanctus Gregorius constituit, cum Presbyteris vel clericis suæ parochiæ judicari. Qui fortè de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, ad quos eis sit provocandum de appellatione Presbyterorum ac Diaconorum ad vicinos & finitimos Episcopos, Papa Zozimus in commonitorio per Faustinum Episcopum & Philippum ac Azellum Presbyteros directo Carthaginensi Concilio, in Concilio Sardicensi capitulo decimo septimo continetur hoc modo. Osius Episcopus dixit, quod me adhuc movet, reticere non debeo. Si Episcopus quis fortè iracundus, quod esse non debet, citò & asperè commovetur adversùs Presbyterum sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem; & ideo habeat potestatem is qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, & diligentiùs tractetur, quia non oportet negari ei audientiam roganti: & ille Episcopus qui justè aut injustè eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus à plurimis, vel emendetur: tamen priusquam omnia diligenter vel fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere, ut eum communioni societ: hi verò qui conveniunt ad audiendum, si viderint clericorum esse fastum & superbiam, quia non decet ut Episcopus injuriam vel contumeliam patiatur, seu erroribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo, quia sicut ille clericis syncerum debet exhibere amorem caritatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.

Nec hoc capitulum Sardicensis Concilii dissentire videtur à capitulo Nicæni Concilii, quo expressiùs & apertiùs quàm Sardicense Concilium decrevit, de his qui communione privantur à proprio Episcopo, sicut suprà posuimus, & de privilegiis singulorum Metropolitanorum, dicens: Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est: Similiter autem apud Antiochiam, cæterasque provincias, suis serventur ecclesiis privilegia, quod exponit Antiochena Synodus, dicens: Per singulas regiones convenit Episcopos nosse metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Et Constantinopolitanum Concilium dicens: Vt illa quæ sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.

Et hinc Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopum: Revolventes, inquit, auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliam aliquam provinciam recognoscimus constitutam. Et Bonifacius Papa ad Hilarium Narbonensem: Nulli, inquit, videtur incognita Synodi Nicænæ constitutio, quæ ita præcipit, ut eadem propriè verba ponamus per unamquamcumque provinciam jus Metropolitanos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas; quod illi, quia aliter credendum, non est servandum, Spiritu sancto suggerente, sibimet censuerunt, quod idcirco dicimus

Anno Christi 877.

mus, ut advertat caritas tua, adeò nos Canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui unaquæque provincia omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et his consonanter Cælestinus: Iuxta decreta, inquit, Canonum unaquæque provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec usurpationi locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam, sit concessis sibi cõtentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. Et Leo ad Maximum Episcopum: Et si, inquit, diversa sunt merita Præsulum, jura tamen permanent Sedium.

B Et Antiochenum Concilium à magna Synodo Calchedonensi actione duodecima favorabiliter collaudatum sequens decreta Niceni Concilii: Si quis, inquit, à proprio Episcopo communione privatus est, non antè suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum quæ congregatur, occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circa laïcos & Presbyteros & Diaconos, omnesque qui sub regula esse monstrantur. Et loquens de Conciliis capitulo vigesimo, dicit: In ipsis Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi, & omnes qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apud se celebrare Concilia, præter eos quibus Metropolitana jura videntur esse commissa. Et capitulo decimo sexto: Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit metropolitanus Antistes.

C Appellantes autem Presbyteri vel Diaconi, à quibus & qualiter sint judicandi, sacri Carthaginenses Canones capitulo vigesimo, & capitulo vigesimo octavo, evidenter ostendunt: ubi autem inter accusatores & accusatos causa debeat agitari, Concilium Carthaginense statuit ut accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. Et hinc leges dicunt: Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est, aut repetitione, aut criminis objectione pulsaverit provincia in qua consistit, ille qui pulsatur suas exerat actiones, nec æstimet adversarium suum alibi, aut longiùs pertrahendum: illi verò qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare, scilicet Ecclesiasticis ad finitimos Episcopos, ut Sardicenses & Carthaginenses Canones, ut præmisimus, decreverunt, vel ad provincialia Concilia, sicut sacri Niceni & Antiocheni Canones constituerunt, & sicut Africanum Concilium in epistola ad Cælestinum Papam ostendit: Unicuique, inquiens, concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ provinciæ, vel etiam universale provocare, nisi fortè inspirare justitiam & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare, aut quomodo ipsum transmarinum judicium, quod tantumdem est, Transalpinum ratum erit: ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis incurrentibus impedimentis adduci non poterunt.

A judicibus autem, sive quos juxta Africanos Canones, Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint, causa finienda re-

A gulariter provocari non potest. Et sanctus Gregorius in epistola ad Gallicanos Episcopos: Nec hoc, inquit, in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias Conciliis Patrum providentiâ, necessitatis causâ sancitum est: unde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter subjectos & præpositos sint fomenta discordiæ, in unum Sacerdotes convenire necesse est, ut de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de ecclesiastica observatione conlatio, quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordiâ collaudetur: cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observabitis, scitote, quia scriptum est: Ubi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo adesse dignatur, ubi duo vel tres fuerint, quanto minus ibi non deerit, ubi plures convenerint. Et quidem quia de adhibendo bis in annum Concilio Patrum sit regulis statutum non latet, sed ne fortè aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut expectatione Concilii nihil pravum, nihil præsumatur inlicitum; nam plerumque etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis abstinebitur ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio.

Hæc itaque Transalpinis ecclesiis, earumque rectoribus à Sede Apostolica de appellatione Episcoporum ad hanc Sedem Apostolicam, & de Presbyterorum ac Diaconorum appellatione, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint ad comprovinciales Synodos, & dijudicatione regulari eorum in iisdem Synodis ante longissimæ ætatis annos usque ad nostra tempora servata, & à decessoribus ac prædecessoribus eorum soluta & executa fuerunt: quæ si etiam illis servata, & ab eis secura & non executa fuerint, nihil proderit eos secundùm sacros Canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum pro accusatis Presbyteris de manifestis criminibus comprovinciales Episcoporum Synodos frequentare, sed faciet licenter quisque Presbyterorum quodlibet, unde si fuerit redargutus, veniat Romam.

D Et quia pro singulis Presbyteris Transalpini regulariter judicatis missos dirigere, & actionum documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas, vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro multis aliis impedimentis, huc producere fiducialiter poterit mentiens quique innocentiam suam asserere, cùm non erit, qui mendacia ejus possit refellere: unde, sicut præmisimus, legum & Canonum conditores prudentissimè justissimèque viderunt, quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt, finienda, & per expressa regularum judicia discretissimè judicanda, & post judicium conservanda, maximè de subintroductione contra regulas mulierum, pro qua ab Episcopis Transalpinis Presbyteri regulariter judicari ad hanc sanctam Romanam Sedem insciis suis Episcopis veniunt, & eis epistolas eorum refragantes judicia deferunt, eosque vel comministros eorum ad hanc Sedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt, quod nullis antiquorum legibus, vel Patrum regulis decretum fuisse legimus.

E Quas epistolas sacris regulis obvias, ut in præfatione hujus opusculi commemoravimus, nec authoritate apostolica fuisse missas, sed compi-

Caroli Calvi Imp. 2.

Lib. 11. epist. 55.

Matth. 18.

Vid. ep. ad Dar...

ANNO CHRISTI 877.

latas, quorumque vafricia credimus. Non enim sibi ipsi Sedes Apostolica potest esse contraria, vel diversa, de qua Gelasius Papa dicit: Confidimus quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & cõtinua moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & tetinet. Et item: Cùm nobis cõtra salutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nihil licere: & cùm Sedes Apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis Canonibus sunt pręfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri Sedem & sequi videat, & docere: satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam ibi vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. Potest enim fieri, ut illi qui in vicinis Parochiis sunt hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique juxta regulas sacras ad manus impositionem, & ad Synodos huc convenire solent, ipsi pro reclamatione contra Presbyterum suum ad pręfatam examinationem conveniant, sicut sacri Canones ac leges pręcipiunt, ut ad primatem uniuscujuscumque Provinciæ, qui negotia videntur habere concurrant, vel ad Synodum, qui se læsos existimant, quò non sit difficile testes producere, invitentur. Transalpinis autem & aliis, qui in similiter longinquis regionibus commorantur, Apostolica Sedes, & sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis sancto Spiritu, quæ sunt unicuique Provinciæ possibilia, & auctoritati convenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia, tenenda & exequenda discretissimè pręfixerunt.

Epist. 1.

Legimus etiam quamvis rarissimè pręceptum à Sede Apostolica, quosdam de longinquioribus Parochiis specialis diœceseos Romani Pontificis, ad cujus sollicitudinem universalis Ecclesia pertinet, propter contumaces contentiones aliquos invitatos fuisse: sed de Transalpinis regionibus quibus decreta privilegia servari debent, tale quid pro Pręsbyterorum & Diaconorum appellatione, à Sede Apostolica pręceptũ fuisse non legimus. De Ecclesiasticis nihilominus privilegiis, in Epistolis beati Gregorii legimus ad Dominicum Chartaginensem Episcopum: Vestra fraternitas, inquit, hoc postpositâ dubitatione retineat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus, nec cuilibet favente Christi gratiâ ultrà quàm meretur impertior; nec ulli hoc quod sui juris est ambitu stimulante derogabo, sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo in honorem eos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit apponi. Et alibi idem hinc dicit: Quod verò dicitis vestris temporibus debere servari, quæ à meis quoque decessoribus tradita atque custodita sunt: absit hoc à me ut statuta majorum & Consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.

Lib. 2. epist. 39.

Lib. 2. epist. 37.

Tandem hinc præter antiquas regularum ac legum constitutiones in promptu habemus synodalia Capitula Apostolicorum Eugenii, anno Imperii decimo tertio domni & genitoris nostri Hludovvici, & anno decimo Imperii Hlotharii fratris nostri mense Novembrio, atque Leonis quarto anno, Hlotharii trigesimoseptimo, & Hludovvici nepotis nostri anno quinto, mense Decembrio decreta, quibus præcipiunt, ut si quispiam Sacerdotum, id est, Episcopus, Presbyter, Diaconus, vel etiam Subdiaconus de quacumque fœmina crimine fornicationis suspectus, post primam secundamque & tertiam commonitionem Metropolitani vel alterius Episcopi, aut ejus (cui subjacere videtur) inveniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conversari, canonicè judicetur. Quapropter unusquisque Episcopus in tali re studiosè ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi à propriis possit sordidari Ministris: quia cùm propriam uxorem habere non permittitur, maximè ab omni fœmina sit abstinendus. Et item: Sacerdos etenim, aut quivis alius in ordinem ecclesiasticum provectus, si in eo scelere inveniatur quo abjiciendus existat, depositus providentiâ Episcopi, bene proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, & alterius non committat. Sic & magnus Leo Papa longè ante hanc constitutionem auctoritate sacræ Scripturæ, ad Hilarium Narbonensem decrevit, ut Presbyteri, vel Diaconi lapsi, ad promerendum misericordiam Dei, privatam expetant secessionem, ubi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

CAROLI CALVI Imp. 2.

Epist. 95. ad Rusticum Narbon.

Cùm hæc ita se habeant, non est persunctoriè attendendum vestræ Pontificali auctoritati, & nostræ Imperiali potestati, quid prędecessores nostri de servandis sacris legibus, & sanctis regulis decernentes constituerunt, ex quorum pluralitate pauca numero, non pauca pondere hîc censuimus ponere. De legibus namque Valentinianus, Theodosius, & Arcadius decreverunt, dicentes; Perpensas serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones nec ignorare quemquã nec dissimulare permittimus. Interpretatio. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Et sanctus Cęlestinus paria de sacris Canonibus dicit: Nulli, inquiens, sacerdoti liceat Canones ignorare, nec cuiquam facere quod Patrum regulis possit obviare: quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, quo aliquorum libitu licentia populi permissa, frangatur. Quia, ut Hilarus Papa dicit, non minùs in sanctarum traditionum delinquitur, sanctiones quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur, cùm expectatio fructus nostri ministerii non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponatur animarum. Et item: De legibus pręfati Augusti omnia constituta non pręteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam imponunt. Interpretatio. Omnes leges non ea quæ anteriori tempori facta sunt damnant, sed in futurum observanda constituunt.

Lege 2. cod. Theodos. de constitu. princip.

Epist. 3.

Epist. 2. Ad Leonticum

Lib. 3. cod. Theodos. eod.

Et hinc Symmachus Papa: Dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unũ per diversos Antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus convenit violari. Huc accedit quod hæc si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ à Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur perpetua sint: quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitarem,

Epist. 1. ad Avitum.

rem,

tem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quantâ enim Vicarius beatissimi Petri Apostoli jûdicabitur esse reverentiâ, si quæ in Sacerdotio pręcipiunt, ea iisdem transeuntibus dissolvantur? Hæc igitur servemus nostris temporibus tantò gratius, quantò & Ecclesiæ & Imperio erit capacius, & servando quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus quæ legaliter ac regulariter gesserimus.

Suggerendum etiam vestræ summæ auctoritati necessarium credimus, ut de quorumdam Episcoporum coercenda inconsideratione, alios decreto generali instruentes cautos efficiatis, ut quorum debent esse matura & perpensa judicia, non sint pręcipites in proferendis sententiis, nec facilè ac indiscretè, neque aliter, nisi juxta sanctarum scripturarum tramitem traditionemque majorum, & pro evidentibus culpis, quemcumque à communione corporis & sanguinis Domini Dei nostri Iesu Christi, in quibus post unicum baptismum pręcipuè humanæ salutis reconciliatio & summa consistit pro suis injuriis, vel animi sui motibus ac iracundia separent:

Homil. 18. in Evang. Quoniam ira Sacerdotis, ut sanctus dicit Gregogorius, nequaquam debet esse pręceps & perturbata, sed magis ex consilii gravitate metuenda; nec debent temerè indiscussa judicare, nec passim dicta sine probatione credere, sed auctoris nostri facta pensare, cui cùm omnia nuda & aperta sint, mala tamen Sodomæ noluit antè judicare, sicut sacra docet historia, quàm probare nos instruens, ne mala hominum antè pręsumamus credere quàm probare.

Sequuntur autem in proferenda sententia judiciali sanctorum Romanæ Sedis Pontificum documenta Leonis, atque Gregorii. Beatissimo Petro, inquit Leo, à Christo dicitur: Tibi dabo

Serm. 3. in anniversf. assumpt. claves regni cęlorum, & quęcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cęlis; & quęcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis. Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma pręponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque fertur ex ipsius æquitate judicium; nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil ligatum, nihil est solutum, (nisi quod beatus Petrus aut ligarit aut solverit.) Hinc certa consideratione datur intelligi, quia in judicando non est Petri privilegium, ubi non ex ipsius fertur æquitate judicium. Est igitur præjudicium, nos judicium, quia non jure dictum, id est, non justitiæ lege prolatum. Et sanctus

Homil. 26. in Esech. Gregorius: Sæpe agitur, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat, cùm suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur; unde fit ut ipse ac ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum moribus exercet; judicare enim dignè de subditis nequeunt, qui in subjectorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per Prophetam dicitur: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non Esech. 13. vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas.

Qui beatissimus doctor Spiritu sancto repletus passim in dictis suis ostendit; quoniam Episcopus, qui in ligando & solvendo interim non arbitrium sequitur judicis, ipse ligandi & solvendi potestate, quin & regno Dei se privat, si maledictionem alligationis non judicio justitiæ, sed livore vindictæ depromit: Paulo attestante qui dicit, Neque maledicti regnum Dei posside- 1. Cor. 6. bunt. Quia verò sacra Scriptura duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, & aliud quod damnat: aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Sancti viri cùm in excommunicationis alligatione maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc voto lividæ ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt: intus enim subtile judicium Dei adspiciunt; & mala foras exurgentia, quia maledicto alligandæ excommunicationis ferire debeant cognoscunt, & eo in alligationis ac excommunicationis maledicto non peccant, quòd ab interno judicio non discordant. Contra excommunicationis maledictum livore vindictæ depromptum voce Pauli pręedicantis, admonemur, qui ait: Benedicite & nolite maledicere, Rom. 12. 1. Cor. 6. quia neque maledicti regnum Dei possidebunt; nam si à quolibet fortasse non ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis verbum jaculatur in proximum, apud districtum judicem, à quo de otioso verbo ratio in die judicii poscitur, damnabilis est ille sermo, qui malitia non caret, & pœnalis est ille qui ab utilitatis bonitate vacat, pensandum est magnopere, quanta animadversione plectanda est ab Episcopo, cujus sermo semper sale, id est, sapientia conditus esse per- Colos. 4. cipitur, jaculata in proximum injustæ alligationis excommunicatio, quæ potiùs vocanda est maledictio.

Sequamur itaque sanctæ Ecclesiæ rectores, quorum dorsa mentium incudes sunt hominum Psal. 128. peccatorum, dicente Psalmista: Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: In separatione à communione & reconciliatione Sacramentorum Christi sacrum Nicęnum Concilium, & Africæ Provinciæ Canones; Siricii quoque & Innocentii atque Leonis decreta, atque Epi- Epist. 49. stolam ipsius Leonis ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, sed & quem de Ecclesiastico ordine clarescentibus gravioribus culpis gradu privaverint, communione corporis & sanguinis Christi, ut Canones pręfixerunt, non privent. Esa. 35. 8. Hæc est enim, Scriptura dicente, directa via ut recti ambulent in ea, nec stulti errent per eam. De injustè siquidem excommunicantibus, vel excommunicatis, quid etiam lex Iustiniana decernat, vestram sapientiam latere non potest.

 CONCILIVM

ANNO CHRISTI 877. — LVDOVICI BALBI Regis 1.

CONCILIVM NEVSTRIENSE,

Ad excommunicandum Hugonem Lotharii Regis ex concubina filium, ac ejus fautores.

Hoc anno celebratū esse post Caroli Calvi mortē, ac in eo statutum fuisse aliquid contra Hugonem Lotharii Regis filium ex Valdrada pellice, ejusque criminis participes docet Flodoardus lib. 3. hist. cap. 19. & 26. qui horum omnium meminit in recensendis quæ ab Hincmaro Remensi scripta sunt. [Item inquit, qualiter Hincmarus ipse cōmonuerit ex pręcepto Regis Ludovici Caroli filii Hugonem Lotharii Regis filium, super malefactis quæ agebat. Eidemque Hugoni scripsit, significans multos prędones conspirasse, & conspirare secum, ipsoque principe atque auctore, innumeras & horrendas fieri deprędationes, aliaque multa scelera perpetrari, quæ omnia in caput ipsius redundarent, demonstrans hęc eadem pervenisse ad Synodum Episcoporum in Neustria gestam; insuper etiam quòd regni moliretur pervasionem, sibique mandatum de pręfato Conventu, ut ad eum mitteret, atque moneret à tantis malis resipiscere; si verò ipsius commonitionem & mandata Synodi obaudire non vellet, tam suæ Diœceseos, quàm de Provinciis vicinis Episcoporum Synodum convocaret, & Synodali Episcoporum sententia eum, suósque complices atque fautores excommunicaret; posteà verò omnes hi Episcopi eandem excommunicationem Romano Pontifici, & omnibus Episcopis ac Principibus per circumjacentia regna notam facerent.] Tandem Hugo ipse sociique sceleris excommunicati fuerunt anno sequenti 878. à Ioanne VIII. Papa in Synodo Trecensi, ut legitur apud Aimoinum lib. 5. cap. 37. illo exequente scilicet in hac quod inceptum fuerat ab Episcopis in altera nempe Neustriæ Synodo.

ANNO CHRISTI 878. — LVDOVICI BALBI Regis 1.

PRIVILEGIVM IOANNIS VIII. PAPÆ concessum Monasterio Tornutiensi, approbatum ab Episcopis Concilii Tricassini.

In quo legitur Hincmarus Laudunensis Episcopus subscriptus cum Edenulfo ejusdem Sedis Episcopo.

Ex Camera Computorum Parisiensium.

ANNO Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo octavo, indictione xi. regnante piissimo atque gloriosissimo Rege Ludovico Karoli filio serenissimi Augusti, auxiliante Domino nostro, in honore ejusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi, ego Ioannes Episcopus servus servorum Dei, atque prędictus filius noster gloriosus Rex Ludovicus, constituimus Conventum venerabilium Archiepiscoporum, necnon & Pręsulum totius regni Trecas civitate, quo interfuit memoratus Rex piissimus, eoque pacto precatus est nos cum filiis ac fratribus nostris Episcopis jamdictus gloriosus Rex, ut Tornutium Monasterium quod fundatum est in Comitatu Cabilonensi super Sagonnam fluvium, ubi Martyr Christi Valerianus corpore quiescit, quod dudum pater ejus Carolus Imperator, vel ipse postmodum per pręceptorum seriem Monachis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Philiberti inclyti Confessoris pręsentibus & futuris ob vitandam Normannicam severitatem contulerant, cum omnibus rebus ad ipsum locum aspicientibus, privilegio nostræ authoritatis corroboraremus. Cujus piissimo mandato eò libentiùs cessimus, quo etiam nos & ipsum precaturos perspeximus. Ampliùs igitur privilegio nostræ authoritatis confirmamus eis omnia quemadmodum in præceptis gloriosissimorum Imperatorum sunt inscripta: id est, prędictum locum & omnes res ei adjacentes, cum omni libertate, & in Comitatu Arvernico Cellam sancti Portiani, cum omnibus appenditiis. In pago quoque Sanctonico Assinatias cum omni sua integritate, & in Pictavensi territorio Cellam sancti Prudentii cum omnibus rebus adjacentibus. Et in pago Andegavensi Ouvaldum cum omni integritate. In pago verò Cęnomannico Bucolium, cum omnibus appenditiis. Et in pago Valliaco Cellam, quæ vocatur Godicius, cum omnibus rebus ad se pertinentibus. Itaque in partes Burgundiæ, in pago Lugdunensi Bisiacum villam cum Ecclesia, & in pago Matisconensi Cellam sancti Romani, & Olcasiacum villam cum Ecclesia & omnibus appenditiis. Verùm quia ob vitandam persecutionem Normannorum Geilloni inclyto Abbati, Monachisque pręsentibus & futuris prędictum locum gloriosus Rex necne Pater ejus contulerant, & Pontificalis calliditas nimis eumdem locum subegerat, postulavit idem Rex ut tam larga eleemosyna, & immunis atque libera haberetur ab omni Pontificali potentia, nostrâ annuente clementiâ; cujus petitionibus favens omnis Episcopalis Conventus, abnegare nequivimus quod tam piè postulabat Rex gloriosissimus. Auctoritate ergo quam à Christo Iesu Domino nostro summo Sacerdote, in beato Petro accepimus, prędictum Monasterium cum omnibus habitis & habituris Geilloni venerabili Abbati sanctæ Dei Genitricis Dei, & supradictis Monachis futuris, futurisque post eum Abbatibus ad Monasticum ordinem inibi Deo adjuvante excolendum delegamus, & delegantes jubente filio nostro piissimo Rege inviolabiliter & inseparabiliter, sine distractione aut immutatione, vel qualibet minoratione perpetuò confirmamus. Anathematisamus igitur auctoritate beati Petri Apostoli & nostra, ut nemo Antistitum,

Anno Christi 878. — Lvdovici Balbi Regis 1.

Antistitum præsentium vel futurorum locum adire præsumat qualibet occasione excommunicationis, vel absolutionis, seu sacræ ordinationis, nisi ab Abbate, vel Monachis loci fidelibus fuerit invitatus. Cæterùm ab omni sæculari potentia locum decernimus liberum esse & quietum, quia injustum decernimus, ut gloriosa mundi Regina, quæ exaltata est super choros Angelorum, humanis subdatur potestatibus, & ut caput habeatur omnium, quæ præscriptis sanctis vel loco oblata sunt ac deinceps oblatum annuente Deo fuerit, & in Regum reperitur præceptis. Si quis autem temeraria præsumptione cæcaque cupiditate quod Dei, & nostra auctoritate firmamus, in aliquo infringere præsumpserit, æterna se sciat damnatione multandum, & cum Diabolo & Angelis ejus perpetuo incendio cremandum, à liminibus quoque sanctæ Dei Ecclesiæ habeatur extorris, quousque ab illicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia & emendatione iram omnipotentis Dei, quam incurrere non timuit, placare procuret. Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem manibus sacrorum præsentium Pontificum subnotari, absentium quoque Consacerdotum nec minùs idoneis stipulationibus per Christum & in Christo fulciri postulamus.

Hincmarus Remorum Episcopus in Christi nomine roboravi.
Ansegius Episcopus Senonensis.
Adarladus Archiepiscopus Turonensis.
Orulfus Episcopus Augustæ Tricorum.
Gislibertus Episcopus Carnotensis.
Hildebaldus Episcopus Suessionensis.
Berno Episcopus Catalaunorum.
Geroldus Episcopus Ambianensis.
Hincmarus Episcopus Laudunensis.
Edenulfus Episcopus Laudunensis.
Ioannes Episcopus Cameracensis.
Agenulfus Episcopus Gabalitanensis.
Adebertus Episcopus Silvanectensis.
Abbo Episcopus Nevernensis.
Agilmarus Episcopus Arvernensis.
Ingelvvinus Episcopus Parisiorum.
Ecfridus Episcopus Pictavensis.

Datum tertio Kal. Maii per manum Christofori Primicerii sanctæ summæ Sedis Apostolicæ, regnante piissimo Ludovico anno secundo.

Anno Christi 878. — Lvdovici Balbi Regis 1.

EPISTOLA IOANNIS VIII. PAPÆ ad Vvalam, seu Vvalonem, sive Valenum Metensem Episcopum.

Qua mittit illi Pallium, tempore vitæ suæ duntaxat utendum, ita ut ad successores Episcopos Metenses non transeat, hoc privilegium personale, ac temporaliter concessum.

Ex codice sancti Symphoriani Metensis.

IOANNES Episcopus, servus servorum Dei, Vvalæ venerabili Episcopo Mediomatricorum Ecclesiæ, quæ & Mettis vocatur, in honore scilicet sancti Stephani primi Martyris. Si Pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt; ac ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circunspectant; quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui Pastores animarum dicimur? Attendamus ad susceptum officium, & illud exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum Pastorem negligentiæ reatus excrucier, unde modò honoris reverentiâ sublimiores inter cæteros judicamur. Palleum autem fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia celebranda concessimus, diebus vitæ tuæ tantummodo, quod tibi, non Ecclesiæ tuæ, aliter privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus. Quoniam indumenti honor modestâ actuum vivacitate servandus est, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo utrisque possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post Dominum videatur esse, bene quod vixerint. Corrigant, ne prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincant. Nullum apud te locum odia, nullus favor indiscretus inveniat. Sub ea videlicet ratione concedimus fraternitati tuæ, ut à secretario usque ad sacrum altare, & ab altari usque ad secretarium, sicuti prisca extitit palleatis consuetudo, indui debeas. Auctoritate autem beati Petri Apostolorum Principis licentiam, diebus vitæ tuæ sub jure & ditione nostra, ut diximus, habeas. Nullum usum, vel consuetudinem successoribus tuis per hoc nostrum tibi concessum Apostolicum privilegium habere censuimus. Et neque Episcopus, Archiepiscopusque adversùs te pro hoc altercationis contentionem commoveat. Ita Domino regente, & gubernante cor tuum, commissam exequi gubernationem studeas, ut adepto hujus honoris officio, dignitate & probitate morum ampliùs procures adornari. Scriptum per manum Georgii Scriniarii S. R. E. in mense Septembrio, indictione 12. data 8. Idus Septembris per manum Vvalberti humillimi Episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ, anno, Domino propitio, Pontificatus domini nostri Ioannis summi Pontificis & universalis Papæ in sacratissima Sede beati Petri Apostoli sexto, indictione 12.

NOTA.

Fidem adstruit huic Epistolæ Flodoardus lib. 3. hist. cap. 23. ubi narrat Hincmarum Remensem scripsisse Vvaloni Metensium Præsuli pro consilio, quod ab eo petierat, de Pallio à Sede Romana sibi obtento, unde Archiepiscopus ipsius literas Papæ suscipere noluit, & ob id orta est dissensio inter Berthulfum Treverensem Archiepiscopum, & ipsum Vvalonem ejus suffraganeum, de qua sic loquitur historia Treberorum MS. [Bertolfus Metropolitanus audiens Vvalonem in secunda die Paschæ cum Pallio procedere, missis literis evocatum Treberis percunctatus est, quando, vel quomodo, vel à quo procedere cum Pallio fuerit concessum: Vvalo lecto in auribus omnium qui aderant quod sibi à Papa transmissum fuerat de usu Pallii privilegium, asseruerit non

Anno Christi 878.

Lvdovici Balbi Regis 2.

non se primum, sed quintum fuisse, quem Apostolica Sedes hoc honore dignata sit sublimare, salvâ tamen in omnibus Metropolitani subjectione, primum Vrbicium, secundum Pippini Regis ex sorore nepotem Grodegangum, tertium Angelramnum, quartum Drugonem Karoli Imperatoris filium. Bertholfus his assertionibus non flexus, capitulo Canonum lecto, quo asseritur (nulli suffraganeorum novum, & quod non ab omnibus in Ecclesia sua prædecessoribus habebatur, absque Metropolitani sui consilio & licentia præsumendum,) interdixit ei per sanctam, quam in omnibus Ecclesiasticis negotiis sibi deberet, obedientiam, ne ulteriùs, nisi ab eo petitâ & concessâ licentiâ, Pallio uteretur: Cùmque Vvalo Apostolicam auctoritatem prætenderet, Archiepiscopus Metropolitanorum jura defenderet, graves utrimque conflatæ sunt inimicitiæ. Hincmarus igitur reverentissimus Remorum Archiepiscopus, ac eloquentiâ clarus, audiens dissidentiam, Epistolam Vvaloni transmisit sapientiæ ac sani consilii sale conditam, per quam eum ad Metropolitani sui instruxit obedientiam, & sic restituit concordiam.] Porrò constat ex eadem Treberorum historia Pallium à Ioanne VIII. Papa transmissum fuisse Vvaloni, anno ordinationis suæ secundo; deinde patet ex Gallia Christiana Gemellorum fratrum, Vvalonem ad Sedem Metensem anno 876. evectum fuisse: quæ duo tempora cadunt in annum sextum Pontificatus Ioannis, cùm sub finem anni 872. renuntiatus fuerit Papa. Igitur asserendum est convenienter & absque ulla mutatione mensis aut indictionis, prædictam Ioannis Epistolam datam fuisse 8. Idus Septembris anni 878. indictione 12. scilicet inceptâ, more Romanorum antiquo, qui sicut & Græci novas indictiones inchoabant à Kalendis mensis Septembris: Galli verò eorum exordium ducebant ex die VIII. Kalend. Octobris, priscam & veram, ut fama est, indictionum originem retinentes. Vnde hanc juxta observationem reponenda est nota indictionis XII. loco XI. indictionis editæ in privilegio Floriacensis Monasterii, ab eodem Ioanne VIII. Papa dato Nonis Septembris ejusdem anni 878. Præterea observandum est quoque illud privilegium fuisse scriptum mense Augusto, indictione XI. & quidem rectè, juxta indictionum morem prædictum, ut pote fini mensis ejusdem terminanda; Quod & confirmatur etiam ab eodem Papa in altero privilegio Ecclesiæ Pictavensis, dato scilicet III. Kal. Septemb. indictione XI. Trecis. Itaque in privilegio Floriacensi, sicut & in aliis similibus, leguntur hæc duo, quæ sunt maximè distinguenda, videlicet quod scriptum sit mense Augusto, & quod datum sit mense Septembri, cùm varietas dictum in his duntaxat mensibus diversas olim designaret indictiones.

Anno Christi 879.

Lvdovici & Carlomanni Regum 1.

CONCILIVM IN CONFINIO PROVINCIARVM Arelatensis & Narbonensis.

A Rostagno Arelatensi, & Sigebodo Narbonensi Archiepiscopis cum illorum suffraganeis celebratum, ut causam inter Vvalefridum Vceticensem, & Rotfredum Avenionensem Episcopos propter quandam Ecclesiæ Vvalefredi villam à Ractefredo ablatam, canonicè definirent. Cujus rei mentio est tum in actione 3. Concilii Tricassini II. tum in Epistola 45. Ioannis VIII. Papæ iisdem Archiepiscopis simul hæc supradicta mandantis, cùm in eodem Concilio idem Papa, cui libellus reclamationis adversùs eumdem Rotfredum porrectus est, dissidium illud ob ejusdem absentiam terminare noluerit. Quis autem Archiepiscoporum judicii fuerit exitus, nescitur. Similis controversia inter alios præsentes duos eidem Tricassinæ Synodo Episcopos sedata est. [Sanctitati vestræ, inquit Ioannes VIII. Papa, notum est, qualiter Vvalefredus Vceticensis Ecclesiæ Episcopus, ad Synodum, quam Deo auctore apud Trecas celebravimus, reclamationis libellum obtulit super Ractefredo Avinionense Episcopo, quòd ei quandam villam ad suam Sedem, sive Parochiam pertinentem abstulisset. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, Synodo defuit, ideo fraternitati vestræ Apostolica auctoritate mandamus, ut coadunato numero Episcoporum, eorum causam canonico judicio finiatis, ita discutiendo & determinando tantæ præsumptionis invasionem, ut nemo Episcoporum vestrorum contra canonica præcepta ulteriùs insurgere sine suo periculo tentet. Vos quoque præsentialiter cum vestris istud determinate judicium, Capitula quædam vobis Patrum auctoritate collecta mittimus, secundùm quæ judicare absque dilatione debeatis, ne quærendo assumatis laborem pro tali negotio.] Porro verisimile videtur hanc Episcoporum controversiam fuisse compositam anno Tricassinum Concilium sequente, qui erit alterius Epocha, cùm illos videamus Episcopos, de quibus est sermo, alteri Concilio, scilicet Mautalensi hoc eodem tempore celebrato simul interfuisse.

Anno Christi 879.

Lvdovici & Carlomanni Regum 2.

CONCILIVM REMENSE,

In quo binas Epistolas scripsit Hincmarus Remensis Archiepiscopus X. Kal. Maias anni 879. Quarum prima continet Godbaldi Presbyteri de fœmina convicti depositionem.

Hincmarus Episcopus ac plebis Dei famulus.

Ex Codice Laudunensi.

NOTVM sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis, ad quos hæc poterunt pervenire, quia Godbaldus quondam Presbyter Parochiæ nostræ, de quadam fœmina nomine Doda criminatus, & idoneis testibus comprobatus, & secundùm sacros Canones ad judicium provocatus, de ipso judicio conscientiâ suâ redargutus, fuga lapsus est. Propterea secundùm sacros Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, omni sacerdotali officio est privatus. Docente beato Bonifacio Papa, quòd si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrùm in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cùm ipsa quoque pro confessione procurata totiens constet absentia. Data ex Synodo in Remensi Metropoli habita X. Kalendas Maias, indictione XII.

SECVNDA

ANNO CHRISTI 879.

LVDOVICI & CARLOMANNI Regum 2.

SECVNDA VERO EPISTOLA continet alteram Fulcheri & Hardoïsæ ob incestas nuptias excommunicationem.

Hincmarus Episcopus ac plebis Dei famulus.

Ex eodem cod. NOTVM sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis, ad quos hæc poterunt pervenire, quia Fulcherus & Hardoisa carne propinqui contra legis præcepta & prophetica dicta, contraque evangelicam & apostolicam atque canonicam regulam, sed & contra leges humanas, non conjugio sed incestu, carnali cõmixtione conjuncti sunt, sicut idoneis & veracibus testibus computata utriusque cognatione comprobatum est. Et quia obedire divinis & humanis legibus noluerunt, ut se ab ipso incestu disjungerent, secundùm sacros Canones, à sacra communione corporis & sanguinis Christi, & ab omni Christianorum societate abjecti sunt, usquedum Domino respiciente à laqueis diaboli à quo capti tenentur, per pœnitentiam separati, ab ipso incestu resipiscant, decernente beato Gregorio: Si quis, inquit, consobrinam suam duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit. Et item: Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit. Vos, fratres ac filii, qui litteras non didicistis, scitote quid sonat in nostra lingua, anathema, quid est alienatio. Vt à Christo, à quo nominantur Christiani, & à Christianorum societate atque communione sint tales alieni, donec ab illa inlicita conjunctione se separent, & per pœnitentiam & sacerdotale ministerium Christo & sanctæ Ecclesiæ, id est, Christianis reconcilientur. Progeniem verò suam divinæ leges unumquemque Christianum usque ad septimam generationem, & quandiu se cognoscunt affinitate propinquos, observare decernunt, ut nemo ex propria consanguinitate conjugem habeat, vel quam ex propria consanguinitate aliquis conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus; & incestuosos à liminibus sanctæ Ecclesiæ præcipiunt separari, usquedum per satisfactionem precibus Sacerdotum, eidem, ut præmisimus, sanctæ Ecclesiæ canonicè reconcilientur. Si autem ab hoc incestu, in quo perditi jacent, separare se voluerint, quia sicut sacræ leges dicunt, incestus nullo conjugii nomine deputatur, si se continere non potuerint, post pœnitentiam & reconciliationem quibus conjunctio inlicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Quamdiu autem in ipsa illicita conjunctione permanserint, nullus Christianus quocumque modo eis communicet, quia cum talibus cuicumque Christiano nec communem cibum sumere licet. Propterea, fratres ac filii, omnes scilicet Christiani, separate vos ab omnimoda eorum communione, ne, quod absit, communicantes illis pariter peccatis. Nec mirum si inter homines ista ratio custoditur, cùm inter jumenta hoc fieri sciatis, ut ea quæ scabiem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cætera damnentur vel pereant. Et dicente Domino, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Si antequam se ab hoc incestu separent, quisquam eorum in infirmitatem deciderit, & vel sic jam in desperationem de vita temporali devenerit, si vel tunc ex corde pœnituerit, & coram Deo & Sacerdote ac fidelibus hominibus confessus fuerit, & fidejussores dederit, ut si de ipsa infirmitate convaluerit, ulteriùs ad illam incestam conjunctionem non rediet, cum aliis peccatis suis de hoc incestu puram confessionem faciat, & à Sacerdote reconcilietur, & sancto oleo ungatur, & communio corporis & sanguinis Christi ei largiatur. Si verò in hac pertinacia usque ad mortem permanserit, & sine reconciliatione & communione coporis & sanguinis Christi, quisquam eorum mortuus fuerit, sine psalmis & hymnis atque orationibus, & non cum aliis Christianis sepeliatur. Sicut sancto Spiritu inspirante inscriptum legimus, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Data ex Synodo in Remensi metropoli habita, decimo Kalendas Maias, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 882.

LVDOVICI & CARLOMANNI Regum 4.

EPISTOLA EPISCOPORVM DIOECESEOS REMORVM,

Continens Odacri Bellovacensis Ecclesiæ invasoris excommunicationem, scripta plus anno post Concilium apud sanctam Macram habitum die IV. Nonas Apriles anni 881. cujus tempore Odacrus invaserat Episcopatum Belvacensem, unde tempus excommunicationis cadere debet in annum sequentem 882. ut colligitur tum ex Hincmari epistolis hac de re conscriptis, tum ex nota ad idem Concilium inferiùs legenda.

HINCMARVS Episcopus, ac plebis Dei famulus, cum collegis nostris venerabilibus diœceseos Remorum Episcopus, omnibus Ecclesiæ sanctæ rectoribus atque fidelibus, ad quorum notitiam hæc sequentia poterunt pervenire, ut scientes à quibus, & qualiter, ac quoties, & pro quibus excessibus Odacrus invasor Ecclesiæ Belvacensis suffraganeæ nostræ Metropolis sit excommunicatus, ab ejus perniciosa communione se caveant: ne, ut scriptum est, picem tangentes inquinentur ab ea, & ovis morbida, nisi quantociùs à sano grege fuerit separata, multas suo morbo inficiat.

I.

Sicut longè antè prædictum est à Deo per Psalmistam, *Convallem tabernaculorum dimetiar,* Psal. 107. 8. hoc est, ut Catholici Doctores produnt, universum orbem terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus est, etiam priusquam Christus mundo per incarnationem illuxerit, dimensum fuisse legimus, quam di-

Anno Christi 881.

mensionem habemus. Et post, ut item ipse præcepit: Distribuite, inquiens, domos ejus, videlicet universalis Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ, per custodiarum parochias distinctam cognoscimus, quam etiam distinctionem habemus. Vnde sacri Canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati, decernunt, dicentes: Per singulas regiones Episcopos convenit nosse metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, & reliqua quæ ibidem sequuntur. Et sanctus Bonifacius Papa, explanans sextum capitulum mysticæ Nicęnæ Synodi, per quam sanctus Spiritus est locutus, ait: Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expetet.

II.

Propter nos autem homines, & propter nostram salutem, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus ad homines dixit: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israël.* Et item dicit: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor:* Sanctam designans Ecclesiam ex circumcisione ac pręputio sub se Pastore vero, qui posuit animam suam pro ovibus suis, ipso angulari lapide uniendam. De cujus sanctæ Ecclesiæ ovili, idem dicit: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro. Qualiter autem, & quo ordine quisque ad hujus sancti ovilis custodiam, id est, ad regimen sanctæ Ecclesiæ accedere ac provehi debeat, sacri Canones patenter ostendunt. Videlicet ut operam dante interventore constituto, Episcopo Pastore viduatæ Ecclesiæ, & à clero, & à plebe, secundùm apostolicam & canonicam formam eligatur futurus Episcopus, qui sacris Canonibus non valeat obviare, & cum decreto singulorum manibus roborato ad Metropolitanum & cęteros provinciales Episcopos, ipso interventore mediante, perducatur ad ordinationem, & sic communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm regulam ecclesiasticam comprobato, secundùm quartum & sextum capitulum mysticæ Synodi Nicęnæ, & juxta vigesimum quartum capitulum Antiochęni Concilii ordinetur, sicut & sanctus Gregorius multoties in regesto suo decernit. Quos sacros Canones Odacrus invasor per exteras potestates viduatæ Belvacensis Ecclesiæ, contemnens atque conculcans pro nihilo duxit, & jam plusquam annum usurpans, sua tyrannica devastatione opprimit captivatam, contra magnam Calchedonense Concilium sexcentorum triginta & eo ampliùs Episcoporum, quod pręcipit intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari. Non reverens divinum judicium, nec pensans quantum periculum sit, quia in proximè pręcedenti cœnæ dominicæ die multi ab Odone Episcopo pro publicis criminibus in publica pœnitentia constituti, quod nisi ab Episcopo fieri licet, sine reconciliatione & communione sacra gementes remanserunt, quanti sine canonico baptismo & episcopali consignatione relicti fuerunt; quantis rusticanarum parochiarum in tanto tempore Presbyteris defunctis, ipsarum parochiarum parvuli sine baptismo perire potuerunt. Quanti viri, quantæ fœminæ, sine reconciliatione & sacri olei unctione, at-

Lvdovici & Carlomanni Regum 4.

A que sancta communione, & sine eorum animarum per orationes solennes commendatione de isto sęculo exierunt. Contra cujus diutinam pervasionem, ultra terminum constitutum à præfato magno Concilio, sancti Dei, per quos sanctus Spiritus ea quæ ibi sunt diffinita, decrevit, & jam cum Christo in cælo regnant, terribiliter clamant, eos qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & universalis hujus Synodi quicquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta Synodus à proprio hujusmodi gradu recedere. Et sanctus Gregorius ad Gallicanos Episcopos scribens de hujusmodi impostore: Dum, inquit, non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter

B concupiscit. Quod si sic licet, quid per hoc aliud igitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio? Ex qua re, si rectè libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis quod honorem quęrit, indignus est. Sicut autem is qui invitatus renuit, quęsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultrò ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs, interiùs in profundum descendat.

C III.

Idem sanctum magnumque Concilium decrevit, ut reditus viduatæ Ecclesiæ penes œconomum ejusdem Ecclesiæ integrè conserventur, quos prędictus invasor Odacrus sine ulla divinæ legis reverentia usurpare pręsumpsit. Quapropter cum aliis hujusmodi pręsumptoribus ab eodem sancto & magno Concilio percellitur, ut qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & universalis hujus Synodi quicquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta Synodus à proprio hujusmodi gradu recedere.

IV.

Odacrus, redicto ecclesiastico judicio, & sacrorum Canonum diffinitione, per sæcularem

D potestatem invasor, rerum & facultatum ecclesiasticarum Belvacensis Ecclesiæ, quæ secundùm sacras regulas oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum, ipse post damnationis sententiam jaculavit, quia sicut sanctus Leo Papa cum Romana Synodo diffinivit: Quicumque sub regula positi, relicto ecclesiastico judicio, ad patrocinia laïcorum convolare, & judicia eorum expetere, & pręrermisso Sacerdote suæ Ecclesiæ ad disceptationem sæcularium venerint, sacris liminibus,

E id est ab Ecclesiæ adytis expelli, & à cęlesti arceri altario, id est à corpore & sanguine Christi separari jubentur. Et Canones sacri diffiniunt, ut quilibet regulæ subjectus Ecclesiæ, pręter Concilium & litteras Episcoporum provinciæ, & pręcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari & abjici oportere non solùm à communione, verùm & ab honore, cujus particeps existere videtur. Et sanctus Hilarus Papa in decretis suis: Non minùs, inquit, in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur. Schismaticus

ANNO CHRISTI 882.

ticus igitur ab unitate Ecclesiæ per sacrorum Canonum contemptum, qui à sancto sunt Spiritu conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati, seipsum scindens, licèt fortè eodem cultu, eodem ritu credat ut Catholici, in malo tamen suo per cupiditatem manet damnationis discidio. Quantum autem sit malum discidium schismatis, sanctus Augustinus in libro de baptismo ex sacris demonstrat Scripturis, hoc modo: Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro, dicentes hoc grave, hoc leve est, sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus, immo non appendamus, sed à Domino appensa cognoscamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber ita Regis contemptoris incensus, & schisma tentatum, idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captivitate, schisma hiatu terræ, sepultis auctoribus vivis, & cæteris cælesti igne consumptis; quis jam dubitaverit hoc esse sceleratiùs commissum, quod est graviùs vindicatum? Quæ tria gravia commissa, & non levi punitione vindicanda, si diligenter sanctarum Scripturarum auctoritate intendimus, in hac tyrannica Odacri pervasione vacantis Ecclesiæ invenimus. Apostolus namque dicit: Avaritia quæ est idolorum servitus. Et beatus Gregorius loquens de tentatione dominica in Evangelii homilia, ex altera sententia præfati Apostoli ostendit avaritiam esse non solùm pecuniæ, sed etiam altitudinis. Et Odacrus invasor vacantis Ecclesiæ, quia secundùm sacrorum Canonum tramitem, ad provectum episcopalis ordinis, & res & facultates ipsius Ecclesiæ possideret, Deo judice, pervenire non meruit; per sæcularem potestatem priùs res & facultates ipsius Ecclesiæ vacantis obtinuit, ut fastu quoquomodo ad altitudinem episcopalis nominis perveniret, & Sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupivit: non attendens, quia sic ab ipso Christo summo Pontifice ac Rege regum sunt distincta potestatum officia, ut spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & militantes Deo minimè se negotiis sæcularibus implicarent, ac vicissim non illi rebus divinis præsidere viderentur, qui essent negotiis sæcularibus implicati, & sæculares viri Sacerdotum penderent judicio, non Sacerdotes ad suam voluntatem redigere deberent: & Sacerdotes sæcularium judicia discuterent, non autem sæculares Sacerdotum judicia molestarent, sicut litteræ divinitùs inspiratæ manifestè demonstrant, & Constantinus magnus Imperator in Nicæno Concilio, se illorum judiciis subdens ostendit. His igitur ita se habentibus, Odacrus per avaritiam & altitudinis & possessionis, in pervasione vacantis Ecclesiæ idololatra esse ostenditur. Per Moysem de Domino dicitur, In dextera ejus ignea lex. In sinistra, inquit Gregorius, reprobi, qui & ad sinistram ponendi sunt: dextera autem Dei appellantur electi. In dextera ergo Dei lex ignea est, quia electi mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. Et Apostolus dicit, Deus noster ignis consumens est: & Dominus, ignem veni mittere in terram,

LVDOVICI & CARLOMANNI Regum 4.

A & quid volo, nisi ut ardeat? Ignem Dominus in terram mittit, cùm afflatu Spiritus sancti corda carnalium incendit. Spiritus igitur sanctus ignis est. Et sacri Canones, sicut legimus, sancto sunt Spiritu conditi, quos Odacrus facibus suæ cupiditatis succensus, cùm non per spiritalem ecclesiasticam traditionem, sed per carnalem sæculi potestatem, pastore vacantem Ecclesiam usurpavit, Spiritum sanctum quo sacri sunt conditi Canones, reclamante Scripturâ, spiritum nolite extinguere, quantùm ex ipso est extinguere procuravit, & auctoritatem sacrorum Canonum, ne vigeret in Ecclesia, sua molitione quasi incendere attentavit. Quia verò catholicæ B unitate Ecclesiæ, à qua propter suos excessus, sicut ostendimus, & in reliquum ostendemus, est communicatus, sacros Canones totius mundi reverentiâ consecratos non sequitur, sicut ex suptascriptis sacris sententiis manifestatur, schismaticus esse negari non potest, sicut sanctus Augustinus in tractatu Evangelii secundùm Ioannem ostendit: Habemus, inquiens, sanctum Spiritum, si amamus Ecclesiam; amamus autem, si in ejus compage & caritate consistimus. Et in epistola Concilii ad Donatistas: Quisquis à Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter, si vivere existimet, hoc solo scelere quod à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei C præjudicant aliena peccata, quia unusquisque in ea proprium onus portabit, sicut dicit Apostolus, & quicumque in ea corpus Christi manducaverit indignè, judicium sibi manducat & bibit; cùm enim dicit, judicium sibi manducat, satis ostendit, quia non alteri judicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensu factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam & personam suam, nec præjudicat alteri quem in consensione mali operis socium non habet criminis. Qui verò ex quocumque D statu, vel quocumque ordine schismati ejus favent, attendant & appendant diffinitionem Apostolicæ Sedis, quam decretis suis inseruit, dicens: Quisquis, inquit, assentit principi schismatis, schismaticus esse negari non poterit. Quod etsi omnes Sacerdotes, & mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cùm generale fit ex privato; hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit. Isdem verò, ut jactant fautores sui, & adplaudunt ei complices præsumptionis suæ, non proponens Deum ante conspectum suum, persuadet sibi tenere & usurpare res ac faculta- E tes à se invasæ Ecclesiæ, etiam si ad nomen episcopale pervenire nequiverit, assumentes in augmentum suæ damnationis exempla de quibusdam ecclesiis, quæ quorundam principum temporibus diu sine pastore vacarunt, sua opera quasi ex mortuis pellibus, ut beatus demonstrat Gregorius, credentes muniri, dum pravitatem suam ex alienis pravitatibus tuentur. Quia enim talia contigisse considerant, se hæc facere licenter putant, quod schisma esse contra traditionem ecclesiasticam, & sacrorum Canonum constitutionem patenter ostenditur. Quos sanctus Gregorius in Evangelii homilia redarguit,

 dicens,

dicens: Sunt nonnulli, qui dum plus terrenam A substantiam quàm oves diligunt, meritò nomen pastoris perdunt, quia non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascunt. Mercenarius quippe est, qui locum pastoris tenet, sed lucra animarum non quęrit, terrenis commodis inhiat, honore pręlationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensâ sibi ab hominibus reverentiâ lętatur, & pro eo ipso quod in regimine laborat, hic quod quętit inveniat, & ab hęreditate gregis in posterum alienus existat.

V.

Cęterùm quia cognita sunt schisma & hęresis, sicut & jam solennes orationes universalis Ecclesiæ in die sancti Parasceves apertè demon- B strant, annuente veritate, ostendere procurabimus, quia nec à damnatione simoniacæ hęreseos est immunis. Dominus dicit in Evangelio de largiendis sacris ordinibus, *Gratis accepistis, gratis date.* Pręsciebat, inquit beatus Gregorius, nonnullos hoc ipsum donum accepti spiritus in usum negotiationis inflectere, & miraculorum signa ad avaritiæ obsequium declinare. Hinc etenim Simon magus per impositionem manus edita miracula conspiciens, percipere donum Spiritus sancti pecuniâ voluit, scilicet ut deteriùs venderet quod malè comparasset. Vnde bene cùm justum virum describeret Propheta, ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. C Neque enim dicit, qui excutit manus suas à munere, sed adjunxit ab omni, quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebitè impensa; munus à manu, pecunia; munus à lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Vnde Dominus vendentes & ementes ex templo eliminat, quia vel eos qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum spiritus emere nituntur, damnat. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc quod D quibusdã jure competit, ad pretium largiuntur. Ementes verò in templo sunt, qui dato patronis præmio emunt peccatum. Hinc est quod sacri Canones simoniacam hęresim damnant, & eos sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Et cùm prima contra sanctam Ecclesiam simonia hæresis sit exorta, cur non videtur, quia eum quem cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat? Sacri namque Canones & ordinantes & ordinatos pro munere, sed & interventores inrefragabiliter damnant, sicut lector in secundo E capitulo magni Calchedonensis Concilii poterit invenire. Nos quidem non incerta relatione sæpefatum Odacrum, non solùm pecuniam, sed & res per non ignotas personas pro percipiendo episcopali ordine obtulisse comperimus. Et sanctus Augustinus in libro de utilitate credendi, ait: Hęreticus est, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusque gratiâ, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur; ille autem qui hujusmodi homini credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus.

VI.

In privilegio Belvacensis Ecclesiæ, consensu domni Karoli, nos Episcopi quatuor provinciarum, Remorum scilicet, Rotomagensium, Turonorum ac Senonum, majorum exempla secuti, canonica & episcopali auctoritate decernentes, subscripsimus, ut nulla sęcularis potestas de rebus Episcopii Belvacensis Ecclesiæ præsumat. Si quis verò Regum, Sacerdotum, & judicum, atque sęcularium personarum, hanc constitutionis paginam cognoscens, contra eam venire tentaverit, reum se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt malè ablata, restituerit, vel dignâ pœnitentiâ inlicita acta defleverit, à sacratissimo corpore & sanguine Dei Domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Et in hac constitutione nostra Domini nobis adfuisse pręsentiam credimus, secundùm promissionem suam qua dicit: *Vbi fuerint congregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si ergo adesse dignatur ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine suo, quantò magis non deerit, ubi plures auctoritatem illius sequentes, conveniunt, vel consentiunt Sacerdotes? Qui autem ex his qui jam ad Dominum perrexerunt, in sedibus eorum successerunt, sicut sanctus Siricius in decretis suis demonstrat, in eorum labores curasque debent succedere, & quæ antecessores eorum statuerant regulariter, conamine summo defendere. Nam, inquit Symmachus Papa, dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium, quemadmodum priora statuta à sequentibus convenit violari? Huc accedit, quòd hæc si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint, quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri Apostoli judicabitur reverentia, si quæ in sacerdotio pręcipiunt, iisdem transeuntibus dissolvantur?

VII.

In privilegio domni Papæ Nicolai, quod tempore Odonis Episcopi Ecclesiæ Belvacensi contulit, ad locum ita scriptum est: Nullus itaque regum, nullus judicum, nullus cujuscumque sęcularis potentiæ, dignitate fultus, in rebus, vel villis, vel agris, vel mancipiis, vel quicquid ad monasteria ibidem descripta collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi, vel accipiendi, vel auferendi, pręter Episcopum Belvacensis, qui per tempus fuerit eidem pręlatus Ecclesiæ: sed quicquid in auro vel in argento, vel in quacumque supellectili, vel in omni facultatis substantia ipsis est monasteriis hodie delegatum, vel futuris temporibus fuerit collatum, Episcopi Belvacensis distributioni & ordinationi fiat subjectum, nec alterius potestatis jus vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantùm divina auctoritas, & lex, & justitia permittit, obtineat. Si quis autem temerario ausu, magna parvaque persona, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, & à regno Dei alienum, & cum omnibus

ANNO CHRISTI 882.

omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum. Et verò qui observator extiterit ꝑcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Vnde ipsi & suis complicibus inculcanda est sententia beati Gregorii, quam in Epistola Grȩcorum partibus contra quatuor malè sentientium Capitula posuit, qui anathematizati cum aliis perniciosis persuadebant sibi anathematis vinculo non teneri. Ipsi, inquit, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ quam pȩstat fidelibus, veram putant, sibi ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt, & unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur, eósque & ego, & omnes Catholici Episcopi, atque universa Ecclesia, anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt & contraria loquuntur.

VIII.

Sacri denique Nicȩni Canones decernunt, de his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laïco ordine, ab Episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. De cujus magni Concilii privilegio sanctus Hilarius, & beatus Ambrosius mirabiliter scribunt, sed & magnus Leo Papa dicit: Tanto, inquiens, divinitùs privilegio Nicȩna est Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Et item: Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicȩna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, etsi quid usquam aliter quàm illi statuere pȩsumitur, sine cunctatione cassatur. Et item idem in decretali sua Epistola: Beati Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissa pȩceptio est, qua in persona Timothei omnium Christi Sacerdotum numerus eruditur, & proinde vnicuique nostrûm dicitur, Manus nemini citò imposueris, neque communices peccatis alienis. Et paulò pòst. Quid est communicare peccatis alienis? nisi talem effici ordinationem, qualis ille est, qui non meruit ordinari. Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdore judicium, ita gravi semetipsum afficit damno, qui in suum collegium assumit indignum. Non ergo in cujusquam persona pȩtermittendum est, quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra divinæ legis pȩcepta collatus. Et item idem: Superfluè extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, in eis quos decipiunt vulneramur. Oportet etenim nos Evangelici meminisse pȩcepti, quod ab ipsa veritate pȩcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, à compage corporis auferatur, quia meliùs sit his in Ecclesia carere membrorum, quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Abjicienda prorsùs pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis alienum parcendo non parcit, sicut Heli quondam Sacerdos, filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis divinæ justitiæ sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores. Igitur juxta præceptum Levitici, in quo leprosi domorum lapides à Sacerdote inspici, & qui ex eis purificari nequiverit, jam inter immundos computari, ac de ordine mundorum lapidum præcipitur erui, & de cælesti ædificio, videlicet sancta Ecclesia velut indignus abjici, ac divino examine alius qui dignus est, in loco illius substitui, quia sæpefatus Odacrus non est Clericus Remensis nostræ provinciæ, & contra sacras leges & regulas vacantem pastore suffraganeam Metropolis nostræ Ecclesiæ invadere pȩsumpsit, & reditus Ecclesiæ viduatæ, quos magnum Chalcedonense Concilium penes œconomum ejusdem Ecclesiæ, integrè conservari pȩcipit, sacrilegè usurpavit, cum diffinito judicio ipsius Concilii, & excommunicatione Episcoporum quatuor Provinciarum, insuper & domni Papæ Nicolai Apostolicæ Sedis Pontificis, & nobis Evangelica & Apostolica atque Canonica auctoritate sit excommunicatus, ut nunquam vel nusquam in Provincia Metropolis Remorum Ecclesiæ in gradu Ecclesiastico ministret, & si in pertinacia sua pervasionis de cætero manere pȩsumpserit, nunquam vel nusquam in Remensi Provincia cum aliquo Christiano communicet, neque corpus & sanguinem Christi, nisi fortè, juxta mysticam Nicȩnam Synodum, in exitu positus viaticum munus sacræ communionis accipiat.

LVDOVICI & CARLOMANNI Regum 4.

ANNO CHRISTI 883.

KARLOMANNI Regis 5.

CONCILIVM TOLOSANVM,

Cui Rex Carlomannus querelam Iudæorum adversùs Episcopum Tholosanum reliquit discutiendam.

Ex Cartulario Ecclesiæ Tolosanæ.

In vita S. Theodardi Narbon. Archiepisc. memoratur hoc Conciliū, Sigebodo Narbonensi Metropolitano habitum, Iudȩorum causâ, qui conquerebantur adversùs Bernardum Tolosanum Episcopum, quòd duriùs haberentur, in eoque Concilio confutatos atque convictos fuisse Iudȩos à Theodardo nondum Episcopo, sed aliquantò pòst ejusdem Sigebodi successore. Iudæi ergo (ut legere est in eadem vita) adierunt Karolomannum Francorum Regem, & questi sunt injuriam sibi fieri ab Episcopo civitatis Tholosanæ, & ab omni Clero illius, & populo in colophisando, pariter & cedendo ter in anno unum ex advocatis eorum, nec posse eos ferre diutiùs tam grave jugum impositum suæ cervici. Ad hæc venerabilis Rex, & Christianæ fidei plenus respondisse fertur. Pȩcipiam Ricardo Duci Aquitaniæ, ut coadunato Episcoporum Septimaniæ, Aquitaniæque Conventu in pȩdicta civitate Tolosa, pȩsidente eidem venerabili Concilio, reverendissimo Archiepiscopo

ANNO CHRISTI 883.

KARLOMANNI Regis 3.

Narbonensis Ecclesiæ Sigebodo, in cujus Diœcesi Tholosa, sita esse dignoscitur, eorum justo terminetur judicio, quid super querelis Iudęorum agendum sit: nolo enim quicquam temerè judicare, vel diffinire de ecclesiasticis causis. Cumque Concilium illud strenuè ageretur Tolosæ in atrio Pontificalis Ecclesiæ, essetque inibi grandis frequentia fidelium & Iudęorum, & ex utraque parte, ipsâ propter quam illum convenerant causâ, sagaci discussione ventilaretur. Et post multa contra Iudęos à beato Theodardo allata in medium, annuente pręfatæ urbis Episcopo, & jubente Archiepiscopo ac Duce, Iudæi nimio terrore perculsi, provoluti genibus pedibusque Episcoporum, ut indulgentiam eis à Duce impetrarent, petentes ut sineret eos ipso eodemque mancipatos supplicio, sub silentio ac tranquillitate vivere; queis cùm ipse nollet assensũ prębere, dixisse perhibetur ad Ducem beatus Theodardus, si aliquid ad gloriam Dei omnipotentis, ex proposito tuo, pręd ićto Iudæorum adjiciatur supplicio, erit memoriale, & cunctis Christicolis non parùm acceptabile, ut is qui colophisans est Iudæus, priusquam pugnisetur, coram omnibus sibi circumstantibus, ter voce dicat excelsa: Bene quidem & satis justè decretum est, ut cervices Iudæorum pugnis subjiciantur Christianorum, eò quòd noluerint subjici Iesu Christo Nazareno Deo Deorum & Domino Dominorum: quòd si noluerit, referiatur septies, ut impleatur quod in lege eorum scriptum est: [Augebo pœnas vestras septuplum, aversus incedens contra vos.] Si enim hoc feceritis, erit vobis in memoriam æternam, & pręmium æternæ salutis. Cumque placuisset Duci & universo Concilio quod gestum erat de Iudæis, missa sunt hæc litteris compressa ad Regem. Et soluto Concilio quisque rediit in sua.

ANNO CHRISTI 885.

CAROLI CRASSI Regis 1.

EPISTOLA FROTARII BITVRICENSIS Archiepiscopi,

Qua fideles hortatur, ut solemnitati consecrationis Ecclesiæ in civitate Castrensi de novo constructæ intersint.

Ex Codice Castrensis Ecclesiæ dedit edendum Steph. Baluz.

FROTARIVS Dei munificentiâ Ecclesiæ Bituricensis humilis Archiminister, universis Christi fidelibus salutem in Domino Iesu Christo. Noveritis venerabilem Rigaudum Abbatem, & Religiosos Monachos Cœnobii sancti Benedicti de Castris Monarchiæ sive Parochiæ Elegii fratris nostri Episcopi Albiensis, Ecclesiam construxisse in honorem sancti Vincentii, cujus reliquiæ inibi immuneris miraculis clarè fulgent, in cujus consecratione existere parati sumus cum suffraganeis Episcopis, fratribus nostris, & aliis multis Pręsulibus & Abbatibus, quatenùs tantâ piorum virorum coadunatione factâ, dignum tantæ festivitatis obsequium Deo rependatur. Idcircò omnes fideles, ad quorum notitiam hæ literæ pervenerint, per amorem & misericordiam omnipotentis Dei obtestamur, ut solemnitati consecrationis pręd ictæ Ecclesiæ die constituta interesse non recusent, & participes fieri velint omnium bonorum spiritualium, quæ Deus in hujusmodi Ecclesiarum consecrationibus, verè pœnitentibus per submissas suorum servorum & ministrorum preces elargitur. Datum apud sanctum Palatium die Iouis ante Ramos Palmarum, anno Domini octingentesimo octuagesimo quinto.

ANNO CHRISTI 886.

CAROLI CRASSI Regis 2.

CONCILIVM PORTVENSE,

Adversùs Selvam Clericum Hispanum, qui Archiepiscopatum Narbonensem affectabat, & contra illius illicitas ordinationes à Theodardo Archiepiscopo celebratum decimo quinto Kalendas Decembris, sub annum Christi DCCCLXXXVI.

Ex monumentis Ecclesiæ Narbonensis constat Theodardum post susceptum ann. DCCCLXXXV. Pontificatum, Romam mox adiisse ad Stephanum quintum Papam, ab eoque Pallium impetrasse, & litteras contra Selvam quemdam genere Hispanum, qui pro Archiepiscopo se gerebat. Quæ autem cogendæ adversùs illum Synodi causa fuerit, & quinam eò Antistites convenerint, docent ex vita sancti Theodardi excerpta quæ sequuntur. Selva quidam clericus Hispanus, qui se Archiepiscopum fecerat, ejecto de Episcopatu ejus Nigoberto Vrgelitano, qui à Sigebodo fuerat consecrátus; Ingerundensi etiam Ecclesia pro Servo Dei, quem Theodardus ordinarat, alium constituit nomine Ermemirum, quem ordinarunt cum Selva Fredonius Barcinonensis, & Godmarus Ausonensis Episcopi, quos omnes ad se venire jussit beatus Audardus. Cùm venire detrectarent, Synodum suæ Provinciæ ad decimum quintum Kalendas Decembris indixit in villa, quæ Portas dicitur, sita inter Magalonem & Nemausum. Advocavit & Provinciæ Episcopos. Adfuere autem Rostagnus Arelatensis, Matfridus Aquensis, Ermaldus Ebredunensis Archiepiscopi, & cum eis Paulus Aptensis, Berengarius Massiliensis, & alii. Adfuit & venerabilis Theodardus habens secum Guilbertum Nemausensem, Gisllerannum Carcassonensem, Elegium Albiensem, Amelium Vceticensem, Abbonem Magalonensem, Bosonem Agathensem, Agilbertum Biterrensem, Riculfum Helenensem, Gotmarum Ausonensem, Ingobertum Vrgellensem, Servuum Dei Gerundensem, Bernardum Tolosanum, & Macarium Lutovensem. In hoc Concilio Ingobertus & Servus Dei proclamationum litteras obtulerunt, & insuper vivæ vocis colloquio sibi injustè irrogatas ab Acephalis Antiscopis exposue-

Anno Christi 886. | Caroli Crassi Regis 2.

exposuerunt injurias; de quo prædictus Gotmarus veniam petiit, se inductum causatus à Suario Comite, qui excommunicatus fuerat, eò quòd Igmari Laudunensis Episcopi oculos eruerit, quocircà idem Godmarus nudis pedibus solóque prostratus, luctuosis vocibus se peccasse, seque graviter errasse confessus est. Vnde & veniam ita promeruit, ut nullum deinceps cum supramemoratis Antiscopis, nec ipse nec quispiam ex domesticis ejus haberet consortium, neque quodvis eis præstaret obsequium vel famulatum, donec satisfacerent super perpetrato scelere. Contra Seluam verò & socios, Episcopi qui Concilio aderant, Stephani Papæ anathema renovarunt, nisi ante Quadragesimam satisfacerent. Ad Sinuarium quoque Comitem missa legatio, Gotmaro deferente, & benignè suscepta est; cùm enim omnia quæ gesta fuerant, audiisset, regionis primarios convocavit, nullâque ratione excommunicari se sivit. Ad fuit etiam accitus Theodardus cum aliquot Episcopis in Ecclesia sanctæ Mariæ Vrgellæ. Ibi Seluam juxta Canones, quia se extra Metropolitani sui consensum ordinari fuerat, & Ermemirum degradarunt in conspectu omnium, scissis episcopalibus indumentis, baculis eorum super eorum capita confractis, annulis cum dedecore à digitis evulsis; Frodoino Barcinonensi veniâ, quam humiliter postulabat, scilicet nudus & discalciatus, ac genu flexo ante pedes Archiepiscopi corruens, concessâ; idcirco non deposuere; quibus ritè peractis, factâ conscriptione de omnibus his, redit Narbonem, gratias agens Deo gloriosus Theodardus de omnibus quæ sibi prosperè cesserant, ecclesiasticis causis.

Anno Christi 887. | Caroli Crassi Regis 2.

CONCILIVM CABILONENSE, APVD ECCLESIAM sancti Marcelli in Suburbio Cabilonensi celebratum ab Episcopis diversarum provinciarum.

In quo acta sunt tria: scilicet confirmantur, & Synodus Diœcesana habita anno 870. ab Isaac Lingonensi Episcopo; & donationes Monasterio sancti Stephani Divionensis factæ; denique conceduntur privilegia Cœnobio Carilocensi Diœcesis Matisconensis.

Auctius edito. Ex Chronico Besuensi.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. anno quoque domini, & serenissimi Caroli Imperatoris Augusti in Gallia imperantis 2. indict. v. xv. Kal. Iunii, sacer Episcoporum Conventus ob pacem & tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ statuendam, & ecclesiastica negotia decernenda, apud Ecclesiam sancti Marcelli martyris in suburbio Cabilonensi, in Christi nomimine coadunatus est; ubi fuerunt domni & sanctissimi Archiepiscopi Aurelianus, Bernoinus, necnon & reverendissimi Episcopi Adalgarius, Geylo, Stephanus, Giraldus, Adalbadus, Isaac & Leboinus. Geylo denique supramemoratus Lingonensis Ecclesiæ reverendissimus Antistes, unà cum suprascriptis Patribus, in hoc sacrosancto residens Conventu, eorum auribus intimavit, qualiter domnus Isaac Antecessor suus rem Ecclesiæ in luco, in honore sancti Martini, in sua sancta Synodo à partibus sancti Martini de luco superiore, cappellæ videlicet sancti Marcellini contra Adalardum ejusdem capellæ Presbyterū justè & legaliter evindicavit de rebus & decimis. Tunc omnes Episcopi præfati hæc audientes in communē relationem Geylonis venerabilis Episcopi, & notitiam evendicationis domni Isaac simul consenserunt, & consentiendo roboraverunt, ut si quis temeraria sacrilegaque præsumptione convictus, atque cæca cupiditatē cæcatus, hoc quod Dei, & domni Isaac & nostra confirmamus auctoritate, in aliquo infringere præsumpserit, æterna se sciens damnatione multandum, & cum Diabolo & Angelis ejus sempiterno incendio concremandum, atque cum Iuda traditore Domini, & cum Datham & Abiron perpetuali pœna cruciandum, & insuper à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & cœtu omnium fidelium Christianorum tamdiu habeatur extortis, donec de inlicita præsumptione resipiscens, condignâ pœnitentiâ subleveтur.

Præterea iidem Episcopi confirmarunt donationes rerum quas Monasterium sancti Stephani possidet in Pagis Divionensi & Oscarensi, similéque anathema contra illarum violatores pronuntiarunt.

Rursus privilegia Cœnobio Carilocensi ab eadem Synodo concessa sunt, his verbis. Anno Domini, & Indictione, quibus suprà, cùm sancta Episcoporum Synodus apud Monasterium sancti Marcelli de statu, honore ac utilitate sanctæ Ecclesiæ tractatura convenisset, atque inibi salubria quoque decreta sanxisset, accessit venerabilis Ingelarius Abbas ex Cœnobio quod dicitur Carusiorus, estque situm in comitatu Matisconensi. Is humiliter sanctos Præsules efflagitavit, & super rebus suo Monasterio delegatis, atque usibus & stipendiis Monachorum Deo servientium deputatis, suæ auctoritatis privilegium fieri decernerent. Sacri igitur Pontifices devotis ejus precibus pium adhibentes auditum, eidem Abbati, suisque successoribus, necnon & fratribus in præfato Cœnobio Deo famulaturis, quidquid hactenus condonatum & acquisitum est, & quidquid deinceps justè ac legaliter donatum fuerit, vel quæsitum, perpetuò habendum sanxerunt, & hoc decreto inviolabiliter firmaverunt. Statuerunt etiam, ut obeunte Abbate, nullus inibi alius quâlibet subreptionis astutiâ subrogetur, nisi quem fratrum unanimitas secundùm Dei voluntatem & regulam sancti Benedicti elegerit. Nulli verò liceat res, aut possessiones ejusdem Cœnobii sinistro quolibet ingenio distrahere, vel præsumere. Si quis autem (quod non optamus) hujus privilegii destructor, aut in ejus destructione fraudulentus machinator imposterum fuerit & evaserit, salutem propriam

Anno Christi 887.

propriam negligens, secundùm potestatem ligandi atque solvendi à Domino Iesu Christo nobis traditam, æterno vinculo damnationis extra beatorum sortem eliminamus.

Et subscripserunt.

Aurelianus sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ humilis Archiepiscopus, in Christi nomine roboravi & subscripsi.

Bernonius humilis sanctæ Dei Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopus.

Gesso sanctæ Lingonensis Ecclesiæ humilis Episcopus.

Adalgarius Æduorum Episcopus.

Stephanus Cabilonensis Ecclesiæ Episcopus.

Adalbadus Bellicensis Ecclesiæ Episcopus.

Geraldus sanctæ Matisconensis Ecclesiæ Episcopus.

Isaac humilis Valentinensis Ecclesiæ Episcopus.

Leboinus Chorepiscopus Lugdunensis.

Ego Brantio indignus Presbyter & Cancellarius sancti Mamnetis scripsi dataviqne.

Caroli Crassi Regis 2.

Anno Christi 888. — Odonis Regis 1.

CONVENTUS APUD SANCTUM MAURITIUM.

In quo Rodolphus seu Rodulfus, sibi Regis nomen imposuit coram Episcopis, in parte regni Lotharii ab ipso ad Bosonis Regis exemplum occupata, quæ fuit etiam pars antiqui Burgundiæ regni, qui Rodulfus ob id diversis appellatus est nominibus à coætaneis auctoribus, videlicet Rex Galliæ Cisalpinæ, tum Burgundionum, denique Iurensis. Porrò regni ejus descriptio, situs, initium atque progressus leguntur tum apud Reginonem Abbatem, ejusque continuatorem, tum etiam in Chronico Flodoardi. Sic autem habet idem Regino de tali Conventu ad annum 888. *Per id tempus Rudolphus filius Chonradi, nepos Hugonis Abbatis, provinciam inter Iuram & Alpes Penninas occupat, & apud sanctum Mauritium accitis secum quibusdam primoribus, & nonnullis sacerdotibus coronam sibi imposuit, Regemque se appellari jussit. Post hæc mittit legatos per universum regnum Lotharii, & suasionibus pollicitationibusque Episcoporum, ac nobilium virorum, mentes in sui favorem demulcet.*

Anno Christi 889. — Odonis Regis 2.

STEPHANI V. PAPÆ EPISTOLA ad Rotbertum Metensem Episcopum,

Auctior edita in decreto Gratiani, dist. 55. cap. Lator. ex codice Thuano.

An Clericus, cui digitus est abscissus, ad Ecclesiasticum ordinem possit promoveri.

STEPHANUS Rotberto Metensi Episcopo. Lator præsentium Flavinus scilicet Clericus, ad sanctam Sedem Apostolicam veniens detulit à te nobis directam epistolam, qua indagare studuisti cùm à Normannis nuperrimè captum sinistræ manus digitum habere abscissum sciscitans, si ob hoc, ad ecclesiasticum ordinem valeat promoveri, an non; quod & nos reperientes, quia solertia tua magis super hoc sollicita à Sede Apostolica doceri flagitat, normam justitiæ semper sequi exoptans, studium tuæ sanctitatis meritò collaudamus, reverentiam tuam scire volentes, quoniam si ita est quod à Normannis digitum ipsum habeat abscissum, ad promovendum si aliàs dignus fuerit, nil ei nocebit, eò quòd, qui de his qui à dominis, vel medicis, sive à Paganis non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant Canones, dilectionem tuam latere non credimus, quam ei obviare debere, si ita est, minimè reperimus, monentes Religionem tuam, ut circa illum ita peragat, quatenus ut mercedem pro eo magnam incurrat, & desiderium istius canonica auctoritate, ei in aliis non obviante, Deo adjuvante perficiat.

Anno Christi 889. — Odonis Regis 2.

CAPITULA RICULFI SUESSIONUM EPISCOPI.

Ex codice Thuano.

IN nomine Dei. Ego Riculfus humilis Suessionum Episcopus. Anno Incarnationis dominicæ DCCCLXXXIX. indict. VII. consideratis Parochiæ divinitùs nobis commissæ necessitatibus, atque comministris nostris competenti habita ratione, inspirante pariter & opitulante Domino, quędam quæ ad Sacerdotũ nostrorum commonitionem, vel vulgaris populi eruditionem pertinere videbantur, modestè & utiliter pro viribus tractare disposui, & quamvis totius Christianæ vitæ regula divinæ Scripturæ paginis satis superque teneatur inserta, non incongruum tamen fore putavi, quędam ex his, quæ simplicium observationi conveniunt, brevibus & lucidis capitulis adnotare, vobisque cùm sacerdotibus & cooperatoribus nostris habenda simul, & crebriùs legenda committere, ut si tanta divinæ & canonicæ auctoritatis volumina revolvere non sufficitis, hæc saltem brevissima & apertissima manualiter frequentetis, & commissis vobis plebibus salubrem vivendi normam his admonitiunculis pręmonstretis: ita enim cooperante Domino, & periculo ministerii vestri vos porestis exuere, & cum subjectis populis ad cęlestis regni gaudia properare.

CAPUT I.

Attendite ergo, quia nobiscum sollicitudinem gregis dominici percepitis, & in sacerdotali ministerio secundi ordinis, & dignitatis locum possidetis. Et sicut nos (licet immeriti) Apostolorum vices in hac Ecclesia agere debemus, ita & vos quoque septuaginta duorum discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe dominica exercere oportet. Nam & in veteri lege

lege Moyses & Aaron locum summi Pontificis A tenuerunt, & filii quoque Aaron officium sacerdotale in secundo gradu sortiti sunt. Ad vos enim plebium pertinet cura & sollicitudo, & ex vobis pendet eorum salus, utilitas, atque animarum profectus. Scriptum namque est de vobis; [Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.] Angelus enim Latino eloquio Nuncius dicitur. Et vos quidem Angelorum ministerio expletis, quando vestras plebes instruitis atque docetis. Sed primò necessarium est, ut ipsi diligenti meditatione literarum sacrarum lectionem discatis, quæ postmodum alios docere debetis: quia nemo quæ nescit, aliis B insinuare valet. Enimvero nec latere vos volumus, quod de illis Presbyteris, qui desides & ad discendum tardi sunt, Regum & Imperatorum Capitula, non sine consensu plurimorum Episcoporum, sanxerunt, scilicet hoc: *Ut quicumque Presbyter à suo Episcopo frequenter admonitus de sua scientia, ut discere curet, facere neglexerit, proculdubio & ab officio removeatur, & Ecclesiam quam tenet, amittat. Quia ignorantes legem Dei, etiam aliis annuntiare & prædicare non possunt.* Hoc ne alicui vestrûm eveniat, fraterno affecto præmonemus.

CAPUT II.

Oportet igitur unumquemque Sacerdotem C vitâ, & moribus, & actibus bonis cum Dei auxilio populo sibi commisso, cæterisque subditis excellere, ut in eo videant quid imitari & sequi bene operando possint: castitatis videlicet, sobrietatis, humilitatis, modestiæ, aliarumque virtutum, divinâ gratiâ largiente, exemplum præbeat, ut juxta Apostoli vocem, *Doctrinam Dei nostri in omnibus ornet.*

CAPUT III.

Habete, quæsumus, studium in Psalmos cantando, D in divinos libros legendo, in canonicas horas custodiendo, id est, primam, tertiam, sextam, Missarum quoque cotidiana celebratione, nonam, vesperas, & completorium atque matutinale officium decantando. Et invitate Parochianos vestros, ut si ad alios cursus venire non sufficiunt, saltem Missas frequentiùs audire studeant; & dominicis atque aliis diebus festis vesperas, matutinas, & Missas frequentare non prætermittant.

CAPUT IV.

Ad vos ergo dictum esse scitote: *Mundamini qui fertis vasa Domini:* ubi non tantùm intelligendum E esse putetis, quod de calice & patena, ubi corpus Domini conficitur, dictum sit; sed de corporis munditia, & mentium puritate. Ut enim beatus Gregorius dicit, cùm de parabola decem virginum tractaret: Vascula, nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Habemus itaque fragile vas, id est corpus nostrum, quod semper summoperè mundum servare debemus; ut dum oblationes mundas Deo porrigimus, ipsi quoque ante sanctum altare illius, hostiæ acceptabiles efficiamur.

CAPUT V.

Item monemus, ut unusquisque vestrûm Psalmos & sermonem fidei Catholicæ, cujus initium, *Quicumque vult salvus esse*, & Canonem Missæ, ac cantum, vel compotum memoriter & veraciter ac correctè tenere studeat. Consignationem verò infantum, tam masculorum, quàm fœminarum, unius, vel plurium, & consecrationem fontis & aquæ per domos spargendæ, & animæ commendationem, & orationes ad mortuum sepeliendum habeatis descripta, distinctè, & veraciter & frequenti usu ea meditemini, ut correctè & irreprehensibiliter ea, tam super masculum, quàm super fœminam proferre sciatis. Supradictam verò consignationem infantum, volumus, ut quadrifariè scribendo, dividatis, super singularem scilicet masculum, & singularem fœminam; itemque super plures masculos, & plures fœminas, sicut nos vobis Christo propitio descripta trademus.

CAPUT. VI.

Item præmonemus, ut unusquisque vestrûm, Missalem, Lectionarium, Evangelium, Martyrologium, Antiphonarium, Psalterium, & librum XL. Homiliarum beati Gregorii correctum atque distinctum per nostros codices, quibus in sancta matre Ecclesia utimur, habere laboret. Et libros quidem divinos & ecclesiasticos, quoscumque potestis habere, emittite: ex ipsis enim cibus & condimentum animarum percipies, dicente Domino, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Si quis autem omnes veteris Testamenti libros habere nequiverit, saltem hoc studiosiùs elaboret, ut primum totius divinæ historiæ librum, Genesin videlicet, sibi correctè transcribat, cujus lectione totius mundi creationem dinoscere valeat.

CAPUT VII.

Studere etiam debetis, ut dignè atque honestè vestra ecclesiastica vestimenta præparata habeatis, Albam videlicet ad divinum mysterium unam, vel duas nitidas, cum oratoriis, id est, stolis duabus nitidis, & amictis duobus nitidis; corporalibus quoque totidem nitidis, item zonis duabus, id est, cinctoria, ac mappulis totidem nitidis; ac linteamina altaris habeatis nitida, & casulam sericam, cum qua Missa celebretur. Hoc autem omnimodis prohibemus, ut nemo illa alba utatur in sacris mysteriis, quâ in quotidiano vel exteriori usu induitur. Loca quoque munda & congrua composita habeatis, ubi post sumpta sancta mysteria, manus & ora vestra lavetis; & si possibile fuerit, unusquisque calicem cum patena argentea, sive cujuslibet metalli purissimi habeat; ut cùm ad nostram Synodum unumquemque vestrûm eadem vasa, vel cætera quæ ad ministerium sacerdotale pertinent, deferre jusserimus, vel per vestras Parochias transitum fecerimus, nostram exinde offensionem minimè incurratis, si hæc præparata inhonestiùs viderimus. Ad Missam quoque & Vesperas si sufficitis, thus vel incensum in thuribulo Deo offerte. Illud etiam expressè præcipimus, ut domus vestras nitidas, & sine sordibus & fœtoribus habeatis, ut exinde puriores ad altare Domini procedatis.

Anno Christi 889.

Odonis Regis 2.

Caput VIII.

Instanter quoque monemus, ut scrutinia per baptismales ecclesias statuto intra Quadragesimam tempore generaliter fiant; & ut baptizati mox post baptismum Eucharistiam, id est, Communionem sanctam percipiant, sollicitè vos studere pręcipimus. Quoniam, qui dixit; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum:* Ipse dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Caput IX.

Sollerter studendum est Presbyteris, ut curam publicè pœnitentium habeant; & orationes ad visitandos infirmos vel infirmas correctè proferre sciant, & maximam curam adhibeant, ut sicut nemo sine baptismo, ita etiam nemo absque viatici munere moriatur; sed neque publicè pœnitens, si fuerit infirmus; & sedulè considerent, atque diligenter caveant, ne pro hujusmodi negligentia grave periculum incurrant. Videant quoque ne Simoni mago & Iudæ traditori efficiantur similes, si pro pretio, aut pro familiaritate, vel propinquitate, pœnitentes ante tempus ad reconciliationem adduxerint, & eis pro reconciliatione testimonium dederint, vel si cum fervore & diligentia pœnitentes aliqua amaritudine, vel, quod absit, odio; aut quia nihil ab eis accipiunt, à reconciliatione suspendi fecerint: quia ut comministri, ita etiam cooperatores Presbyteri in ministerio divino à Deo sunt constituti Episcopis. Si verò publicè pœnitentes pro certa necessitate vel ratione, ante pręfixos à Canonibus annos fuerint reconciliati, sicut ante reconciliationem, secundùm pœnitentium possibilitatem & qualitatem, de eorumdem pœnitentia sollicitudinem habuerunt; ita & post reconciliationem, vitam eorum & conversationem, donec pręfixum pœnitentiæ tempus expleatur, non negligant; sed sollerter discutiant & attendant, scientes non solùm Episcopis, sed etiam secundùm modum suum Presbyteris convenire quod dicitur: *Speculatorem dedi te domui Israël:* Et de unoquoque sibi commisso, rursus per Prophetam dicitur: *Sanguinem ejus de manu tua requiram.*

Caput X.

Item oportet, ut Presbyteri infirmos suos post confessionem & reconciliationem, oleo sancto perungant, & tunc eos communicent. Quòd si ante adventum eorum infirmus obmutuerit, & certi testes sunt, quòd ipse infirmus tale signum ostenderit, quia pœnitentiam petiit quam mora Sacerdotis ab eo exclusit, viatici ei subsidium prębeant.

Caput XI.

Iis exceptis, scire debetis, quia facultates Ecclesiæ, in quatuor partes, canonica authoritate sunt divisæ. Ex quibus una est, si voluerit, Episcopi. Alia ad luminaria & sarta recta, id est, restaurationem Ecclesiæ. Tertia Presbytero & suis. Quarta hospitibus deputata. Quapropter ex ipsa parte, quæ fabricis debetur Ecclesiæ, volumus aut per nos, aut per nostros comministros, rescire quid annuatim tam in luminaribus

A olei vel ceræ, quàm in restauratione tectorum, vel in ornamentis, inde in Ecclesia parcat. Convenit etiam vobis unum, vel duos, vel tres clericos habere, qui vobiscum Missas celebrent, quos salutetis, & à quibus resalutemini, quia Dominus in Evangelio dicit, *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Solus autem nemo vestrûm Missas celebrare pręsumat. In ratione verò sacrorum, hoc omnibus modis observare debetis, ut in calice aquam vino misceatis, quia panis, corpus; vinum, sanguis intelligitur: aqua, quæ in cruce de latere Domini manavit, certissimè fidelem designat populum junctum capiti suo, quod est Christus. Quibus devotissimè observatis, verum

B Domini corpus, proculdubio in veritate conficitur. Et quisquis ex eo, corde aut corpore purificatus, cùm fide fuerit recreatus, remissionem peccatorum in illo sine dubio operatur.

Caput XII.

Hospites, secundùm quod possibile est, excipere, & illis juxta vires, ea, quibus indigent, hilariter administrare studete: & plebes vestras, ut ipsum faciant, & pedes pauperum lavent, instantiùs admonere. Scientes, quia si aliquis pauperum hospitium postulaverit, & impetrare non meruerit, & extra domum jacens, vel à bestiis fuerit comestus, vel frigore, aut aliquâ

C aëris asperitate mortuus, ab illo requirendus erit, qui humanitatis subsidium ei negavit. Et Sacerdos immunis ab hac culpa non erit, qui auditores suos, ut hospitalitatem diligerent, non admonuit. Scimus enim, quia magna est hospitalitatis virtus, per quam plurimi Deo placuerunt, & Angelos hospitio recipere meruerunt, ut Abrahæ, Loth, Tobiæ, & aliis quamplurimis legimus contigisse: semperque meminisse debetis, quanta sit merces hospitalitatis, dicente Domino: *Hospes fui, & collegistis me.* Verba quoque Apostoli ad memoriam frequentiùs revocate, dicentis: *Hospitalitatem nolite oblivisci.* Et, ut cum B. Iob possitis dicere:

D *Hospitium meum viatori patuit.* Sententiam quoque sancti Gregorii in expositione evangelica, frequenter revolvite, dicentis: *Quia hospites non solùm invitandi sunt, sed etiam trahendi.* Susceptis autem hospitibus, secundùm possibilitatem vestram, officium humanitatis impendite, juxta hoc quod legitur: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si verò exiguum, & illud libentissimè impertire. Recogitantes quoque & illud evangelicum: *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem*

E *suam.* Et quoniam contingere solet, ut susceptæ personæ, illis, à quibus suscipiuntur, damnum aliquod inferant; si quos tales suscipitis, de quorum persona dubitetis, in remota eos domo collocate, ne locum inveniant aut ipsi peccandi, aut vobis dispendium inferendi.

Caput XIII.

Illud quoque summoperè cavendum monemus, ut Presbyteri, vel Clerici tabernas causâ convivandi non adeant; neque in ecclesiis vinum, exceptâ causâ necessitatis, vendere concedant; sed neque vendentes aut ementes in ipsis ecclesiis more convivantium immorari permittant, quod in Concilio Carthaginensi ita inhibetur:

hibetur: *Nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi fortè transeuntes hospitii necessitate illic reficiant*; populi autem ab hujusmodi conviviis quantùm possunt, prohibeantur.

A

CAPUT XIV.

Observandum quoque monemus, ut Presbyteri vel Clerici fœminis non cohabitent, neque detrahendi se locum donent. De qua re Clemens sanctæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Præsul ita edocet: Clericus, inquiens, ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque properet: nec Presbyter solus cum sola fœmina fabulas misceat, definiente sancto Nicæno Concilio, neque Episcopo, neque Presbytero neque Diacono, neque ullo Clerico omnino licere habere secum mulierem extraneam. Nos verò etiam à matribus, amitis, sororibus, vel propinquis cavendum dicimus, ne fortè illud eveniat quod in sancta Scriptura legitur de Thamar sorore Absalon, quam Amnon frater suus malè concupiscendo violavit: de Loth etiam, qui filias suas per ebrietatis vitium similiter corrupit. Quòd si aliquis vestrûm matrem, sororem, vel amitam ad convescendum vocaverit, expleto convivio, ad domos suas, vel ad hospitia à domo Presbyteri remota, cum luce diei eas faciat remeare: periculosum quippe est, ut vobiscum habitent: & ideo inhibitum est à sanctis Patribus, quoniam excepta supradicta occasione peccandi, fœmina, quæ cum matre, sorore, vel amita, aut nepte ingreditur, non est propinqua: ex quo nisi cautè actum fuerit, in laqueum diaboli sacerdotalis ordo incurrere poterit. Invitati etiam Presbyteri à religiosis quibusque pro charorum suorum memoriis non se inebrient, neque inter pocula cantare præsumant, sed neque precationes bibendi sub nominibus Sanctorum exerceant; sed potiùs cum religione prandeant, & cum sobrietate bibant, & quæ ad ædificationem pertinent, loquantur, & ad tempus cum luce diei, ad ecclesias suas redeant.

B

C

CAPUT XV.

Ut Presbyteri villici, id est, provisores villarum non fiant, & procuratores viduarum non existant; & ut conductores agrorum sæcularium non sint, neque ulli turpi negotio, & inhonestè victum vel lucrum quærant. Nec etiam de viduarum conversatione sic curam habeant, quatinus opinionem suam infament, nec de se locum detractioni donent. Et ut curam habeant, ne ministri reipublicæ, id est, vicarii & centenarii, seu reliqui exactores advenas & pauperes affligant. Quòd si per se emendare non potuerint, nobis vel comministris nostris innotescant.

D

CAPUT XVI.

Monemus præterea, ut Presbyteri sic ruralibus, id est, terrestribus, & cæteris occupationibus inserviant, quatinus divinum officium non negligant; & scolarios suos modestè distringant, castè nutriant, & sic litteris imbuant, ut mala conversatione non destruant; & puellas ad discendum cum scolariis suis in schola sua nequaquam recipiant; & ut turpi lucro & negotiationibus non inserviant.

E

CAPUT XVII.

Illud quoque admonendum censemus, ut ab usuris omnes se subtrahant. Si enim juxta præceptum Domini, amicos in Deo, & inimicos debemus diligere propter Deum; & eis nostra bona, quæ ipse nobis immeritis contulit, gratis largiri: qua ratione possumus ab eis, qui nostri in Christo sunt fratres, ut idem ait: *Unus est enim Pater vester: omnes autem vos fratres estis*, exigere quæ non accommodavimus, & repetere quæ non præstitimus. Unusquisque igitur quantùm præstiterit, tantùm recipiat, & eandem speciem & mensuram annonæ, aut vini, aut argenti, aut certè alicujus pretii convalentis, prout inter eos convenerit: ita tamen ut non multiplicetur neque superaugeatur. De iter agentibus verò & peregrinantibus similiter observandum decernimus, ut nulla eis alia mensura in venundando tribuatur, nisi illa, qua vobis vestra vel accipitis, vel comparatis; quia scriptum est: *Neque circumvenias in negotio fratrem tuum.* Et, *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Et, *Non habebis diversa pondera, majus aut minus, sed sit tibi justus modius, equusque sextarius.*

CAPUT XVIII.

Mercationes verò, quæ divinis & humanis legibus prohibitæ sunt, & nunc denuò diebus dominicis à quibusdam improbis exercentur, modis omnibus inhibemus, & vobis inhibendas omni studio, canonica auctoritate decernimus. Ineptum namque est, ut Christianus quilibet ea die, quæ resurrectionis dominicæ, nostræque redemptionis memoria recensetur, lucra sæcularia vel mercationes exerceat, quam totam debet in divinis laudibus & officiis atque oblationibus, pro sua & cunctorum ad se pertinentium salute, atque totius Ecclesiæ stabilitate occupare.

CAP. XIX.

Sepulturas mortuorum ecclesiastica honestate & pietate unusquisque Presbyter disponat, & ne pro sepeliendis mortuis xenia exquirat. Unde beatus Gregorius ita præsumentibus talia loquitur: Grave nimis, inquit, & procul est à Sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium, & nos postquam à Deo auctore ad Episcopatus honorem Romanæ Sedis accessimus, de Ecclesia nostra omnino extirpare decrevimus, & pravam denuò consuetudinem nequaquam usurpari permittimus. Si autem à devotis pro suis mortuis quiddam Ecclesiæ vel Presbyteris, sponte offertur, à Presbyteris accipi non prohibemus. Quod autem infra Ecclesiam, neminem sepelire deberis, multis auctoribus perdocemur, & maximè beati Gregorii sanctæ Romanæ Sedis Antistitis. Interrogatus enim à Petro discipulo suo, utrùm animabus aliquid prodesset, si mortuorum corpora in ecclesiis sepelirentur; his verbis respondit: Cùm gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesiis sepeliantur; quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt,

munt, non ad absolutionem potiùs quàm ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis ponuntur. Quod melius, inquit, ostendimus, si ea, quæ diebus nostris gesta sunt, breviter enarremus. Vir namque vitâ venerabilis Felix Portuensis Episcopus, in Sabinensi provincia ortus atque enutritus est: qui quandam sanctimonialem fœminam in loco eodem fuisse testatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem atque stultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta, atque in Ecclesia sepulta est. Nocte autem eâdem, ejusdem Ecclesiæ custos per revelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, & pars una illius igne cremabatur; pars autem altera intacta remanebat. Cumque hoc surgens manè fratribus narraret, & locum vellet ostendere, in qua fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac si illic eadem fœmina corpore fuisset igne concremata. Ex qua re datur apertè intelligi, quia in quibus hîc dimissa peccata non fuerint, ad evadendum judicium sacris locis post mortem non valeat adjuvari. Ioannes quoque vir magnificus in hac urbe locum Præfectorum servans, cujus veritatis atque gravitatis sit, novimus; qui mihi testatus est Valerianum Patricianum in civitate, quæ Brixia dicitur, fuisse defunctum. Cui ejusdem civitatis Episcopus, accepto pretio, locum in Ecclesia præbuit in quo sepeliri debuisset. Qui videlicet Valerianus, usque ad ætatem decrepitam levis atque lubricus extitit, modumque suis pravitatibus ponere contempsit. Eâdem verò nocte, qua sepultus est beatus Faustinus martyr, in cujus Ecclesia corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuit, dicens: Vade, & dic Episcopo; Projiciat hinc has fœtentes carnes, quas hîc posuit, quia si non fecerit, die trigesimo ipse morietur. Quam visionem custos Episcopo timuit confiteri, & rursus admonitus declinavit. Die autem trigesimo ejusdem civitatis Episcopus, cùm vespertina hora sanus atque columis ad lectum rediisset, subita & inopinata morte defunctus est. Ex qua re, Petre, collige, quia hi, quos peccata gravia deprimunt, in sacro loco sepeliri se faciant, testat ut etiam de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset. His auctoritatibus roborati, ut à vobis quoque hujusmodi præsumptio caveatur, instanter judicavimus admonendum; & ut talia irrationabiliter postulantibus, rationabiliter, his prolatis auctoritatibus, denegare curetis.

Cap. XX.

Rationi quoque proximum esse sanximus, ut in uno quoque mense, statutâ die, id est, in Kal. uniuscujusque mensis, per singulas decanias Presbyteri simul conveniant, & convenientes non pastis vel potationibus vacent, sed de suo ministerio & religiosa conversatione atque de his, quæ in eorum parœchiis accidunt, sermonem habeant, & qualiter pro Rege vel rectoribus Ecclesiæ, atque pro suis familiaribus, tam vivis, quàm defunctis orare debeant, simul considerent.

Cap. XXI.

Docete etiam parochianos vestros, ut quando ad Ecclesiam conveniunt orare pro se, proque aliis cum gemitibus & lacrymis studeant, & à verbis otiosis se subtrahant: quia Salvator noster, quando ingressus est templum, & vendentes in illo, & ementes eliminavit, protinus dixit: *Scriptum est quia domus mea, domus orationis vocabitur.* Et si ibidem aliqui sunt discordes, pia admonitione & sacerdotali exhortatione eos ad concordiam revocate. Si verò semel & bis à vobis admoniti, audire refugerint, secundùm auctoritatem Agathensis Concilii ab Ecclesia excommunicentur: ita enim in præfato Concilio de his, qui per odium ad pacem non revertuntur, cap. XXXI. scriptum continetur: Quòd si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu, justissima excommunicatione pellantur. Item in Concilio Carthaginensi cap. XCIII. Oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

Anno Christi 889. — Odonis Regis 2.

CONVENTVS, SEV PLACITVM Varennense in regno Arelatensi.

A quo judicatum est restitui monasterio Gigniacensi cellam injustè ablatam.

In eamdem Computor. Parisiens.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXXIX. indict. VIII. cùm convenissent Ermengardis Regina, & cuncti Principes Ludovici filii Bosonis, in loco qui dicitur Varennas ad placitum, accesserunt ad ejus præsentiam monachi de Gigniaco monasterio, Berno videlicet Abbas, aliique sub ejus regimine positi, conquerentes, & monachali humilitate conclamantes, quòd Bernardus ejusdem Reginæ vassallus eorum res injusto ordine invadendo possedisset; hoc est Balmam cellam, quam olim à Rodulpho Rege per præceptum acquisierant, quod tam benignissima & venerabilis Regina, quàm omnes undecumque confluentium locorum principes diligenter attendentes, diligentiùsque audientes, prædictum Bernardum in medium vocaverunt, & cur easdem res teneret, interrogaverunt. Ipse autem respondit, per donum Ludovici prædictas res se tenere credere. Cujus responsionibus nec Regina consensit, nec alii consentire dignum fore dijudicaverunt; & tunc ipse per jussionem Reginæ, jamdictum locum in præsentia omnium invverpivit: & ut ultrà easdem res non invaderet, spopondit. Tunc his ita expletis, jussit dominatrix Regina tam Abbatibus, quàm fratribus cæteris, hanc firmitatis scribere notitiam, ut nullo deinceps contradicente, præscriptum locum quieto teneant ordine. Et ut hæc notitia manere valeat firma per multorum temporum curricula, manu propria, manibus tam Episcoporum, quàm Procerum

Anno Christi 889. — Odonis Regis 2.

Procerum undique confluentium firmavit, affirmarique rogavit, & Bernardi, qui inverpituram istam fecit.

Signum Ermengardis Reginæ, quæ fieri jussit, & firmari rogavit.

S. Rostagnus Archiepiscopus Arelatensis.

S. Andradus sanctæ Cabilonensis Ecclesiæ Episcopus.

S. Isac Gratianopolicensis Episcopus.

Richardus gloriosus Comes firmavit.

Ragenardus Comes firmavit.

Vindo Comes firmavit.

Vigo Comes firmavit.

Ratterius Comes firmavit.

Teubertus Comes firmavit.

Signum Bernardi, qui inverpituram istam fecit.

NOTA.

Quòd ibi Ludovicus filius Bosonis non appelletur Rex, hoc ipsummet adstruit Epocham hujus placiti huic anno 889. affixam, jam incepta indictione VIII. more Gallorum, scilicet ab VIII. Kal. mensis Octobris ejusdem anni; siquidem illi nomen Regis anno sequente duntaxat in Synodo Valentina ab Arelatensis regni Episcopis ac Proceribus delatum est. Is est, cujus regnum posteà voluit augere quidem ex parte regni Burgundiæ Arnulfus Rex Germaniæ, sed non potuit, de quo Abbas Regino ad annum 874. [Arnulfus, inquit, cum valido exercitu conversus est per Alpes Penninas, Galliam intravit, & sanctum usque Mauritium pervenit, Rudolfo, quem quærebat, nocere non potuit. Pòst, Ludovico filio Bosonis, matre Hirmingarde interveniente, quasdam civitates cum adjacentibus pagis, quas Rudolfus tenebat, dedit; sed & hoc ei in vacuum cessit, quia eas nullo modo de potestate Rudolfi eripere prævaluit.] Porro in subscriptionibus legitur Andradus Cabilonensis, qui & vocatur alibi Ardradus; similiter Isac Gratianopolicensis scribitur cum aspitatione in epistola 121. Lupi Ferrariensis more suo contrahentis nomina, atque ibi sub unica initiali litera H, idem intelligitur Antistes Gratianopolitanus; propterea quòd non sit alter eo tempore alterius nominis Episcopus hujus civitatis. Rursus inverpitura in Gallicis consuetudinibus significat dimissionem, unde nos dicimus hodie, *desguerpir un heritage*; hanc consequitur investitura, quia qui verpit, id est dimittit, sic alium continuò investit.

Anno Christi 890. — Odonis Regis 3.

STEPHANI V. PAPÆ EPISTOLA ad Fulconem Archiepiscopum Remensem.

Quod inter Episcopos non habetur, qui nec à clero electus, nec à populo expetitus est, illique significat, obeunte Isaac Episcopo Lingonensi, Teutboldum Diaconum ipsius Ecclesiæ concordi voto cleri & populi electum, Romæ consecratum à se in Episcopum propter Aureliani Lugdunensis in sacrorum Canonum statuta contumaciam, & ut mittat illum in possessionem Episcopatus præscribit.

Hæc omnia recensentur in editione Sirmondiana Flodoardi lib. 4. cap. 1.

STEPHANVS Fulconi Archiepiscopo Remensi. Nos qui omnium ecclesiarum in B. Petro Apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter Episcopos non haberi eum, qui neque à clero electus, neque à populo est expetitus, sæpedictum Teutboldum venerabilem Diaconum, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensis Ecclesiæ Episcopum consecravimus, condignâ sententiâ prævaricatoribus illatâ, licèt & aliis prævaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus sanctimoniæ, ut his nostris apostolicis litteris perceptis, postpositâ dilatione ad Lingonensem accedas Ecclesiam, & eundem Teutboldum à nobis solemniter consecratum Episcopum exinde revestias, omnibusque Archiepiscopis & Episcopis innotescas, pro tantæ Aureliani Lugdunensis contumaciæ ultione, non ejusdem Ecclesiæ specialem sollicitudinem suscepisse pro tanti laboris maceratione, & oppressionis illatæ revelatione. Quicquid autem idem venerabilis Episcopus Teutboldus vobis ex nostra parte retulerit, credite, & affectui mancipare nullomodo ambigite, utpote tuam reverentiam circa nos devotam consistere credimus.

Anno Christi 891. — Odonis Regis 4.

CONCILIVM VVANGIONENSE,

In quo dissidium inter Episcopos à Fulcone Remensi Archiepiscopo componitur.

Nil obstat, quominùs Concilium istud cæteris inseramus. Enimverò ad id plura nos movent, videlicet auctoritas Flodoardi, cui omnino debemus ferè omnia, quæ in Gallicana Ecclesia vel cognitione ac utilitate sunt conspicua, quod patet ex hisce Conciliis: tum movet etiam quòd Fulco Archiepiscopus Remensis hanc habuerit Synodum, & quòd tam locus Concilii, aliàs nominatus Vvormatia, quàm Episcopi, tum Regibus Francorum, tum stirpi Francicæ in Germania paruerint. Quamobrem Flodoardus ipse voluit inter scripta, quæ Fulco idem quibusdam Romanis Pontificibus direxit, recensere hanc Synodum Vvangionensem lib. 4. hist. cap. 1. ubi videre est quanti fecerint Galliarum Episcopos Romani Pontifices. Sic enim ait. *Item scribit Stephanus Papa Fulconi Archiepiscopo Remensi pro altercatione, qua versabatur inter Herimannum Coloniensem Archiepiscopum, & Aldegarium Amburgensem & Bremensem Episcopum, pro qua injungit eidem Fulconi Præsuli nostro, sua ipsius Papæ vice Synodum convocare apud Vvangionem civitatem cum vicinis suffraganeis limitaneisque Episcopis, ad quam Herimannum Agrippina Colonia, & Sunderoldum Moguntinum cum suis suffraganeis, necnon & eundem Adelgarium occurrere jusserat, quatinus quid cuique debeatur, diligens examinatio declararet.* Cujus etiam Synodi apud Luitprandum extat mentio in vita ejusdem Stephani Papæ, ubi hanc Vvangionem civitatem appellat

Anno Christi 891. | Odonis Regis 4.

appellat Vvormatiam, quæ quidem diversa nomina, unam tamen eandem civitatem significant. Porrò Concilii hujus Epocham colligimus ex eodem Flodoardo, qui mox Fulconem facit rescribentem de omnibus, quæ ad hanc sibi injunctam Synodū spectabant: [Sic, inquit, super his quoque (nempè Synodalibus) successori hujus (scilicet Stephani) Formoso, dominus Fulco litteras mittens, qualiter hæc à pręfato Stephano Papa sibi sunt injuncta, significavit, & ut sibi auctoritatis suæ in his exequendis scripta dirigeret, expetiit.] Quæ verba clarè denotant hæc Synodi Vangionensis gesta referenda esse ad ultima Stephani quinti Papæ tempora, quæ cadunt in hunc annum 891. quo Formosus Papa successit Stephano post dies quinque.

Anno Christi 891. | Odonis Regis 4.

CONCILIUM MAGDUNENSE,

In Ecclesia sancti Lisardi ad Ligerim Diœcesis Aurelianensis congregatum.

In quo statuitur inter cætera, ne Monasterio sancti Petri Senonensis ex aliis deinceps Cœnobiis præficiantur Abbates.

Ex veteri codice Senonensi.

Anno dominicæ Incarnationis DCCCXCI. indictione IX. celebrata est Synodus in Magduno super fluvium Ligeris, in Ecclesia beati Lisardi Confessoris Christi, regiâ jussione gloriosi Regis Odonis, diversis Ecclesiarum Episcopis confluentibus, ubi cùm de diversis Ecclesiæ utilitatibus & negotiis tractaretur, exposita est in omniū pręsentia ratio fratrum B. Petri Apostolorum Principis, Cœnobii Senonensis Ecclesiæ in ejus Suburbio constituti, dicentes se plurimùm ex revolutis temporibus discriminis jacturam tolerasse enormiter: idcircò, quod eis à suis Pontificibus Senonensis videlicet Ecclesiæ Pręsidibus, multi ex aliis Cœnobiis in pręlaturam regiminis Abbates constituerentur, quod utique quia prçter regulam beati Benedicti, & institutionem sanctorum Canonum esse videbatur; sancitum est à beatissimis Pontificibus, monente, imò & deprecante ejusdem loci venerabili Pontifice Vvalterio Senonensis Ecclesiæ, ut nullus deinceps ordinaretur vel constitueretur Pater Monasterii, nisi quem ipsi sua dispositione & libitu voluntatis ex suis eligerent. Quocirca pręsenti privilegio solemniter à prędictis decretum est Pręsulibus, ut quicumque temerarius hanc tantorum auctoritatem Patrum præsumpserit violare, sub vinculo anathematis habeatur, & auctoritate, qua Dominus noster Iesus Christus potestatem contulit discipulis suis ligandi & solvendi, dicens, Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis. Omnium igitur manibus roboretur, quod omnium consensu firmatur. Et subscripserunt omnes, qui ibi aderant, Episcopi videlicet & Archiepiscopi, quorum hæc sunt nomina.

Vvalterius immeritò sanctæ Senonensis Ecclesiæ Archiepiscopus confirmavit.
Adacius Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopus.
Herbernus Turonorum Archiepiscopus.
Theodardus Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus.
Vvalterius Episcopus Aurelianensis.
Agilmarus Arvernorum Episcopus.
Adalgarius Æduorum Episcopus.
Herifridus Episcopus Autisiodorensis.
Emmenus Nivernensis Episcopus.
Servus Dei humilis Episcopus Gerundensis.

Anno Christi 894. | Caroli Simplicis Regis 2.

CONCILIUM CABILLONENSE,

In quo indicta est purgatio per Corpus Domini Gyrfredo Flaviniacensi Monacho, qui Adalgarium Æduorum Episcopum veneno necasse dicebatur.

Ex codice Flaviniacensi.

Anno DCCCXCIV. indictione XII. invidiæ instinctu, malorum hortatu, oborta est infamis fama Flaviniaco monasterio, & castro publico, in quemdam loci illius Levitam & Monachum Gyrfredum officio prelationis functum, quòd piissimum Patrem & reverendum Præsulem domnum Adalgarium Æduorum Episcopum lethali extinxerat veneficio. Hujus criminis iniquissimum objectum, Deo simul & hominibus horrendum, non modò ipsius Ecclesiæ, verùm etiam totius Galliæ aures pulsavit, & infami satis elogio notavit. Præfatus verò Levita & Monachus super illatione tanti facinoris nimiùm exhorruit: ut pote qui tanta tamque prevalida ab ipso dulcissimo Patre persenserat beneficia, uti omnibus satis abundeque claret. Super quo primitus consilium gloriosi Pręsulis domni Vualonis ipsius successoris expetiit, seque à tam nefandissimo scelere non minùs cogitatu quàm facto, pręsentiæ illius Deo teste & judice omnium ac inspectore cordium, immunem firmavit. Denique tantus tamque prçcelsus Pontifex divinorum, necnon & humanorum sciens, filiorum Ecclesiæ consilio fultus, ovem sibi creditam perire noluit: sed insuper fomenta adhortationum, & medicamenta divinorum eloquiorum piè & misericorditer adhibuit: ut si fortè Diaboli pellacia quid simile cordi illius injecerat, saltem suggestione Spiritus sancti, & infusione ipsius verbi Ecclesiastica institutione professus salubriter curari posset & ablui. Verùm jamdictus Levita & Monachus, in nullo penitus tanti flagitii conscius, judicium sibi sancti Spiritus proposuit, & se ad quodcumque examen ecclesiastico more censeretur, modis omnibus promptissimè deliberavit. Quocirca pręnominatus

Anno Christi 894. | Caroli Simplicis Regis 2.

minatus Præsul tantum & tam inauditum facinus proprio cunctatus deliberare judicio, ad sanctam & comprovincialem Synodum Aureliani nominandi Archiepiscopi, & cætorum Coepiscoporum præsentiâ discutiendum & diffiniendum censuit. Quod & ipse ut pote immunis haudquaquam distulit. Proinde Deo propitio præfixâ Calendarum Maiarum die convenêre sacri Pontifices, Aurelianus Primas totius Galliæ, cum illustrissimis Vvalone Æduensi, Ardrado Cabillonensi, Gerardo Matisconensi Coepiscopis, simul & legatis memorandi Teutbaldi Lingonensis Episcopi, apud Cabillonensem urbem in Ecclesia beati Præcursoris Christi Ioannis, quæ est in prospectu ejusdem urbis, ubi instituta sanctorum Patrum canonicè & regulariter promulgantes, & ecclesiastica negotia diligentiùs pertractantes, infamiâ notatum crebrò dictum Monachum coràm positum subtili indagine & multo examine discutere laborarunt. Quo isdem Monachus omnium judicio, more ecclesiastico, & humani juris experimento instructus, nec hujus infamiæ evidentem accusatorem, nec alicujùs certitudinis proclamatorem repetire potuit. Quod tertiò sub testificatione sancti Spiritus clamari jubentes, & nihil prorsus verisimile reperientes, sanciverunt communi consilio, ut quia nec convictum, nec etiam confessum experiebantur, tamen quia ventilatum, & usque locorum erat divulgatum, ut ab omni suspicione liberrimus redderetur, in viciniori Synodo, quam omni reverentia dignus Yvalo Antistes erga filios Ecclesiæ celebraret, corporis Christi & sanguinis illo examine, quod solùm veriùs probatur & terribiliùs, immò salubriùs creditur, à flagitio divulgato publicè expiaretur: eo scilicet tenore eundem priùs testificantes, ut si in aliquo conscius tanti piaculi foret, nullo modo ad sacra sumenda accederet. Et si fortè temerariè præsumeret, censura sancti Spiritus, & auctoritate Apostolorum Principis, ab ipso vivifico redemptionis nostræ pretio extorris fieret, & cum Iuda Domini traditore damnatus æternis irremedialiter suppliciis addiceretur. Sin verò immunem se esse per omnia pernosceret, fisus misericordiæ Dei, tanti muneris donum ad salutis suæ remedium saluberrimè percipere non diffideret. Quod omnibus usquequaque satisfuit. Inde igitur Pastor piissimus misericordia motus, illius causâ apud Flaviniacum Cœnobiùm, & castium publicum sanctam Synodum propriæ Ecclesiæ colligens, juxta statuta supradictorum Antistitum, Missarum solemniis deductis, omnibus qui adfuere, in primore Ecclesia sancti Petri collectis, jam suprafatum præmonuit virum, ut sicut sibi-ipsi conscientia dictaret, ad sacra sumenda aut etiam fugienda quoquo vellet modo seipsum præfigeret, quique in nullo hæsitans, Deum sibi, & ipsum, quod percepturus erat, redemptionis pretium in testimonium & judicium invocans, fidissimè omnibus in prospectu positis, quæ suprà fuerant præfixa, votis omnibus peregit. Hoc igitur tanto donatus munere, ne umquam ulteriùs tam æmuloso sauciaretur vulnere, hoc scriptum à præfato seniore, & subternotatis suis Coepiscopis petiit relegendum, & manibus corroborandum.

Aurelianus sanctæ Dei Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus relegi & subscripsi.

Vvalo humilis sanctæ Æduensis Ecclesiæ Episcopus relegi & subscripsi.

Ardradus humilis Cavillonensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Geraldus rector & humilis Episcopus sanctæ Matisconensis Ecclesiæ subscripsi.

Anno Christi 897. | Caroli Simplicis Regis 5.

CONCILIVM PORTVENSE
In Episcopatu Nemausensi,

Ab Arnusto Narbonensi Metropolitano, ejusque Provinciæ Episcopis congregatum.

In Schedis Narbonensibus repetitur quidem certa hujus Synodi notitia tum ex loco ac die, tum ex anno, quibus celebrata fuit: quid autem in ea gestum sit, non liquet. Illarum autem initium sic habet. *Illustrante gratiâ sancti Spiritus corda fidelium, Conventus factus est Episcoporum sanctorum apud Nemausem pagum, in loco qui Portus cognominatur, in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, anno ejusdem Domini nostri Iesu Christi Incarnationis 897. decimo tertio Kal. Maii, indict. XV. præsidente verò in eodem Concilio magnificentissimo Pontifice primæ Narbonensis Ecclesiæ Arnusto.* Cætera desiderantur.

Annò Christi 897. | Caroli Simplicis Regis 5.

EPISTOLA STEPHANI VI. PAPÆ
ad Arnustum Narbonensem Archiepiscopum.

Qua concedit Arnusto Archiepiscopo Narbonensi, ac ejus Ecclesiæ quædam privilegia.

Ex Catell. editione recognita.

Stephanus Episcopus servus servorum Dei, reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Arnusto Archiepiscopo primæ Sedis sanctæ Narbonensis Ecclesiæ, & per te eidem venerabili Ecclesiæ imperpetuum. Convenit Apostolico moderamini, pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, & poscentium animis alacri devotione impertiri assensum: ex hoc enim lucri potissimùm præmium à conditore omnium Domino promeremur, cùm venerabilia loca opportunè ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur reverentia vestræ fraternitatis postulavit à nobis, quatenus hujus Apostolicæ nostræ auctoritatis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejusdem sanctæ primæ Sedis Ecclesiæ Narbonensis,

Anno Christi 897.

Narbonensis constructæ in honore sanctorum Iusti & Pastoris, ubi beatus Paulus Confessor Christi corpore quiescit; unde salubribus petitionibus vestris inclinati decrevinus, ut à præsenti die, decima quarta indictione, per hujus nostræ Apostolicæ confirmationis privilegium roboramus, stabilimus, & in perpetuum nostra Apostolica authoritate confirmamus, in usu & solatio ejusdem sanctæ primæ Ecclesiæ Narbonensis, cui præesse dignosceris: id est, omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, atque medietatem salinarum & telonei seu Rafiam, atque naufragii, monasterio sancti Laurentii, & cellas, vel cum adjacentiis & pertinentiis earum, unà cum famulis utriusque sexus, & alia omnia quæ à piis Imperatoribus & Regibus, vel aliis Deum timentibus in eadem Ecclesia collata sunt, vel conferenda tam in ipso comitatu Narbonensi, quàm & Redensi, ceu Nemausensi, atque Ausonensi. Hæc verò omnia ita jure firmissimo à te tuisque successoribus possideri volumus, sicut olim possessum est à sanctæ memoriæ decessore tuo Daniele Episcopo, & reverendo Sigebodo ejusdem primæ Sedis Narbonensis Præsule, sub tua, tuorumque successorum ditione, potestate, ac utilitate omnimodis confirmantes. Statuentes etiam Apostolica censura sub divini judicii obtestatione, & anathematis interdicto, ut nulli unquam magno vel parvo homini liceat quamlibet forciam, vel oppressioné in omnibus rebus ejus facere, aut potestatem aliquam habere, vel aliquem distringere, aut qualecumque teloneum ab eis exigere, sive ad placitum eos ubicumque pro quibuscumque causis, aut casibus provocare præsumat, nisi in præsentia Archiepiscopi causa illorum audiatur, & regulariter firmetur. Illud quoque nostra Apostolica auctoritate juxta canonicam sanctionem nobis addere placuit, ut si quando divina vocatione vos, vestrique successores ex hac luce migraveritis, quamdiu in ipsa Ecclesia Narbonensi repertus fuerit, qui dignus sit officio Pontificatus ipsius fungi, nulli liceat ex alio loco inibi ingredi, nec jamdictam sibi prædictus quacumque dignitate, aut regia authoritate usurpare Sedem, sed Conventu vicinorum Coepiscoporum occurrere valentium facto, absque alicujus potestatis interdicto, benedictionis Cleri vel plebis percipiat dignitatem. Si verò aliquem de suffraganeis Coepiscopis contigerit mori, perquirens Metropolitanus Episcopus electionem plebis ipsius, eam visitare studeat, ut poté viduatam Ecclesiam. Quòd si fortè ibi talis non repertus fuerit, qui onus sacerdotale ferre queat, per canonicam authoritatem, & nostram Apostolicam permissionem licentia sit illi absque ulla retractatione de sua Ecclesia talem inthronisare, qui suffraganeæ suæ Ecclesiæ dignus præesse valeat Pastor. Si quis, quod non optamus, contra hoc nostrum Apostolicum privilegium, pié à nobis statutum temerario ausu agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, & à regno Dei alienus existat: Qui autem verus custos & observator extiterit, benedictionem & gratiam à Domino consequatur. Bene valete. Scriptum per manum Nicolai scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Augusto, indictione xv. Datum XIII. Kal. Septembris per manum Stephani Episcopi sanctæ Ecclesiæ Nepesinæ in Arcario sanctæ Sedis Apostolicæ, imperante Domino piissimo Augusto Arnulpho à Deo coronato Magno Imperatore, anno primo.

Caroli Simplicis Regis 5.

NOTA.

Cùm certissimum sit Stephanum sextum initio mensis Ianuarii electum fuisse Papam anno 897. deinde cùm jam indictio hujus anni, quæ est XV. incepta esset à Kal. Septembris more Romano, & nondum quoque finita esset tempore hujus Epistolæ Stephani datæ mense Augusto ad Arnustum Narbonensem; hinc fit, ut loco indictionis XIV. editæ, necesse habuerimus reponere indictionem XV. sicut idem rectè observatum est à Synodo Portuensi eodem anno, & mense Aprili celebrata sub eodem Arnusto Narbonensi Archiepiscopo. Præterea correctio illius indictionis congruit optimè anno currenti primo imperii Arnulfi, qui coronatus est Imperator à Formoso Papa anno præcedente 896. cujus imperii mentio adnotatur more solito ad finem ejusdem Epistolæ.

Anno Christi 900.

Caroli Simplicis Regis 8.

CONVENTVS EPISCOPORVM in Ecclesia sanctæ Mariæ Remensis.

Ex Codice Camuzatii.

Vbi Heriveus in Remorum cathedra sublimatus est, qui cum multis aliis Episcopis Vvinemarum excommunicavit, & pro tam inaudito scelere, perpetuo anathemate condemnavit, ut tradunt Annales Francorum Metenses circa annum 903. Contrà tamen ex Flodoardi calculo in historia Remensi, & Fulconis interemptionem, & ordinationem Herivei, atque Vvinemari excommunicationem simul in hunc Christi annum 900. cadere colligitur, quem etiam Chronicon Remense, ac vetus Codex MS. Nicolai Camuzatii Trecensis sequuntur. Ex quo hîc repræsentamus hujus excommunicationis exemplar.

Excommunicatio hominum Balduini Comitis Flandriæ, propter occisionem Fulconis Archiepiscopi Remensis ab illis perpetratam.

Anno DCCCC. dominicæ Incarnationis, pridie Nonas Iul. primò scilicet die, quando ordinatus est Heriveus in Archiepiscopatu Remensi Episcopus, lecta est excommunicatio hæc, quæ sequitur, in Ecclesia sanctæ Mariæ Remis, præsentibus Episcopis infrà scriptis. Heriveus nomine, non merito Remorum Archiepiscopus, ac plebis Dei famulus, Vvito Rotomagensium Archiepiscopus, Riculfus Suessionum Episcopus, Herilo Noviomagensium Episcopus, Dodilo Cameracensium Episcopus, Herilandus Morinensium Episcopus, Otgarius Ambianensium Episcopus, Honoratus Belvacensium Episcopus, Mancio Catalaunensium Episcopus, Rodulfus Laudunensium Episcopus, Otfridus Silvanectensium Episcopus, Angelrannus Meldensium, Episcopus. Notum sit omnibus ubique sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tam clericis, quàm laïcis, quòd nos, & commissa nobis omnis Ecclesia, nimiâ perturbatur tristitiâ pro inaudita re post persecutionem temporis Apostolorum, eorumque

ANNO CHRISTI 900.

rumque successorum, de occasione nimirum Patris & Pastoris, nostri Folconis ab impiis impiè perpetrata, qui pro regni utilitate, & totius sanctæ Ecclesiæ statu, pro viribus die noctùque desudans, ac seipsum in defensione omnium Ecclesiarum in hoc regno consistentium muro protectionis opponens; res enim earum à Balduino Comite, filio Balduini ac Iudith, contra omnem legem & divinam & humanam pervadebantur, ideo ab ipsius Balduini hominibus, Vvinemaro, Euverardo, & Ratfrido, cæterisque eorum complicibus interfectus crudelissimè occubuit, de ejus morte totius Ecclesiæ ordo atque professio meritò contristatur, & lamenta compassionis ex intimis cordium suspiriis emittit. Quia igitur tale scelus nostris temporibus perpetrare non timuerunt, quod antea, nisi fortè à Paganis, in Ecclesia non auditum, quia non est actum, in nomine Domini, & in virtute sancti Spiritus, necnon auctoritate, Episcopis per beatum Petrum Principem Apostolorum divinitùs conlata, ipsos à sanctæ Matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate eos condemnamus, ut eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec ulla inter Christianos conversatio; sintque maledicti in civitate, maledicti in agro; maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ eorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum, armenta boum suorum, & greges ovium suarum, maledicti sint ingredientes & egredientes, sintque in domo maledicti, in agro profugi, intestina in secessum fundant, sicut perfidus & infelix Arrius; veniantque super illos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Mosem in populũ divinæ legis prævaricatorẽ intentavit; sintque anathema Maranatha, & pereant in secundo adventu Domini. Insuper quicquid maledictionis sacri Canones & Apostolicorum virorum decreta decernunt super homicidis & sacrilegis; nam illos sacrilegorum nomine notamus, qui in hunc Christum Domini manum mittere ausi sunt. Omne super illos, ac perpetuum interitum per justissimam divinæ animadversionis sententiam congeratur Nullus ergo eis Christianus vel Ave dicat. Nullus Presbyter Missas aliquando celebrare coràm, nec, si infirmati fuerint, confessiones eorum recipere, vel sanctam communionem eis, nisi resipuerint, etiam in ipso fine vitæ suæ præsumat unquam dare, sed sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium super faciem terræ sint, ut sint in exemplum opprobrii & maledictionis præsentibus generationibus & futuris. Et sicut hæ lucernæ de nostris projectæ manibus hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur.

CAROLI SIMPLICIS Regis 8.

Aliæ excommunicationum formulæ.

Placet huic addere alteram excommunicationis formulam ex Codice Petaviano, qua usus est antè Hincmarus Laudunensis Episcopus in Diœcesi sua & alibi.

Apostolicâ, imò divinâ auctoritate per virtutem hujus ligni (videlicet sanctæ Crucis) cooperantibus meritis sanctæ Genitricis Mariæ, cum auctoritate beatissimi Principis Apostolorum Petri, tam omnes hujus loci invasores, quàm Parochiæ meæ, omnesque hujusmodi contaminatores, cunctosque eis consentientes anathemate damnamus, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ extorres, virtute Spiritus sancti decernimus, atque ab omni Christianorum consortio alienos adjudicamus. *Responditque omnis Clerus*, Anathema sint. *Tenentibus Presbyteris in manibus sancta Evangelia, lignumque sanctæ Crucis.*

Visum est ultimò subjungere quoque verba excommunicationis in Concilio Remensi anno 975. prolatæ adversùs Theobaldum Ambianensem Episcopum; videlicet: Te velut morbidum & morbosum hircum separamus à grege dominico, & ex auctoritate Omnipotẽtis, & sanctæ Mariæ, sanctique Petri Principis Apostolorum, damnamus te, & excommunicamus, sacrisque liminibus Ecclesiæ arcemus, usque ad veram tui recognitionem, & dignam satisfactionem.

ANNO CHRISTI 903.

CAROLI SIMPLICIS Regis 11.

EPISTOLA HERIVEI REMORVM ARCHIEPISCOPI, ad Vvitonem Archiepiscopum Rotomagensem,

De qua loquitur Flodoardus lib. 4 historiæ cap. 14.

Qualis penitentia debet injungi non baptisatis Gentilibus, & baptisatis, & rebaptisatis, & posteà more paganico Ecclesias devastantibus, & Christianitatem delentibus. Ex sententiis Patrum & Canonibus, & decretalibus Pontificum Romanorum.

Reverentissimo, ac dilectissimo fratri, & Coarchiepiscopo Vvitoni Rotomagensi, Heriveus Remorum Archiepiscopus plurimam in omnium Salvatore salutem, æternæque beatitudinis felicitatem.

Ex Codice Tiliano.

VT rogatis humilitatem nostram quærere divinis in oraculis, qualiter consulendum vobis foret his, qui rebaptisati sunt, & æquè, ut ante baptismum juxta Paganismi morem, quemadmodum sues sunt reversi ad volutabrum, & canes ad vomitum, ludicras voluptates nefando Paganorum ritu exercuère, seu de illis, qui nondum baptismum percipere meruerunt, prout quivimus, satisfacere precatui vestro fategimus, quantumve brevitas temporis sivit. Et ut unumquodque capitulum vobis faciliùs fieret ad repetiendum, capitulatim in hac schedula fecimus scriptum. *Et quia misericordia Domini plena est terra:* Psal. 32. Cui & Ecclesiæ per apostrophem precabiliter dicit; *Misereris omnium Domine, & nihil eorum odisti, quæ fecisti, dissimulans peccata hominũ propter penitentiam;* Sap. 11. Dignum duximus mirabile & misericordissimum beati Ioannis Apostoli & Evangelistæ factum, immo ipsius Domini opus piissimum, & consuetissimum hîc vobis ponendo brevissimè expromendum, quemadmodum vobis notissimum, & in ecclesiastica historia latiùs digestum.

Anno Christi 903.

Cap. I.

De S. Ioann. Evangel.

Cùm ipse Ephesum rediens lustraret vicinas & illustraret provincias, vidit quendam juvenem animis acrem nimis, quem loci illius Episcopo commendavit, qui & illi gratiam tradit baptismi: deinde confidens gratiæ, qua fuerat commonitus, eundem juvenem remissiùs habere cœpit, sed ille immatura libertate potitus, corruptæ viæ tramitem incedit, deinde à furtis mala quęque sensim incipiens, demùm magister latronum in brevi effectus est, donec idem Ioannes eundem locum tempore elapso invisens, à pręfato requisivit depositum suum Episcopo. Et cùm competisset eundem absentatum esse juvenem, ascenso citiùs equo perquisivit eum, ac perquisito & fugitanti dixit Apostolus; Sta tantùm & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens restitit, tum deinde tremefactus flebat amarissimè, & accedentis ad se senis genibus provolvitur, gemitibus & ululatibus quibus poterat, satisfaciens, & uberrimis lacrymarum suarum fontibus iterum baptisabatur, occultans solam dexteram suam: Apostolus verò jurisjurandi sacramento se ei impetraturum à Salvatore veniam pollicens, simulque genibus ejus provolutus, atque ipsam dexteram, ex cujus cædis conscientia torquebatur, tanquam jam per pœnitentiam purgatam deosculans, ad Ecclesiam revocat, & indesinentes pro eo orationes profundens, & cum ipso pariter ducens crebra jejunia, indulgentiam à Deo, quam ei pollicitus fuerat, experebat; nec priùs abstitit, quàm eum in omnibus emendatum etiam Ecclesiæ pręficeret.

Cap. II.

Iuvat hîc & illud memorabile factum beati Papæ Silvestri erga Imperatorem Constantinum inserere, maximè propter jejunium hebdomadæ ab ipso ei indictum. Sanctus, inquit, Silvester inter cętera ad eundem dixit Cęsarem: Exige à teipso hac una hebdomada jejunium, & depositâ purpurâ intra in cubiculum tuum, ibique induere cilicio prostratus humo, & confitere te modò per ignorantiam errorem passum, ut Christianis persecutionem indiceres; & ipsum Salvatorem corporum & animarum Iesum Christum non solùm loquendo, sed & credendo pręnuncia, & pœnitere te multos sanctos Dei occidisse. Et paulò pòst: Iube per totam hebdomadam eleemosynam fieri, beneficia etiam postulantibus exhibe, & idoneos, qui hæc exequantur, constitue. Et post aliquanta: Imposuit sanctus Silvester manum suam super capite ejus, benedicens eum, ac faciens catechumenum. Tunc congregatis omnibus Presbyteris, & Diaconibus, cum universo Clero, indixit jejunium omni Ecclesiæ dicens; Si Ninivitæ in prędicatione Ionæ per triduanum jejunium iram Dei, offensamque, quam promiserat, his debitam evaserunt, quantò magis nos in prędicatione Domini nostri Iesu Christi persecutiones evademus, lucramur animas, pacem Dei Ecclesiis adquirimus, & idololatriis finem imponimus? Hæc autem facimus jejuniis & orationibus, ut hæc à Deo impetremus, &c.

Ion. 3.

Cap. III.

Dicta beati Gregorii ad populum.

Beatus quoque Gregorius in Evangelii homilia ad populum: Si Deo, inquit, vivere in pueritia & juventute noluistis, saltem ad ultimam ætatem resipiscite, & ad vitæ vias, cùm jam laboraturi multùm non estis, vel serò venite. Et paucis interpositis. Plerumque tales antè remunerantur, quia priùs ad regnum de corpore exeunt, quàm hi, qui jam in pueritia vocati esse videbantur. An non ad undecimam venit Latro? qui etsi non habuit per ætatem, habuit tamen serò per pœnam; qui Deum in cruce confessus est, & penè cum voce sententiæ spiritum exhalavit vitæ. A novissimo autem reddere denarium Paterfamiliàs cœpit, quia ad paradisi requiem priùs Latronem quàm Petrum perduxit. Item idem; Regnum cęlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Pręstat magnam veniæ fiduciam Latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde Latro: nam Latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate rogo, cogitate, quàm sint incomprehensibilia in omnipotente Deo misericordiæ viscera. Latro iste cruentis manibus abstractus à fauce itineris, suspensus est in patibulo crucis, ibi confessus est, ibi sanatus est, ibi audire meruit; Hodie mecum eris in paradiso, &c. Qui rursus Petro Episcopo Corsicæ scribens ait; Fraternitas vestra sollicitè studeat opus, quod cœpit, auxiliante Domino, ad perfectionem deducere, & sive eos, qui aliquando fideles fuerunt, sed ad cultum idolorum, negligentia aut necessitate faciente, reversi sunt, festinet cum indicta pœnitentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, ut reatum suum plangere debeant, & tantò firmiùs teneant hoc, ad quod adjuvante Domino revertuntur, quantò illud perfectè defleverint unde discedunt; sive eos, qui necdum baptisati sunt, admonendo, rogando, de venturo judicio terrendo, rationem quoque reddendo, quòd ligna & lapides colere non debent: festinet fraternitas tua omnipotenti Domino congregare, ut in adventu ejus cùm districtus dies judicii venerit, in numero sanctorum possit tua sanctitas inveniri. Quodcumque enim utilius & sublimius acturus es, quàm ut de animarum vivificatione & collectione cogitans, & tuo Domino, qui tibi prædicandi locum dedit, immortale lucrum reportes? Et reliqua. Et alibi ad Mellitum Abbatem: Quia gens Anglorum boves solet in sacrificio dęmonum multos occidere: debet etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutata sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis sollemnitatem celebrent, nec Diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua exteriùs gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire faciliùs valeant: nam duris mentibus simul omnia abscidere, impossibile esse non dubium est. Quia enim qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus, non autem saltibus elevatur. Sic Israëlitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum usum, quem Diabolo solebant exhibere, in cultum proprium reservavit, ut eis in suo sacrificio animalia immolare pręciperet, quatinus cor mutantes, aliud de sacrificio omitterent, aliud retinerent, ut & si ipsa essent animalia, qua offerre consueverant, verumtamen Deo hæc & non idolis immolantes, jam sacrificia ipsa non essent.

Caroli Simplicis Regis 11.

Cap. IV.

His non dissimilia de pœnitentium mitissima susceptione sanctus Ambrosius annectit, in libro qui inscriptus est pœnitentiæ: Qui studet humanæ

ANNO CHRISTI 903.

manæ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere & quoquomodo pensare humeris, non abjicere. Nam Pastor ille evangelicus lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse. Et Salomon ait; Noli justus esse nimium: Debet enim justitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum se tibi curandum præbeat, quem fastidio habeas, qui contemptui se, non compassioni, medico suo putet futurum? Ideo Dominus Iesus compassus nobis est, ut ad se vocaret, non ut deterreret, mitis venit, venit humilis: Denique ait; Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos. Reficit ergo Dominus Iesus, non excludit neque abjicit, meritòque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. Vnde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur; & cùm ipsi quærant Domini misericordiam, aliis eandem denegant, ut sunt Doctores Novatianorum, qui mundos se appellant. Quid his superbiùs? cùm Scriptura dicat; Quia nemo mundus à peccato, nec unius diei infans: Et David clamat; A delicto meo munda me. Et post pauca, Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.

CAP. V. Beatus docet breviter Augustinus, qualiter eis qui præsunt, de quibuscumque hominibus pravis agendum sit, dicens: Non est desperandum de malis, sed pro ipsis ut boni fiant, studiosiùs supplicandum; quia numerus Sanctorum de numero semper auctus est impiorum.

CAP. VI. Legitur & ad locum in libro vitæ sancti Remigii Francorum Apostoli inter cętera, quibus refertur conversio Hludovici Regis & populi ejus: Ille gaudio magno repletus, Regem & populum qualiter diabolo & operibus ac pompis ejus abrenunciare, & in Deum credere deberent, apertis & brevibus verbis instruxit: & quia dies sancti Paschæ imminebat, jejunium secundùm Christianorũ cõsuetudinem eis indixit. Hinc & in B. Pontificis Vedasti vita invenitur, quomodo in via sub præsentia ejusdem Regis & populi, vir Dei Vedastus cęcum illuminaverit, & quemadmodum idem Rex ad baptismum venerit, & in Remensi civitate virum Dei Vedastum sancto commendaverit Remigio: Rex, inquiens, à viro Dei evangelicis apprimè imbutus doctrinis, & huic præsenti miraculo in fide firmiter confortatus, nil moratus in via, nil dubitans in fide, sed magna alacritate animi, magna festinatione itineris, sanctissimum Pontificem Remigium videre properavit, ut illius sacratissimo ministerio, Spiritu sancto operante, in remissionem peccatorum & spem vitæ æternæ, Catholici baptismatis vivo ablueretur fonte, cum quo aliquantis moratus diebus, ut Ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, & pœnitentiæ, secundùm apostolicum præceptum, priùs ablueretur lacrymis, dicente beato Petro Principe Apostolorum: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Iesu Christi: & sic in nomine sanctæ Trinitatis ministerii baptisma susciperetur.* Act. 2.

CAP. VII. De quodam Apostata repetitur in miraculis beati Basilii Cęsariensis Episcopi, quia scripto negavit Christum, & diabolo in testimonium negationis suæ tradidit seipsum, cui idem vir mirabilis Basilius inter cętera, dixit. Vis reverti ad Dominum Deum nostrum? ad quem puer; Vtique volo, sed non valeo. Dicit ei, Quare? Respondit puer; Scripto abnegavi Christum, & professus sum diabolo. Dicit ei sanctus Basilius: Non sit tibi curæ, benignus est enim Deus noster, & recipiet te pœnitentem; compatitur enim malitiis nostris. Et quibusdàm interpositis. Dicit ad puerum idem Sanctus; Credis salvari? qui ait, Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam, & continuò apprehendens manum ejus, faciens Christi signum in isto, & orans reclusit eum in uno loco interioris sacri periboli, & dans ei regulam, collaborabat ei per tres dies. Et post aliquanta. Quadragesimo die ipse Sanctus ad eum rediit, & dicit ei: Quomodo habes, frater? Respondens, dicit ad eum; Bene habeo, Sancte Dei; vidi enim te hodie in visu pugnantem pro me, & vincentem diabolum. Et iterum mane facto vocavit sacrum Clerum, & monasteria, & omnem Christo amabilem populum, & dixit eis: Filioli mei dilectissimi, omnes gratias agatis Domino; ecce enim ovem perditam debet Pastor bonus in humeris reportare, & offerre Ecclesiæ. Quapropter debitum est, & nos vigiliam facere nocte, ac postulare ejus benignitatẽ, ut non vincat corruptor animarũ etiam in hoc facto; & alacriter populo toaggerato per omnem noctem postulaverunt Deum cum bono Pastore, cum lacrymis clamantes pro eo, Kyrie eleison; & maturè cum omni multitudine populi accepit Sanctus puerum, & tenens dexteram manum ejus, ducebat illum in sanctam Dei Ecclesiam cum psalmis & hymnis, & ecce diabolus oculos omnium fascinans in tristem vitam cum omni perniciosa virtute advenit, & visibiliter apprehendens puerum, conabatur rapere eum de manu Sancti, & cœpit clamare puer: Sancte Dei, adjuva me: & rursus conversus Sanctus ad diabolum dixit; Improbissime, & animarum corruptor, pater tenebrarum & perditionis, non sufficit tibi tua perditio, qua te & eos qui sub te sunt, affecisti, nisi etiam & Dei mei tentes plasma. Et perpaucis interpositis. Sanctus Dei ait ad diabolũ: Increpat te Dominus, diabole: qui respondens ait ad eum; Basili, præjudicas me; non abii ego ad eum, sed ipse venit ad me; abnegavit Christum, & professus est mihi; & ecce manuscriptum habeo; & in die judicii ad communem judicem eum duco. Sanctus Dei dixit: Benedictus Dominus Deus meus: non deflectet populus iste manus de altitudine cæli, donec reddas manuscriptum: & convertens se dixit populo: Erigite manus vestras in cęlum clamantes cum lacrymis: Christe, Kyrie eleison. Et stante populo in horam multam, extensas habente manus in cælum: Ecce manuscripta pueri per aërem delata, & ab omnibus visa, venit, & imposita est manibus memorabilis nostri Patris & Pastoris. Suscipiens autem eam, & gratias agens Deo, gavisus factus est valde, & coram omni populo dixit ad puerum: Cognoscis litterulas has, frater? qui ait ad eum: Etiam, Sancte Dei, manuscripta mea est: & disrumpens manuscriptam sanctus Basilius, perduxit eum ad Ecclesiam, & dignum fecit cum sancto ministerio, & communione mysteriorum & munerum Christi.

CAP. VIII. De S. Laurentio. Inter alia scriptum habetur in passione beati Laurentii Archilevitæ & martyris Christi. Erat homo in carcerali custodia multo jam tempore gentilis, qui plorando amissis oculis cæcus factus fuerat: dixit ad eum beatus Laurentius;

CAROLI SIMPLICIS Regis II.

Si credis in Filium Dei Dominum Iesum Christum baptizare, & illuminabit te. Et continuò post ipsius confessionem baptizato aperti sunt oculi ejus, & cœpit clamare, dicens: Benedictus Dominus Christus Deus æternus, qui me illuminavit per beatum Laurentium; quia semper fui cęcus, & modò video. Post hæc & beatum Hypolitum more solito catechisatum, & acceptâ aquâ benedixit, & baptizavit illum. Deinde simili modo militem baptizavit Romanum, qui & baptizatus, mox martyrio est coronatus.

Cap. IX. De S. Sebastiano.

Scriptum est & in passione sancti Sebastiani. Ad locum cùm omnes qui ad decipiendos sanctos Marcum & Marcellianum venerant, unanimiter crederent Christum; Nicostratus cum conjuge sua urgebat, dicens: Non capiam cibum neque potum, nisi mysterium mihi Christianæ religionis fuerit traditum. Cui sanctus Sebastianus dixit: Muta dignitatem tuam, & incipe esse Christi magis primiscrinius quàm præfecti; audi itaque consilium meum, & omnes quos carcer inclusit, quos vincula tenent, quos ergastula conficiunt, in unum redige; quod cùm feceris, Antistitem sacrosanctæ legis adhibeam, ut cum omnibus qui credere voluerint, mysterii suscipias Sacramentum. Si enim diabolus Christo sanctos ejus auferre conatus est, & conatur; quanto magis nos pietatis argumento hos, quos diabolus injustè lucratus est, curare debemus, & suo restituere Creatori? Et Nicostratus ad hæc respondit, dicens: Quomodo iniquis & criminosis possunt sancta committi? Sanctus Sebastianus ait: Salvator noster pro peccatoribus suam nobis dignatus est exhibere præsentiam, & ostendit mysterium per quod omnia peccata & crimina omnia hominibus auferantur, & omnes virtutes Domini conferantur. Et post multa sanctus Sebastianus abiit in Polycapum sanctum Presbyterum, ubi erat causâ persecutionis occultus, & narravit ei omnia quæ gesta sunt: quibus auditis, Polycarpus gratias egit Deo, & unà cum eo venit ad domum Nicostrati: & videns turbas credentium, salutans eos cum omni gaudio, ait: Beati vos omnes qui audistis vocem Domini nostri Iesu Christi dicentis: *(Matth. 11.)* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam: Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve. Vos itaque fratres nostri, quos baptismatis unda diluit, & consecrando Deo omnipotenti charissimos filios fecit, pro hoc quod à proposito suo sancto revocare conati estis beatissimos milites Christi, opus vobis erat pœnitentia, ut per ipsam ad indulgentiam veniretis. Nunc autem quia ad tantam accessistis, ut etiam ad passionem à qua dolenter alios revocare voluistis, ad ipsam desideritis gratanter velle currere, & libenter vetus hoc Christi artificium est: nam ipsum, quem vas electionis suæ esse dignatus est, & voluit magistrum gentium dare, qui non solùm fidelium animos à pietatis proposito revocabat, sed etiam nolentes à Christo discedere, lapidibus obruebat, hunc nobis ipse Dominus Apostolum condonavit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, ex Apostata fecit Apostolum, & dedit Ecclesiæ ex persecutore rectorem. Amator passionis factus est, qui persecutionis auctor extiterat; & qui in alienis afflictionibus priùs gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus lætabatur. Ipse qui tunc in Apostolo suo virtutem istam exercuit, ipse nunc de ipso inferorum conclavi, & ex ipsis draconum faucibus animarum vestrarum captivitatem eripuit, & vobis nunc à tenebris ad lucem remeantibus, æternæ vitæ januas patefecit. Quia ergo omnes dæmones qui sunt tenebrarum filii, contristantur, & omnes sancti Angeli qui sunt filii luminis gratulantur, accedat unusquisque, & det nomen suum, ut hodierno die usque ad vesperum perducante jejunio festivum baptismatis Sacramentum opportunum tempus inveniat: & illorum omnis familia, quæ erat in domo Nicostrati animæ XXXIII. promiscui sexus & ætatis, dehinc omnes qui vincti ac de carceris squalore adducti animæ XVI. omnes isti XLIX. à sancto Policarpo Presbytero baptizati, & à sancto Sebastiano suscepti sunt.

Cap. X. Verba domni Bedæ.

Iuxta salutiferam & firmissimam fidei Catholicæ doctrinam in toto terrarum orbe unanimiter ac fideliter ab omnibus conservandam, quod de carnali, hoc etiam de spiritali generatione sentiendum, nequaquam videlicet eam, postquam semel expleta fuerit, posse repeti. Sive enim hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui ita baptizatus est, à bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio vel exhibitio tanti nominis videatur annulari.

Cap. XI.

De his quibus dubium est, utrùm baptismum perceperint, necesse est ut renascantur, ex responsionibus Papæ Leonis ad inquisitiones Rustici Narbonensis Episcopi. Si nulla extant inter propinquos aut familiares indicia, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifestè pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse quòd ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod ab eorum parentibus dabatur, acceperant: sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit prȩsumptionis, ubi est diligentia pietatis.

Cap. XII.

Captivis cibos immolatitios necessitate comedentibus pœnitentia concedenda, ex decretis ejusdem Papæ Leonis. De his Christianis, qui inter eos, à quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi caritatis tuæ hoc etiam respondendum esse credimus, ut pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione pensanda est; & sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit, non dubitetur abolendum, cùm hujusmodi cibus pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.

Cap. XIII. Can. 11.

De laïcis qui Deum negaverunt, & de his qui abrenunciaverunt, & iterum ad sȩculum sunt reversi, ex Concilio Nicȩno. De his qui prȩter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se contritione

ANNO CHRISTI 903.

contritione dejiciant; duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

CAP. XIV. 1. Can. 1. Ex Concilio Carthaginensi, Gratus Episcopus dixit: Si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis; unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitare secundùm Evangelii fidem, & Apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Iesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aquam iterum tingi. Vniversi Episcopi dixerunt; Absit, absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum à sincera fide & catholica disciplina.

CAP. XV. In Concil. Ancyrano Can. 1. De his qui timore ritus gentilium peregerunt, quotquot ascenderunt templa cum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducaverunt, flentes, si compleverint pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est, ut ipsi oblationem non offerant: si autem perducti ad templa non manducaverunt, biennium maneant in pœnitentia: tertio verò anno communicent, sed sine oblatione, ut dictum est, ut quarto jam anno perfectionem suam percipiant. Episcopum autem hinc habere licentiam oportet, ut pro his peccata singulorum consideret, & prout viderit conversationem, normam regulamque conversionis attribuat, id est, ut humaniùs agens, secundùm vitæ modum tempus alicui breviare, aut etiam prolixiùs, quod correctioni necessarium viderit, addere. Discutiatur autem omnium horum & pręcedens vita, & posterior, & ita circa eos sacerdotalis humanitas moderetur.

CAP. XVI. Can. 7. De his qui frequenter idolis immolaverunt, ex Concilio Ancyrano. De his qui festis diebus paganorum in remotis eorum locis conviviis interfuerunt, & suas nihilominus epulas ibidem portaverunt, atque comederunt, placuit, ut post biennii pœnitentiam suscipiantur; ita tamen, utrum autem cum oblatione recipiendi sint, an ad solam communionem admitti debeant, unusquisque Episcoporum examinet vitam eorum, & pręterita ac pręsentia, debita consideratione perpendat.

C. XVII. Can. 8. De his qui coacti, idolis immolaverunt, ex eodem Concilio. Hi qui secundò aut tertiò sacrificaverunt vi coacti, quatuor annis sese ad pœnitentiam summittant, duobus autem aliis sine oblatione communicent, septimo anno perfectionem recepturi communionis.

C. XVIII. De his qui convivio gentilium & escis immolatitiis usi sunt, ex responsione XIX. Papæ Leonis ad inquisitiones Rustici Narbonensis Episcopi. Si convivio solo gentilium & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis & manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, Sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.

CAP. XIX. Quòd hi qui ad iterationem baptismi, vel vi, vel timore coacti, animos inclinarunt, pœnitentiæ sint sublevandi remedio, Leo Papa ad Nicętam Aquileiensem Episcopum. Hi de quibus dilectio tua nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti, vel errore traducti sunt, & nunc se contra Catholicæ fidei Sacramentum egisse cognoscunt, ea est

A constituenda moderatio, quæ in societatem nostram nonnisi per pœnitentiæ remedium, & per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant unitatem, tempora pœnitudinis habita moderatione, tuo constituenda judicio, prout conversorum animos inspexeris esse devotos, pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum respicientes necessitates, in quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, ne de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratiæ subveniri.

CAROLI SIMPLICIS Regis 11.

B Legitur in actibus Apostolorum, quòd quidam descendentes de Iudęa, docerent fratres oportere circumcidi, & servari legem Moysi: Apostoli tamen & seniores cum omni Ecclesia jusserunt, nihil oneris ultrà eis imponentes, ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocatis, & fornicatione. CAP. XX. Cap. 15.

Vt cum Donatistis, qui ab omnibus Catholicis, sicut ab universo terrarum orbe erant damnati, leniùs ageretur, ex Concilio Africano. Pertractatis & consideratis omnibus, quæ utilitati Ecclesiæ convenire videbantur, annuente atque administrante Spiritu Dei, elegimus cum memoratis hominibus, quamvis de dominici corporis unitate inquieta discutione pręcisis, leniter & pacificè agere, ut (quantum in nobis C est) omnibus qui eorum communione & societate irretiti sunt, per universas provincias Africanas penitus innotescat, quàm miserabili errore devincti sunt, nisi fortè, sicut dicit Apostolus, Nobis in mansuetudine corripientibus, diversa sentientes, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis captivati ab eo in ipsius voluntate. CAP. XXI. Can. 33. 2. Tim. 2.

Quòd nulli sit ultima pœnitentia deneganda, ex epistola Papæ Cęlestini ad Episcopos Galliarum. Agnovimus morientibus pœnitentiam denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus D sui tempore, hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus (fateor) tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere, quo se ille expediri desiderat & liberari. Quid hoc, rogo, aliud est quàm morienti mortem addere, ejusque animam suâ crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cùm Deus ad subveniendum paratissimus invitans ad pœnitentiam sic promittat: Peccator (inquit) quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed tan- E tùm ut convertatur & vivat. Salutem ergo homini adimit, quisquis ei mortis tempore pœnitentiam denegarit: & desperavit de clementia Dei qui eum ad subveniendum morienti succurrere vel in momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce pręmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset; cùm esset in pœna, pœnituit, & per unius sermonis confessionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potiùs est æstimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter asserente: Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris. Cùm ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non C. XXII. Ezech. 18. Luc. 23. Ezech. 3. & 33. 1. Reg. 16.

ANNO CHRISTI 905. Hier. 17. C. XXIII. In pœnitentiali Bedæ Presbyteri.

est deneganda pœnitentia postulanti, cùm illi se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

In libello qui superscriptus est, Pœnitentialis Bedæ Presbyteri venerabilis. Sollerter admonemus doctum quemque Sacerdotem Christi, ut in universis quæ hîc adnotata reperit, sexû, ætatem, conditionem, statum, personam, ipsumque cor pœnitentis curiosè discernat; & secundùm hæc, quod sibi visum fuerit, singula quæque judicet: quibusdam namque à cibis abstinendo, aliis eleemosynas dando, nonnullis flectendo sæpius genua, sive in cruce stando, aut aliud aliquid hujusmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat, faciendo: plurimis universa hæc agenda sunt; necesse est errata corrigere, quæ universa in examine discreti debent pendere judicis. Semper in Christo felici successu præpolleat, & omnibus in bonis vigeat reverenda & percolenda germana caritas vestra, memor nostri in orationibus suis, & universæ Ecclesiæ nostræ.

NOTA.

CAROLI SIMPLICIS Regis 11.

Consuluerat Heriveus Ioannem IX. Papam de Normannorum mitigatione atque conversione, pro qua valde laboravit, ut refert Flodoardus lib. 4. hist. cap. 14. de qua Ioannes Papa rescribit Heriveo, quod ipse illorum mores, actusque omnes pariter & conversionem agnoscere præ cæteris valeat, utpote confiniis ejus provinciæ vicinorum, quodque satis ejus cognoscat industria, quid cum eis agendum sit. Vnde consultus similiter ipsemet Heriveus super hujuscemodi negotio à Vvitone Archiepiscopo Rotomagensi, ad ejus petitionem, collecta ex diversis auctoritatibus sanctorum Patrum XXIII. capitula, qualiter ipsi Normanni tractari deberent, eidem Archiepiscopo delegavit. Loquitur etiam idem Flodoardus in eodem capite lib. 4. Hæc prædicta igitur capitula sunt epistolæ titulo enunciata, quæ in codice Tiliano epistolam Ioannis PP sequebantur insertam quoque Conciliorum editioni, unde par est alteram Herivei in supplementis reponere. Porro juvat hîc Synodorum quas celebravit idem Heriveus Remensis Archiepiscopus, mentionem adtexere, quam legere est apud eundem Flodoardum initio ejusdem capitis 14. Conventus, inquit, synodales sæpe cum Coepiscopis suæ diœceseos habuit, in quibus de pace & religione sanctæ Dei Ecclesiæ, statuque regni Francorum salubriter, competenterque tractavit; videlicet Conventum Remensem anno Christi 900. Concilium Troslejanum anno 909. & alterum ejusdem nominis anno 921.

ANNO CHRISTI 906. — CAROLI SIMPLICIS Regis 14.

CONVENTVS EPISCOPORVM ad Ecclesiam sancti Eugendi in monasterio Iurensi,

A quibus auditur controversia inter Canonicos Mastiscenses & Monachos Iurenses.

Ex schedis Matisconensibus.

ANNO Incarnationis dominicæ DCCCCVI. cùm venissent sacri Pontifices, Austerius Lugdunensis Archiepiscopus, & Gerardus Matiscensis Episcopus ad Ecclesiam sancti Eugendi supra fluvium qui vocatur Borbontia, orta est ante illos proclamatio non modica Canonicorum sancti Vincentii Matisconensis, Folcoldi videlicet Præpositi, & reliquorum inibi commorantium, de quadam capella, quæ erat fundata in honore Dei & sancti Vincentii, in villa Gerii, in curtile sancti Albani sita, quem Berterius in stipendia Canonicorum contulit; econtra verò Monachi sancti Eugendi monasterii Iurensis dicebant, quòd privilegium sibi factum à domno Lamberto Pontifice Matisconensi habebant: promittentes ostendere; nec demonstrare potuerunt, quapropter adjudicata est capella Canonicis sancti Vincentii. Actum regnante Carolo.

ANNO CHRISTI 907. — CAROLI SIMPLICIS Regis 15.

PRIVILEGIVM CHRISTOPHORI PAPÆ concessum Monasterio Corbeïensi in Galliis.

Christophorus Episcopus servus servorum Dei, universis Episcopis Galliarum.

Ex archivis monasterii Corbeiensis.

CVM Romanæ Sedis Pontificem constet omnium ecclesiarum Christi caput fore, ac si beati Petri Apostolorum Principis vices agentem, cui Christus ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*; nulli cunctandum est quod cunctæ Ecclesiæ paci, saluti, & quieti prospicere nos oporteat, præcipuè tamen his, qui ad nos necessitatis suæ causas deferre voluerint, unde cognoscat omnium sanctorum Galliæ Præsulum carissima fraternitas, quòd vir venerabilis Franco Abbas ex monasterio Corbeïæ provinciæ Galliarum, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Somenam, adiit nos per venerabilem Coepiscopum nostrum Orgarium, petens ut nostræ auctoritatis privilegio præcepta vel edicta Regum & Imperatorum antiquis aut modernis temporibus eidem loco concessa firmaremus, necnon privilegia Episcoporum, unum à Præsule Ambianensi Bertefrido, ad cujus diœcesim locus ipse pertinet, & Coepiscopis suis factum, & primitùs ædificato suo monasterio datum; aliud longè postea regnante Carolo ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo, & universali Concilio Episcoporum Galliæ conscriptum. Præterea privilegia beatæ memoriæ Benedicti & Nicolai prædecessorum nostrorum, in quibus omnibus statutum est, ut præfatum monasterium Corbeïæ, rerum suarum liberam obtineat dominationem, & eligendi sibi Abbatem, de suis semper habeat potestatem: contradictores verò & repugnantes huic sanctioni, anathemate damnandos. Qua de re noverit omnis cœtus Episcoporum Galliæ, quòd privilegia sanctorum Episcoporum Galliæ, sive Sedis Romanæ, cui auctore Deo præsidemus, jamdicto monasterio Corbeïæ concessa, nostræ auctoritatis edicto roboramus; & omnem resistentem divino judicio damnandum denuntiamus. Super hæc autem jamdictus Abbas Franco cum congregatione sibi commissa obsecrat, ut quia divina decernente justitia, Pyratarum sævitiâ, maritima Galliæ loca, in quibus & ipsum monasterium situm est, adeò devastantur, ut nulli

extra

ANNO CHRISTI 907.

extra munitiones manendi liber relinquatur locus, cujus etiam vastitatis impulsu cogente, sæpememoratum monasterium muro munitum est, quatenus idem, sicut priùs in Abbatis & fratrum potestate perpetuò maneat, ita ut neque comes, nec quilibet judex aut manendi aut aliquid contra voluntatem Abbatis & fratrum inibi agendi potestatem præsumere audeat; ne fortè concessa ab initio privilegia violentur, quorum petitionem justam & pro tempore opportunam judicantes decernimus, ne aliqua sive ecclesiastica, sive secularis persona contra roborata nostrâ auctoritate privilegia venire audeat; sed sicut hactenus, ita deinceps in futurum inconvulsa permaneant. Et quia præteritorum casus nos cautos faciunt in futurum, omnem huic sanctæ auctoritati renitentem, nisi eis, quos læsi, dignè satisfecerit, alienum à cœtu fidelium & hîc & in futuro decernimus: omnes verò his nostris sancti scilicet Petri successores decretis faventes, gratiæ suæ ubertate Dominus replere dignetur.

Scriptum per manum Sergii Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Decembrio, indictione XI. septimo Kal. Ianuarii, imperante domno nostro piissimo Augusto Ludovico à Deo coronato Imperatore sanctissimo. Valete.

CAROLI SIMPLICIS Regis 15.

NOTA.

Hîc rectè mense Decemb. notatur indictio XI. quòd & jam incepta esset à Kal. Septembris Romano more. Quod autem ad Ludovicum spectat, designatur ibi legitimus Arnulphi verè Imperatoris Augusti filius. quem vulgariter ac diversè quicumque scriptores vocant Ludovicum nomine quartum, nunc Cæsarem, tum Imperatorem, modò Augustum, aliquando iis simul nominibus, habita potiùs generis ac successoris ratione, quàm coronationis pontificiæ; quod à Gallis præsertim, unàque Germanis ob memoriam Caroli Magni usurpatum est. Porro meminit Papa ibi prioris privilegii ab Episcopis in Concilio Parisiensi confirmati, scilicet anno 846. & tempore Radberti Abbatis Corbeiæ.

ANNO CHRISTI 911.

CAROLI SIMPLICIS Regis 19.

CONCILIVM IN PAGO NARBONENSI apud Fontem coopertum.

Synodi hujus meminerunt rerum Hispanicarum scriptores ab Arnusto Narbonensi Archiepiscopo habitæ in loco pagi Narbonensis, cui Fons coopertus nomen est, ob controversiam de finibus inter Episcopos provinciæ Tarraconensis suffraganeos, quorum Metropoli à Saracenis occupata, tunc ipsi viciniorem Archiepiscopum, scilicet Narbonensem, conveniebant, eique causis in omnibus obtemperabant, ejusque Synodos frequentabant: quæ omnia patent ex pluribus à Metropolitanis Narbonensibus celebratis, quibus adfuerunt Episcopi Tarraconensis tractus, atque subscripserunt. Porro iidem scriptores malè in annum 940. rejiciunt hanc Synodum, cùm certissimum sit Arnustum Narbonensem decessisse ante annum 915. Agio successori, qui Cabilonensi ejusdem anni Synodo interfuit.

ANNO CHRISTI 912.

CAROLI SIMPLICIS Regis 20.

CONCILIVM LVGDVNENSE.

Huic Synodo adfuisse Austerium Lugdunensem Archiepiscopum, necnon Vvalonem Æduensem, Argrinum Lingonensem, Ardradum Cabilonensem, & Gerardum Matisconensem Episcopos, atque singulos subscripsisse cartæ donationis in gratiam Abbatiæ sancti Stephani Divionensis hoc anno factæ, colligitur ex ejusdem Cartulario.

ANNO CHRISTI 912.

CAROLI SIMPLICIS Regis 20.

CONCILIVM TVRONENSE,

In quo festum Translationis corporis sancti Martini institutum fuit.

Synodi hujus nobis est auctor Vincentius Belvacensis ex Odone Cluniacensi, narrans post conversionem Rollonis Normannorum Ducis ad fidem Christianam, anno Christi scilicet 912. relatum fuisse corpus sancti Martini ex Autissiodorensi urbe in Turonicam. In cujus reditu exponit ipse miracula, quæ à sancto Confessore edita sunt: prætereaque decretum fuisse synodali auctoritate ab Adalardo Archiepiscopo Turonensi, Mainoldo Cenomanensi, Lupo Andegavensi, suffraganeis ejus provinciæ Episcopis, unà cum Raymone Aurelianensi fratre Adalardi, ut de hac sacri corporis translatione, seu reversione festum celebre quotannis ageretur Idus Decembris. Cujus festi meminit vetus martyrologium Grammontensis Prioratus apud Turones his verbis. Ipso die Iduum Decembrium gloriosa exceptio beati Martini à Burgundia. Simile quid actum ex parte legimus in Concilio Trenorchiano pro repetendis hujusce monasterii reliquiis, quæ ad sanctum Portianum apud Arvernos exportatæ fuerant.

EPISTOLA

Anno Christi 913

Caroli Simplicis Regis 21.

EPISTOLA IOANNIS X. PAPÆ AD EPISCOPOS Provinciæ Narbonensis primæ,

Qua electionem Agii canonicè in Metropolitanum ab illis factam approbat, illique mittit pallium, contra Geraldum ejusdem Episcopatus invasorem.

IOANNES Episcopus servus servorum Dei, Reginaldo Biterrensi, Armano Tolosensi, Riculfo Elnensi, Gimaræ Carcassensi, Vvigoni Gerundensi, Gerardo Agathensi, Teuderico Lutovensi, Huberto Nemausensi, item Teuderico Barchinonensi, Georgio Ausonensi, Rudolpho Orgelitanensi, Ecclesiarum Christi reverentissimis ac sanctissimis Episcopis. Sanctitatis vestræ litteras de Metropolitano Agio suscipientes, huic insidias & fraudes Gerardi nequissimi ei illatas agnoscentes, valde doluimus, & quasi nostro corpore suscipientes defecimus. Vnde vestræ sanctitati notum esse volumus, quia præfatus Geraldus falsidicus, ad hanc sanctam Romanam atque Apostolicam Ecclesiam, cui auctore Deo deservio, veniens à nobis quasi innocens, surripere voluit Episcopatum, cui nos licèt ejus iniquitatis versutiam pleniùs non agnoscentes, commodare sine canonica censura noluimus. Ipse verò ut multorum veridica relatione comperimus, nescio quas falsas Epistolas per surreptionem, quasi ex nostro nomine vobis perferens, Episcopatum Narbonensem hac occasione, armatâ manu deprędatur, venerabilis Agius ejus insidiis captus venire ad hanc sanctam Apostolicam Sedem defertur, & alia quamplurima de illo antequam per vestras litteras cognovimus audientes. Quapropter vobis per Eyminum Archiepiscopum nostras Apostolicas litteras misimus, ut ipsum sæpenominatum Geraldum per omnia falsidicum tenentes, inter Episcopos non haberetis. Nunc quia ejus malitiam, iniquitatē atque fraudes à vestra fraternitate pleniter agnoscentes agnovimus, volumus, atque Apostolica auctoritate mandamus, ut sicut jam vobis scripsimus, & sacri Canones testantur, eum inter Episcopos non habeatis, quippe nec à Clericis, vel populo civitatis sit expetitus, nec à vobis suis Comprovincialibus more solito ordinatus; privilegium, Pallium, usum Pallii, vestro Metropolitano Agio ut vestra petivit dilectio misimus, quia nulli Ecclesiæ hoc, quod illi justè competit, denegamus. Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere.

Vesontionensem.

Anno Christi 915.

Caroli Simplicis Regis 23.

CONCILIVM CABILONENSE IN SVBVRBANA sancti Marcelli Martyris Ecclesia congregatum,

Vbi querela inter duos Ecclesiarum rectores de quadam villa definitur his verbis.

Ex Schedis Ecclesiæ Matisconensis.

CVM in nomine Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi resideret domnus Austerius venerabilis Archiepiscopus Lugdunensis, in suburbio Cabilonicæ civitatis, in Ecclesia beati Marcelli Martyris, cum Archiepiscoporum & Episcoporum Collegio, videlicet cum Adrado ejusdem urbis venerabili Episcopo, Geraldo Matisconensi, Eymino Vesoncionensi Archiepiscopo, Agio Narbonensi Archiepiscopo, Alisachar Belicensi Episcopo, Odilardo Mauriennensi, anno videlicet dominicæ Incarnationis DCCCCXV. indict. III. & nonnulla inibi pro juribus de statu atque utilitate Ecclesiæ canonicè definirent, quidam Presbyter Bererius nomine, eorum adiit pręsentiam, reclamans, quod quidam Presbyter Iuo nomine quandam villam ex Parœcia sancti Clementis, quam Bererius tenebat, & contra jus ecclesiasticum usurpasset, cujus querimoniam Pontifices diligenti examinatione inquirentes decrevere, ut villa ad matricem Ecclesiam sancti Clementis antiquitatem suam reverteretur, & ut hoc firmiùs teneretur, propriis manibus subsirmaverunt.

Austerius Lugdunensis Archiepiscopus subscripsit.

Eyminus Vesoncionensis Archiepiscopus subscripsit.

Agius Narbonensis Archiepiscopus subscrip.

Adradus Cabilonensis Episcopus subscripsit.

Geraldus Matisconensis Episcopus subscrip.

Alisachar Belicensis Episcopus subscripsit.

Odilardus Mauriennensis Episcopus subscrip.

Anno Christi 918.

Caroli Simplicis Regis 26.

VVALONIS ÆDVORVM EPISCOPI TESTAMENTVM de rebus ab eo collatis Ecclesiæ sancti Nazarii Augustodunensis.

Ex Schedis Ecclesiæ Æduensis.

ANNO sacratissimæ Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCCXVIII. indictione VII. Vvalo supernâ dispensante miseratione humilis Eduorum Episcopus, omnibus piè in Christo vivere cupientibus, & ad spem cęlestis patriæ tendentibus. Notum fieri volumus, quoniam cernentes congregationem pręfatæ sanctæ matris Ecclesiæ stipendiis alimentorum necessariis nimia difficultate carere, pro quo nec Pastoralis exhortationis vigilantia, nec collaboratorũ nostrorum regularis correctio, variantibus undique sęculi perturbationibus, ad divinorum obsequiorum studia provocare quorumdam fratrum ipsius loci intentionem valebat: & sollicitè perpendentes, quia Pastoris curæ est gregum sibi commissorum inopiam providere, & sine quibus

Anno Christi 918.

bus subsistere nequeunt necessaria alimenta ministrare; dignum fore duximus, ne in hujus corporis otio divinæ militiæ cultus suffocaretur, de rebus ipsius Ecclesiæ aliquod præbere subsidium. Proinde amore divino tacti, & consilio fidelium ejusdem sanctæ Ecclesiæ & nostrorum roborati, adhibito etiam hortamento & auxilio domni Richardi excellentissimi Ducis, cujus defensione & protectione per Domini administrationem hæc ipsa consistit Ecclesia, villam Tilionacum sitam in Comitatu Oscarensi supra fluvium Sagonnam, ad stipendia supradictæ congregationis ministranda mancipavimus, cum omni sua integritate, sicut à beato Leodegario ejusdem nostræ Ecclesiæ quondam Pontifice, ex proprio eidem fuerit collata, & postmodum per præcepta Regum restituta & confirmata, & insuper Apostolico privilegio roborata: quatinus sublatâ omnis indigentiæ occasione liberiùs & vigilantiùs grex ipsius Collegii Deo & sancto Nazario militare valeat, & attentiùs pro remedio animarum domni Karoli serenissimi Augusti, & conjugis illius Hirmintrudis, ac totius prolis illorum; sed & pro absolutione domni Odonis gloriosi Regis, & nobilissimi fratris illius domni Roberti illustris Marchionis, cum præcedente progenie, & subsequente posteritate illorum, & omnium largitorum & restauratorum earumdem rerum ipsi Ecclesiæ Domini misericordiam implorare studeat: pro diuturna quoque tranquillitate & quiete domni Richardi piissimi Ducis, & nobilissimæ conjugis illius, ac clarissimorum filiorum illorum, & omnium fidelium suorum; quatinus defuncti æternam mereantur peccatorum omnium indulgentiam & remissionem, & viventes optabilem prosperitatem & sanitatem, & ad defensionem sanctæ Ecclesiæ & gentium sibi commissarum sub munimine divinæ dexteræ laudabilem & acceptabilem Deo virtutem, atque pro impenso labore dignæ mercedis remunerationem. Omnem igitur hujus rei summam memorati Principis domni Richardi defensioni & protectioni, & per eum filiorum ejus cooperationi in Dei nomine tuendam committimus, pro cujus amore, qui omnium benefactorum certissimus remunerator est, tantam impendere non graventur eleemosynam, quantam ab eo non possum diffidere se percepturos cum plenitudine cælestium præmiorum gratiam. Quia ergo divina pietas nos ad hoc perscrutandum atque exhibendum provocavit, nostramque humilitatem ad suam voluntatem implendam & prædicandam excitavit, humiliter imploramus; ut supradictarum precum oblatione adjuti, eorumdem præmiorum participes fieri mereamur. Pro misericordia autem, quæ se in tribulatione quærentibus nulli denegat, pro fratris nostris Manassæ absolutione simili prece obsecramus, ut qui illicita & periculosa temeritate hanc ipsam villam malè usurpavit, & ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ confugiens pœnitendo, per prænominatum Principem suo interventu restitui fecit, ut beneficiis supradictarum orationum consolari mereatur. Successorum itaque nostrorum reverendam deprecamur paternitatem, ut hujus nostræ institutionis testamentum ita inviolabiliter observent, & suis diebus observari faciant, quemadmodum id quod piè agere decreverint, à suis successoribus observari optabunt, quo participes ejusdem mercedis fieri mereantur, qua nos credimus Deo propitio pro talibus remunerari piæ devotionis institutis. Si qui fortè contrarii vel invasores extiterint hujus nostri decreti, & in eum in aliquo violare, aut subtrahenda diminuere præsumpserint, eos auctoritate tremendæ Trinitatis, & Beati Petri potestate, & sanctorum Canonum discussione, & nostro vel omnium Episcoporum ministerio excommunicamus, anathematizamus, & à Conventu fidelium, seu à liminibus sanctæ Ecclesiæ secernimus & sequestramus, & usque ad condignam emendationē & satisfactionem. Et nisi citò ab hac præsumptione resipuerint, in sortem Iudæ traditoris Christi impetcando sociamus, atque cum Dathan & Abiron, quos vivos terra absorbuit, & infernus excepit, damnamus, & in baratrum perditionis demergimus. Observatores autem & defensores hujus piæ constitutionis omnium benedictionum plenitudo prosequatur. Et ut hoc nostræ cessionis testamentum, & superadnotata damnationis plaga in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, non solùm meis, sed & cæterorum Episcoporum manibus firmari decrevimus, & tam memorati Principis ac filiorum ejus, quamque fidelium illorum nominibus roborari postulavimus. Augustiduno civitate feliciter in Domino. Amen.

Caroli Simplicis Regis 16.

Vvalo sanctæ Æduensis Ecclesiæ humilis Episcopus hoc testamentum fieri jussit, atque subscripsit.

Ardradus Cavilonsis Ecclesiæ Episcopus subscripsit.

Gerardus Matiscensis Episcopus subscripsit.

Durannus Præpositus subscripsit.

Fulco Archidiaconus subscripsit.

Signum Rudolphi illustris Comitis, qui per jussionem prænominati Richardi Patris sui in conspectu illius, sua & ejus vice firmavit, & manu propria subscripsit.

Signum Vvarnerii. S. Berlanni. S. Atlegii. S. Bodonis. S. Abbonis. S. Landrici. S. Adsonis. S. Vvalterii.

Anno Christi 922.

CONCILIVM APVD CONFLVENTIAM.

Caroli Simplicis Regis 30.

Cui interfuerunt Carolus & Henricus Reges Francorum Occidentalium & Orientalium.

PRÆFATIO.

ANno dominicæ Incarnationis DCCCCXXII. apud Confluentiam jussu venerabilium Principum Caroli videlicet & Henrici Regum reverendissimorum congregati sunt Episcopi numero octo, Herimannus Agrippinensis Archiepiscopus, Herigerus Moguntiensis Archiepiscopus, Thiedo Vvirzburgensis Episcopus, Luitharius Mindanensis Episcopus, Doto Osneburgensis Episcopus, Rhigovuno Vvarmaciensis Episcopus, Richuvinus Strazburgensis Episcopus

pus, Vnauvanus Padebrunensis Episcopus, cum Abbatibus, aliisque sacri ordinis viris quamplurimis, qui ipso cooperante, & sententias eorum confirmante Domino Christo, In synodali residentes Conventu, multa utilia, ac sanctæ Dei Ecclesiæ profutura saluberrimo tractantes consilio, inter cætera, quæ statuerunt, hoc maximè necessarium, & instanti (proh dolor) tempore per abusionem, frequentissimum cognationis incestum summâ cautelâ vitandum firmaverunt.

Tituli Canonum.

Ne infra septimam generationem conjugia fiant.

De laïcis, qui proprias Ecclesias habent.

De Ecclesiis Monachorum.

De eo, qui Christianum mancipium seduxerit, & sic vendiderit.

Vt hi, qui dum sua proprietatis loca alicubi dare voluerint, cognoscant decimam nusquam se tradere posse.

CANONES.

I.

Ne infra septimam generationem conjugia fiant.

Iuo part. 9. cap. 66. Ne ullus Christianus infra septimam generationem nuptias copulare præsumat.

II.

De laïcis, qui proprias Ecclesias habent.

Iuo part. 3. cap. 181. Si laïci capellas proprias habuerint, à ratione & auctoritate alienum habeatur, ut ipsi decimas accipiant, & inde canes, aut geneciarias suas pascant; sed potiùs Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem Ecclesiarum, & luminaria, & hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro sancta Ecclesia, ac pro statu regni, Dei misericordiam studiosè impleant.

III.

De Ecclesiis Monachorum.

Iuo part. 3. cap. 180. Hoc quoque statutum est, quatenus Ecclesiæ quorumcumque Monachorum, in singulis Parochiis sitæ, Episcoporum, ut decet, divinitùs subdantur regimini, eisque debita obsequia in exercendis Ecclesiæ curæ negotiis sollicitè exhibeant, ipsi proculdubiò Monachi Episcopis suis in omnibus obediant.

IV.

De eo, qui Christianum mancipium seduxerit, & sic vendiderit.

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit, qui Christianum hominem seduxerit, & sic vendiderit: responsumque est ab omnibus, homicidii reatum, ipsum hominem sibi contrahere. Iuo part. 10. cap. 176.

V.

Vt hi, qui dum sua proprietatis loca alicubi dare voluerint, cognoscant decimam nusquam se tradere posse.

Si quis verò Laïcus vel Clericus, seu utriusque sexus persona, proprietatis suæ loca, vel res alicubi donare delegaverit, decimationum proventum priori Ecclesiæ legitimè signatum, inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsùs ducatur, & ipse ad emendationem ecclesiasticâ coerceatur censurâ. Iuo part. 3. cap. 184.

NOTÆ.

Talem hujus Concilii notitiam omnino debemus Ivoni Episcopo Carnotensi, qui pluribus in locis decreti sui hos quinque tantùm Canones citat ex Concilio Confluentiæ sub diverso capitum numero & ordine, unde colligitur alios forsan ejusdem Synodi fuisse Canones, quos alius conquiret ex aliis.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXII.] Hanc Synodi hujus Epocham ita ex Cod. MS. Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis restituimus loco vulgatæ, quæ est DCCCCXII. Et quidem rectè, nam certissimum est hoc vulgari anno Henricum non fuisse Regem Germaniæ, scriptorum omnium consensu. Porrò hæc restituta Epocha DCCCCXXII. legitur quoque in Burchardi decreto, ex quo etiam supplevimus Archiepiscopum Moguntinum in Episcoporum numero, qui desideratur in codice Victorino.

Apud Confluentiam.] Dubium non est hac voce ab antiquioribus Ivone Carnotensi non usurpata, intelligi debere Confluentes ad Rhenum, de quibus inter Capitularia Caroli Calvi, quem in locum Reges Francorum cùm Occidentalium, tùm Orientalium olim convenerunt. Et sanè tractus ille Rheni limen erat & confinium utriusque Regni ab hoc fluvio ultra citraque divisi, unde hi Episcopi instar Regum suorum, qui pro pacto unanimitatis ineundo, Bonnam Castrum anno præcedente, alium in eodem tractu tanquam sibi opportunum elegere locum pro Concilio, cui ambo Reges interfuerunt in pacis scilicet firmatæ argumentum.

Anno Christi 923. — Caroli Simplicis Regis 31.

CONCILIVM REMENSE,

In quo pœnitentia indicta est iis, qui bello Suessionico inter Carolum Simplicem, & Robertum Reges interfuerunt anno DCCCCXXIII. ante Kal. Octobris.

ANNO dominicæ Incarn. 923. Episcopatus autem domni Seulfi secundo, Remis convenientes sancti Patres, Seulfus scilicet Remorum Archiepiscopus, Abbo Suessionicæ urbis Episcopus, Adelelmus Laudunensis, Stephanus Camaracensis, item Adelelmus Silvanectensis, Airardus tunc inibi ordinatus Noviomagensis, cum cæterorum ejusdem Remensis Diœceseos Episcoporum legatis, decreverunt hanc pœnitentiam his, qui bello Suessionis inter Robertum

Anno Christi 923. — Caroli Simplicis Regis 31.

tum ac Carolum acto interfuerant, injungendam. Videlicet ut tribus quadragesimis per tres annos agant pœnitentiam, ita ut prima quadragesima sint extra Ecclesiam, donec Ecclesiæ in Cœna Domini reconcilientur. Omnibus verò his tribus quadragesimis, secunda, quarta, & sexta feria in pane, sale & aqua abstineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante nativitatem sancti Ioannis Baptistæ, & quindecim diebus ante nativitatem Domini Salvatoris, omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerint, aut festivitas celebris ipsa die acciderit, vel eos infirmitate sive militia detentos esse contigerit.

NOTA.

Asseritur Synodi hujus Epocha tum ex Flodoardi Chronico auctoris coætanei, qui bellum id narrat gestum hoc anno 923. ante mensem Octobrem, tum ex ejusdem historia, ubi docet in eadem tempora cadere secundum Episcopatus annum Seulfi Remensis Archiepis. Porrò ab hac Synodo quædam præter morem pœnitentiæ publicæ observata videntur, nempè quòd ipsa non expleta concedatur absolutio, sive quòd hi pœnitentes publici ante satisfactionem reconcilientur, & quòd isti deerat, post reconciliationem expleant, quodque plura Synodus ultra infirmitatem illorum excipiat, quibus intervenientibus absolutio seu reconciliatio non differetur. Aliter autem Patres in Concilio Tautiacensi statuerunt pro iis, qui ex parte fratrum Regum adversùs Lotharium Imperatorem potiore justitia & æquitate apud Fontanetum decertaverint: super quibus alias Ioannes VIII. Papa consultus ab Episcopis Galliarum, utrùm hi, qui pro defensione Christianæ Religionis, ac reipublicæ in bello ceciderant, aut de reliquo pro ea re casuri sint, indulgentiam possint consequi delictorum: Respondet audenter, Christi Dei nostri pietate & intercessione beati Petri Apostoli illos absolvi, ac requiem æternæ vitæ eos suscepturum. Et hæc ad rem nostram deprompta sunt ex ejus Epistola numero 144. Quod responsum cæteri Pontifices Romani postea in simili occasione sequuti sunt.

Anno Christi 927. — Rodulphi Regis 3.

CONCILIUM DUISBURGENSE, In Diœcesi Tungrensi,

In quo Albero, seu Adalbero ordinatur Episcopus Metensis loco Bennonis à civibus excæcati, forsan in odium contemptæ ipsorum electionis à Rege, qui ob id facinus excommunicantur, suumque insuper jus amittunt eligendi.

De hac Synodo sic loquitur breviter continuator Reginonis ad annum 927. *Benno, qui Benedictus Episcopus dicitur, à Metensibus excæcatur, & à Synodo apud Duisburgenses habita, omnes illius facti auctores excommunicantur, & Adalbero nobilis pro eo Episcopus instituitur.* Historiam autem Bennonis integram prosequitur quoque Flodoardus in Chronico circa hæc tempora. Mense, inquit, Martio Vvidricus Metensis Antistes defungitur. Heribertus Comes trans Renum evocatur ad Colloquium Henrici Regis, ad quod properans cum Hugone Roberti filio, pace firmata, muneribus Henricum honorat, & honoratur ab illo. Ibi etiam Henricus Episcopium Metensium contempta electione ipsorum cuidam, ut ferebatur, Dei servo dedit cognomento Bennoni, qui posteà insidiis appetitus, eviratus, luminibusque privatus est, cui quadam Abbatia, sustentationis tenore concessa, Albero Metensem Episcopatum adipiscitur.

Anno Christi 938. — Ludovici VI. Reg. 2.

EPISTOLA LEONIS VII. PAPÆ AD HUGONEM Franciæ Ducem, seu Francorum Principem, & Monasterii sancti Martini Turonensis Abbatem.

Leo Episcopus servus servorum Dei, glorioso Principi Francorum filio nostro Hugoni videlicet Abbati beatissimi Martini, & perpetuis successoribus in perpetuum.

Ex editione Dacheriana.

CONDITOR universitatis, atque dispositor Christus Dominus, per sacrosanctum suæ Incarnationis mysterium universalem Ecclesiam sibi copulare dignatus est; diversos verò sanctos in eadem Ecclesia quasi diversa in uno corpore membra disposuit, & unumquemque, prout interno ejus consilio placuit, in ipsius Ecclesiæ corpore, cujus ipse caput fieri dignatus est, mirabiliter ordinavit. Quosdam excellentiùs decorans, ut sicut membra in corpore quædam honestiora sunt, & suis officiis apta, ita & in Ecclesia vel excellentior, vel inferior, quisque vices suas ipso auctore disponente convenienter expleat, ut scilicet juxta Apostolum stella differat à stella in claritate. At verò inter eos quos divina dispensatio sublimiùs evexit, prædictus beatissimus Martinus Turonicæ Sedis Archiepiscopus non mediocriter effulget: cujus videlicet gloriam universalis Christianitas attestatur, quæ illum divino instinctu quodam speciali affectu communiter amat, ita ut nusquam aliò post sanctorum Apostolorum limina, de tam longinquis ac diversis nationibus confluant oratores, sicut faciunt ad ipsius venerabile Sepulchrum. Nam & ipse sacer locus, ubi quiescit in magna reverentia specialiter ab antiquis diebus non solùm apud vulgares, sed & apud excellentissimos Reges ac Principes fuit, sicut nonnulli vestrûm videndo, sciunt. Ut enim audivimus, nulli unquam fœminæ intra ambitum Monasterii, etiam sub tempore Paganorum, permittebatur accessus. Cùm verò necesse fuit, ut propter illorum incursionem in civitate collocaretur, plangebant sui cultores, quia non valebant eum sic in tanta reverentia ut olim venerari, nec mulierum prohibere concursum: ob quod etiam juxta ejus basilicam fundari murum studuistis, ut ita vel ab incendio defendi, vel in pristina honestate posset ipse locus haberi. Sed res in contrarium

ANNO CHRISTI 938. LVDOVICI IV. Regis 2.

tium versa est. Quia per occasionem Castelli mulieribus & impudens & libera conversatio est; cùm tamen hoc nil aliud facit, nisi sola negligentia, & tepor servitorum ejus. Siquidem veniet dies judicii, & unusquisque in suo ordine insurget, & manifestum erit per quos religio sit erecta, vel per quos neglecta. Dolendum nobis est tempora jam periculosa venisse, & sic apparet charitatem apud multos refrixisse, iniquitatem verò nimiùm superabundasse. Verùm quia sancta Ecclesia B. Petro Apostolorum Principi specialiter commissa est, & per eum successoribus ejus, necesse est ut quisque nostrûm, prout Deo largiente potuerit, ejusdem Ecclesiæ quousque indiget, utilitatem per aliquam auctoritatem sustentet. Et idcircò videtur nobis, ut vestram negligentiam quæ est erga cultum illius loci sanctissimi, per nostrum interdictum commoneamus.

ANNO CHRISTI 942. LVDOVICI IV. Reg. 6.

CONCILIVM BONNENSE.

Honorifica mentio fit tantùm Synodi hujus à continuatore Reginonis ad annum 942. his verbis. [Bonna, inquit, Castello prçclara Synodus à viginti duobus Episcopus habetur.] Sed mirum est, quòd desiderentur omnes omninò Canones, à tot Patribus sanciti, ac etiam quod nec ab alio scriptore Synodus eadem, nec ullus huic ex his viginti duobus Episcopis interfuisse memoretur. Probabile tamen est tum Gallos tum Germanos in hunc locum velut utrisque opportunum convenisse, ut vidimus aliàs.

ANNO CHRISTI 944. LVDOVICI IV. Regis 8.

CONCILIVM TRENORCHIANVM.

Auctor est Petrus à sancto Iuliano in originibus Trenorchianis anno Christi 944. Gislaberti Burgundiæ Duci evocatione congregatam fuisse Synodum in ejus loci Monasterio, ad eamque convenisse Archiepiscopos duos, Guidonem Lugdunensem, & Giffredum Vesontionensem, Episcopos quinque Gothescalcum Lausanensem, Rotmundum Æduensem, Hildeboldum Cabilonensem, Maimbodum Matisconensem, & Alchierum Gratianopolitanum, cum Abbatibus, Clericis, & Monachis permultis. Causa verò seu historia Concilii sic habetur ex Archivis hujusce Monasterii. [Mortuo Abbate Guicherano, Gislabertus Burgundiæ Dux Guidonem Monachum quemdam curialem & levioris meriti ad eam dignitatem promovere nisus est totis viribus, contra vetus electionis liberæ jus Monachorum in altero deligendo, qui melioris esset conditionis ac famæ. Sed urgente vi majore, ipsi relicto Monasterio sese receperunt ad sancti Portiani Cœnobium apud Arvernos, è quo antè venerant, quando Trenorchianum ingressi sunt, unà secum asportantes varias sanctorum relliquias, atque augusta dominicæ passionis instrumenta ex oriente petita, quæ olim ex Herensi insula Diœcesis Pictaviensis, in Abbatiam Trenorchianam translata fuêre. Burgundia triennio orbata pretiosis hisce pignoribus, tunc passa est omnium penè rerum jacturam, quippè prçter insolitos agrorum provinciæ usus ad inauditum sterilitatis genus tum redactos, bruta insuper & mulieres fœtus in uteris gestabant suis passim dissimiles speciebus, ac matres frequenter abortum facere visæ sunt. Dux pariter malorum auctor, divinæ ultionis particeps fuit in nepote futuro hærede, qui adolescens in convivio coram totius Provinciæ Comitiis diro ac subito corporis cruciatu interiit. Hæc universa privataque rerum calamitas Ducem Gislabertum sic ad pietatis & pœnitentiæ opera compulit, ut litteris hortatus sit Antistites supradictos, qui copiosam quantùm possent, Synodum aggregarent, & suis publicis ac Diœcesεum precibus divinum in se concitatum furorem mitigarent. Itaque unâ animorum consensione recognitum est insignem allatam videri injuriam Monachis Trenorchianis, & grave damnum patriæ illatum ob relegata aliò Sanctuaria. Singulorum igitur sententiis sancitum est de regressu tum relliquiarum tum Monachorum in pristinum Abbatiæ statum; & hunc in finem, duo spectatissimi è Clero viri in Arverniam à toto expectante Concilio missi sunt, quibus auditis, statim Monachi assensum prçbuere reditui: Prælati autem de tanto nuntio læti tres in turmas distributi sunt cum toto populo; & ad bimilliare obviam venêre relliquiarum receptui, quas disjunctim in via solemniter & devotè susceperunt, ac piè osculati sunt. Sanctis vasculis urbem approximantibus tota Burgundia convalescere cœpit, tellus pristinæ reddita est sanitati, matres quoque felici deinceps exitu sua puerperia in lucem edidere. Dux verò pro agniti delicti expiatione votiva sua munera ad Monasterium transmisit, ac veteres ejus immunitates novo placito confirmavit. Monachi posteà vice Guidonis Pseudoabbatis Ayminum constantem virum selegere legitimum Guicherani successorem, & in recordationem accepti divinitus beneficii Antistites ad propria redeuntes indixerunt publicas supplicationes quotannis semel in Abbatiam conducendas, & celebrandas à vicinis quibusque Diœcesanis Parœciis die sexta post festum Ascensionis Iesu Christi.]

CONVENTVS

ANNO CHRISTI 947. LVDOVICI IV. Reg. 12.

CONVENTVS REGVM AC EPISCOPORVM, sub initium mensis Augusti anni 947. ad Charam fluvium.

In quo lis orta inter Artaldū & Hugonē Remēsis Ecclesiæ Pręsules, ardente bello inter partium fautores, interim cōponitur. Quę omnia fusiùs describit Flodoardus tum in historia Remensi l. 4. c. 33. tum in Chron. ad hunc ann. iisdem ferè utrobique verbis in hunc modum. Rex Franciæ Ludovicus Mosomum Castrum, quod Hugo Pręsul Remis ejectus retinebat, obsedit, sed nihil pro votis efficiens, recedentibus tandem post mensem Lothariensibus, qui secum erant, ipse Remos regreditur. Quo ad Othonē Regem Transrhenensem ad celebrandum Aquis Pascha profecto, Hugo Princeps & Dux Francorum Remensem cum Hugone Pręsule quasi mox capturus aggreditur urbem, frustratoque voto, resistentibus Regis & Artaldi Archiepiscopi militibus, octavo postquàm advenerant die, illusi recedunt. Conventus igitur Placiti Regum Ludovici, & Othonis super Charam fluvium intrante mense Augusto celebratur, Hugone Principe circa Mosomum & Duodeciacum castra metato, ubi res litis inter Artaldum & Hugonem Remensis Ecclesiæ pręsules ab Episcopis auditur. Et quia Synodus tunc congregata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda denunciatur; interim verò Sedes Remensis Artaldo conceditur; Hugo alter Præsul in Mosomo commorari permittitur. Et treugæ vel induciæ belli inter Regem Ludovicum, & Hugonem Principem usque ad Synodi tempus Ottone Rege mediante disponuntur.

ANNO CHRISTI 947. LVDOVICI IV. Reg. 12.

CONCILIVM VIRDVNENSE,

In quo Sedes Remensis Artaldo primùm adjudicata est, mense Novembri celebratum, & quidem Virduni, honoris causâ propter Berengarium ejus civitatis Episcopum.

Petitur illud ex Chronicis tum Flodoardi, tum Virdunensi, quorum hæc sunt verba. Synodus prędicta, denuntiata circa medium mensis Novembris, Virduni est habita prę sidente Rotberto Treverensi Pręsule, cum Artaldo Remensi, Berengario Virdunensi, Odalrico Aquensi, Adalberone Metensi, Gosleno Tullensi, Hildebaudo Transrhenensi Mimigardevordensis Ecclesiæ Episcopo, Israële Britone, prę sente Brunone Abbate, Regis Othonis fratre, Agenoldo etiam & Odilone Abbatibus, cum aliis nonnullis. Synodus autem hæc ob hoc Virduni denuntiata fuit, ut sic saltem interesset Conventui Episcoporum præfatus Virdunensis Berengarius, cujus tanta erat auctoritas, ut improbari videretur, quod constantissimæ nobilitatis ejus authentica prę sentia non roboraretur. Ad quam Hugo Episcopus evocatus, missis quoque duobus ad eum deducendum Episcopis Adalberone & Gosleno, venire noluit. Vniversa verò Synodus domno Artaldo Remense regendum adjudicavit Episcopum. Itaque indicitur iterùm Synodus idibus Ianuarii habenda, quæ & convenit in Ecclesiam sancti Petri, in prospectum Mosomi, ut legere est apud eundem Flodoardum in historia Remensi cap. 34. lib. 4.

ANNO CHRISTI 961. LOTHARII Regis 7.

CONCILIVM IN PAGO MELDENSI ad Matronam fluvium.

Hujus Synodi nobis auctor Hugo Flaviniacensis in Chronico, ubi narrat dissidium inter Episcopos Remensis provinciæ conflagratum, etiam post mortem Artaldi Remensis Archiepiscopi, cujus occasione ordinatus est ab eis alter Virdunensium Episcopus in odium Berengarii ejusdem Sedis Episcopi viventis. *Anno*, inquit, DCCCCLXI. *obiit Artaldus Remensis Episcopus, & celebrata est Synodus in Pago Meldensi super Maternam fluvium, ubi ordinatus est Vuigfridus Virdunensis Episcopus, vivente adhuc domno Berengario Virdunensi Episcopo, & Sedem Episcopatus tenente. Ordinatus est autem ab eis absque conscientia Metropolitani, eò quòd domno Berengario inimicarentur, quòd Conciliis eorum interesse nollet, & quadam eorum facta improbaret. Vnde nacti occasionem, cùm incumberet eis ordinatio Remensis Ecclesiæ, cujus erant suffraganei, ordinaverunt & hunc, ut haberent eum Conciliorū suorum consortem, & operis participem, quasi qui alium, qui præsidebat, pro nullo haberent, quem sibi in nullo videbant acclinem. Abjectus est etiam ibi Hugo Remensis pervasor à Romana Synodo excommunicatus, & Odelricus inthronisatus à Vvidone Suessionensi, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Aistulfo Noviomensi, & Vvigfredo Virdunensi.* Qui postremus tamen haud ritè censendus est Episcopus, nisi, ut refert idem Chronicon, postquam Berengarius rejecta prę lationis sarcina, monasticū habitum suscepit in Cœnobio S. Vitoni. Quique tandem Vigfredus prędecessoris sui domni Berengarii imitator factus, in suburbio Virdunensi Cœnobium ædificavit, ibique pridie Kal. Septemb. anni 984. defunctus tumulatur, cui Hugo substitutus est.

Anno Christi 973.

Lotharii Regis 19.

CONCILIVM APVD MONTEM SANCTÆ MARIÆ in pago Tardanensi.

Auctius edito apud Flodoardum.

In quo à comprovincialibus Episcopis confirmatum est decretum Adalberonis Archiepiscopi Remensis, qui Monachos in Mosomensi cœnobio pro Canonicis collocarat, licèt antea Ioannes XIII. Papa litteris ad eundem Adalberonem approbasset.

DECRETVM ADALBERONIS Archiepiscopi de reformatione cœnobii Mosomensis & Monachis in eo constitutis.

Ex schedis monasterii Mosomensis.

ADALBERO divina propitiante clementia sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus, notum fiat universis cùm præsentibus, tum etiam futuris fidelibus. Quondam nobis Episcopio gratiâ Dei ac benignitate regiâ contradicto, Sanctorum quoque loca quædam honore integro repetisse plurimùm valentia, quædam verò pristinæ dignitatis statu deficiente prorsus neglecta, inter quæ etiam ille Mosomi cœnobialis locus antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet sanctimonialium vitæ aptatus, postmodùm verò Canonicorum ordine ab Heriveo prædecessore nostro meliùs informatus, atque in honore sanctæ genitricis Mariæ dignè consecratus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim verò intercurrentibus malis, sinistræ cessit fortunæ. Quo igitur competto, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquidò perpendens eundem locum, pro mundi infelicitate in canonicali ordine stare non posse, æternorum spe, prout opportunum extitit, ibidem monasticæ religionis vitam ordinato Abbate Ledaldo constitui, ut ejusdem loci religiosi cultores, tam rebus delegatis, quàm fortè delegandis utentes, continua vota Deo solventes, sint pro nobis, posteris nostris, ceterisque ordinibus jugiter orantes. Quocirca paternitatem loco nostri subrogandorum in illa caritate enixiùs imploramus, quo sub divini amoris respectu, hujus rei gestæ conducibili negotio, consentaneæ faveant pietatis zelo, idque liberalis auxilii indeficienti basæ dignentur pauperum curriculis conservari atque fulcire: ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, hujus præstantioris emolumenti mereantur fore consortes. Sed & hoc ex decretis sanctorum Patrum sub auctoritate pastorali omnimodis inhibemus, imò etiam cum divini nominis attestatione, omnino interdicimus, ne unquam hujuscemodi statutum qualibet temeritate ab ullo vestri ordinis violetur, quin potiùs in reliquum stabile & inconcussum jure perpetuo idipsum venerabiliter conservetur: si per laïcos in rem hanc injuria inveharur, in eos proculdubio excommunicationis jaculum cum anathemate intorqueatur.

Anno igitur incarnationis Iesu Christi D. N. DCCCCLXXIII. provinciali Synodo mense Maio generaliter congregatâ apud montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi, hoc decretum solenniter recitatum est coram venerandis Episcopis, Abbatibus, ceterisque nonnullis fidelibus huic nostræ institutioni pro assensu faventibus, imò etiam collaudantibus atque confirmantibus; quorum videlicet primus ego Adalbero jam præscriptus Archipræsul, eidem Concilio, Deo auctore, Pontificatus auctoritate præsidens manu nostra subscribens, idem corroboravi. Sed & ceteri non secùs censuerunt manibus impositis consolidari.

Adalbero Remensis Ecclesiæ Archipræsul.
Vvido Suessionensis Episcopus.
Hildericus Bellovacensis Episcopus.
Theobaldus Ambianensis Episcopus.
Haidulphus Noviomensis Episcopus.
Theudo Cameracensis Episcopus.
Albero Laudunensis Episcopus.
Gypuinus Catalaunensis Episcopus.
Constantius Silvanectensis Episcopus.
Lidulphus Tarvanensis Episcopus.
Albertus Archidiaconus Remensis.
Leudo Archidiaconus.
Thebaldus Archidiaconus.
Hugo Archidiaconus.
Geraunus Archidiaconus.
Rodulphus Abbas sancti Remigii.
Odoleus Abbas sancti Medardi.
Ratoldus Abbas Corbeïensis.
Berlandus Abbas sancti Vincentii.
Adzo Abbas sancti Basoli.

Postquam hæc acta sunt, Adalbero data benedictione Concilium solvit, cum pace, & gratia, redeuntibus singulis ad propria.

NOTA.

Decretum Adalberonis extat in appendice ad Flodoardum. [Hic, inquit, etiam Adalbero Mosomense cœnobium a priori dignitate prolapsum in monasticum ordinem reformavit, ejusdemque reformationis tenorem, ne per succedentia tempora immutaretur, hujusmodi auctoritatis suæ privilegio confirmavit.] In eadem autem appendice legitur idem Concilium anno DCCCCLXXXIII. celebratum fuisse, ubi mendum irrepsit loco alterius anni 973. qui est certa Concilii hujus Epocha, quæ his rationibus evincitur; scilicet ex eo quod Theobaldus Ambianensis Episcopus, beneficio appellationis ad Sedem Apostolicam, adhuc in Episcoporum numero reservatus esset, ut patet ex subscriptionibus; tandemque excommunicatus ultimò fuerit ad annum 975. in Concilio Remensi ab apostolico præsidente Legato. Deinde quòd Monachi constituti sint in cœnobio Mosomensi die 7. mensis Novembris anni 971. Demùm ex eo quod litteræ Ioannis Papæ XIII. ad eundem Adalberonem Archiepiscopum Mosomensis monasterii reformationem ab eo factam confirmantes, datæ IX. Kal. Maias, indictione XV. anno Pontificatus ejus VII. qui annus fuit Christi DCCCCLXXII. lectæ fuerint in hac Synodo Montensi sanctæ Mariæ, quæ postea mense Maio, ut præfatur, anni sequentis opportuniùs congregata fuit. Et hæc supradicta constant ex monumentis ejusdem cœnobii Mosomensis. Porro in subscriptionibus Episcoporum Bellovacensis Episcopus appellatur Hilderius, pro quo aliàs Hildegarius; sicut Aunatius factum ex Aunachario, item Vvarnerius seu Vvarnarius ex Vvarnethario & Vvarnachario, Bercatius ex Berecatio, Hildrium etiam velut per syncopen vocat Dudo Sanquitianus in historia Normannorum auctor coætaneus. Similiter Laudunensis Episcopus Albero, qui & Adalbero adhuc dicitur. Gypuinus autem idem est ac Gibuinus Episcopus Catalaunensis; & Haidulphus quoque idem ac Hadulfus Noviomensis Episcopus; qui omnes discrepant inter se nominum scriptione dumtaxat, & quidem paululùm, ut liquet.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 982 | LOTHARII Regis 26.

CONCILIVM SENONENSE,

In quo confirmantur donationes Egili, & Sevini Archiepiſcoporum Senonenſium monaſterio ſancti Petri Vivi conceſſæ.

Ex chronico ejuſdem monaſterii edito à D. Luca Dacherio.

ANNO ab incarnatione Chriſti DCCCCLXXX. indictione VIII. cùm ſederem ego Sevinus Archiepiſcopus Senonenſis, & circumſederent quidam de Coepiſcopis noſtris, cum perſonis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Virginis, ſanctique Stephani Protomartyris, quorum conſilio & actu vigor eccleſiaſticus vigere debet, venerunt ante noſtram præſentiam Abbas monaſterii ſancti Petri Vivi, & ſancti Saviniani martyris cum turma monachorum ejuſdem Eccleſiæ, petentes à nobis ad ſupplementum victus & veſtitus ſui & ſucceſſorum ſuorum aliquod augmentum largiri à nobis ſibi clementer: quorum petitionibus & precibus prædictarum perſonarum conſentientes, aurem accommodavimus, & quod petebant, quia ſuum eſſe vidimus, conceſſimus. Scilicet altare quod eſt in pago Senonico, cum villa quæ dicitur Alſonus, in honore ſancti Petri dicatum, quod olim domnus Egil bonæ memoriæ hujus Sedis Archiepiſcopus eidem Eccleſiæ dedit & litteris firmavit. Item in villa quæ dicitur Senecias, altare quod eſt in honore ſancti Sanctiani martyris conſecratum. Item tertium quod diſtat à crypta prædicti monaſterii quinquaginta dextros in honore ſancti Saviniani martyris & Protopræſulis noſtri; quartum quoque in pago Pruvienſe, in villa quæ dicitur Naudus, in honore ſancti Lupi conſecratum. Ad petitionem igitur Rainardi, ejuſdem monaſterii Abbatis, & Monachorum ejus dedimus hæc quatuor altaria, ut ipſi & ſucceſſores eorum omni tempore poſſideant abſque alicujus ſervitii adminiſtratione, & in eis fideles Sacerdotes ad ſerviendum Deo omnipotenti dignè conſtituant. Poſtulo ergo ſerenitatem ſucceſſorum meorum Archiepiſcoporum, ut ficut cupiunt, ſcripta voluntatum ſuarum cuncto tempore fieri rata, ita orthographium deſiderii mei fideliumque meorum perenniter ſervent ſtabile. Vnde & propria manu firmo, roborandumque Coepiſcopis meis & fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ humiliter deprecor & trado. Præterea violatores hujus privilegii & divinatores gladio Spiritus ſancti, niſi reſipuerint & ſatisfecerint quibus damnum datum eſt, ferimus. Actum in Eccleſia ſanctæ Mariæ & ſancti Stephani Senonicæ urbis ſynodaliter atque feliciter.

Sevinus peccator Archiepiſcopus firmo, & ſigillo meo munio.
Odo Carnotenſis Epiſcopus.
Rainoldus Pariſiorum Epiſcopus.
Milo Trecarum Epiſcopus.
Ego Manaſſes Aurelianenſis Epiſcopus.
Theodoricus Eccleſiæ Senonicæ Archidiaconus.
Grunerius ejuſdem Eccleſiæ Archiclavis.
Albericus Vvaſtinenſis Archidiaconus.
Griverius Cancellarius ſcripſit.

NOTA.

Synodus hæc loquens de litteris Egili Senonenſis, ſanè per has denotat privilegium ejuſdem Archiepiſcopi conceſſum eidem monaſterio ſancti Petri, de quo ad annum DCCCLXIX. diximus. Similiter & in ſubſcriptionibus adnotatur Manaſſes Epiſcopus Aurelianenſis, quod ejus Epiſcopatui fidem penitus adſtruit, Epochamque aliorum ita conſtruit veriſimilem chronicon illud authenticum. Vt eo argumento cæteris allegandis majore ipſimet Manaſſi deinceps reſervari debeat locus hac ætate inter Aurelianenſes Epiſcopos, de quo aliàs dubitatum eſt.

ANNO CHRISTI 985. | LOTHARII Regis 31.

ADALBERONIS ARCHIEPISCOPI REMENSIS

Epiſtola Rhotardo Cameracenſi Epiſcopo.

HIS litteris acceptis Balduinum, quem nuper excommunicavimus, excommunicate, ob ſuam uxorem malè derelictam, & quod negligentiâ diutiùs eſt dilatum, obedientia corrigatur, nihilque ſibi profuerit Romam adiiſſe, dominum Papam mendaciis deluſiſſe, cùm Paulus dicat: Si quis vobis aliud annunciaverit, præterquam accepiſtis, etiam Angelus, anathema ſit. Eſtote ergo nobiſcum divinarum legum defenſores, qui ſacerdotalis dignitatis gaudetis eſſe participes, valete. Sequutus eſt Adalbero ſui anteceſſoris Hincmari exemplum, qui plures excommunicationes ex particulari Synodo Remenſi datas, etiam comprovincialibus Epiſcopis innoteſcere voluit ſecundùm Canones, de quibus ipſemet in epiſtolis 54. ac 55. & Flodoardus adhuc moris hujus meminit, recenſens lib. 3. hiſt. cap. 21. excommunicationem quam Theodorico Cameracenſi quoque Epiſcopo ſcripſit idem Hincmarus pro altero Balduino, qui viduam Iudith, filiam Regis Karoli Calvi furatus fuerat, ut ſciat eum à ſe ſub anathemate poſitum, & id per ſuam denunciet parochiam.

ANNO CHRISTI 985. | LOTHARII Regis 31.

ADALBERONIS ARCHIEPISCOPI REMENSIS

Epiſtola evocatoria ad comprovinciales Epiſcopos.

MVLTA ſuper ſtatu eccleſiarum Domini, multa ſuper publicis, privatiſque negotiis ratiocinaturi, cum noſtræ diœceſeos confratribus chariſſimo vos invitamus affectu, non tantùm noſtri, quantùm veſtri causâ honoris, ac utilitatis. Locus loquendi, mons ſanctæ Mariæ Terdonenſis, tempus III. Iduum Decemb. Valete. Quid autem in hoc Conventu geſtum ſit, non conſtat.

CONCILIVM

Anno Christi 986. | Ludovici V. Regis 1.

CONCILIVM APVD GALDONIS CORTEM in provincia Remensi,

Ad quod Vvalo, ejusque fautores iterùm vocati sunt sub pœna excommunicationis.

Hujus Synodi mentionem legimus inter epistolas Gerberti, quarum XXIX. scribitur Vvaloni, ejusque sequacibus ex persona Adalberonis Archiepiscopi Remensis, quæ sic habet. [Hactenus stultitiam vestram patienter tulimus, & quia synodalia decreta parvi penditis, vocati contemnitis, humana divinis præfertis. Ad Conventum nostrorum fratrum, apud Galdonis Cortem habendum in Cal. Iuliis vos iterum audiendos vocamus. Eò autem venire, aut sententiam damnationis eadem die, quo animo vultis, cum vestris fautoribus expectate.]

Anno Christi 986. | Ludovici V. Regis 1.

CONCILIVM CARROFENSE in Pictavensi diœcesi ab Episcopis Aquitaniæ secundæ celebratum.

Ex Archivis monasterii Carrofen.

PRÆDECESSORVM nostrorum auctoritatibus synodicis roborati, in nomine Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, Kalendis Iunii, ego Gumbaldus Archiepiscopus secundæ Aquitaniæ, cum omnibus Episcopis comprovincialibus convenimus aulam, quæ olim Carrof vocitatur, tam Episcopi, quàm & religiosi Clerici, necnon etiam & omnis uterque sexûs auxilium divinæ pietatis implorantes, ut qui quæ quondam in nostris domiciliis moribus pestiferis per longam tarditatem Concilii diu pullulare cognovimus, respectu cęlestis gratiæ, & eradicentur noxia, & plantentur utilia. Nos ergo in Dei nomine specialiter congregati decrevimus, sicut in sequentibus manifestata clarescunt ita.

Tituli Canonum.

De infractione Ecclesiarum.
De pauperum deprædatione.
De percussione Clericorum.
De mulierum intromissione ad Clericos.

CANONES.

I.

De infractione Ecclesiarum.

SI quis Ecclesiam sanctam Dei infregerit, aut aliquid exinde per vim abstraxerit, nisi ad satisfactum confugerit, anathema sit.

II.

De pauperum deprædatione.

Si quis agricolarum, cæterorumve pauperum prædaverit ovem, aut bovem, aut asinum, aut vaccam, aut capram, aut hircum, aut porcos, nisi per propriam culpam, si emendare per omnia neglexerit, anathema sit.

III.

De percussione Clericorum.

Si quis Sacerdotem, aut Diaconum, vel ullum quemlibet ex clero arma non ferentem, quod est, scutum, gladium, loricam, galeam, sed simpliciter ambulantem, aut in domo manentem invaserit, vel ceperit, vel percusserit, nisi post examinationem proprii Episcopi sui, si in aliquo delicto lapsus fuerit, sacrilegus ille, si ad satisfactionem non venerit, à liminibus sanctæ Ecclesiæ Dei habeatur extraneus.

IV.

De mulierum intromissione ad Clericos.

Nullus Presbyter neque Diaconus fœminam in sua domo teneat, neque in cellario, neque in secreto loco intromittat propter fornicationem; nam si facere tentaverit, sciat se omnem gradum perditurum, & cum aliis hominibus sacrum mysterium non celebraturum.

Ego Gumbaldus Archiepiscopus Burdegalensis subscripsi, qui & Aginnensis Episcopus. *Ex cod. Tiliensi.*
Ego Gislebertus Pictavensis Episcopus subscripsi.
Ego Aldegerius Lemovicensis Episcopus subscripsi.
Ego Frontenus Petragoricensis Episcopus subscripsi.
Ego Abo Sanctonicensis Episcopus subscripsi.
Ego Vgo Egolismensis Episcopus subscripsi.

NOTA.

Hujus anni 986. caracterem potiùs huic Concilio fiximus, quàm ex annis sequentibus alterum, tum quòd Carrofensis locus igne succensus fuerit anno 988. ut refert chronicon Malleacense, tum etiam quòd bella post Ludovici Regis obitum anno 987. exorta plures annos duraverint inter Hugonem novum Francorum Regem, & Carolum Lotharingiæ, atque Vvillelmum Aquitanorum Duces, qui postremus, reprobans nequitiam Francorum, ut loquitur idem chronicon, Hugoni subditus esse nolebat. Quæ duo faciunt, ut aula Carrofensis minimè videretur tunc libera & opportuna convocandæ Synodo totius provinciæ Aquitanicæ secundæ.

ADDENDA

ADDENDA,

Anno Christi 545.

CONVENTVS ARELATENSIS,

Childeberti Regis 34.

Vbi agitur de cognoscenda Prætextati Aptensis Episcopi causa, qui ex laïco ad sacratos ordines saltu præcipiti promotus, defertur.

Hæc omnia suppeditat nobis Epistola IV. Vigilii Papæ ad Auxanium Arelatensem, Sedis Apostolicæ Vicarium, seu Legatum, his verbis. [*Licet fraternitati vestra, Apostolica Sedis vicibus attributis, generaliter emergentium causarum sit discutiendarum licentia, tamen, quia Teredii Diaconi ad nos à te directi, de Pratextati excessu est porrecta petitio, credidimus specialiter memorati negotii examinationem præsenti vobis auctoritate mandare. Quapropter hortamur vos, ut adhibitis vobiscum fratribus & Coepiscopis nostris numero competente, discussa, ratione Canonica, veritate, ea sapienti ordinatione disponat, qua decessorum nostrorum conveniant statutis, charitas vestra, ne aliquem facilè ex laïcis ad sacratos ordines saltu præcipiti, cuiquam Sacerdotum liceat aggregare. Data* xi. *Kal. Iun* iv. *P. C. Basilii V. C.*] qui respondet anno Christi 545. Quis autem causæ fuerit exitus non liquet: hoc tantùm constat scilicet eundem Prętextatum, quatuor pòst annis habuisse successorem (an mortis causâ, vel judicii nescitur) Clementinũ nomine, qui anno Chisti 549. subscripsit Concilio Aurelianensi v. Porrò notanda sunt de hoc generali Vicariatu Auxanii, quòd per illum iste sibi conferri plus honoris, quàm potestatis opinaretur, & hanc quoque opinionem approbat ipse Vigilius. Pręterea videbimus etiam post trecentos ferè annos, quid simile agitatum inter Episcopos Galliarum fuisse propter concessos à summis quoque Pontificibus & Vicariatum Drogoni Metensi, & primatum Ansegiso Senonensi. Rursùs, quòd quis à Vigilio Papa dicitur saltu pręcipiti aggregatus, & à decessoribus suis temerè promotus, nec per tempora, & gradus; is hodie per saltum promotus ad ordines vocatur. Tandem verisimile est Auxanium Arelatensem Metropolitam, Vicarium Apostolicum, & Conventus pręsidem Arelate potiùs Episcopos congregasse; unde huic nomen civitatis ejus indidimus.

De Teredio autem Diacono. Is est Teridius, qui tempore Auxanii Diaconus quidem, sed nepos quoque Cęsarii decessoris sui, posteàque Presbyter fuit, cujus extat ad Monachos Regula nomine Terradii edita in tom. 15. Bibliothecæ Patrum, & malè, cùm in Thuâno, & Sirmondiano Codd. MSS. legatur eadem Regula Teridii, seu Teredii titulo, cujus mentio fit in Epistolis Vigilii Papæ: Et sanè Teredius ipse scribendo ejusdem argumenti Regulam, sequutus est avunculi Cęsarii exemplum.

Anno Christi 974.

ALTERVM EIVSDEM THEODVLFI fragmentum sermonis ad populum,

Caroli Magni Regis 26.

De omnibus ordinibus hujus sæculi.

QVONIAM peccatum quodcumque delectat, aut subripit, sit nobis in memoria; quòd jam deleta sunt peccata nostra, non perdamus prēmium sanguinis Christi, nec maculemus stolam animæ per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiscentiam. Iacuimus, jam erecti sumus, vulnerati fueramus, jam sumus sanati, non erit excusatio, qualescumque Diabolus ad malum potest invitare, non potest trahere, delectationem infert, non potestatem, consilium ingerit, non conflictum. Nunc ergo propter partũ beatæ Mariæ, sit mihi sermo ad virgines, sive ad viros, sive ad fœminas, sive ad viduas, sive potentes, sive pauperes, sive servos, non est apud Deum, nisi meritorum discretio. Audite me itaque quicumque dono Christi in corpore virgines estis, generaliter loquar ad omnes. *Sermo ad Virgines.* Audite me itaque quicumque se agnoscit esse quod dico, studeat, ut & corde sit virgo, sic gaudeat de lucro corporis, ut non habeat damnum animæ, gaudeat tamen de tam pretioso dono Christi, gaudeat cum humilitate, fleat cum pietate, agat gratias, quia tantam fœlicitatem in integritate portat, lętetur, quia secuturus est agnum quocumque ierit: Si tamen in ore ejus, sicut legimus in Apocalypsi, mendacium non inveniatur, oret pro perseverantia, ut non illi qualiscumque delectatio sæculi, aut invidia Diaboli, tantum donum tollat, tantam claritatem innubilet, tantum nitorem infuscet; teneat fortiter, non perdat rem irreparabilem, non uno momento delectationis amitat gratiam corporis, non contrahat turpitudinem animæ per pulchritudinem formæ corruptæ, non illum concupiscentia vincat. Si me audierit, permanet; quòd si non audierit, amissurus est, quod nunquam reparaturus.

Iterum ad vos mihi sermo est. Qui conjuges habetis, moneo ut castè habeatis. *Ad nuptas.* Nam Elizabeth, quæ longęvis temporibus castè cum marito vixerat, & ambo fideles ante Deum fuerant, meruit jam de mortuo semine habere filium, qui & sanctitatem parentis ornaret, & prędicatione multos infideles converteret.

Iterum vobis loquor quæ estis viduæ, custodite viduitatem, non estote verbosę, sed cum silentio expectate Dominum, qui pupillum, & viduam suscipiet, sed bona vidua illa quæ in oratione est, in humilitate, in eleemosynis prompta. Si certè unde faciat non habet, vo- *Ad viduas.*

ANNO CHRISTI 974.

CAROLI MAGNI Regis 26.

luntatem bonam, & sinceram cogitationem habeat. Mulieres non maledicite, non jurate, non estote promptæ ad loquendum. Fortè dicitis importunum esse quòd ista dico: non mihi facere licet, plus timeo illum qui jubet, quàm illum qui detrahit. Ego dico, qui agnoscit emendet, qui in se non recongnoscit, gaudeat, & teneat ut aliis pro salute dicere possit.

Ad pœnitentes. Nunc jam ad vos loquor, pœnitentes, qui pœnitentiam in Ecclesia accepistis & agitis, perseverate in fletu, in compunctione doctè plangite. Quid est doctè plangire: non quętite in oratione temporalem rem, sed æternam beatitudinem, remissionem peccatorum: qui sic orat, ipse doctè plangit: non cadant ad terram inanes lacrymæ vestræ, quia verax est ille qui per Prophetam dicit: ***Posui lacrymas meas in conspectu tuo.*** Vos modò satis debetis Deum amare, & de timore jam ad dilectionem transire. Quia legimus in Evangelio de peccatrice illa, ***Cui multùm dimittitur, multùm dilexit;*** Et ideo debetis multùm diligere Deum, qui vos expectando, & non puniendo, ad pœnitentiam perducere dignatus est.

Ad mendicantes. Nunc verò ad vos sermo est, pauperes. Vos dic pauperes qui mendicatis, qui de eleemosynis Christianorum vivitis, consolamini, tribulatio vestra convertetur in lętitiam, & dolor vestræ in gaudium. Non vobis sit ingratum quòd mendicatis, nec ideò in corde vestro aliquid contra Dominum dicatis: quia ille justus & pius est in omnibus operibus suis, & te ideo fecit pauperem, ut sufferendo inopiam, æternam vitam adquireres; & divitem ideo fecit, ut dum tibi superflua daret, remedium peccatis adquireret: & ideo patientes estote, expectate Dominum.

Ad servos. Etiam mihi ad vos sermo est, servi, quicumque dominos carnales habetis, quicumque servitii conditionem habetis, obedite dominis vestris, diligite ex corde, non ad oculum servientes, sed ministerium ex amore facientes. Quia & illos Deus constituit, ut vobis dominentur, & vos ut serviatis; bene servite, quia de bono servitio mercedem habebitis: Si boni fueritis, meliores eritis dominis malis. Quia apud Dominum anima uniuscujusque non est de nobilitate discernenda, sed opere; nec genere, sed actione. Ideo nunc ad omnes mihi sermo fuit, quia Christus pro nobis mortuus est, & ideo servate quæ dixi, ut de vobis fructum habeam, & vos omnes in cęlestibus horreis, ubi frumenta congreganda sunt, misericors Dominus intromittat, qui vivit & regnat in sęcula sęculorum, Amen.

Vis nunc charissime frater Desideri, ut tibi quasi de luminaribus firmamenti, quæ toto mundo refulgeant, pauca de scriptoribus qui nobis multa de obscuritatibus, quæ propter carnelem intelligentiam impediunt, ad splendorem considerationis spiritualem proferre potuerunt manifestissimè. Dicam, ut vereor Susannæ Helciæ filiæ in me sententiam, iniquo judicio Presbyterorum dicentis ne impleatur: angustiæ sunt mihi undique; si enim voluero ex his reprehendere, adversarios atque inimicitias ubique concitabo. Si autem voluero, quod postulasti nunquam invenies, sed cujus tam voluntatem condemnari, quàm multorum consilium transire, vel despicere esse videtur. Qui unusquisque eorum in Scripturis sanctis diligenter laudare meruit. Sed omnes leniter, leviterque cum omni amore tanquam, ut utrumque pacificè impleam, augustissimus Episcopus volans per montium culmina, quasi Aquila, ea quæ in montium radicibus fiunt, non considerans, multa cęlorum spatia, terræ situs, & aquarum circulum claro sermone pronuntiet. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim ad superiora, & majora carpere festinat, ramos autem proximos parvulis relinquunt: nos autem parvuli sumus. Obsecro vos, fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum & emendationem vigilantissimâ curâ laboretis.

ANNO CHRISTI 649.

CLODOVEI II. Reg. 5.

CONCILIVM PARISIENSE,

In quo Audobertus Parisiorum Episcopus Monasterio Fossatensi Bagaudarum libertatis privilegium concessit, subscriptum etiam à Rege, confirmatur ab Episcopis.

Ex vita sancti Baboleni Abbatis Fossatensis. Narratur in hac vita, quomodo Blidegisilus in urbe Parisiaca gerens officium Archidiaconatus, Monasterium construxerit in Castro [a] Bagaudarum, scilicet Parisiensium, ab antiquis vocitato, quod tunc dicitur locus Fossatensis, cui Babolenum virum omni sapientia comptum pręponi à Rege Clodoveo obtinuerunt Audobertus ejusdem urbis Episcopus, & Archidiaconus: igitur jamdictus Blidegisilus ut Christi gratiam acquirere mereretur, nominatum Castrum, & omnia instrumenta à Rege sibi super illud tradita, sancto viro Baboleno & fratribus illi subditis perpetuò tradidit habenda. Audobertus denique Parisiacæ Episcopus Ecclesiæ, videns sanctissimum Babolenum ad alta virtutum conscendere, & de die in diem ad meliora proficere, nimio eum amplectebatur amore. Contulit idem Pręsul sancto Baboleno privilegium suæ auctoritatis, ut tam ipse, quàm successores liberi, & securi ab omni inquietudine tam Ecclesiasticorum, quàm Laïcorum, ibidem manere possent. Quod si quisquam insaniâ plenus detestando moveatur, cur sanctus Pater à sibi dilecto Pręsule tale decretum susceperit, noverit pro certo, quod eo rogante gratiâ peregrinationis in eodem loco resederit, & regali munere pręfatum Castrum ad construendum cœnobium concessum ei fuerit. Si verò contra Patrum statuta eum fecisse causatur: legat Canones à sancto Bonifacio Carthaginensi Episcopo, & aliis Episcopis factos, necnon ejusdem Sacerdotis Epistolas ad Liberatum Episcopum missas, & inveniet quòd Monasteria, in quibus regulariter vivitur, libera esse debent ab omni infestatione Episcoporum & Clericorum. Illud verò privilegium suę manus conscriptione corroboravit, ac Fratribus, & Consacerdotibus suis, videlicet Episcopis, qui in Regis aula pręsentes aderant, atque ad sanctam

Anno Christi 649.

Clodovei II. Regis 5.

sanctam Synodum evocati fuerant, confirmandum tradidit. Primus igitur idem Episcopus Audobertus, deinde Gandericus Lugdunensis, deinceps [b] Annobertus Senonensis, [c] Prestelendus quoque Bituricensis, dein Donatus Besontionensis, quatuor videlicet venerabiles Archiepiscopi, septeno Episcoporum numero juncto sibi, quorum nomina utique sunt in eodem privilegio scripta; quod jam non extat. Hi omnes eandem auctoritatem de libertate dicti loci confirmaverunt, & pari assensu propriis manibus coram Rege subscripserunt; sed & Rex ipse favens subscripsit, & suo monogrammate facto, anulo regali insigniri jussit. Acta sunt autem hæc in urbe Parisius, Clodoveo regnante, anno quinto, indictione quoque quinta, die mensis Maii XV.

NOTÆ.

[a] In chronico Idatii Episcopi fit mentio gentis bellicosæ; ac insolentis Bacaudarum, Tarraconensium & Aracellitanorum ab Asturio & Merobaude utriusque militiæ magistris in Hispania cæsæ.

[b] Malè collocatur in indicibus Archiepiscoporum Senonensium, cùm de ipso ad annum 750. enuntientur eadem, quæ continentur in hoc Parisiensi Concilio, quod non potest certo certius referri ad subsequens sæculum, unde inter Archiepiscopos Richerium, qui subscripsit Remensi Concilio anni 630. & Armentarium, qui adfuit Synodo Cabilonensi anni 650. reponere illum nihil officit.

[c] Ibi & aliàs corruptè legitur Prestelendus loco Vulfoledus, vel Vulfcodus, aut Vulfolendus.

Anno Christi 525.

Childeberti Regis 14.

CONCILIVM CARTHAGINENSE sub Bonifacio hujus Sedis Episcopo.

Occasione Synodi Carthaginensis sub Bonifacio Episcopo, ejusdemque Bonifacii epistolæ ad Liberium memoratæ in privilegiis libertatis, monasteriis Fossatensi, sancti Dionysii Parisiensis, & Corbeïensi concessis, damus hîc ex codice vetustissimo bibliothecæ Vaticanæ, sessionem secundam illius Synodi, in qua de libertate monasteriorum agitur, & in qua planè ac planè recitantur hæc omnia, quorum fit mentio in iisdem privilegiis ab Audoberto & Landerico Parisiensibus, atque Bertefrido Ambianensi Episcopis. Et sanè hi viderant Gallicani, quæ ab Episcopis Africanis constituta quidem fuerunt in gratiam monachorum, sed instar alterius privilegii seu institutionis in causa insulæ Lirinensis, ac exemplo Episcoporum quoque Concilii Arelatensis anno Christi 455. celebrati, ut discimus ex illorum actis, quæ sic habent.

SYNODI CARTHAGINENSIS Bonifacii Episcopi habitæ anno Christi DXXV. sessio secunda.

In qua agitur de libertate monasteriorum ex vetustiss. cod. MS. bibliothecæ Vaticanæ, aliàs ab illustriss. Episc. Monpeliensi Fr. Bosqueto transcripta; dein à Luca Holstenio eiusdem bibliothecæ Præfecto transmissa illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo Petro Marca.

Incipit dies secunda.

ANNO secundo gloriosissimi Regis Vvandalorum Hilderici, die nona Idus Februarias, Carthagine in secretario Basilicæ sancti martyris Agilei, cùm Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis cum Coepiscopis suis diversarum provinciarum Africanarum, quorum nomina subscriptiones ostendunt, consedisset, adstantibus Diaconis, Bonifacius Episcopus dixit: Post hesterni diei disputationem, quæ nos pene usque ad vesperum detinuit occupatos, quia jam nihil arbitror superesse quod de generali Ecclesiarum utilitate tractemus, si quæ sunt specialiter discutienda, singulorum suggestio manifestet, ne vel privata commoditas videatur omissa.

Gaudiosus Diaconus regionis quintæ, dixit: Petrus Abbas cum aliquantis senioribus monasterii sui petit cœtus præsentari judicio. Bonifacius Episcopus dixit: Ingrediantur. Quibus ingressis, Bonifacius Episcopus dixit: Quæ vos causa ad Concilium convenire compulit? Petrus Abbas cum præsentibus Monachis fratribus suis, dixit: Offerimus libellum, cujus series recitata vim doloris nostri meliùs proloquitur. Bonifacius Episcopus dixit: Susceptum quod ingeritur percurratur; & cùm tradidisset, Redemptiolus Notarius recitavit.

Data à Petro Abbate, & ab universa congregatione ejus.

Rogamus, beatissime, & apostolica dignitate prædite, Christi venerande Pontifex, Bonifaci Episcope, & omnes sancti Sacerdotes qui nunc adesse videmini, ut suggestionem nostram intentè adverti præcipias. Diu ad strepitus publicos interrupta quiete pervenire noluimus: diu infra monasterii latebras solis fletibus occupari volumus; & amica pœnitentibus studuimus servare silentia. Vicit modò verecundiam dolor, ac privata necessitas generale propositum conturbavit. Ex quo enim desiderii paginam voluntaria devotione conscribentes, huic venerabili Sedi libertatem monasterii nostri commisimus vindicandam. Nova subitò, sanctissimi Sacerdotes, adversùm nos exurrexerit tempestas invidiæ. Sanctus quippe Liberatus Episcopus primæ Sedis provinciæ Byzacenæ, congregationibus Sacerdotum sæpe collectis, in perniciem nostram multa & multipliciter machinatur; dum in nobis quasi quandam materiam suæ assumptionis inveniens, post audientiæ præfixum diem, post pacificæ disputationis facultatem datam atque concessam, monasterium nostrum gravi excommunicatione percutere voluisset. Absit enim ut percussisse dicamus, scientes nos sub vestro velamine constitutos, nullis posse jaculis quorumlibet Conciliorum penetrabiles deferi. Succurrite igitur tandem aliquando; & à nostris servicibus jugum, quod neque nobis, neque Patribus nostris, quisquam superponere aliquando tentavit, excutite. Nihil contra fidem, neque contra bonos admisimus mores. Quia si discutiatur ratio, licèt liberi quocumque pertinere voluerint: si consideretur auctoritas, nulla adversùm nos antiquorum Patrum

Anno Christi 525.

definitio profertur: si quærantur exempla, multos antè fecisse irreprehensibiliter docemus, quidquid modò fecisse culpamur.

Cęterùm quòd à proprio Subdiacono monasterium, sicut audivimus, dicunt esse fundatum, quid prędjudicat olim mortui persona viventibus? quando etiamsi conditionem clericatus alicui debuit, conditio cum persona defecit. An forsasse Dominus fuit? aut sic congregationi fratrum pręfuit, ut aliquid sibi proprium vindicaret? quem cœnobialis regulæ non ignorari dispensationem tantummodo dicimus habuisse, nec ideo nos eum, quia Subdiaconus, sed propterea quia monachus fuit, Abbatem habuimus. B Vnde & si forsitan alicui Episcopo aliquando Subdiaconus, nobis tamen monachus fuit: nec nos heredes honoris ecclesiastici, quem eum habuisse nescimus, sed sanctissimæ professionis extitimus. Proinde lacrymabiliter obsecramus, nihil novum fiat in nobis; quia nihil novum factum docetur à nobis. Illuc ne opprimeremur, confugimus, ubi solent etiam clerici, si se opprimi viderint, appellare. Cur per dies singulos inauditis minis ab spiritali intentione deponimur? Cur Ecclesiæ simplex prohibetur accessus? Cur etiam in ecclesiis positi imprudenter jubemur foras à Sacerdotibus pelli? Cur etiam hospitalitas, quam semper exhibuimus, denegatur? riment salutare qui diligunt: mutus Dei servus C viator occurrit, benedictionem nobis transeuntibus nemo date, nemo audet accipere. Satisfiat tandem aliquando pietati. Nos de conscientia nostra securitatem plenissimam gerimus. Vos sciatis qualem de tribulationibus nostris rationem Deo nostro reddatis, aut nos qualiter priori securitate confirmatâ, nostræ libertati restituatis quam consecuti, Deo & vestræ beatitudini uberes referamus gratias. Et subscripserunt.

Ego Petrus Abbas hunc libellum nostrum subscripsi.

Ego Octavianus Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi.

D Ego Fortunatus Presbyter hunc libellum nostrum subscripsi.

Ego Felix Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi.

Ego Renatus hunc libellum nostrum subscripsi, & cæteri.

Quo recitato Bonifacius Episcopus dixit: Recitatum libellum acta suscipient. Proinde cognovit sinceritas vestra, fratrem Consacerdotemque nostrum Liberatum de levissimis rebus grave jurgium suscitare; captâque unius injustissimæque querelæ occasione, privilegia hujus sanctæ Ecclesiæ moliri subtrahere: dum procaci contentione turbans ordinem caritatis, putat E publicis contentionibus studendum: nec invidiæ flammam timens accendere adversùm servos Dei, quibus nihil commune est cum seculo, congregationes Pontificum, sicut pariter audivimus, frequenter adducens, & quotidianis minis Christi famulos inquietans; ut mutatâ vice, quos nec generalis ecclesiarum gravatio molestavit, pax ecclesiastica videatur affligere. Relegantur itaque singula, quæ in hoc negotio per alternas epistolas acta sunt; quò faciliùs universa fraternitas, revelantè intrinsecus Domino, quid pacificè definire oporteat, cum auctoritate & veritate disponat.

Iannarius Episcopus Ecclesiæ Vegelitanæ provinciæ Numidiæ dixit: Dolemus satis audientes

A quia reverentiam sanctæ huic Sedi debitam frater consacerdosque noster Liberatus audet in aliquo denegare. Miramur quæ sic tanta pernicies repentè surrexerit, quæ compelleret monasteriorum turbari silentia. Poscimus igitur, ut secundùm beatitudinis tuæ pręceptum cuncta nobis legi censeas, quibus diligenter consideratis, causa tanti jurgii penitus abscindatur: & hoc omnes tuæ gloriæ exhibeamus, quod antiquitas pręedecessoribus tuis detulisse evidenter ostenditur. Episcopi dixerunt: Hæc etiam nostra postulatio: fiat omnibus notum quicquid in hac causa dignoscitur gestum, ne remanere aliquid permittatur incertum. Bonifacius Episcopus dixit: Fiat quod hæc congregatio Sacerdotum justissimè flagitat. Proferantur ex archivo hujus Ecclesiæ scripta quæ direximus, & rescripta quæ sumpsimus, vel quæcumque ad pręsentis negotii pertinent firmitatem. Redemptiolus notarius ex volumine chartarum recitavit.

Childeberti Regis 14.

Data à Petro Abbate, & ab universa congregatione ejus.

Rogamus, Domine beatissime, & apostolicâ dignitate prędite, Christi venerande Pontifex Bonifaci, nobis aurem placidam inclinare digneris: quoniam vos & in tribulationibus adjutores, & in sollicitudinibus nostris consolatores nobis Deus pręposuit, ut non solùm vestro suffragio in tentationibus adjuvemur, verùm etiam vestro consilio in quibusque dubiis confirmemur. Propterea tui Apostolatus orationibus nos commendantes, poscimus ut nostrum monasterium facias tuæ beatitudinis regimini subjacere. In absentia enim Sacerdotis Carthaginensis Ecclesiæ, de proximo Bonifacium Gratianensem, sanctum Episcopum primæ Sedis provinciæ Byzacenæ petiimus, ut quandiu huic sanctæ Ecclesiæ Carthaginensi rectorem Dominus concessisset, nobis qui divina mysteria celebrarent, ordinaret. Quod & factum est, ita tamen, ut defuncto Primate, non successor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, sicut est moris in subditis: sed neque plebi nos vicinæ aliquando subjecimus, aut Episcopis vicinis, aut interventori Ecclesiæ quæ proxima est nobis; expectantes, ut diximus, sanctæ hujus Ecclesiæ Carthaginensis libertatem. Nunc autem quoniam divina misericordia dignum te nobis donavit Episcopum, supplices exoramus, ut vota vel subscriptiones nostras suscipi jubeas, atque congregationem nostram, sicut credimus & speramus, fovere & consolari digneris: ut tantæ Sedis, quæ Primatum totius Africæ Ecclesiæ tenere cognoscitur, defensione muniri, Creatori nostro Domino laudes debitas referamus. Hunc enim libellum, sive à me, sive ab omni congregatione subscriptum, reverentiæ tuæ offerimus, petentes ut eum à nobis suscipere jubeas, & chartis Ecclesiæ sociare, acturi Deo, & Apostolatui tuo uberes gratias. Et subscripserunt.

Ego Petrus Abbas huic libello nostro in omnibus quæ superiùs continentur, relegi, consensi, & subscripsi.

Ego Fortunatus Presbyter monasterii, huic libello nostro in omnibus quæ superiùs continentur, relegi, consensi, & subscripsi & fratribus subscribendum tradidi.

Ego Victor senior monasterii subscripsi.

Ego Vincentius senior monasterii subscripsi.

Ego Gentius senior monasterii subscripsi.

Et

Et item recitavit.

Domino sancto, ac beatissimo, nimiumque suscipiendo, meritò venerabili fratri ac Consacerdoti Bonifacio, Liberatus cum omnibus sanctis fratribus & Consacerdotibus meis, qui in Iuncensi Concilio adfuimus, in Domino æternam salutem.

Veneranter excepi tuæ sanctitatis epistolam, quæ mihi eò gratior facta est, quò vestræ præferebat indicium sospitatis, quam necesse habui sancto Concilio adlegare. Ea verò quæ meritò Maximianensium, tua sanctitas scribere dignata est, advertimus, ideoque omnibus sanctis fratribus & Consacerdotibus meis, qui in sancta Synodo Iuncensi adfuimus, debito salutans venerationis obsequio, nosque omnes tuæ sanctæ orationi commendans, insinuo, famulis suis, divina misericordia instigante, in omnibus pacem esse firmatam. Quæso autem, ut quæ sanctis fratribus & Coepiscopis nostris Ponticano & Restituto, sanctitati tuæ mandavimus adleganda, & clementer audire, & sapienter ordinare tua beatitudo dignetur. Novimus enim sapientiam tibi divinitùs infusam, quâ præcipuè hoc studeas, ut nullus permittatur ecclesiasticorum Canonum aliquatenus convellere firmitatem, teque cunctis formam præbere virtutum, ut terminos paternis definitionibus constitutos non negligat servare posteritas. Et subscriptio: Orantem pro nobis beatitudinem tuam summa tueatur divinitas, quod optamus. Accepta Idib. Decemb. anno primo.

Post recitationem hujus epistolæ, memorati Episcopi verbo quæ mandata sunt, dixerunt, id est, de Sasifense plebe, Vmbrianense, & Villaminorense; & ut Vincentius Episcopus Girvitanus, provinciæ Tripolitanæ plebes, quas Tamallumensibus invasisse videtur, admoneatur ut restituat; & ut in procemio epistolarum aliquid honorificentiæ addatur; & de monasterio Petri Abbatis, ad quæ omnia sic rescriptum est.

Dilectissimis & desiderabilibus fratribus & Consacerdotibus, Seni Liberato, & cæteris qui in Concilio Iuncensi adfuistis, Bonifacius.

Advenientibus fratribus, Consacerdotibusque nostris Ponticano & Restituto, optatam gratulationem suscepi, dum relectâ paginâ fraternitatis vestræ, de pace & concordia eorum, de quibus antehàc scripsisse cognoscitur, lętari promerui. Proinde iisdem fratribus repedantibus, necesse habui officiositatis meæ paginam dare portandam, salutans plurimùm, & me cum affectu sanctitatis vestræ orationibus commendans, Creatorem nostrum & Dominum deprecor, ut hæc legentes, addatis precibus, ut diebus nostris, sublatis his, quæ communes animos offendere possunt, quieta nobis omnia prętentur. Illud autem, dilectissimi & desiderabiles sancti fratres, quod sinceritas vestra per memoratos Coepiscopos nostros verbo mandare dignata est, fateor valde mihi difficillimum; neque enim poterimus statuta mutare, quæ per tot Sacerdotes, instinctu divino, servata noscuntur. Si enim admiserimus ea quæ antea constituta sunt in retractationé vocari, nihil in divinis, hu- A manisque actibus, nihil in sacris, publicisque rebus obtinere ullam poterit firmitatem: dum post annorum spatia, tanquam in emendationem Patrum velut instructior nostra videatur mutare posteritas. Sed potiùs exoremus, ut manentibus his, quæ cum omni affectu à prioribus nostris custodita sunt, vel ex consuetudine descendunt, pius Dominus quæ pacis sunt, votis nostris & precibus concedere jubeat sanctorum Canonum statuta servantes.

Et quia constitutum est, ut ab hac sancta Carthaginensi Sede, diversis provinciis Africanis petentibus, Paschæ dies intimetur; intimamus Resurrectionis dominicæ Sacramentum VII. Iduum Aprilium ad futurū fore, quam festivita- B tem, ut cum quiete domus Dei celebrare mereamur, assiduis precibus fraternitas tota, & omnis anima Christiana, de Domini clementia expetere non prętermittat. Et subscriptio: Opto te, frater, in Domino bene valere, & mei memorem esse.

Data die XVII. Kal. Ianuarias, anno primo.

Item recitavit.

Quæ autem per memoratos Episcopos remandata sunt, sequentia monstrant. Ad ea quæ sanctum Concilium Byzacenæ provinciæ, per fratres nostros verbo mandavit, decuit respondere, id est, de Sasifense plebe, Vmbrianense, & Villaminorense, quia sunt documenta quid C in tempore fuerit gestum, atque reservatis his quæ Canonum judicia continent, tempore quo oportet, necesse est ostendantur. De locis autem de quibus frater noster Vincentius Girvitanus provinciæ Tripolitanæ impetitur, dum ad petitum eorum qui adversùs eum agunt, nobis à memorato Concilio fuerit scriptum, necesse est ut illa ordinentur, quæ Patrum nostrorum constitutio terminavit. De procemio autem mutando, illa nos posse facere profitemur, quæ à vobis directis literis intimata sunt. De monasterio autem Petri Abbatis justè non fecisse, ut à nobis ordinatio fieret, ipsa res quæ prolata est in medium pręsentibus sanctis fratribus nostris, diversatum provinciarum ostendit: ut etiam fratres nostri qui directi sunt, audierunt, & pro- D prio ore sensum fratrum nostrorum instruere possunt.

Item recitavit.

Data à Petro Abbate, & ab universa congregatione ejus.

Rogamus, beatissime, & apostolica dignitate prędite, Christi venerande Pontifex Bonifaci Episcope, ut suggestionem nostram intentè advertere jubeas. Perlatum ad nos quod sanctus Liberatus Episcopus primæ Sedis provinciæ Byzacenæ beatitudini vestræ de nomine nostro querelam movisse videatur. Et satis mirati sumus E ejus sanctitatis prudentiam de nobis, qui contemptis facultatibus nostris, ut à conditione liberi efficeremur, Deo nostro servire decrevimus, mentionem facere juberet, diceretque quòd conditione Byzacenæ provinciæ teneamur obstricti; cùm constet nos de diversis locis Africanis, vel de transmarinis, ad hunc nostrum locum, in quo esse videmur, congregatos fuisse, & nunquam alicui obnoxios fecisse; & cùm in libertate vocati sumus, sicut Apostolus dicit: Cur de nobis, qui ad Deum fletibus & orationibus exclamamus, causatio fuerit facta, ignora-

mus. Monasterium enim in quo, Domino protegente, esse videmur, sumptu parentum nostrorum, vel aliorum religiosorum, fundatum esse firmamus; à sancto Reparato Episcopo Puppianensi provinciæ Proconsularis dedicatum esse non silemus. Et quousque proprium Episcopum, concedente Domino, hæc sancta Ecclesia Carthaginensis haberet, sustinuimus: à quo non solùm nos, verùm etiam & omnes in Africa constituti, fomenta quotidie accipimus; ad quam salva libertate arbitrii nostri, quam semper, Deo protegente, habemus defendendam, confugium fecimus, desiderium nostrum propriis subscriptionibus roboravimus. Ideoque humiles supplicamus, ut inanes querelas beatitudo vestra repellere dignetur, & currente justitia, in qua semper deget vestra beatitudo, à jugo nos clericorum, quod neque nobis, neque patribus nostris quisquam superponere aliquando tentavit, eruere digneris.

Nam docemus, Monasterium de Pręcisu, quod in medio plebium Lœptiminensis Ecclesiæ ponitur, prętermisso eodem Episcopo vicino, Vico-Ateriensis Ecclesiæ Episcopi consolationem habere, qui in longinquo positus est; & Baccense monasterium, quod Maximianensi Ecclesiæ vicinum est, ad consolationem Primatis Byzacenæ provinciæ se conferre. Nam & de Adrumentino monasterio nullo modo silere possumus, qui prętermisso ejusdem civitatis Episcopo, de transmarinis partibus sibi semper Presbyteros ordinaverunt, Valentinum, Epiphanium, Victorianum, & Paulum. Et cùm sibi diversa monasteria, ut ostenderent libertatem suam unicuique prout visum est, à diversis Episcopis consolationem quęsierint, quomodo nobis denegari poterit, qui de hac Sede sancta Carthaginensis Ecclesiæ, quæ primatum totius Africanæ Ecclesiæ habere videtur, auxilium quęsivimus? Ob hoc obsecramus, iterumque supplices poscimus, ut desiderium nostrum nullius suggestione perturbari permittatur, ut possimus auxilio hujus sanctæ Ecclesiæ muniti, in congregatione qua sumus, cum quiete manere. Extant enim venerabilium sanctorum Patrum dicta, libertatem monasteriorum defendentium; quæ si vestra jusserit recensere beatitudo, præ manibus habentur. Ex quorum lectione cognoscant hi, qui de nomine nostro apud beatitudinem vestram, talem videntur facere invidiam, quæ congregationibus monachorum fuerint à Domino concessa, acturi Domino & vestræ sanctitati maximas gratias. Et subscriptio.

Ego Petrus Abbas hunc libellum nostrum subscripsi.

Ego Fortunatus Presbyter hunc libellum nostrum subscripsi.

Ego Octavianus Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi.

Ego Felix Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi.

Ego Renatus hunc libellum nostrum subscripsi. Et cęteri.

Sancti Augustini de moribus clericorum in secundo libro ad locum.

Vobis dico, qui fortè nescitis, nam vestrûm plurimi sciunt, Presbyterum Lepotium quamvis sęculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem, cunctis quæ habebat relictis inopem suscepi; non quia nihil habuit, sed quia jam fecerat quod ista lectio persuadet. Hic non fecit, sed nos scimus ubi fecit. Vnitas Christi & Ecclesiæ una est; ubicumque fit opus bonum, pertinet & ad nos, si congaudeamus. Hortus est unus ubi nostis; ibi monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo serviunt. Ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, sed nec ad ipsum. Et ad quem, dixerit aliquis? Ad illud quod ibi est monasterium. Sed quod verum hoc est, usque ad hoc tempus curam pro illis ita gerebat, ut sumpticulos, quibus sustentabantur, apud se haberet, & ipse, ut videbatur, impenderet. Sed ne propter hoc locus daretur hominibus, suspiciones suas rodentibus & ventrem non implentibus; hoc placuit & mihi & ipsi, ut sic se illi transigant, quasi iste jam de sęculo exierit. Nunquid enim cùm obierit ipse, illis dispensaturus est aliquid? Melius est ut videat illos bene versantes, regente Deo in disciplina Christi sic viventes, ut de illis tantummodo gaudeat, non eorum necessitatibus occupetur.

Item in libro II. de moribus clericorum.

Locus etiam ipse, ubi monasterium constitutum est à memorato honorabili filio meo Eleusinio, ipsi Presbytero Barnabæ donatus est antequam ordinaretur Presbyter; in ipso loco monasterium instituit. Sed tamen quia nomine ipsius donatus erat locus, mutavit instrumenta, ut nomine monasterii possideatur.

Et alia exemplaria auctoritatis sancti Bonifacii Episcopi, Primatis provinciæ Byzacenæ.

Dilectissimis, atque in Christi gratia nominandis filiabus meis, universis Dei ancillis Monasterii Bavagalianensis, Bonifacius primæ Sedis Episcopus, in Domino salutem.

Vestræ sanctimoniæ libellum recipiens dum intentè percurrerem, attentiùs auscultavi quid in se contineret. Quapropter reciprocum præmittens salutationis obsequium, insinuo semper servorum Dei, vel ancillarum monasteria liberum habere arbitrium à conditione omnium clericorum: quorum priscorum Patrum sequentes ritum, etiam vestrum monasterium hoc habere, & in vobis manere usque in ævum. Vnde per hanc vos auctoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis unde volueritis spiritalem sumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes. Si quis autem contra hoc salubre venite voluerit pręceptum, rigorem illico sentiat ecclesiasticum. Ergo ut superiùs connexuimus, hanc vobis attribuimus licentiam, ut quem velitis vobis corrogetis Presbyterum, qui vobis monasterio peragat sacrosancta, & illa quæ ad normam pertinent unitatis celebranda usque in perpetuum. Et si quis Presbyterorum ibidem in monasterio divina celebraverit mysteria, ipsius Primatis altario Domini nomen recenseatur, ut jurgiorum semina in omnibus careant. Et subscriptio: Deus vos in timore suo conservet; quod oramus.

Data sub die Kal. Maii, anno XXI. gloriosissimi Regis Trasamundi.

Et

Anno Christi 525.

Childeberti Regis 14.

Et item recitavit.

Exemplar Epistolæ generalis quæ ad Episcopos invitandos in causa insulæ Lerinensis missa est.

Quotiens membrum aliquod quolibet infirmitatis genere laborat, fieri non potest, quin ejusdem corporis etiam cętera membra condoleant. Et ideo causa, quæ inter sanctum Episcopum Theodorum, & sanctum Valerianum, vel sanctum Maximum item Episcopos, atque Abbatem Faustum, necnon & reliquos Patres insulæ Lerinensis acciderat, absque dubio omnes nos qui in Christo unum sumus, differre non possumus, nisi id agamus, qualiter curetur & abstergatur. Ad hoc itaque remediandum scandalum orationibus vestris tertio Calendas Ianuarias audientiæ dies est constitutus. Rogamus ergo ut sanctitas vestra se usque Arelate fatigare dignetur: quatenus tantum malum, quod dilatione plus crescit, beatitudinis vestræ pręsentiâ terminetur. Talis enim causa, quæ tam grande scandalum genuerit, sicut atrocitate sui multos involvit, ita plures, qui in Christo medeantur exposcit.

Ad eos qui in ipsa insula sunt.

Beatitudinem verò vestram pręcipuè adesse convenit, quos insula ipsa velut sinu quodam genitricis fovens, ad eam gratiam, quæ nunc in vobis est, Domino instigante produxit.

Ad sanctum Rusticum.

Ac pręcipuè beatitudo vestra ut adsit, primùm deprecamur; quia major infirmitas necessariò medicos peritissimos inquirit.

Incipit institutio sanctorum Episcoporum, Ravennii, Rustici, Nectatii, Flori, Constantii, Asclepii, Maximi, Iustici, Salonii, Ingenui, Enantii, Zotici, Chrysanthi, in causa insulæ Lirinensis.

Cùm Arelate in secretario Ecclesiæ convenissemus, pręmissa prece ad Dominum, nullo extrinsecus arbitro interveniente resedimus, de remedio scandali, quod in monasterio in insula Lirinensi obortum fuerat, pertractantes. Placuit ergo nobis, sancto, ut credimus, Spiritu gubernante, ut omnibus, quæ in querelam venerant, sollicitè ventilatis atque discussis, sanctus & beatissimus frater Theodorus Episcopus primùm exoraretur à nobis, ut scandalum, quod & ipse, sicut & nos graviter dolebat exortum, differendo in tempora manere diutiùs non pateretur; sed potiùs ad recipienda satisfactionum remedia festinaret; & sanctum Presbyterum Faustum Abbatem supradicti monasterii, indultâ, si qua illa esset, culpæ veniâ, in pristina pace toto caritatis affectu reciperet; & ad insulam, & congregationem ipsi, Deo dispensante, commissam, cum sua gratia & caritate remitteret. Nec quicquam deinceps ex his, quæ sibi fratrem Faustum arguebat fecisse, aut verbis repeteret, aut animo retineret: quin potiùs collationem, utpotè antiquus Abbas & Episcopus, ei ut piam & necessariam perpetuò exhiberet; & solatia secutura, quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipsis, prout usus exegerit, plenissimè exhiberet. Hoc tamen tantummodò sibi vindicaturus, quod decessor suus sanctæ memoriæ Leontius Episcopus vindicaverat; id est, ut clerici & altaris ministri à nullo, nisi ab ipso, vel cui ipse injunxerit, ordinentur: Chrisma nonnisi ab ipso speretur: Neophyti si fuerint, ab ipso confirmentur: Peregrini clerici absque ipsius pręcepto in communionem, vel ad ministerium non admittantur. Monasterii verò omnis laïca multitudo ad curam Abbatis pertineat; neque ex ea sibi Episcopus quidquam vindicet, ut aliquem ex illa clericum, nisi Abbate petente, pręsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, ut clerici ad ordinationem Episcopi debita subjectione respiciant; laïca verò omnis monasterii congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem, dispositionemque pertineat; regulâ, quæ à fundatore ipsius monasterii dudum constituta est, in omnibus custoditâ.

DECRETVM

In Concilio sub sancto Bonifacio Episcopo apud Carthaginem.

Erunt igitur omnia omnino monasteria, sicut semper fuerunt, à conditione clericorum modis omnibus libera, sibi tantùm, & Deo placentia.

NOTA.

Epocham hujus Synodi, unáque successionem Bonifacii Episcopi asserit nobis Victor Tununensis in chronico ad Consulatum Maximi, cui respondet annus Christi 523. [Quo, inquit, Consule, Trasamundus Vvandalorum Rex Carthagine moritur: Hilderic, qui ex Valentiniani Imperatoris filia à Giserico captivata, & Vgnerico juncta natus est, regnavit, & præcepit Sacerdotes ab exilio redire, & ecclesias aperire, & Bonifacium ad postulationem totius urbis Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum consecravit.] Hoc ipsum confirmat auctor vitæ sancti Fulgentii. Porro reponendum est in privilegio Corbeïensi nomen Liberati, loco Liberii, qui fuit Episcopus Iuncensis in provincia Byzacena, cujus prædecessor tempore Hunerici Regis fuit Tertullus, ut docet notitia episcopalium Sedium Africæ inter opuscula dogmatica, edita à nominatissimo Iac. Sirmondo, quæ docet adhuc alteram ejusdem nominis episcopalem Sedem extare in provincia Mauritaniæ Cæsariensis, ac hujus Sedis Iuncensis Episcopum sub eodem Rege Hunerico fuisse Glorinum; ex quibus supradictis hanc quoque lectionem (in Concilio Iucensi) quæ in eadem Fulgentii vita cap. 29. transponitur taliter (in Concilio Vincensi) hac voce (in Concilio Iuncensi) emendavimus utrobique; quod & Byzacenum etiam vocatur ibidem, cui adfuit ipse Fulgentius. Præterea iste Vincentius, cujus est mentio post epistolam Synodi Iuncensis, quique vocatur Episcopus Girvitanus provinciæ Tripolitanæ, habuit Antecessorem in hac Sede, Hunerico regnante, Faustinum, qui dicitur in eadem Africæ notitia Episcopus Girbitanus ejusdem provinciæ.

INCIPIT

INCIPIT REGVLA FORMATARVM.

Ex codice Corbeiensi.

GRÆCA elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis Epistolis Canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur, hoc à Patribus CCCXVIII. apud Nicæam congregatis saluberrimè inventum est, & constitutum, ut Formatæ Epistolæ hanc calculationis, seu supputationis habeant rationem; id est, ut adsumantur in supputationem prima Græca elementa Patris & Filii, & Spiritus sancti, hoc est Π. Υ. Α. quæ elementa octogenarium, & quadringentesimum, & primum significant numerum; * Petri quoque Apostoli prima litera, id est Π, quæ numerum octoginta significat. Ejus quoque qui scribit Episcopi, prima litera; cui scribitur, secunda; accipientis, tertia; civitatis de qua scribitur, quarta; & indictionis, quæcumque est id temporis, idem qui fuerit numerus, adsumatur: atque ita his omnibus Græcis literis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcumque collecta fuerit, summam, Epistola teneat. Hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressè. Addat præterea separatim in Epistola etiam nonagenarium & nonum numerum, qui secundùm Græca elementa significat, AMHN. Vtere felix in Christo Iesu Domino nostro.

NOTA.

* Petri quoque Apostoli prima litera, id est, Π.] Latini harum quatuor literarum Π. Υ. Α Π. notionem non rectè olim exposuerunt, in eo, quòd Græcis volentibus exhibere in Epistolis Formatis prima elementa nominum, Patris, & Filii, & sancti Spiritus, quæ sunt Πατὴρ, υἱὸς, ἅγιον πνεῦμα, iidem Latini ob ternum fortè personarum in Trinitate numerum, pro illis exprimendis, uti maluêre tribus duntaxat literis, scilicet Π. Υ. Α. quæ Græcum sane sensum resecant, ut patet; Quaternam autem, quæ superest, literam Π. alibi, & contra Græcorum mentem, ac extra rem, Petro Apostolo attribuerunt. Porrò visum fuit hujus vetustissimi erroris admonere lectorem, ac etiam, quod in plerisque veteribus MSS. & præsertim Corbeiensi optimæ notæ, legatur harum Epistolarum initium tale ut suprà, absque ulla mentione Attici Episcopi Constantinopolitani quæ habetur in editis. Et prætereà, quòd in dicto codice, finis earumdem auctior sit. Porrò hanc juxta regulam subjicimus exemplum Formatæ Burchardi Vvormatiensis Episcopi emendatæ, atque numerorum summam exprimentis.

BVRCHARDI EPISCOPI Vvormatiensis, ad Vvalterium Episcopum Spirensem, pro Ecmano Presbytero, ut ei deinceps, in ipsius Parochia manere ac censeri liceat.

In nomine Patris, Π. & Filii, Υ. & Spiritus sancti, Α. Π. Vualterio Spirensi Episcopo. Ego Burchardus sanctæ Vvormaciensis Ecclesiæ devotus gregis Christi famulus, in Deo vero summæ felicitatis beatitudinem.

CVM sancta Catholica Ecclesia prompta sit sequi documenta Evangelica, quæ dicunt: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, accipiet mercedem Prophetæ, & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet,* &c. Et Apostolus jubeat hospitalitatem sectari, & necessitatem sanctorum virorum communicare, tamen propter eos, qui cauteriatam habent suam conscientiam, dicentes se esse simplices, cùm sint astutiâ diabolicâ repleti, & pro opére pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cùm sint, sua malitia faciente, fugitivi, & dicunt se esse ministerio sacro insertos, cùm non sint. Statutum est à sanctis Patribus neminem Clericum alienum, & ignotum recipi ab aliquo Episcopo, & inthronisari in sua Ecclesia, nisi habeat à proprio Episcopo Epistolam, quæ in Canonibus nominatur Formata. Ideò notum facimus Paternitati vestræ, quod præsens frater noster harum literarum portitor nomine Ecmanus, non pro sua nequitia expulsus est à nobis, sed postulantibus fratribus nostris, eò quod ex familia nostra fuit, & noster baptisatus, fecimus ei libertatem receptam à Cornu Altaris canonicè, & ordinavimus eum ad gradum Presbyterii. Cui etiam has dimissorias, sive commendatitias literas facimus, & eum ad vestram dilectam Paternitatem dirigimus, ut in vestra Parochia sub vestro sacro regimine, & defensione consistere valeat. Ego, inquam, Buchardus humilis Episcopus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & in unitate sanctæ Ecclesiæ, in qua Petro datum est jus ligandi, atque solvendi, absolvo Ecmanum Presbyterum de civitate Vvormaciensi, indictione x. Et licentiam do vobis inthronisandi eum, in quacumque Ecclesia vultis vestræ Parochiæ. Hanc ergo Epistolam Græcis literis hinc inde munire decrevimus, & annulo Ecclesiæ nostræ firmare censuimus. Paternitatem vestram Christus nobis incolumem conservet. Π. Υ. Α. Π. B. Υ. M. P. I. AMHN. summa horum, MCCXII. Data Vvormaciæ Idibus Martii, anno dominicæ Incarnationis MXII. indictione x.

Indictio x. idibus Martii, ac Episcopatus Burchardi conveniunt anno Christi MXII. *summa numerorum, quæ sub finem exprimitur, & literis Græcis nunc ad regulam correctis designatur, fit ex numero communi* DCLX. *quem reddunt literæ* Π. Υ. Α. Π. AMHN. *Et ex proprio* DLII. *qui conficitur ex literis* B. Υ. M. P. I. *omnium igitur eadem summa est* MCCXII.

NOTA AD CONCILIVM VASENSE I. anni 358.

De quatuor locorum situ, videlicet Elusone, Elusione, Elusa, & Clusa.

OCCASIONE prædii Elusonensis, ad hoc Concilium memorati, cujus dominus erat Sulpitius Severus, visum fuit monere lectorem, quatuor in Galliis loca multùm inter se distantia, propter affinitatem nominum, & soni cognationem, à plerisque confundi. Quibus erit facile illa distinguere, attento hactenus illorum situ, qui sic demonstratur. Eluso in finibus Nitiobrigum, & Petrogoriorum, ubi manebat idem Severus, distans à Barcinone, Paulini Nolani domicilio,

micillo, 87. leucis, nempè ab illis usque Tholosam 25. leucis; Tholosa, Narbonam 22. Narbona, Barcinonem usque, 40. quò pervenit octava luce nuntius Sulpitii, ut refert Paulinus idem ad illum scribens; Et sanè totum illud iter equo, sive pedibus facilè confici valet intra hoc temporis spatium: igitur Eluso jacet in Aquitania. Locus alter est Elusio, qui juxta itinerarium Burdegalense situs est inter Tolosam & Narbonam, ideòque in provincia Narbonensi ritè collocatur; Quî enim convenit, quæso, homini domo & natione Aquitano fundus hic Elusionis, nomine, ac situ tam diversus ab Elusone? Tertius locus est Elusa, quæ provinciæ olim Novempopulanæ Metropolis fuit. Quartus denique locus est Clusa, quæ, ut loquitur Ammianus Marcellinus, & Narbona, & Tolosa principatum urbium tenent in Narbonensi quoque provincia.

NOTA
AD CONCILIUM ARELATENSE anni 460.

CUM Epistola Hilari Papæ octava scripta ad Veranum, & alios Galliarum Epis. contineat subobscuram illorum notionem, quæ gesta sunt in hoc Lugdunensi Concilio: hinc juvat nos diligentissimè sensum hujus inspicere, ex qua illud elicimus, nec hanc in opiniones menti Pontificis repugnantes distrahamus, sicut hi, quorum unus putat Auxanio Nicaensi Episcopo jurisdictionem ecclesiasticam provinciæ, per obreptionem quidem, Papam tribuisse in præjudicium Ingenui Ebredunensis Metropolitæ. Quod certè dictu, factuque hactenus est inauditum; quasi Papa Hilarus, anteà Synodorum Præses, Canonumque conditor, vir esset Acanonistus. Alter autem eruditissimus sibi fingit Auxanium Metropolitanum Aquensem, ac de jure provinciæ hos inter Episcopos fuisse controversum; persuasus forsan iis Epistolæ verbis, *In alterius provincia Sacerdotis*. Cùm provinciæ nomen, ab antiquis sumatur aliquando, & pro Diœcesi, & pro Parochia, verùm & ab illis adhuc hæc tria vocabula confunduntur, quæ tamen hodie distincta, & diversa sunt. Sed quid aget tunc quæso, Basilius, ex Appollinaris Sidonii Epistola nobis notus Aquensis Episcopus, provinciæ Narbonensis II. Metropolitanus, & coætaneus Auxanii, unàque cum illo Synodis præsens, atque subscribens? Quid tandem de illo fiet, cùm juxta Canones, in civitate duo non sint Episcopi? Totius ergo controversiæ status ex ipsissimis Epistolæ verbis sic eruitur; ut primò certum sit Ingenuum & Auxanium Episcopos disceptasse de Ecclesiis Cemelenensis civitatis, & Castelli Nicaensis, provinciæ Alpium maritimarum, cujus Metropolitani semper honore subnixus fuit Ingenuus Ebredunensis; consequens erit igitur, Auxanium esse Nicaensem Episcopum, qui post obitum Valeriani ejusdem civitatis Cemelensis Episcopi, propter tenuitatem Episcopatus Nicaensis, (hoc enim sonat nomen Castelli) unionem sive junctionem hujus cum civitate Cemelenensi, absque consensu Papæ obtinuerat ab Ingenuo provinciæ Metropolitano, qui quidem cedens de jure suo in Ecclesias Metropolitico, etiam inscio Papa, confundere illarum privilegia videbatur; de cujus illicita cessione culpatus est ab Apostolica Sede, quam tunc Leo possidebat, qui cognitionem causæ ad Veranum Metropolitam Lugdunensem, cum cæteris provinciæ Episcopis detulit, ut de hac cessione atque conjunctione synodaliter judicaret. Quod & factum liquet ex relationibus, quas ipse ad Leonem Hilari decessorem misit, & Apostolicæ Sedis responsione patefacta manifestum est, nihil posteà debuisse tentari, nec ad injuriam synodalium regularum quicquam per obreptionem oportere constitui. Attamen Ingenuus Ebredunensis Metropolitanus, post mortem Leonis conqueritur apud Hilarum ejus successorem, quòd ipsemet Papa in præjudicium suum quædam statuerit, petente Auxanio, videlicet confirmationem unionis Episcopatuum: cui posteà Ingenuus idem, quamvis despectus atque reprehensus à summis Pontificibus, obstitisse vehementer velut Metropolitanus ex hoc videtur, quòd in altera urbium memoratarum nempe Cemelenensi ab ipsomet ad excludendam cupiditatem ambitionis alienæ, scilicet Auxanii, proximè sit Episcopus consecratus. Nihil autem id ecclesiarum juri nocere declarat Hilarus Papa, sed statutæ correctionis forma permaneat, ut ad unius Antistitis regimen prędicta loca revertantur, quæ in duos dividi non decuit Sacerdotes. Et hæc est Hilari Epistolæ Analysis.

NOTA
AD EPISTOLAS HETTI Treverensis Archiepiscopi.

Qua ætate vixerit Hetti Archiepiscopus Treverensis. Et quòd Amalarius decessor ejus non sit auctor librorum de officio ecclesiastico, & de ordine Antiphonarii, sed potiùs alter Amalarius Diaconus Ecclesiæ Metensis, probatur ex Epistola R. P. Iacobi Sirmondi memoriæ illustris, ad R. Domnum Constantinum Caïetanum Abbatem sancti Baronti apud Italos, quam nunc recognitam edimus in gratiam Lectoris Critici.

QUOD in notis ad Ennodium observaram [idem posteà in notis ad Concilium Aquisgranense anni 816. observatum est] Amalarium, cujus libri extant de officio ecclesiastico, non illum videri, qui Archiepiscopus fuit Treverensis, licèt ita vulgò nuncupetur, sed alterum ejusdem nominis Amalarium, Diaconum Metensis Ecclesiæ, qui paulò post Archiepiscopum floruerit, id tibi D. Constantine, probati minimè potuisse, & privatis ad me literis tuis indicasti, & in ipsa, quam nuper edidisti, Amalarii Episcopi vita testatus es. In qua quidem, quod benignè & amicè, pro vetere cõsuetudine nostra me tractas, est sanè quod gratias agã humanitati tuæ, quod verò exposcis, ut sententiæ meæ rationes proferam, ut cum tuis scilicet comparentur, non potui tam justo desiderio hanc operam denegare. Novi enim candorem animi tui, neç diffido, quin ubi hæc nostra perlegeris, veritati manus statim daturus sis, agnituruſque te in hoc opere plus egisse, quàm putares, qui duorum Amalariorum, dum unius vitam scribis, actus & scripta complexus es. Nec verò ignoras, quàm frequens proclivisque hic error esse soleat, aut

Vu quàm

quàm facilè in cauros abripiant tralatitii veterum librorum tituli ac ψευδεπιγραφίαι quas librariorum vel fraude, vel incuria, seu alia qualibet ex causa conflatas, acrioris judicii hominum studio in dies deprehendi castigarique vides.

Nolo in iis quæ jam trita sunt, & ab aliis animadversa immorari: sume in manus Auctarium, quod ad sanctorum Patrum Bibliothecam postrema editione adjectum est, & libros septem evolve, qui contra Felicem Vrgelitanum inibi leguntur, quàm multis fucum faciat, quod Paulino Aquileiensi Episcopo hi libri tribuantur; aut quis non rectè illum judicasse credat, qui hos libros, quia in antiquo Nicolai Fabri V. C. ex quo desumpti sunt, auctoris nomen nullum gerunt, propterea Paulino adscribendos censuit, quod in ipso eorum exordio Epistolæ ad Felicem eundem anteà scriptæ mentionem fieri videbat: Paulini autem Aquileiensis ad Felicem Epistolam in Synodo Forojuliensi extare meminerat? Et tamen non Paulini, sed Alcuini opus esse hos libros, ipse nobis Alcuinus auctor est, qui libro adversus Elipantum Toletanum secundo è quatuor, qui in nobilissima Rhemensis Ecclesiæ Bibliotheca conservantur, & Epistolæ exhortatoriæ suæ ad Felicem meminit, & libelli quo Felix Epistolæ illi respondere nisus est; tum deinde adversùs libellum Felicis septem hos libros à se scriptos, eósque coram Carolo Rege & Episcopis lectos ac probatos fuisse commemorat.

In libris verò quinque adversùs Eutychem, qui Vigilii Tridentini Episc. & Martyris nomine circumferuntur, quantam crucem literatis plerisque fixit, quòd Eutychis tempora cum Vigilii Martyris temporibus congruere non posse animadverbant? Adeò quidem ut de inscriptionis vitio nihil suspicantes, alii Vigilios duos Martyres & Episcopos somniarint; alii alia non minùs absurda commenti sint. Frustra profectò. Nam horum librorum auctorem Vigilium, non Tridentinum, sed Africanum Episcopum civitatis Tapsitanæ in provincia Byzacena fuisse ut habet notitia provinciarum & civitatum Africæ à me edita atque illos Constantinopoli in defensionem Leonis Papæ contra Eutychianistas, Iustiniano, ut reor, imperante, scripsisse docuit nos Theodulfus Aurelianensis, in collectaneis de processione Spiritus sancti ad Ludovicum Pium.

Par fuit in Ansegiso, qui Caroli & Ludovici Regum Capitula collegit, quorundam allucinatio. Cùm enim Ansegisum hunc Lobiensem, in Cameracensium Diœcesi Abbatem fuisse ex Sigeberto constet, longéque diversum ab Ansegiso Senonum Archiepiscopo, quamquam is etiam Abbas ante Episcopatum fuerat, sed alterius in Bellovacis Monasterii, cui à sancto Michaele nomen; non defuerunt tamen, qui utrumque Ansegisum confunderent, & digestorum in libros Capitulorum laudem, Archiepiscopo perperam tribuerent.

Possent hujus generis plurima commemorari. Sed hæc pauca quæ protuli, satis opinor tibi esse debent, D. Constantine, ut quod his tribus antiquis Scriptoribus accidisse ostensum est, idem Amalario contigisse si contendam, nihil alienum aut incredibile dictum arbitreris, mirarique desinas, quòd libros qui de ecclesiasticis officiis scripti sunt, Amalarii Archiep. Trevirensis, ut vulgò inscribuntur, non esse monuerim.

A Quonam autem argumento titulum hunc falsi redarguere certiùs possim, quàm si demonstrem, quo tempore hi libri, vel tuâ sententiâ conscripti sunt, eo tempore ac multis ante annis mortuo jam Amalario Archiepiscopo Hettium ejus successorem in Treverensi Cathedra consedisse? Sensisti tu ipse quas vires habeat hæc argumentatio, qui cùm ex Moguntiaca historia Serarii nostri animadvertisses Hettium Archiepiscopum Synodo Moguntinæ, quæ anno Christi DCCCXXXIV. habita dicitur, interfuisse, rectè auguratus es Amalarium Episcopum qui Hettium antecessit, ante illum annum, aut ante illam certè Synodum diem suum clausisse. Quare si Hettium ostendero totos decem aut etiam quindecim annos ante illam Synodum, Cathedram Treverensem obtinuisse, fateare pariter necesse est, Amalarium, cui mortuo Hettius successit, ante totum id spatium vivere desiisse, ac proinde nec Sedem Trevericam retinere, nec quicquam omnino scribere potuisse.

Et quidem Hettium jam inde ab anno DCCCXIX. Treviris sedisse non inani, nec frivola divinatione conjecerat illustrissimæ memoriæ Baronius Cardinalis, qui nobilem illam missorum dominicorum, inter quos Hettius Trevirorum Archiepiscopus numeratur, sub Ludovico Rege legationem, quæ libro II. Capitulorum cap. 25. describitur, ad Synodum Aquisgranensem eo anno celebratam pertinere, non obscuris veterum historiarum testimoniis confirmare conatus est. Tu verò, cùm Baronii de hujus legationis anno sententiam reprehenderes, debebas scilicet, quo potiùs loco ac tempore institutam censeres, indicare. At satis habuisti ad refellendam tanti viri auctoritatem hoc unum opponere, ut diceres non potuisse Aquisgrani anno DCCCXIX. Hettium Synodo interesse, cùm Amalarius ejus in Episcopatu decessor anno DCCCXXXI. superstes adhuc fuerit, qui eo anno Romam se à Ludovico Imp. missum narret in Antiphonario. Nec vidisti te, quod in quæstione versabatur, id argumenti loco sumere. Quid enim tua investigatione dignius erat, quàm, ut quod in notis Ennodianis attigeram, & quod nunc agimus, id quæreres, unúsne, an duo fuerint Amalarii, Archiepiscopus Trevirensis, & Ritualium librorum concinnator? Quos sanè diversos fuisse, vel hoc uno Capitulorum indicio comprobari, quamcumque te in partem vertas, inficiari non potes. Demus enim legationem istam Hettii Archiepiscopi in annum DCCCXIX ut Cardinali placuit, non incidisse, at certè ante annum DCCCXXVII. quo anno Capitulorum collectionem edidit Ansegisus, necesse est contigisse. Alioqui quomodo in eam collectionem, quod post illam gestum esset, referretur? Nunc ergo jam ante annum DCCCXXVII. Treverensem Cathedram rexerit Hettius, qua ratione dici queat. Amalarium qui quarto post anno Romam à Ludovico Imperatore missus est, illum ipsum Archiepiscopum fuisse, cui Hettius in Cathedra successit? Nimiæ pervicaciæ hominem esse oportet, quem tam certæ ac tam perspicuæ rationis momenta non flectant. Sed ego tam absum ab eo sensu, ut absurdum tecum existimem Hettium anno DCCCXIX. Episcopali Cathedræ præfuisse, ut anno etiam præcedenti Episcopum fuisse, Hettio ipso auctore probatus sum. Venerunt in manus meas paucis ab hinc annis Epistolæ aliquot Frotarii Episcopi Tullensis, è veteri codice Monasterii

sterii sancti Petri Carnotensis. In his binæ sunt Hettii ipsius etiam Archiepiscopi ad Frotarium, quas tibi, quia controversiæ nodum solvunt, mitto integras, (& quas videre est superiùs Paginis 103. & 104.) Quarum prima, fuit scripta occasione Concilii Aquisgranensis anno 816. habiti, unde certum est vel eodem anno, vel saltem anno sequenti missam fuisse, ut tibi patebit illam legenti. Quod ad alteram spectat, domne Coustantine, temporum illorum Annales consule, & docebunt hanc Bernardi Regis Italiæ adversùs Ludovicum Pattuum conjurationem anno DCCCXVII. cœptam, anno sequenti Bernardi ipsius supplicio atque interitu compressam desiisse. Altero igitur horum annorum scriptam fuisse hanc Epistolam fatendum est. Faciamus scriptam posteriore. Iam igitur anno, ut minimùm DCCCXVIII. & Archiepiscopus erat Hettius, & Legatus Ludovici Imperatoris. Quare si quid hac in re lapsus est Baronius, in eò potiùs lapsus videtur quòd Hettii legationem origine sua posteriorem statuat. Hac nimirum fortè conjecturâ inductus, quòd legatos seu missos dominicos, de quibus est dictum, in Synodo Aquisgranensi anni DCCCXIX. creatos putaverit, cùm Ludovici vitæ auctor, cujus verbis nititur, non creatos in ea Synodo, sed peracta jam legatione auditos narret: ex quo liquet multò ante institutos ac designatos videri. Maneat itaque anno minimùm 817. ex priori Epistola, vel anno 818. ex posteriori, Episcopum Hettium fuisse. Iam tum ergo, ut paulò superiùs argumentabar ex vivis excesserat Amalarius Episcopus, qui Hettium antecessit. Quare auctor esse idem non potuit, non modò libri de ordine Antiphonarii, quem post annum DCCCXXXI. certum est in lucem exiisse, sed ne aliorum quidem librorum, qui de officio ecclesiastico nuncupantur, quos constat, licèt aliquot annis quàm Antiphonarius scripti sint, post Iudith tamen Augustæ, cujus in illis est mentio, nuptias, hoc est post annum DCCCXIX. compositos fuisse.

Quæ cum ita sint, vides profectò, ac nisi me animus fallit, pro eo qui in te est amore veritatis minimè dissimulas, non levi nos, nec futili conjecturâ ductos, sed necessaria prorsus ratione permotos, Amalarium, qui rituales libros condidit, alium ab eo qui Archiepiscopus fuit Trevirensis, gradúque & ætate disparem, hoc est Diaconum tantùm ac paulò juniorem pronuntiasse. Sed de diversa ætate, inquit, ut concedam, cùm ex iis quæ dicta sunt, horum librorum auctor Amalarius, Amalario Trevirorum Episcopo superstes aliquot annis fuisse videatur; de Diaconi gradu unde habes quod persuadeas? Hoc à te nimirum jure quodam nunc exposci sentio. Neque enim dubito, quin mirum tibi videri possit, Diaconum tantùm appellari, quem Episcopum fuisse tibi persuaseris, cujusque Episcopatus insignia tibi visus es in baculis illis, quorum libro III. cap. XVIII. meminit, deprehendisse.

Vt igitur quod reliquum est pensi exsolvam, evellenda priùs est animo tuo hæc falsa de baculis suspicio, ne baculos seu virgas Episcopales intelligi putes, de quibus si loqueretur Amalarius, cùm in eorum se numerum collocet, qui baculos dum Evangelium à Diacono recitatur, è manibus ponant, Episcopum sanè haud frustra conjiceres. Verùm ille non Episcoporum, ut dixi, baculos, significat, sed Præcentorum. Horum apud vos nullus est usus, ideo in mentem fortasse non venerunt, sed qui in Galliis versati sunt, & Cantores in Ecclesiis nostris cum baculis incedentes, chorúmque moderantes, ac vetere nunc etiam ritu baculos dum audituri sunt Evangelium, è manibus ponentes viderunt; facilè, quin hi ab Episcopalibus baculis differant, intelligunt, nec ambigunt, quin de his sermo sit Amalario. Neque tu ambiges, opinor, si auctores alios inspicis, qui eadem in re cùm argumentum idem tractant, Cantorum baculos disertis verbis commemorant. Itaque nihil est hac in parte quod Amalarii Episcopi suspicioni suffragetur.

Mihi verò cur Diaconum dixerim, gravissimus, & cujus tutè auctoritatem non defugies, auctor est Ademarus Monachus, ordinis tui in Cœnobio Engolismensi; cujus, ubi de Synodo Aquisgranensi agit, quam Ludovicus Imperator anno Imperii sui tertio convocari jussit, hæc sunt in Chronico verba. *Aquisgrani habito Concilio, id est, indict. decima, anno Imperii sui tertio, ab Incarnatione domini* DCCCXVI. *jussit fieri regulam Canonicis, excerptam de diversis Patrum scripturis, decernitque eam observandam à Canonicis, ut sicut Monachi respiciunt ad librum regulæ sancti Benedicti, sic perlegant Canonici inter se librum vitæ Clericorum, quem librum Amalarius Diaconus ab Imperatore jussus, collegit ex diversis doctorum sententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio suo, ut & ipsis ea quæ viderentur congrua excerperet, & ita cum decretis Episcoporum, qui ibi fuerunt, vitæ Clericorum roborata est. Scripsit eidem Imperatori supradictus Amalarius librum de officiis divinis, & de varietatibus eorum, & de ordine Psalmorum juxta Clericorum usum antiquum.*


Non [i]s inficias, domne Constantine, librũ de divinis officiis, ab Ademaro dici libros quatuor, quos de ecclesiastico, ut inscribi solent, officio composuit Amalarius; de ordine verò Psalmorum appellari eum, qui de ordine est Antiphonarii. Vides ergo utriusque operis auctorem Amalarium non Episcopum, sed Diaconum vocari; & quod à nemine adhuc observatum est, dignumque animadversione tua videtur, eundem ipsum Amalarium, qui rituales libros scripsit, ejus etiam operis collectorem, auctoremque fuisse, quod hodiéque in Synodo illa Aquisgranensi legitur, & Regula Clericorum nuncupatur. Quod denique Amalarius hic Diaconus fuerit Ecclesiæ Metensis, patet ex illis præfationis ad Antiphonarium suum verbis. *In Antiphonario Romano scripsi in margine R. propter nomen urbis Romæ; & in nostro, M. propter Metensem civitatem.*

Hoc tibi esto responsionis nostræ corollarium & finis. Iam enim abundè videor petitioni ac desiderio tuo satisfecisse. Tuum nunc erit deliberare, utri fidem præstare malis Trithemio, qui primus Patrum ferè nostrorum memoriâ hos libros Amalario Fortunato Trevirorum Archiepiscopo, suapte conjecturâ ductus attribuit, an Ademaro, qui Amalarium horum librorum auctorem, ab Archiepiscopo distinguit, & eâ, quam protuli, rationum argumentorumque copiâ & auctoritate defenditur.

Quis sit autem Frotharius hic, ad quem scribit Hettius, docet nos Flodoardus lib. 2. historiæ Remensis de Vulfario Episcopo, cap. 18. *Trevericæ*, inquir, *urbis Archiepiscopum Amalarium*

Vu ij *cum*

cum Adalmato ipsius Coepiscopo, & Herilando, jussione Imperatoris Magni Caroli, ab eodem scilicet Vulfario Metropolitano convocatum ad ordinationem Episcopalem cujusdam Frotharii præfatæ Treverensis Ecclesiæ Presbyteri, eidem paruisse reperimus.



GLOSSARIVM

VOCVM IN HIS CONCILIIS OBSCVRIORVM, & in ordinem Alphabeticum digestarum.

A

ABBAS, vel *Abas*, seu *Abba*. Vox Syriaca significans Patrem. Quam quidem vocem patet propriè attributá fuisse Monasteriorum Præpositis, & qui sunt supra congregationem Monachorum; unde vocabantur Abbates Monastici. Attamen Laïci, quibus olim Monasteria utriusque sexus concessa sunt ob causas in Conciliis Meldensi, & apud Carisiacum enumeratas, Abbatis nomen usurpabant, ita ut & Duces, & Marchiones & Comites appellarentur etiam Abbates, quorum exempla videmus in Balduino Comite Flandrensi, in Roberto Parisiensi Marchione Francorum, in Hugone Magno Franciæ Duce, tandem in Hugone Capeto Francorum Principe, quem Abbicomitem dixerunt. Ætate adhuc nostra, id nomen Abbatis retinuerunt hodiè quidam Laïci nobiles in Bearnensi & Bigorensi Pagis propter titulum possessionis decimarum in feudum, sive, ut forenses loquuntur, infeodatarum.

Absitates, vel forsan *Assitatæ*; sunt arbores juxta vitem plantatæ & maritatæ metaphoricè loquendo, vel quia non longè absunt, vel quod propè asserantur.

Acceptilatio. Dicitur, cum cessat obligatio, licèt pecunia non soluta sit, sed perinde habetur ac soluta.

Acupictile. Opus Phrygium, quod acu pingitur. Virgilius, lib. 11. Æneid. de Chloreo.

Pictus acu tunicas.

Adjurnatus. Vox hæc nota est, vulgò enim dicimus *adjourné*, qui est in jus vocatus.

Adsallire. Hoc est appetere, aggredi, & Gallicè *assaillir*. Vnde etiam adsalitutæ, vel assaltutæ, pro quo veteres dixerunt adsultus, & nostri dicunt, *insulte*.

Advocati. Id est defensores seu protectores, vel executores pro causis Ecclesiarum, unde vocantur adhuc, *advoüez*.

Ager Dominicatus, is est, quem proprio aliquis jure possidet, dicitur etiam terra dominica, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν ad Coronam Regiam pertinet, unde Dominicum, deinde Domanium, & Gallicè, *domaine*.

Alodis, & *Alodum*, propriè est hęreditas jure successionis accepta: sed in genere, est etiam proprietas quovis alio modo acquisita, seu prædium liberi juris, unde dicitur hodiè *Francaleu*, quod nec fidem, nec pensitationem debeat: duplex igitur est Alodis, vel naturalis, vel comparata.

Annona. Pro frumento in genere sumitur, propriè verò est quidquid in annuum alimonium reconditur.

Aripennus, est mensura tùm vineæ tùm terræ. Vnde Gallicè, *Arpen de vigne & de terre*.

B

Bandora, id est, sodalitium, cohors pręsertim militaris, à banda, seu bando, quod significat lingua belgica vexillum, unde Gallicè *banderole*; & adhuc vocatur hodiè Iudex sodalitii, Gallicè, *le Prevost des Bandes*.

Bannus sive *Bannum*. Est edictum & publica denunciatio quęlibet, cujus vocis vestigia retinemus hodiè, siquidem nuptiarum proclamationem, Bannos, *les Bans* appellamus. Deinde etiam pœna seu mulcta edicto non obtemperantis, Bannum seu Bannitio dicitur, quæ pœna fuit aut pecuniæ, vel exilii, & Gallicè dicimus adhuc de damnato ad exilium, *Condamné à garder son Ban*. Reperimus quoque in bannum mittere, hoc est, in fisci potestatem redigere. Porrò verbum Bannite sumitur in simili nominis significatu.

Bansatrices, vel fortè *Dansatrices*, ut volunt aliqui. Est id genus mulierum publicatum vagantium atque mendicantium, quas vulgus appellat Ægyptias, sive Bohemias, quæ latrociniis & saltationibus omninò deditæ sunt. Videtur quoque nomen illud Bansatrices affinitatem habere cum vocabulo Barsatoræ, seu forsan Bansatoræ, olim prędonis eximii, ac publici, de quo lex. 13. cod. de fidejussoribus.

Barbatoria. Dicuntur larvæ, cum barbis horrentibus pavorem incutientes, quæ vox adhuc restat apud Gabalitanos, *Barbadoüires*, & apud Arvernos *Barbauts*. Quas Larvas tempore Hincmari Remensis Archiepiscopi Vulgus appellabat Talamascas, unde nos hodiè retinuimus id nomen, *les Masques*,

Bastonicum. Id est, arctissima custodia seu carcer.

Battere. Verisimile est derivari ex latino Batuere apud Plautum, quod est, percutere, ex quo posteà Gallicè, *Battre*.

Beneficium. Fundus est, qui à Domino conceditur alicui, unde Alodis & Beneficium opponuntur, quia quod Beneficiario jure habetur, Beneficiarii proprium non est.

Biduana. Id est, Bidui jejunium.

Brevis. Est scriptum, quod summam rei continet, inde, *Brevet* Gallicè.

Brunia, seu *Brunea*, est lorica vel galea.

C

Calcearia. Est donativum militare pro emendis calceis.

Campomaïus, seu *Campomadius*, vel *Maicampus*, dicebatur Congregatio Procerum à Rege olim, in campo facta mense Maio, quæ ante Pippinum mense Martio quoque fieri solebat, unde Martii-campus appellabatur.

Cancellarius.

Cancellarius. Est Regiorum edictorum custos, proinde ab illo capitula, qui non habebant, accipere jubebantur. Idem edicta ipsa condebat, eadem Regis nomine populo adnuntiabat, & anulo Regis consignabat. Sub illo erant Referendarii, Secretarii, & Notarii Palatii, qui vocabantur aliquandò Cancellarii. Vnde vel ipse dicebatur Cancellarius absolutè, vel Archicancellarius, aut summus Cancellarius. A

Capella. Dicitur à capsa seu scrinio, quo asservantur Sanctorum reliquiæ, unde cùm aliqui inter se contenderent, tunc in Palatio super Capellam domni Martini, ubi reliqua Sacramenta percurrunt, id est, præstari solent, debebant conjurare, ut ait formula Marculfi. B Sumitur etiam Capella pro ecclesiastico ministerio, unde Capellæ Dominicæ, id est, Regiæ, in quibus erant Capellani, & Presbyteri, unde Archicapellanus Palatii, seu Archipresbyter Franciæ.

Cappa & *Capa.* Tegumentum capitis, sic hodiè vocatur *Cappe.*

Cappi. Sunt negotiatores fortè dicti à Cappis, de quibus Abbas Ferrariensis, & Capitulare Caroli Calvi.

Capi. Dicuntur aves prędatoriæ apud Theodulfum Aurelianensem, quas vulgus Falcones appellat, ut ait Synodus Ticinensis anno 850. C

Capulare. Id est, secare, vulnerare, à gladii capulo, fortè dictum, unde nasus capuletur, Gallicè, *que le nez soit coupé.*

Caraxare cultrum; dicimus *aiguiser un cousteau.*

Carropera, sive *Carraria opera.* Sunt Carri opera, & servitus quæ carris, & plaustris perficitur, posteà Curbadæ seu Corvatæ sunt dictæ, inde *Courvées* Gallicè.

Casa Dei. Pro Ecclesia & Cœnobio quasi domus Dei, & in veteribus formulis legitur donatio ad Casam Dei.

Casata, habitaculum cum terra idonea ad unam familiam alendam.

Casati. Qui Beneficio Casatam possident, tàm liberi, quàm servi, unde Casati Vassalli & Vassalli Coloniei. Dicuntur etiam Casati, qui intra Casam vel in ædibus ecclesiasticorum serviebant. D

Castitia. Sunt structuræ sive ædificia Ecclesiæ adhęrentia.

Cauculatores, seu, *Coclearii*, vel *Cauclearii*, sunt pręstigiatores ac Circulatores ex Alamannicis vocibus *Gankler*, & *Cokler.*

Causam quarere. Causa pro re, ut nostris *chose.* *Causator*, est litigator, & *Causatio*, litigium, etiam nostris hodiè *cause ou procez.*

Cellarinsis seu *Cellariensis*; dicebatur species rei qualiscunque, nomine tributi exigenda, & ad quorũcumque usus ministranda, unde speciaria quoque dona ejusmodi, vel species fiscales vocabantur, & hodiè moris hujus instar, Monachi retinuerunt nomen illud *Cellariés*, pro significatu illorum, qui pręsunt rebus Monasterii promendis, atque condendis. E

Centenarius. Est Iudex minor qui per Centenas jusdicebat sub Comite, & singuli Comitatus dividebantur in Vicarias, Centenas, Decanias, in quibus judices erant Vicarii, Centenarii, Decani, qui & Ministri Comitum dicebantur.

Clamodicus, qui gravi alicujus criminis infamia laborat.

Cloca, seu, *Clocca.* Sunt Campanæ, & *Clocarium*, Campanile, unde Gallicè, *Cloches & Clocher.*

Cocciones, seu *Cogciones*, vel *Cotiones.* Mendicorum genus, qui ejulationibus, lachrymis & hujusmodi imposturis eleemosynam extorquebant. Inde Gallicum *Cocquins.*

Cognitare. Notum facere, & promulgare, à quo cognitamentum & cognitatio, legitur etiam eodem sensu accognitare, seu adcognitare, & adcognitatio.

Collecta. Dicitur absolutè, cùm colligitur populus, legitur aliàs Collecta manus scilicet ad benè vel malè faciendum, cujus generis sunt Geldonia & Herizuph, de quibus infrà.

Colonica, idem ac Colonia, pro manso & villa sumitur, est habitaculum rusticum cum sufficienti prędio ad alendum Colonum, & familiam rusticam.

Comiatus, sive *Commeatus*, significat licentiam, inde Gallicum, *Congé.*

Comites, erant judices ordinarii & majores, qui Pagis præerant ad tempus, quique habebant sub se judices alios minores, scilicet, Vicarios, Centenarios, & Decanos.

Comparatio. Est proprietas omnis, quæ hereditario jure non obvenit, sed emptione aut donatione, vel alio conquisitu comparatur.

Competentes. Erant Cathecumeni simul baptismum petentes, qui etiam subscripti dicebantur, quia scripto nomen edere jubebantur.

Conjectus sive *conjectum*, est pensitatio sive tributum, quod aliqua de causa exigitur & confertur.

Cortis, sive *Curtis*, variè sumitur, scilicet pro Aula Principis, unde Gallicè, *La Cour du Roy.* Pro Atrio domus, nostris *La Court de la maison.* Et pro spatio inferiore domus, Gallicè, *La Basse-court*, in quo animalium agmina seu cohortes, inde per sincopem Cortes nutriuntur. Rursùs pro casa, vel habitaculo rustico, tùm etiam pro villa, nec non oppido, tandem pro foro judiciali, Gallicè *Les Courts de Iustice.*

Cupla. è Latino copula, id est, vinculum colli, Gallicè *Couple & Couplex*, quia copulis juncti.

D

Diaconus in Cardine constitutus. Inde Incardinatus, & Cardinalis quoque Presbyter ac Episcopus, fortasse à Cardine Ecclesiæ in quo vertitur ostium, & cui erant annexi, unde & Cardines mundi septentrio & meridies, quod in ipsis cęlum vertitur.

Diœcesis, multifariè accipitur pro Capella seu Oratorio, quod vocatur etiam Altare simpliciter, item pro Parochia, pro Episcopatu, & pro Metropolitani Provincia.

Disfacere, vel *diffacere*, pro deformare, & carta disfacta, unde gallicum *deffaire.* Similiter & misfacere, *meffaire*, & misdicere, *mesdire*, & misprindere, *Mesprendre.*

Dispensa, gallicè *Despence.*

Drappi, *drappus*, vel *drappa*, hodie gallis sunt panni & quidem lanei, unde *drap & drappier.*

Drictum, aliàs *directum*, & *ad suum rectum*, & *per rectum*, quæ sunt à Recti vocabulo mutuata, unde apud nos *droict.*

E

Emendare, aliquando pro reparare, Gallicum *emender*, aliàs pro mulctare, unde apud nos *amender & condemner à l'amende.*

Emunitas, idem ac immunitas, gallicum *Immunité*

nité, est privilegium exemptionis.

Enedrenticè, vox græca, id est, insidiosè.

Examinatio crucis, aliàs exire ad crucem, & stare ad crucem. Crucis examinatio sive judicium, inter probationis species recensetur, criminis explorandi, purgandique causâ. Ejus probationis forma sic describitur ab antiquis. Duæ præparabuntur tesseræ, quarum una pura, altera crucis caractere insignita sit, quæ duæ linteo obvolvuntur seorsim, ne internosci possent, & in Ecclesia super Altare, forâs super Sanctorum reliquias ponuntur, deinde post varias ad Deum preces, Presbyter aut puer innocens, altero absente, harum unam tollit, quæ si ea sit, quæ cruce signatur, insontem pronunciant accusatum, sin verò pura, reum judicant. Quod tandem judicium postea fuit prohibitum, & alia hujus generis, scilicet, aquæ ferventis & frigidæ, de quibus infrà, quæ quidem omnia appellabantur olim Iudicia Dei. Pro Sacerdotibus autem rationabilior extitit examinatio sive purgatio, nempe Romanorum Pontificum Leonis tertii exemplo atque Gregorii II. decreto, ut docent Capitularia hoc ordine. Ne Sacerdos, aiunt, in crimine aut in suspicione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis Sacerdotibus, vel eo ampliùs, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi prospexerit, & cum aliis bonis & justis hominibus, se sacramento coram populo super quatuor Evangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat; vel si certi non fuerint testes, qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.

Exenium, sive *xenium*, est servitium seu donum hospitale.

Exheredati, dicuntur privati rebus suis.

Exonia, seu *sonia*, sive *sonium*, vel *sunnis* & *sonnis*, est quævis excusatio seu impedimentum, unde vetus gallicum vocabulum *Exoine*, factum est verbum exoniare, & soniare, hoc est, causam justam afferre, cur quis non steterit se judicio.

Exclusa, vel *Clusæ*, sive *Clausæ*, dicuntur angustiæ adituum ac interpositiones, gallicè *Escluses*.

F

Faida. Est inimicitia capitalis & aperta simultas ob cædem aliquam suscepta, unde vindicta mortis aliàs interpretatur.

Faidosus, dicitur qui faidam patitur.

Famosus, dicitur aliquando injuriosus.

Fellones, sunt perfidi & rebelles, unde gallicè *felons*.

Firmitas, est securitas, & mutuæ conjunctionis confirmatio, dicitur etiam charta ipsa testibus vel sigillo firmata, quâ rata fiunt omnia. Item firmitas, & firmitates sunt castella & munitiones, inde gallicum, *la Ferté*, quo nomine appellantur hodie pleraque castella quondam munita.

Forbannitus, id est, proscriptus & in forbannum, sive bannum simpliciter missus, à verbo forbannire, quod significat in exilium pellere, unde nobis *bannir*, & majoribus nostris *forbannir*.

Forcia, nos hodie dicimus *force*.

A *Formatici*, sunt casei, unde vulgò *formes de fromage*.

Fredum, est mulcta seu compositio Regi debita ad pacem cum eo faciendam, vel ob violatam pacem. Alter est fredus sive fredum quod initur cum parte collitigante super expensis refundendis; unde fortè vox gallica *les frais de justice*.

Friskingæ, sunt porci, majores quidem porcellis, sed qui necdum ad justum pervenerint incrementum.

G

Genetiaria, seu *Genitiaria*, sunt ancillæ, quæ in Gynæceo merentur, aliàs ancillæ pensiles dictæ.

B *Gildonia*, seu *Geldonia*, & *Gelda*. Est collecta, sive congregatio quorumdam, putà caritatis, religionis, vel mercaturæ gratiâ confœderatorum, quæ vocatur etiam confratria, gallicè *Confrerie*.

Gombata lex, eadem ac Gundebada, quæ est Burgundionum, à Rege eorum Gundobado lata. Rursùs aliarum mentio legum antiquarum reperitur, scilicet, Bajoariorum, sive Bajuvariorum, Francorum item, & Alamannorum, quas omnes tulit Catalaunis in Gallia Theodoricus Rex Clodovei primi filius, atque promulgavit. Lex autem Salica diversa est à lege Francorum, siquidem Salica est à Francis nondum Christianis, ac extra Gallias condita. De lege verò Ripuariense constat datam fuisse populis Germaniæ inferioris, qui C Rheni, Mosæ, & Mosellæ fluviorum ripis circumclauduntur, unde Ripuariorum & Ribuariæ leges dictæ. Tandem de lege Longobardorum in Italia, patet omnibus.

Grabatarii à grabato, sicut olim Clinici à cubili.

Gravio, sive *Graphio*. Ethymon descendit à græca dictione γράφω scribo; erat olim Comes palatii juridicendo Præfectus; quod nomen restat hodie apud nos judicis scribæ, qui judicia illius excipit, unde *Grefier*.

Guadius aut *Vvadius*, *Guadium* seu *Vvadium*, idem sunt ac significant, & pignus, & mulctam, quæ à reo causâ delicti debebatur, & pro qua Vvadium dari mos erat.

D *Gunebodingi*, seu *Guntbadingi*, dicuntur qui Gundebada lege vivunt.

Gurpire, id est, dimittere, atque jacere, unde nostris in foro *déguerpir*.

H

Harmiscara. Est pœnæ gravioris genus, quæ à Rege pro arbitrio extra ordinem imponi solebat.

Heribannus. Dicebatur mulcta, quam luebat is, qui ad exercitum vocatus venire contempserat; unde restat per corruptionem gallica vox, *L'ariereban*, loco *l'heriban*.

E *Herizuph*, vox germanica, quæ populi congregationem significat, cum nefariè ad resistendum aut ad vim faciendam colligitur.

Homines, Ecclesiastici & Fiscalini, dicebantur vassalli, inde hominium vel homagium, & nostris *homage*.

Honor, dicitur de munere publico cum dignitate, necnon de ditione, ac dominio, de magistratu etiam atque territorio eidem adscripto, unde Comitatus, Ducatus, Abbatia, & Episcopatus vocantur honores Comitis, Ducis, Abbatis, & Episcopi. Confunditur honor aliquando cum beneficio regali, hoc est,

est, feodo majori, & aliàs quoque distinguitur, dicitur etiam honor apertus, & nobis *Fief ouvert*. A

Hostis. Est exercitus, & *l'host* majoribus nostris, à quo hodiè *Hostage*.

I

Idoneus, dicebatur quis, cùm se innocentem probabat à crimine, de quo imperebatur: unde verbum idoneare. Illud verò fiebat aut sacramento, aut per testes juratos, aut judicio Dei. Porro sumitur etiam idoneus homo, pro homine probo, legali & locuplete, ut loquuntur Iurisconsulti, & Synodus Carpentoratensis.

Imbreviare, hoc est, in schedulam, sive breves rem describere, unde imbreviator sive descriptor. B

Infans sumitur aliquando in Capitularibus absolutè pro Regis filio, unde apud Hispanos superest vocis hujus eadem significatio pro filiis Regum duntaxat.

Inferenda. Est id quod annuatim infertur tributi nomine.

Ingenium, dicitur artificium seu occasio: unde malum ingenium, quod est dolus malus, olim apud nos *mal-engin*, & Ingenia quoque appellantur machinæ, unde Ingeniosi, & gallicè *Ingenieurs*.

Interregnum erat olim id temporis spatium, quod inter Regis defuncti mortem intercedebat, & successoris electionem seu consecrationem. C

Interregna verò dicuntur etiam de rebus, quæ sitæ sunt in diversis regnis, cùm olim illud Francorum inter successores æqualiter Reges dividebatur in diversas sortes & regna.

Iudicium Dei, sic à veteribus dicuntur probationes, quibus ad criminis examen usi sunt, si per testes comprobari non poterat, quarum varii erant modi, scilicet, Crucis, Duelli, Ferri igniti, Aquæ ferventis & frigidæ, Panis benedicti & Casei. De Crucis examinatione jam suprà. Iterum & diversè Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus explicat hunc Crucis modum, ac reliquos in libello quem de eo argumento scripsit. Mitte, inquit, unum de tuis qui congrediatur mecum singulari certamine, ut probet me tibi reum esse, si occiderit, aut certè jube Ferrum vel Aquas calefieri, quas manibus illęsus attrectem, aut constitue Cruces, ad quas immobilis perseverem. Hincmarus Remensis adhuc Iudicium aquæ frigidæ prętermissum ab Agobardo recenset his verbis. Cùm examinandi, inquit, colliguntur, & in aquam dimittuntur, à dimittentibus Dominus invocatur, quatenus veritas, unde requiritur, demonstretur, & tenebras ignorantiæ nostræ inluminare dignetur, ne aut innocens injustè à nobis damnetur, aut nocens sua negatione, aut diabolica fraude aliquo modo impunitus evadat, sed & ipse qui examinandus, in Aquam dimittitur, invocationem invocantium sua responsione & denotatione confirmat. Ex quibus patet etiam usos olim fuisse in hisce judiciis quarumdam precum formulis, quas legere est in libris ecclesiarum ordinariis, nec omittendum est quoque immunes à crimine redditos per corporis Christi & sanguinis examen, quod solum veriùs probatur & terribiliùs, imò salubriùs creditur, inquiunt Patres Concilii Cabillonensis. Verùm hæc omnia tandem legibus, tum ecclesiasticis, tum civilibus damnata atque abrogata sunt. Vnum dumtaxat addere superest, etiamnum Tolosæ judicium quoddam simile videri, cùm purgari unum è litigantibus per reliquiarum sancti Antonii contactum à judicibus permittitur. D

Iuniores, non tantùm ætatis nomen est, sed etiam conditionis, ministerii; & dignitatis. Opponitur majori, ac seniori: significat aliquando judices subordinatos, & potestatis ac Ecclesiæ ministros. Item sumitur pro hęredibus, tum pro vassallis, subditis & inferioribus, tum etiam pro famulis, unde *junioratus*, qui sumitur quoque pro famulatu & ministerio.

L

Libellarium jus, illud dicitur, quod per cartam donationis confertur, qua continetur rei venditio certo pretio, certo tempore, & certa pensione in annos singulos constituta. Aliàs etiam dicitur tradere seu possidere libellario nomine aut titulo.

Litteraria. Dicuntur loca in extremis fluviorum & maris posita.

M

Maforte, aliàs *Mavorte*, dicitur muliebre tegumen capitis.

Majores, dicuntur ad differentiam minorum & juniorum, de quibus suprà; illi sunt, qui alios sub se habent, vocantur aliter majores natu, & superiorum natalium, tum homines boni generis ac majores personæ & judices villarum regiarum, unde nostris, *Maires*.

Mallus & *Mallum*, est major Conventus publicus, & ad majores causas decidendas.

Mangones. Germanis Mengen, Gallis *Gueux*, sunt errones mendici.

Manicationes, sunt matutinæ accelerationes, à verbo manicare, quod est manè exire.

Mannire, est monere aliquem coram testibus ut ad placitum veniat, ad discrimen illius, qui per bannum in jus vocatur, unde qui citatus ad judicium, non venerat, si mannitus fuerat, mannitionis seu manninæ compositionem adversario solvebat; si bannitus, bannitionem Comiti componebat.

Manopera, dicitur servitium manuale, quia opus manu fit, unde manoperarii, & gallicè *Manœuvres*.

Mansionarius, cui mansionum pręparatio incumbit.

Mansionaticus, seu *Mansionaticum*. Est hospitum susceptio, sive expensæ ad hospitum susceptiones.

Mansionile. Est habitatio villici seu coloni, quasi mansio ejus.

E *Mansuarii*. Dicuntur mansorum coloni, qui mansos ad colendum inhabitant; aliàs vocantur *massarii*.

Mansus. Dicitur fundus, seu certus agri modus cum structura ad mansionem, Italis, *massa*, Novempopulanis, *Mas*. Multiplex erat mansus, scilicet dominicatus, ingenuilis, sive ingenualis vestitus, & servilis.

Manualis. Quod est amanuensis seu Secretarius.

Marcha, & *Marca*, propriè limitem seu fines cujusque regionis denotat, ut videmus in ducatu Lotharingiæ, qui adhuc appellatur hodie Imperii Alamannici Marcha: latiùs tamen *Marca* nomen extensum fuit ad significandam totam aliquam ditionem, vel provinciam, qua imperium

imperium seu dominium terminaretur, quomodo dicimus Marcham Brandeburgicam in Germania, & Marcham Lemovicinam in Francia, unde Præfectus Marchæ dicitur à nostris *Marquis & Comte de la Marche*, prędictorum locorum. A

Ad Medietatem laborans. Nobis *Metayer*.

Messella, Sunt terrulæ sive arva, quæ parantur ad messem.

Metatus. Sumitur etiam pro universo domus ejusque adjacentium ambitu.

Missa sancti Martini, *sancti Remigii*, &c. sic appellari solebat dies festus Sanctorum, aliàs festum & festivitas.

Missaticus & *Missaticum*. Est regio, seu tractus, cui pręerat Missus à Rege, eratque is tractus nunc plurium, nunc pauciorum Comitatuum & pagorum. Alio sensu Missaticus dicitur ipsa legatio sive mandatum Missi, unde vox gallica *Message*. B

Missi. Sunt, qui in provincias ad certum aliquod negotium mittebantur, in antiquis glossis appellantur etiam *Mittendarii*, & in Capitularibus aliquando vocantur *Discurrentes*, quòd in provinciis non subsisterent, sed impositum munus celeriter obirent, eòque perfuncti regrederentur. *Dominici* quoque dicuntur, quòd à Rege pro qualicumque ecclesiastica aut publica utilitate vel opportunitate delegarentur, quorum officium describitur à Flodoardo, videlicet, ut ad recta judicia determinanda constituti diligenter inquirerent, qualiter Episcopi, Abbates, Comites, & Abbatissæ per singulos pagos agerent, qualem concordiam & amicitiam ad invicem tenerent, & ut bonos & idoneos Vice-dominos & Advocatos haberent, & undecumque necesse fuisset, tam regias quàm ecclesiarum Dei justitias, viduarum quoque & orphanorum, sed & cęterorum hominum inquirerent & perficerent, & quodcumque emendandum esset, emendare studerent, in quantùm meliùs potuissent; & quod emendare per se nequivissent, in pręsentiam Imperatoris adduci facerent, & de his omnibus eidem Principi fideliter renuntiare studerent. C

Morganegiba. Vox Alamannica, ex duabus scilicet Morgin, id est, manè, & Gab, donatio, quæ duo significant donationem propter nuptias, quæ fieret matutino tempore ante nuptiale convivium.

Mortua manus. Est lex quędam seu pręceptum regium de bonis ecclesiarum: unde apud nos *heritages & gens de main morte*, cui opponitur, firma manus, sive manu-firma, inde nostris *ferme & fermier*.

Muffula. Sunt chirothecæ, hyberno tempore gestandæ, ex quo restat adhuc vetus gallicum, *moufles*.

Mundeburde, seu *Mundeburdum*. Est tuitio & defensio, unde antiqua vox gallica, *Mamburnie*, pro tutela.

N

Necessuosus, id est pauper, vulgò *necessiteux*.

XL. *Noctes*. Galli veteres numerum noctium computabant, non dierum, ut jam facimus, & sic constituebant, ut nox ducere diem videretur; quod non abs re visum est referri ad ordinem creationis mundi apud Mosem, quæ incipit à vespera, quò fit ut ad hæc usque tempora plerique hoc vocabulum *Anuict*, quasi hac nocte, pro, hodiè, usurpent.

Nona & *Decima*. Qui beneficia ecclesiarum habebant, ex eis binas partes, nonam scilicet ac decimam Ecclesiæ, cujus erant, reddebant.

Nonni & *Nonna*. Si sint voces Ægyptiacæ, id est, Monachi & Monachæ: sin autem Hebraïcæ, id est, filii ac filiæ. Nomen Nonni ex reverentia inditum, ita ut, qui pręponebantur junioribus Monachis, Nonni vocarentur. Nomen verò Nonnæ convenit tum virginibus ac viduis, tum etiam pœnitentibus, & Deo devotis. Dixerunt adhuc Nonnanus, pro Nonnus, & Nonnana vel Nonnanis pro Nonna, atque hinc nostris, *Nonnains*. Aliàs Matricularii ecclesiarum dicti sunt Nonnones.

Nutrimen, quod aliis, *Nutrimentum*. Rei rusticæ sunt duæ partes potissimæ, scilicet, agricultura & pastio seu nutricatus animalium: ad culturam agri spectant laborata; ad pastionem, nutrimenta, gallicè *nourritures*.

O

Obligatores. Qui ligaturas ossium vel herbarum adhibebant pro febribus aut aliis pestibus.

P

Pagania. Sunt observationes Paganæ, seu Ethnicorum superstitiones, quarum cultores vocantur pagani, & quod Agrestes seriùs Christianam religionem susceperint.

Pagenses. Pagorum incolæ dicuntur. Pagenses nostri, qui sunt ejusdem pagi; & pagenses Comitis, qui in pago erant, cui pręerat Comes. Pagi autem appellatio latè patet, neque enim vicus tantùm hoc nomine dicitur, sed etiam provincia tota, vel ejus pars, uti oppidum cum territorio, unde apud nos *pays*, & *paysans*.

Parata. Hospitia & mansiones cum expensis, dictæ à parando.

Paravereda, & *Paraveredi* seu *Veredi*. Dicuntur equi, non tamen simpliciter, sed cursuales & tributarii: indè Palefredus per corruptionem linguæ, & apud majores nostros *Palefroy*, & jam *Palefrenier*.

D *Pares*. Sunt socii & æquales, dicuntur Pares Curiæ seu curtis, unde judicium sociorum, & conventus Parium, nostris *Pairs*.

Patera, quam vulgò vocant antiqui Bacchinon & nos hodie fecimus *Bassin*.

Patria. Dicitur tum familia, unde Patriarchæ, familiarum seu patriarum Principes, tum regio & terra, unde compatriota seu conterraneus, gallicè *Compatriote*.

Pedules. Sunt indumenta pedum.

Perficior romphæa. Comparativum fictum à nomine fica, id est, magis peracuta.

Pitacia. Sunt cartulæ, quibus olim annona militaris distribuebatur. Ad cujus exemplum E hodie fit erogatio annonæ clericalis per pitacia Canonicis: unde distributio hæc vocatur adhuc in idiotismo *Pitances*, *ou distributions quotidienes*.

Placitum. Idem ac forum, sive locus, in quo causas agerent: sumitur etiam pro quolibet judicio, unde nostris, *Plaids*.

Plebes. Sunt Ecclesiæ Baptismales, quarum rector dicitur Plebanus.

Praceptum seu *Praceptio*, absolutè loquendo, intelligitur mandatum seu jussio Regis.

Prestaria. Sunt, quando Episcopus, vel Abbas rem in pręstitum concedebat, expositis legibus, quibus daret.

Precarie,

Precaria, seu *Precatoria*. Usus erat, qui rem ab ipso datam Ecclesiæ petebat, & precariò accipiebat, quâ censum & alias conditiones impositas expleturum se profitebatur. Quæ precariæ de quinquennio in quinquennium renovabantur.

Q

Quarta facti de terra. Id est, quarta pars de redditu arpenti terræ, quod vocatur factum, unde apud Arvernos, *un'œuure de terre*, quod solus homo potest operari, seu facere tota die.

R

Rachemburgi. Erant judices, qui Comiti ad judicandum adsiderent.

Reuvadiare. Est vadis instar, debitorem se agnoscere, seu Vvadium aut Pignus dare.

Romphaa, dicitur à ῥιμβεύω, hoc est, circumagere vel in gyrum agitare, quod nos hodie vocamus *espadon*, cujus lusus, est in gyrum agitatio.

Rotula, est quędam rei alicujus scriptio brevis; unde nos illam hodie vocamus, *un role d'escriture*.

Rustica, seu vulgaris Romana lingua. Quia nimirum in Romanis Provinciis à Regibus Francorum victis, utcumque terebatur & corrumpebatur.

S

Sabanum. Est linteum, ac pręsertim illud, quo infans suscipitur de fonte baptismi.

Sala, dicitur aliquando Castrum, vocatur etiam locus amplior, atque ornatior in domo; usurpatur adhuc pro Aula, in qua jus redditur, unde Gallicè, *la Sale de la maison*, & *la sale des Audiences*.

Saltora, dicuntur de loco pascuo vel silvoso, quia pecudes ibi saltant, vel quòd ibi exsiliant arbores.

Sapo, inde apud nos *Savon*.

Sarabaita. Vox Ægypriaca, sunt Monachi, qui renuunt habere superiorem.

Sauma. Sunt onera jumenti sarcinarii, unde Gallis quibusdam, *saume de Charbon, ou somme de vendenge*. Sicut & ferens sarcinam, vocatur etiam, *un sommier*.

Scabini. Sunt judices, qui ad omnia placita seu judicia septeni ad minimùm conveniebant. Nostris *Eschevins*.

Scamara. Sunt latrocinia, à quodam latronum genere, quos vulgus antiquum, Scamares appellabat, unde jam fortè apud nos, *Camarade*, in malam partem.

Scara. Sunt bellatorum acies, cuneus, aut turma, unde nostris *Escadre, Escadrons*, & *Escarmouscher*.

Scaftlegi. Dicitur armorum depositio.

Schola. Est locus studiorum; sumitur etiam pro domo Regis & Episcopi, similiter & apud nos extenditur ad res diversas, gallicè, *Eschole*.

Scrippa. Fortè per metathesim litteræ unius Scirppa, erant Cophini, seu Corbes ex scirpo factæ, quas gestabant viatores ad sarcinas reponendas.

Senescalcus, olim regiæ mensæ Pręfectus, unde Itali fecerunt *scalco*, & vexillum gerens in exercitu, vocatus etiam Dapifer, posteà Pręfectus justitiæ, hodie apud nos *Seneschal*, habens munus idem.

Senior, id est Dominus, unde Gallis *Seigneur*, sicut seniorale, *Segniorial*.

Servi Dei, hoc nomine cõprehenduntur Clerici.

A *Servi Ecclesiæ & Fiscalini*, erant Coloni, qui ad tributa & serviles operas tenebantur.

Sigalatius est panis ex sigalo, quodam grani genere, forsan secalis, unde gallicè *pain de segle*.

Signa Ecclesiæ, id est, Campanæ, nostris, *Sins*, inde *Toc-sin*.

Sonus. Aliquando significat rumorem, unde dicitur, sonuit.

Sportula contradicta. Dicuntur munera, quæ à litigantibus ad favorem in judicio obtinendum tradebantur.

Surcarium. Gallicè *un surcot, ou cotte d'armes*. Proprie de fecialibus dicitur.

T

B *Tecnaria*, sunt tegumenta seu tegmina, nostris, *Toicts*.

Tempestarii, sunt immissores tempestatum.

Theotisca, sive *Theudisca lingua*, id est, Germanica, qua utebantur nostri Reges antiqui.

Tractoria. Est epistola seu libellus, qui dabatur in tractus exteros sive terras proficiscentibus, quo pacto illos tractari atque excipi oporteret, continebat autem conditionem personarum, & modum pręstationis, ad cujus exemplum, Episcoporum ad absentes Epistolæ, vocabantur Tractoriæ, in quibus exponebant omnia, quæ pręsentes fecissent.

Trastura, quasi Transituræ, hoc est tributum transitorium, quod hodie vocamus *droits de traitte & traitte-foraine*.

C *Trustis*, significat Regis, post fidem datam ei, tutelam, si, quem Antrustionem appellabant, quis autem lęsisset, vel necasset, triplo plus persolvere cogebatur, quàm si alium peremisset, aut lęsisset.

V

Vassi & *Vassalli*, ex vocabulo veteri gallico *Gessus*, id est, fortis, unde fit *Vessus* sive *Vassus* ex antiqua mutatione literæ G. in literam V. Dicuntur viri fortes ac strenui, seu fideles, qui servitium exhibent, aut qui accepto beneficio se obligassent benefacienti; confunduntur passim, & distinguntur quandoque, ita ut Vassi videantur Majores, habentes Vassallos sub se, vocanturque Dominici sępiùs, D hoc est Regales: Vassalli autem censentur Minores, & non alios sub se habentes. Nomen adhuc retinemus hodie *Vassaux*, & *Arriere-Vassaux*.

Viaticum. Dicitur Communio corporis Christi infirmis ante exitum vitæ data.

Vicarii, seu *Vigarii*, erant Iudices per Pagos constituti sub Comitibus.

Vicaria, est locus ac territorium jurisdictionis illorum, inde apud Occitanos hodie vocantur *Viguiers & Viguerie*.

Vice-Domini, vel *Domni*, qui vicem Domini, sive Domni, scilicet Episcopi, implent, sæcu- E laria ejus negotia procurando, nobis per corruptionem, *Vidames*.

Vir Acanonistus, qui contra Canones aliquid facit, vel qui Canones ignorat.


Vvantus. Est Chirotheca, quam in æstate gestamus, aliquando Guantus dicitur, inde nostris *Gant*.

Vvidrigildus dicitur pretium, quod compositione juridiciali persolvitur propinquis, luendi homicidii, aut alterius criminis causâ.

Vulgaria dicitur, id quod est commune omnibus villæ incolis, videlicet pędia quędam, seu

seu prata, quê is utuntur indivisim. Apud nos *les Communes.*

Vuinileodes, quasi Ginileodes cum duplici littera V. enuntiata nunc per literam G. sicut olim ex Vvanto, nunc Gantus; ex Vvaltero, Galterus; ex Vvilielmo, Guilielmus & similia fiunt: dicuntur mulierum amici & fideles. Quod nomen componitur ex græco γυνὴ, id est mulier, & altero alemanico Leodes, qui dicuntur homines fideles.



NOTÆ

AD QVÆDAM CONCILIA GALLIÆ, edita à R. P. Iac. Sirmondo Soc. Iesu Presbytero.

Epistola Constantini Augusti ad Ælianum Proconsulem Africæ, ut Arelatem ad Concilium ire jubeat partes, inter quas erat controversia.

CONSTANTINVS Augustus ÆL. AF. P°, id est, ÆLIANO AFRICÆ PROCONSVLI.] Qui conjecturæ indulgentes, primùm Ablavio in hac epistola scripserunt, id causæ fuit, & quod nomen istud notum est, & quod Consul fuerit Ablavius, ac etiam Præfectus prætorio, ad quem plures visuntur Constantini constitutiones, & quidem pro re ecclesiastica in codicibus Theodosiano, & Iustinianeo; contrà verò Ælafii nomen, neutiquam auditum temporibus ejusdem Imperatoris. Sed, licèt id in veteribus schedis Pithœanis inveniatur, oriri potuit error ex scriptione nominis, nullis interdistincta punctis, cujus etiam ultima littera semi-clausa fuerit, ita ut unicum videretur vocabulum, nempè ÆLAFI°. Cùm tamen tria ibi significari debuissent vocabula per interpositionem punctorum, & ultimam ritè claudendo litterã, ac in hanc scripturæ contractionẽ redigi ÆL. AF. P. tunc explicando sic ÆLIANO AFRICÆ PROCONSVLI. Hanc autem Constantini epistolam ad Ælianum fuisse rescriptam nostrum est asserere; Qui quidem Ælianus notissimus est quoque ex multis ejusdem Imperatoris ad ipsummet edictis, quæ leguntur adhuc in iisdem codicibus. Hæc autem assertio nostra probatur ex sancto Augustino, qui epistolæ Cleri sui nomine, ad Ianuarium numero 68ª. inseruit exemplum litterarum Imperatorum Constantini & Licinii ad Probianum Africæ Proconsulem, ex quibus apparet, Ælianum etiam fuisse Proconsulem ejusdem Africæ ipsomet anno Synodi Arelatensis, ipsumque Vicarii Africæ tunc ægrotantis obiisse vices in convocanda Synodo ex mandato Constantini. Sunt enim illarum verba. Imperatores Constantinus, & Licinius ad Probianum Proconsulem Africæ. *Ælianus predecessor tuus, meritò, dum vir perfectissimus Verus, vicarius Præfectorum tunc per Africam nostram, incommoda valetudine teneretur, ejusdem partibus functus. Inter cætera etiam id negotium, vel invidiam, quæ de Cæciliano Carthaginensi Episcopo Ecclesia Catholica videtur esse commota, ad examen suum, atque jussionem credidit esse revocandam:* Et sanè, cùm potestas Vicarii Africæ major, & amplior esset, atque per totam regionem nullis circumscriberetur limitibus; contrà autem, Proconsularis: ideo cuncta Vicario mandabantur munia, quæ ad universam Africæ diœcesim, & ad omnes illius Episcopos spectabant. Similiter cùm Vicarius ipse ægrotaret, vel mortuus, aut absens esset, tunc nullus magis idoneus quàm Proconsul, nec ad potestatem congruentiorem, quàm ad Proconsularem, munus istud devolvi potuit nec debuit, ut patet in causis Felicis Aprungensis & Donatistarum: Proconsul enim Africæ solam Carthaginensem provinciam regebat, quæ inde dicta est Proconsularis; Vicarius autem Præf. prætorio reliquas Africæ provincias. Porro cùm sciamus adhuc ex contextu epistolæ Constantinum homini scripsisse Christiano, consequens erit illud etiam opinari de Æliano Proconsule, qui sub finem in gestis purgationis ejusdem Felicis, loquitur ut Christianus, ac bene sentit de re Christiana. Superest tandem ut observemus Heliani nomen, apud Augustinum dumtaxat enunciari per aspirationem, vitio, vel ignorantiâ exscriptorum, quod nil refert, cùm apud Optatum Milevitanũ, & in utroque codice juris, & alibi, legatur idem Æliani scriptum semper, & ubique per litteram A.

Ad Canonem III. Concilii Arelatensis I.

Vt qui in pace arma projiciunt, excommunicentur.

DE his qui arma projiciunt in pace, placuit abstineri eos à Communione.] Variè varii explicant hunc Canonem, cujus verior sensus petitur ex lege 5. qui in pace. D. de re milit. sic enim habet. *Qui in pace deseruit, eques gradu pellendus est; pedes militiam mutat, in bello idem admissum, capite puniendum est.* Nam in hoc Canone, *Arma projicere*, nil aliud est, quàm deserere: quod confirmatur etiam duplici testimonio sancti Augustini. Vno, contra Faustum Manichæum lib. 22. cap. 74. *Reprehendere bella*, inquit, *timidorum est, non religiosorum, alioquin Ioannes, quùm ad eum baptisandi milites venirent, dicentes, & nos quid faciemus? Responderet eis, arma abjicite, militiam istam deserite.* Alterum legitur in epistola 5. ad Marcellinum, ubi ait. *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potiùs militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omnino militiæ subtraherent.* Idcirco præter civilem pœnam, Canon hic complectens adhuc Ecclesiasticam, intelligi debet in casu difficiliori, ut loquuntur Iurisperiti, in quo magis cavendum erat

erat tempore pacis ab ulla severiore disciplina erga milites, & quidem propter presidia Imperii limitanea, ne Constantini exercitus Christianis abundantes minuerentur. Et sanè mirum non est, si Ecclesia pro delictis militaribus pœnas sanciat, cùm jam ipsamet statuerit ecclesiasticas pro criminibus, in quæ civiles animadverterunt leges.

Ad ejusdem Canonem VI.

Vt in infirmitate conversi, manus impositionem accipiant.

DE his, qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi.] Hoc ipsum est quod Patres Eliberitani Can. 39. preceperunt Gentilibus, si in infirmitate desideraverint, manum sibi imponi, & fieri Christianos. Ad fidem venientibus, primùm omnium, manus imponebatur, & Christiani exinde, Credentesque vocabantur, posteà Catechumeni, ac demum suscepto baptismo, Fideles. Sulpicius Severus de vita sancti Martini cap. 10. *Nemo ferè ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non, impositione manus desiderata, in Dominum Iesum Christum, relicto impietatis errore, crediderit.* Idem cap. 16. *Quo viso, Tetradius Dominum nostrum Iesum Christum credidit, statimque Catechumenus factus, nec multò pòst baptisatus est.* Et sanctus Augustinus tractat. in Ioannem. *Interroga*, inquit, *hominem Christianum, respondet tibi, non sum; adhuc quæris ab eo, Catechumenus, an Fidelis?* Denique Synodus prima Constantinopolit. Can. 7. de hæreticis quibusdã. ὡς, inquit, ἕλληνας δεχόμεθα, καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους, εἶτα βαπτίζομεν. Velut gentiles admittimus, & primo quidem die eos facimus Christianos, altero Catechumenos, deinde baptisamus. Constat ergo impositionem manus in his Canonibus non ad baptismum, quod nonnullis placuit, neque ad confirmationem referri oportere, sed ad ritum illum, quo Christiani fiebant. Aliud enim, ut dixi, Christiani & Credẽtes erant, aliud Fideles. Hoc etiam patet ex Canone 59. ejusdem Synodi Eliberitanæ. Præterea sanctus Augustinus epist. 67. ad Alipium. *Frater Paulus*, inquit, *narrat gaudia de Gabiniano, quòd non solùm Christianus, sed etiam Fidelis sit valdè bonus, per Pascha proximè baptisatus.* Et Gaudentius Brixianus tractatu 5. *Hujus agni carnem tam fideles in mysterio, quàm simul universi Credentes in fide debemus edere.*

Ad ejusdem Canonem IX.

Vt qui Confessorum litteras afferunt, alias accipiant.

DE his, qui Confessorum litteras afferunt, placuit, ut sublatis eis litteris, alias accipiant Communicatorias.] Quod id Concilium non longè post immanem Diocletiani persecutionem celebratum fuerit, ideo nomine confessorum intelligi hoc Canone videntur hi, qui vocantur à Tertuliano, martyres designati, non autem consummati, quorumque amborum corona, vel de opere candida est, vel de passione purpurea, ut loquitur sanctus Cyprianus, qui hoc inter Confessores & Martyres statuit discrimen, & reverà in Concilio Nicæno Constantinus membra Confessorum pro fide Christi passa & mutilata in persecutionibus anteactis veneratus, atque exosculatus dicitur: circa ipsa demum tempora Optatus Milevitanus narrat. *Per totam Africam, persecutionis esse devastatam tempestatem, quæ alios fecerit Martyres, alios Confessores.* Nihilominus cùm ex hac Synodo Arelatensi discamus pacem jam Ecclesiæ datam, ejusque morem ac disciplinam esse laxatam, ut paret in Diaconis tam urbicis quàm in aliis, necnon in istis Confessoribus, hinc fit ut conjiciamus ipsosmet posteà recensitos fuisse inter Ecclesiæ ordines, pro quibus universis, hæc orat in die Parasceves, videlicet pro Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Lectoribus, Exorcistis, Ostiariis, Confessoribus, Virginibus & Viduis. Iidem sunt etiam, quorum mentio fit Canone 9. Concilii Toletani primi, quo *Prohibetur professa, vel vidua, absente Episcopo, vel Presbytero in domo sua antiphonas cum Confessore facere.* Qui omnes denique nuncupati sunt Confessores, quia in castitate serviebunt Deo, ut docet Egbertus Archiepiscopus Eboracensis in suis excerptionibus, & in eodem sensu Patres Greci usurpant hanc vocem ὁμολογηταὶ, quique adhuc dicti sunt Continentes à Conciliis Laodicensi & Africano. Vnde apud Tertullianum similiter legitur (Virgine continentiâ senex puer) nempè qui ad senectam usque, puerilem Virginitatem servaverat. Et talis etiam exponitur aliàs Devotus Vir, sicut & Devota Virgo apud Ausonium, quam sic explicat in parentalibus.

Innuba, devota, quæ Virginitatis amorem
Parcáque anus Coluit.

Sublatis igitur litteris horum Confessorum, Patres Arelatenses jubent, ut aliæ accipiantur, nempè Communicatoriæ, ut scilicet ex his, quilibet agnosceretur fidelis ab omnibus, & Communionis Catholicæ particeps fieret, quasque in Conciliis appellari diversis nominibus, & à solis Episcopis dari notum est, ac quibuscumque aliis posteà interdictum Canone 13. Concilii Aurelianensis 2.

Ad ejusdem Canonem XV.

Vt Diacones non offerant.

DE Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.] Vt legere est in antiquiorib. codd. sancti Ambrosii lib. officiorum, de sancto Laurentio Diacono, cui (loquenti de seipso ad Xystum Pontificem Romanum) commisisti, inquit, dominici sanguinis consecrationem, loco dispensationem in editis: Et multò antè illum, apud Commodianum auctorem vetustissimum in sua instructione, numero 68. his verbis

Mysterium Christi Zacones exercite castè.

Ad ejusdem Canonem XVIII.

EX hoc Canone unico debent fieri duo, tum quòd distincti rectiùs intelligantur atque reperiantur in antiquioribus MSS. quos sequutus est Binius, tum etiam quòd hîc restaret Idem de Presbyteris erga Episcopos à Synodo statuendum, ut videtur primò de Diaconis erga Presbyteros actum; denique de Episcopis, & consequenter de omni gradu hierarchiæ. Leguntur quoque hi Canones in cod. MS. Isidori Spalensis apud Victorinos Parisienses hoc ordine.

Xx ij Can.

Can. XVIII. Concil. Arelatensis I.

De Diaconibus urbicis, ut non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reserverur.

Can. XIX.

Vt Presbyteri sine conscientia Episcoporum nihil faciant.

Can. XX.

Vt peregrinis Episcopis locus sacrificandi detur.

In subscriptionibus ejusdem Concilii.

ADELFIVS Episcopus de civitate Coloniæ Camalodonensium.] Sive Camalodunensium vel Camolodunensium, ita restituimus ex conjectura verisimili loco vulgatæ lectionis, de civitate Colonia Londinensium; tum quia proximè legitur in subscriptionibus, Restitutus Episcopus de civitate Londinensi; tum etiam quod Londinium, cognomento Coloniæ non fuerit insigne, ut loquitur Tacitus annal. 14. Vnde dubium non est, quin Adelfius hic fuerit Episcopus Coloniæ Camalodoni, olim celebris apud Britannos temporibus Claudii Cęsaris, de qua nummi videntur ejusdem cum hac inscriptione in aversa illorum parte. Col. Camalodon. Aug. Pręterea in saxo veteri apud Onufrium memorantur Cives Romani Coloniæ, quæ est in Britannia Camaloduni, cujus etiam ita scriptæ meminit idem Tacitus annal. 12. & suprà. In itinerario autem Antonini, legitur Camolodunum, omnino ibi distinctum à Londinio. Porro vulgata lectio corrupta fuit à sciolo quodam antiquario, qui legendo nomen hujus civitatis sic forsan contractum, Col. aut Colon. Camalodon. sive Camalodun. ex ignorantia & ex cognatione soni mutavit in Coloniam London. seu Londin. quia nomina hæc London. & Londini erant prorsùs ipsi notissima.

Inter Episcopos provinciæ Africæ.

QVINTASIVS Episcopus, Ammonius Presbyter de civit. Caralis, ex provinc. Sardiniæ.] Malè in vulgatis editionibus Sardinia inter provincias Africanas hîc inseritur. Quasi verò Sardinia temporibus Synodi hujus Arelatensis annumeraretur diœcesi Africæ; cùm certissimum sit tunc Sardiniam juris Italici fuisse, quæ tamen longo postea tempore à Iustiniano Imperatore, universæ Africæ in septem provincias post extinctos Vandalos partitæ, illarum ultima est adnexa, ut docet l. 1. §. Deo itaque. C. de officiis. P. P. Africæ.

NOTA
AD CONCILIVM PARISIENSE anni 362.

NON est hîc pręteteundum, quod de Hilario Pictavensi Episcopo refert Sulpitius Severus occasione Synodorum, quas ille coëgit in Galliis post suum ab exilio reditum, licèt absque nota temporum, nominibusque locorum. Ejus autem verba sunt in lib. 2. historiæ. *Hilarius*, inquit, *redire ad Gallias jubetur, absque exilii indulgentia; verùm ubi permensus est orbem penè terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi & magna curarum mole æstuans, cùm plerisque videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum recepissent, optimum factu arbitratus revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè Episcopis de errore profitentibus apud Ariminum gesta condemnans, & in statum pristinum ecclesiarum fidem reformans, resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus, qui ab hoc Parisiensi Concilio præter hæresis infamiam multis criminibus convictus, Ecclesiâ ejectus est; Paternus etiam à Petrocoris, qui Gavidio successerat, nec detrectans perfidiam profiteri, sacerdotio pulsus est ab altera quidem Synodo ex frequentibus illis, de quibus suprà, cæteris veniâ datâ.* Horum in Gallia Conciliorum meminit quoque Athanasius in epistolis, & ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, & ad Episcopos in Africa contra hęreticos Arianos conscriptis. Non est quoque pręrermittendum quod de illo Ariminensi Concilio toties orthodoxos inter ac hęreticos eâ ætate decantato, juxtaque partium studia utrinque distracto animadverrunt Marcellinus & Faustinus Presbyteri in libello precum ad Imperatores, nempè Ariminensem Synodum piissimè cœptam, sed impiissimè terminatam fuisse. Oderant tamen hi duo Presbyteri schismate Luciferiani hanc Hilarii disciplinam, & hanc resipiscendi facultatem, veniamque datam Episcopis pœnitentibus, quod per ignorantiam metumve, aut aliàs fidei Ariminensi subscripserint, & quos propterea illi vocant pręvaricatores, unde Hilarius in eodem precum libello dicitur: *Favens prævaricatoribus, ut non dicamus & hæreticis*, inquiunt, *in quos eloquentiæ suæ viribus peroraverat.*

NOTA
AD CONCILIVM TAVRINENSE.

CONCILIVM Taurinense anno Christi CCCCIII.] Censuit Baronius adscribendum anno CCCXCVII. Septembrem verò mensem designat Synodi pręfatio. Verùm ex Zosimi Papæ epist. 2. & altera ejusdem ad Africanos constat, quo tempore habita est Synodus Taurinensis, Brictium apud Turonos Episcopum fuisse. Habita ergo est post mortem sancti Martini, cui Brictius successit. At Martinus veterum consensu, mense Septembri anni CCCXCVII. nondum è vivis excesserat. Quare hic annus haud congruit, sed potiùs ille CCCCIII. ob affinitatem rerum in hoc Taurinensi Concilio, ac in epistola Innocentii Papæ ad Episcopos Synodi Toletanæ gestarum, atque etiam propter litteras Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis, ut hi loquuntur Episcopi Can. 6. dudum latas, anno scilicet pręterito, quæ non videntur aliæ, nec extant, nisi eadem Innocentii Papæ epistola. His adde, quòd, secundùm nostram Epocham sexennio, alteram Baronii, subsequentem hæc Synodus Taurinensis potiùs appellari potuit recens à Patribus Synodi Regensis, non longè post celebratæ. Qui verò Concilium illud Taurinense voluerint adscribere

scribere alteri anno, caveant ex his omnibus suprà, ut is numeretur tum antè Zosimi Papæ tempora, tum etiam post obitum Martini, qui probatur ex Sulpitii Severi dialogo 3. c. 15. cadere in annum CCCCII. eò quòd ibi legatur sanctum Martinum sedecim vixisse annos post Synodum Trevirensem, anno scilicet CCCLXXXVI. congregatam, nemine discrepante. Et sanè Martini obitus sic figi debet propter ejusdem Severi testimonium, omni exceptione majus, qui paulò post transitum beati Martini, hos scripsit dialogos, tantus scilicet ei fervor amoris fuit in Sanctum Dei, ut eo adhuc degente in sęculo, unum librum de Mirabilibus vitæ ejus scriberet, sicut asserit Gregorius Turonensis lib. 1. de Mirac. sancti Martini c. 1. Vnde verisimilius est, hunc sedecim annorum numerum ab ipso Severo ritè computatum fuisse pro termino vitæ sancti Martini. Quapropter audiendus non est ipse Gregorius in altero de ejusdem morte calculo, cùm ipsemet fateatur lib. hist. 10. de Episcopis Turonicis, horum non supputari à se numerum annorum, quia intervalla ordinationum integrè non potuit reperire; unde colligitur illum in hoc vel errasse scribendo post ducentos penè annos, aut potiùs non meminisse eorum, quæ visa & scripta fuerant à Sulpitio.

NOTA
AD CONCILIVM VASENSE secundum anni 442.

CANON sextus de epistola sancti Clementis.] Hæc epistola, quæ vulgò prima ordine circumfertur ad Iacobum Hierosolymorum Episcopum scripta, atque à Turannio Rufino interpretata, laudatur in Galliis sub sancti Clementis Romani nomine, tum ab hujus Concilii Episcopis, tum longè pòst ab aliis Synodi Metensis sub Arnulfo & Odone Regibus; quæ quidem postea propiùs examinata, creditur hodie suspectæ fidei. Nihilominus Episcopi Galliarum, sicut & cęteri Occidentales olim in Rufinum propensiores, ut liquet ex Appollinare Sidonio, forsan propter interpretis auctoritatem, usi sunt hoc unico veluti testimonio, eodemque excerpto ex hac epistola in hisce duabus Synodis, non habito priùs examine singularum hujusce partium, juxta morem illorum in Conciliis, qui cùm testimonia ibi proferrent, in auctores non inquirebant.

NOTA
AD CONCILIVM VENETICVM anno Christi 465.

Canon II.

De iis, qui relictis uxoribus, alias ducunt.

Eos quoque, qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, exceptâ causâ fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint, statuimus à Communione similiter arcendos, ne per indulgentiam nostram prætermissa peccata, alios ad licentiam erroris invitent.

Matth. 5. 32.

A EOS qui relictis uxoribus suis.] Ex hoc Canone patet, persuasum adhuc illis temporibus in Gallia fuisse, propter fornicationem separari virum ab uxore, & aliam ducere, Christi permissu licuisse, quamvis longè antea Patres Synodi Arelatensis primæ dederint consilium dumtaxat adolescentibus, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, ne illis viventibus, alias accipiant. Nihilominus illam adhuc nubendi licentiam propter adulterium perseverasse colligitur; tum ex Avito Viennensi, tum ex Synodo prima Suessionensi, etsi non esset adhuc constans inter hos omnes hujus rei disciplina, ut patet ex Concilio Nannetensi, usque B tandem ad annum 747. quo Zacharias Papa epistola 9. responsum dedit Pippino Majori-domus, ac Episcopis atque Proceribus Francorum ad Capitula ab ipsis proposita; quorum XII. est de his, qui uxores aut viros dimittunt; ubi cunctis denique sic mandat observandum ex Concilio Africano cap. 69. *Vt secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibi invicem reconcilientur; quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.* Attamen discimus ex Concilio Compendiensi, anno decimo post Zachariæ responsum celebrato, Gallos ad pristinum morem C rediisse, qui tandem pòst antiquatus est omnino. In quibus supradictis omnibus notandum est Gallicanos Episcopos causam fornicationis, quæ in Matthæi Evangelio exprimitur, excepisse. Africanos autem suum statuisse Canonem juxta Marci & Lucæ Evangelium atque Pauli epistolam ad Corinthios, qui tres quidem nullius faciunt exceptionis mentionem.

NOTÆ
AD CONCILIVM EPONENSE.

D *De situ, & nomine Parochiæ Eponensis.*

PAROCHIA Eponensi.] Incertum hactenus, quis locus, & quod illi hodiè nomen, de quo multi varia conjiciunt, sed id facile omnes intelligent, qui monasterium sancti Mauricii ad Rhodanum olim Agaunum dictum noverint, cujus monasterii monimenta edocent, non longè ab ipso parochiam Eponensem abesse, atque antiquum quoque retinere nomen; de quo monuit me doctissimus Franc. Bosquetus, ac in scientia pręsertim ecclesiastica consummatissimus, tunc reverentissimus Lodovensis, nunc dignissimus Montispessulani Episcopus, iis visis curiosè atque lectis attentissimè, hâc transeundo ex Italia, quo etiam in loco superest hodiè E ecclesiola, sive oratorium cum paucis adjacentibus Tuguriis, quod appellatur adhuc ab incolis EPON, Et sanè in editione operum Aviti Viennensis, quæ tredecim & ampliùs annis Conciliorum Galliæ editione posterior est, scribitur Eponensis parochia à Iac. Sirmondo, qui monet quidem in notis ad Concilia, scribendum esse Epaonense Concilium, non Epaunense, tamen ad hanc Aviti epistolam retinet scriptionem Eponensis parochiæ. Porro locus hic Eponensis ab Avito Viennensi Episcopo, opportunus dicitur celebrandæ Synodo, quòd revera in medio tunc Burgundionum Regno existeret, ut ex hujusce confiniis liquet.

Ejusdem Can. XXX.

De incestis coniunctionibus.

Incestis conjunctionibus nihil prorsùs veniæ reservamus, nisi cùm adulterium separatione sanaverint. Incestos verò, nec ullo conjugii nomine prævelandos, præter illos, quos vel nominare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit. Si quis frater germanam uxoris suæ accipiat. Si quis novercam duxerit. Si quis consobrinæ, sobrináve se societ, quod ut à præsenti B tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt anteriùs instituta, non solvimus. Si quis relictæ avunculi misceatur, aut patrui, vel privignæ concubitu polluatur. Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

INCESTIS conjunctionibus.] Vidimus Episcopos regni Francorum in Concilio Aurelianensi primo, duas tantùm conjunctiones ut incestas prohibuisse Can. 18. quæ tamen inter Iudęos non erant illicitæ, unde videtur hanc ob rem forsan injunctum Christianis, ut morem C hunc Iudæorum detestarentur; posteà verò Episcopi, qui sub Burgundionum erant potestate, cujuscumque cognationis gradus, & quos etiam Imperatorum Christianorum leges permittebant, in hoc Canone 30. enumeratos primi sine dubio in Gallia vetant, ex occasione duplicis incesti sanè ipsis noti, scilicet Stephani ex officio Sigismundi Regis Fisco prępositi, & cujusdam civis Gratianopolitani nomine Vincomali, ut docent epistolæ Aviti Viennensis; tandem ex his omnibus diversarum partium Episcopis sub unius Regis Francorum Imperio, Ecclesia Gallicana constitit; verùm quod hi antiqui Episcopi habuerint jam Reges rerum dominos tum hære- D ticos, tum neophytos, loco Imperatorum Romanorum, quorum leges erant adhuc in usu, quapropter Episcopi Eponenses hoc Canone ita prohibent à Concilii pręsentis tempore, ut ea, quæ sunt anteriùs instituta, non solvant. Sic paulò antè loquuti de consobrinæ, sobrinæve conjunctionibus, de quibus dumtaxat potuit esse dubium. Porro quòd ad istas conjunctiones ultimas pertinet, sciendum est Reges nostros usurpare hodie antiquum jus Imperatorum erga hęreticos regni, tali gradu inter se affines ad legitimum matrimonium contrahendum. Ius ergo fuit illis Episcopis tales pro Christianorum moribus Canones condere, quorum exemplum, & doctrinam Successores pluribus in Con- E ciliis sequuti sunt, ut patet.

Ejusdem Can. XXXIII.

De Basilicis hæreticorum.

Basilicas hæreticorum, quas tanta execratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus. Sanè quas per violentiam nostris tulerant, possumus revocare.

A BASILICAS hæreticorum.] Hic Canon videtur conceptus ex mente Aviti scribentis ad Victorium Episcopum Grationopolitanum epist. 6. de hęreticorum oratoriis non recipiendis, diversa tamen paucis antè annis fuerat sententia Concilii primi Aurelianensis, cui Basilicas Gothorum etiam hęreticorum recipi, & simili, quo nostræ innovari solent, placuit ordine consecrari, quod ubique gentium in more, usuque jam olim fuisse tum Grecæ, tum Latinæ passim historiæ declarant.

Ejusdem Can. XLI.

De illis, qui excommunicati moriuntur.

Si aliquis excommunicatus, fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & testimonium habet bonum & non poterat venire ad Sacerdotem, sed præoccupaverit eum mors in domo, aut in via; faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altáre, & dent redemptionem pro captivis.

PLACVIT hunc Canonem addere reliquis; unde Synodus ista jam constabit ex quadraginta & uno, certè non sine causa; cùm hic Canon reperiatur in pluribus Canonum collectionibus antiquis, quæ sunt in bibliothecis Thuana atque Puteana & aliis: Prętereà hujusce Canonis Eponensis meminerunt unanimiter Burchardus, Ivo & Gratianus. *Burch. lib. 11. c. 51. Ivo p. 14. c. 114. Grat. 25. q. 6. c. si Aliquis.*

In subscriptionibus Episcoporum.

Peladius Presbyter, jussu domini mei Salutaris Episcopi civitatis Aventicæ, huic definitioni interfui, & subscripsi.

PELADIVS Presbyter jussu Salutaris Episcopi civitatis Aventicæ.] Reposuimus Aventicæ, loco Avennicæ, in vulgatis, quia Avenio tunc temporis erat in potestate Gothorum, ut patet ex Cassiodori epist. 38. lib. 3. Omnes autem Episcopi hujus Synodi patebant omnino Burgundionum Regibus, unde nulli ditionis alterius Regis ad hoc Concilium fuere vocati. Porro Sedes olim Episcopalis apud Aventicum, translata fuit Lausanam Helvetiorum.

NOTA

AD CONCILIVM LVGDVNENSE anno Christi 517. sub Sigismundo Burgundionum Rege.

Canon. III.

Si Rex ab Episcoporum communione se suspenderit.

Quod si se Rex præcellentissimus ab Ecclesia vel Sacerdotum communione ultrà suspenderit, locum ei dantes ad sacræ Matris gremium veniendi, sancti Antistites in monasteriis se absque ulla dilatione, prout cuique fuerit opportunum, recipiant, donec pacem integram, ad caritatis

ritatis plenitudinem conservandam, Sanctorum flexus precibus, restituere pro sua potentia, vel pietate dignetur. Ita ut non unus quicumque priùs de monasterio, in quo elegerit habitare, discedat, quàm cunctis generaliter fratribus fuerit pax promissa, vel reddita.

SI Rex ab Episcoporum communione.] Sigismundus Burgundionum Rex ægrè ferens Stephanum Fisci sui Præpositum, in hac Synodo excommunicatum incestas ob nuptias Palladiæ uxoris, se ab Episcoporum communione suspendit, ut his conjugibus quid temperamenti præstarent Episcopi, quos & id fecisse legimus in Canone ultimo. Præterea *hi sancti Patres Regis animum excommunicatis adhærentem cernentes, ut ipse ad sacra matris Ecclesiæ gremium veniret, in monasteriis orandi causâ, se absque ulla dilatione receperunt, donec pacem integram, ipsorum motus precibus restituere pro sua potentia vel pietate dignaretur*, ut loquuntur ipsimet Episcopi hoc Canone. Ad quorum exemplum Episcopi Hispaniarũ, aliquid ampliùs in Concil. Toletano 12. sub Ervigio Rege statuerunt Can. 3. pro excõmunicatis. *Quos regia potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conventus suscipere in ecclesiasticam communionem debebit, ut quod jam principalis pietas habet acceptum, neque à Sacerdotibus Dei habeatur extraneum.* Idipsum etiam Reges nostros Capitularibus olim suis inseruisse auctor est Ivo Carnotensis Episcopus in decreto, parte 16. cap. 344. qui, ut ait ipsemet etiam in epistolis, fretus auctoritate legis hujus regiæ atque synodalis ad communionem in paschali curia suscepit excommunicatum. Itemque Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in epist. ad Ernulfum Ecclesiæ suæ Priorem, huic atque sibi consulendum hac ratione erga tales excommunicatos proposuit. Porro monendus est lector Capitulum illud 383. lib. 7. ab Ivone suprà citatum, quod desideratur in vulgatis, extare sub iisdem numero, & ordine tam capitis quàm libri, Capitularium regiorum, in codice MS. monasterii Rivipullensis in Catalonia, quodque in eo legisse ac etiam reliqua Capitularia Regum nostrorum, longè ampliora editis, asseruit nobis & pluribus aliis illustrissimus Petrus Marca Parisiensis Archiepiscopus, officio tunc Regii Visitatoris fungens in eadem provincia. Sensum autem tum Canonis Toletani, tum ex eo petiti Capitularium suprà laudati capitis uberiùs explicat idem vir eruditissimus lib. 4. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. 14. docetque habere locum in reis læsæ majestatis, quibus Rex injuriam suam remittit.

In subscriptionibus Episcoporum.

Avitus Episcopus in Christi nomine consensi.

Viventiolus Episcopus in Christi nomine consensi.

CERTUM est ad hoc Lugdunense Concilium referri debere, quæ leguntur in vita sancti Appollinaris Valentinæ civitatis Episcopi; scilicet Avitus, & Apollinaris secundùm carnem germani, in Christi verò opere famosissimi fratres, synodalem institutionem servantes, cum reliquis Pontificibus simul in unum congregati, ipsum Stephanum sacra communione privari sanxerunt. Vnde liquet etiam eundem Avitum meritò in subscriptionibus Episcoporum, ubi nomen ejus desideratur, collocandum esse deinceps, & primo quidem loco, sicut in Eponensi Concilio, cùm fuerit ipsemet in Episcopatu antiquior Viventiolo Lugdunensi Episcopo, ut patet ex epistolis ejusdem Aviti ad eundem Viventiolum tum Presbyterum, tum Episcopum rescriptis.

NOTA
AD CLOTARII REGIS
Constitutionem generalem.

Qui avi, vel genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt.

AVT Germani nostri &c.] Hæc absunt à Tiliano codice: ambigi autem hoc loco jure queat, si ad Clotarium I. referatur constitutio, quemnam avum suum vocet, qui Clericis immunitatem concesserit? Si ad Clotarium II. Ecquem dicat germanum? Cùm autem certissimum sit Clotarium II. nullum habuisse simul in Regno fratrem: Hæc igitur Constitutio videbitur à Clotario primo edita, ex hoc quòd avum habuerit Childericum Regem, nec hunc licèt paganum, Ecclesiarum pacem in conquestu suo, vel turbasse, vel contra Clericorum libertatem, aut immunitatem quid egisse legatur; imò ejus amoris & observantiæ erga Christianos exemplum videre est in vita sanctæ Genovefæ Parisiensis. Potest etiam illud confirmari, ex eo quòd totus hic codex Corbeïensis, unde sumpta est hæc constitutio, nihil omnino contineat penitùs quod ad Clotarii II. tempora spectet, ut patebit legentibus illum in bibliotheca sancti Germani Parisiensis.

NOTA
AD CONCIL. AVTISIODORENSE.
Canon III.

Vt vota, & vigiliæ in Ecclesia exolvantur.

Non licet compensos in domibus propriis nec pervigilias in festivitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes aut ad arbores sacrivos, vel ad fontes vota exolvere: sed quicumque votum habuerit, in Ecclesia vigilet & matriculæ ipsum votum aut pauperibus reddat, nec sculptilia aut pede, aut homine lineo fieri penitùs præsumat.

NON licet compensos.] Qui sensum vocis hujus non intellexerunt, metâ ibi conjecturâ usi sunt, ita ut primò legerent, (compensas.) Deinde istud secando vocabulum per talem contractionem, comp. mensas, facerent hæc duo (componere mensas.) Rursùs alii finxerunt (Conventus.) Sed cùm habeamus veram & congruen-

congruentem nominis (Compensos) notionem, ex glossario Rabani citato in adversariis Casparis Barthii, scilicet, significare illud, (oblata, collata, & ἀναθήματα, quæ simul pendebant.) Ob id nullatenùs ad alia recurrendum censeo: Synodus enim hoc Canone, duo comprehendit, quæ fiebant in festis Sanctorum, videlicet pervigilias, de quibus nulla est difficultas, & compensos, quos dicimus esse collectas, seu dona, quæ presertim in festivitatibus Martyrum à Fidelibus offerebantur; ut notum est, idque confirmatur etiam Can. 21. Concilii Bracarensis I. [Si quid, inquit, ex collatione Fidelium, aut per festivitates Martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur.] Autisiodorensis ergo Synodus, & pervigilias, & compensos in domibus propriis facere prohibet; utrumque autem in Ecclesia jubet; quod ex antithesi verborum sequentium in eodem Canone colligitur; nam cùm ait, (in Ecclesia vigilet) hoc sanè spectat ad pervigilias; similiter & cùm dicit (matriculæ votum, aut pauperibus reddat;) certè illud quoque referri debet ad compensos, sequendo exemplum in hoc aliarum Synodorum, quæ Canones statuerunt de distribuendis Fidelium oblationibus ad arbitrium Episcopi, vel alterius vicem ejus gerentis. Quod tandem superest in hoc Canone 3. nempè, nec sculptilia aut pede, aut homine lineo fieri presumat. Istud pariter ad precedentes paganias referre debemus, de quibus suprà in contextu scilicet nec inter sentes, aut arbores, vel ad fontes vota exolvat; ad hæc autem quelibet loca inter alias superstitiones appendebantur membrorum corporis humani simulacra & figuræ, imò etiam ipsorummet hominum integrorum, sicut hodie apponimus adhuc in ecclesiis & locis sanctis.

NOTA
Ad STEPHANI II. PP. RESPONSA, cùm in Francia esset, anno 754.

XI. De Presbytero, qui cùm deesset aqua, periclitantem infantem vino baptisavit.

Ex Codice S. Mariæ Laudunensis.

Si in vino quis, propterà quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptisavit, nulla ei exinde adscribitur culpa; infantes sic permaneant in ipso baptismo. Nam si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.

SI in vino quis.] Hoc Stephani Papæ responsum confirmatur adhuc ab altero simili, longè quidem anteriore Siricii Papæ, quod habetur ex epistola ejus in codice Pithœano pervetustæ collectionis Canonum, qui est in bibliotheca Thuana numero 116. Sic autem inter illos de baptismo legitur pariter ejusmodi responsum pag. 89. nunc in lucem editum. [Presbyter qui in vino pro maxima necessitate baptisat, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei adscribitur culpa; si verò aqua aderat, & necessitas talis non urgebat, hic communione privetur, & pœnitentiæ submittatur; infans verò ille, si in sancta Trinitate baptisatus est, in eo baptismo permaneat.] Hoc ipsummet habetur etiam ex decreto ejusdem Siricii Papæ in alio codice veteri MS. qui est apud illustrissimum Episcopum Tullensem D. Andream Dusaussay. Porro hæc summorum Pontificum responsa nobis ostendunt, quid agendũ censuerint in casu necessitatis de hujus Sacramenti materia. Similiter & post quadringentos ferè annos videmus alterum Stephanum Tornacensem Episcopum, docentem in baptismo hæc verba (*Ego te baptiso*) non esse de forma & substantia Sacramenti, sed tantùm de solennitate ministerii; vehementer tamen arguendos & pœnitentia afficiendos esse Sacerdotes, qui vel per negligentiam vel per imperitiam aliquid omitterent de verborum solenni dignitate, sicut ipse respondet Petrò Pontio Episcopo Claremontensi ipsum consulenti de quodam, qui, absente Sacerdote, super puerum in talis necessitatis articulo immersum aqua, protulit hæc dumtaxat verba (*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*) utrùm istud baptisma sit, vel utrùm puer iterum debeat baptisari. Qua de re ampliùs legere est epistolas tertiam & quintam ejusdem Stephani Tornacensis Episcopi.

NOTA
AD CANONEM VIII. CONCILII Francofordiensis, anni 794.

De altercatione Viennensis, & Arelatensis Episcopi, & de Tarentasia, Ebreduno, & Aquis.

De Tarentasia verò, & Ebreduno, sive Aquis legatio facta est ad Sedem Apostolicam, & quicquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur.

TRES istæ civitates Metropoles fuerunt à Romanis Pontificibus olim acceptæ secùs ac Canones statuunt; ut unaqueque provincia suo contenta sit Metropolitano, nempè Tarantasia, Metropolis provinciæ Alpium Graïarum, & Pœninarum, quæ à Leone Papa tribuitur, ut suffraganea, Viennensi Metropolitæ, deinde jura Ebreduni, Alpium Maritimarum Metropolis confundit Hilarus Papa; denique Symmachus Aquensem Provinciæ II. Narbonensis Metropolitam, pœnâ ecclesiasticæ disciplinæ impositâ jubet alterius provinciæ Metropolitano Arelatensi obtemperare. Nihilominus ex hoc Canone Francofordiensi colligitur, harum trium Metropoleum successores non semper, illorum quoque successoribus dicto audientes fuisse, unde Patres Concilii rectè sanxerunt de his legationem fieri ad Sedem Apostolicam, & quicquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneri. Quod tandem renunciatum est in gratiam civitatum, ut discimus ex Breviario divisionis Thesaurorum Caroli Magni Imperatoris, ubi Tarantasia & Ebredunum numerantur inter Metropolitanas civitates regni; quarum Episcopi, sicut & Aquenses non longè pòst inscripti sunt Archiepiscopi à Ioanne VIII. Papa etiam ad eosdem de ipsarum diversis provinciarum negotiis, ut Metropolitanos rescribente; & ab hinc liberam atque continuam Metropolitici juris, ac nominis antiqui in omnibus Galliæ civitatum notitiis comprehensi, possessionem adepti sunt.

NOTA
* AD CONCIL. AQVISGRANENSE anno Christi 816.

SCIENDVM est quod plurima sint Capitula Concilii hujus omnino aut ferè similia plerisque in Krodegandi Metensis Episcopi regula Canonicorum contentis, unde affirmare licet illa quidem posteriora fuisse desumpta ab ipsomet sanè anteriore, quæ Asteriscis distincta exhibere oportebit in altera Conciliorum editione. Rursùs in hoc Concilio tribuuntur Prospero libri tres de vita contemplativa, qui inter ejus opera edi, ejusque nomine à Gratiano, & aliis citari solent. Re autem verâ Prosperi non videntur. Primò quia Gennadius Prosperi opera recensens, horum librorum non meminit, deinde Isidorus eosdem prorsùs adserit Iuliano Pomerio; posteà in antiqua collectione Canonum codicis Andegavensis eidem Pomerio ut auctori tribuuntur: Tandem in codicibus MSS. Abbatiarum sancti Salvatoris Constantiensis, & Caroliloci Silvanectensis diœcesum, auctor his libris adscriptus est Iulianus Pomerius, qui genere Afer, ac in Gallia Presbyter ordinatus, pòst Abbas, Arelate morabatur; de quo in vita Cęsarii Arelatensis, & apud Gennadium, Ruricium quoque ac Ennodium Episcopos hæc, & alia leguntur.

NOTA
AD CAPITVLARE LVDOVICI Pii Imp. anno Christi 816.

CODEX antiquus bibliothecæ Bigotianæ meminit horum Capitulorum tardiùs annis duobus, scilicet ad annum 818. *Hoc*, inquiunt, *anno incarnationis Iesu Christi, Ludovicus Imperator Christianissimus ac piissimus, ex omnibus Imperii sui fecit Conventum Episcoporum, Abbatum, Comitum, vel Majorum natu Francorum, ut sancirent Capitula pro utilitate totius Ecclesiæ, quod ita factum est. Hæc Capitula propriè ad Episcopos vel ad ordines quosque ecclesiasticos pertinentia, qui non solùm observare, sed etiam sibi subjectos vel commissos facienda perdocere debent.* Deinde Capitula sequuntur ut jacent in editis.

NOTÆ
* AD CONCILIVM VERNENSE secundum, anni 844. ubi præsedit Ebroïnus Pictavorum Episcopus.

CONCILIVM Vernense secundum.] Primum id fuit, quod sub Pippino Rege celebratum vidimus tomo 2. Conciliorum. Porro hic Ebroïnus Pictavorum Episcopus, ut patet ex diplomate Caroli Calvi, quod sequenti anno datum est monachis Fossatensibus, Archicapellanus, seu Protocapellanus erat sacri Palatii, de qua dignitate, ex Adalardi commentario scribit in epistola 14. Hincmarus Remensis, eaque, opinor, causa est, cur pręsente Archiepiscopo pręsideat huic Concilio: Quid simile colligitur ex pręfatione Concilii Moguntiaci, cui pręfuit

A Hildebaldus, Coloniensis quidem Archiepiscopus, sed ut sacri palatii Archicapellanus, pręsente Richolfo, & illius civitatis & adhuc antiquiore Archiepiscopo: videmus quoque in Concilio Metensi, Grimoldum Abbatem, & Archicapellanum Regis Ludovici Transrhenensis pręponi Theodorico, & Salòmoni Episcopis; atque etiam Drogonem Episcopum Metensem, ac sacri palatii Archicapellanum pręfuisse tum Synodo Theodonis-villæ, tumque primum ante Archiepiscopos subscripsisse in Concilio Ingelheimensi de Ebonis restitutione; & in hoc nullus ei Archiepiscopus vel Episcopus contradixit; non item, quando haberi voluit Vicarius Sedis B Apostolicæ in Gallia & Germania, ut patebit ex nota mox proxima.

Can. X.

Vt in Ecclesia Aurelianensi ratam Rex esse permittat ordinationem Agii Presbyteri.

Aurelianensis etiam Ecclesia confusione maxima noscitur laborare. Tamen quia superiore anno Archiepiscopus Vvenilo suis annitentibus suffraganeis, ex eodem loco Agium presbyterum Palatii vestri, memoratæ Ecclesiæ ordinavit, probabilium C Canonicorum ac laïcorum attestatione instructus, & petitione impulsus, & eadem Ecclesia, nostro & vestro vacat periculo, hujus rei exitum alium non vidimus, nisi ut vestra pietas, quod à tantis viris factum est, ratum esse permittat.

AGIVM Presbyterum palatii vestri.] Ex hoc loco apparet non satis probatam Carolo Regi ordinationem Agii fuisse in Ecclesia Aurelianensi, forsan propter hæc, quæ de illo scripsit Lupus Abbas Ferrariensis epistola 21. ad Ionam Agii decessorem & propinquum; ratam D tamen posteà Synodi rogatu habuisse hinc patet, quod Agii Episcopi deinceps crebra passim fiat mentio in his Conciliis.

Can. XI.

De prælatione Drogonis, expectandum videri Episcoporum Galliæ, Germaniæque Conventum & consensum.

De prælatione reverentissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi expectandum quàm maximus cogi potest, Galliæ, Germaniæque Conventus, & in eo E Metropolitanorum, reliquorumque Antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus, nec valemus, nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, & non alia, quàm quæ prætenditur, talis causa, illi potissimùm convenire videtur, qui & communione Sacerdotii nobis, & excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur.

DE prælatione Drogonis.] Sedis Apostolicæ vices intelligit, quas Sergius II. Papa Drogoni

goni hoc anno, ut vidimus, delegavit. Cęterùm Drogo, refragantibus Galliæ, Germaniæque Episcopis, concessâ auctoritate usus non est, ut scribit Hincmarus epistola 44. c. 31. cùm similiter de Ansegisi Senonensis primatu ageretur in Concilio Pontigonensi, his verbis. *Drogo*, inquit, *Metensium Episcopus fastu regia prosapiæ subnectus, hanc prælationem in Cisalpinis regionibus apud Sergium Papam obtinuit, sed quod affectu ambiit, effectu non habuit, & quod efficacia usu, non consentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientissimè, ut eum decuit, toleravit, ne scandalum fratribus & Consacerdotibus generans, schisma in sanctam Ecclesiam introduceret.*

NOTA
AD CONCILIVM PARISIENSE septimum.

EX synodica Episcoporum, quo anno habita fuerit Synodus non apparet, nec quo loco; Turonensis ut appellaretur in editione Conciliorum Galliæ suaserat; & argumentum ipsum, quod ad provinciam Turonicam spectat, & Lantrannus Turonum Antistes, qui primum obtinet locum; nihilominus in his supplementis visum est propter alia duo, quæ jam occurrunt nobis, debere hoc Concilium vocari Parisiense, quorum scilicet alterum est, Caroli Calvi diploma, quod ex chartulario Ecclesiæ Nivernensis suprà dedimus, quo institutionem Herimanni ejusdem Ecclesiæ Episcopi, in Conventu Episcoporum Parisiùs anno 849, mense Novembri approbatam, regia quoque auctoritate confirmavit ipse Rex apud Vermeriam, quem etiam annum designant veteres schedæ apud Baronium; alterum est chronicon Fontanellense, quod narrationi de anni ejusdem autumno subjungit, Episcopos in Parisiaco Synodum generalem tenuisse. Et sanè hi quatuor provinciarum Metropolitani cum suffraganeis in synodica nominati, potuerunt simul habere Synodum, quæ revera censeatur generalis. Porro hæc omnia referre voluimus, ut nullus supersit locus admonitionis, sicut etiam, quod in hocce Concilio, posterior accipiendus sit Lantrannus: duo enim ejus nominis in antiquis catalogis recensentur Archiepiscopi Turonenses, atque inter utrumque Vrsmarus, qui in Conventu apud Sparnacum nominatus est anno 846.

NOTA
* AD EPISTOLAM EPISCOPORVM è Synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum Regem Germaniæ.

CAP. VII.

Carlus Princeps Pippini Regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes, res ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maximè est æternaliter perditus; Nam sanctus Eucherius Aurelianensium Episcopus, qui in monasterio sancti Trudonis requiescit, in oratione positus ad alterum est sæcu-

A lum raptus, & inter cætera, quæ Domino sibi ostendente, conspexit, vidit illum in inferno inferiore torqueri, &c. Qui in se reversus, sanctum Bonifacium, & Fulradum Abbatem monasterii sancti Dionysii & summum Capellanum Regis Pippini ad se vocavit, eisque talia dicens in signum dedit, ut ad sepulchrum illius irent, & si corpus ejus ibidem non reperissent, ea quæ dicebat, vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum monasterium, ubi corpus ipsius Carli humatum

B fuerat, sepulchrumque illius aperientes, visus est subitò exisse draco.

NAM sanctus Eucherius.] De tota hac narratione, quæ Caroli Martelli memoriam infamat, libenter assentior Card. Baronio, qui fabulosam arbitratur, multisque argumentis refelli posse docet, tum eò maximè quod ex vita sancti Eucherii, subductis annorum rationibus, constet illum multò ante Carolum, vitam clausisse. Mihi quidem, quòd tam enixè fidem huic relationi adstruere auctores nitantur, suspectam ipsam facit, ac mirùm sanè non animadvertisse illos, nec Flodoardum etiam, qui eandem historiæ suæ inseruit lib. 2. c. 12. Pipinum in ea

C Regem nominari, & Fulradum Pippini Regis Capellanum, cùm exploratum sit Pippinum Regis nomen, nisi decimo post Caroli obitum anno, id est, 751. non sumpsisse, quem ad annum pervenisse Eucherium, nemo somniavit. Ipsammet narrationem exponunt etiam alii, inter quos Bernardus Guidonis Episcopus Lutevensis in via Pippini Regis, quæ continetur in catalogo M S. Regum Francorum, quem videre est in Tolosana Fuxensi bibliotheca, inserendo tamen quędam alia quæ suspicionem confirmant, videlicet sanctum Eucherium peregrè profectum

D apud sanctum Dionysium, & in Canone Missæ raptum in spiritu vidisse Carolum Martellum sive Tuditem torqueri in inferno, in corpore & in anima, dicente sibi Angelo hoc esse factum communi Sanctorum judicio de illo solo ante diem judicii quod de nullo alio contigisset, &c. quorum sensus verborum Catholicæ obnoxius est veritati. Porro alia videri possunt pro vindicanda Caroli memoria, in nostris annotationibus gallicis ad jus regaliæ. Et maximè doctissimus Hadrianus Valesius in libro 25. rerum francicarum.

VISVS est subitò exiisse draco.] In chronico Radulfi nigri, natione Angli, citato à doctissimo Pithoeo, in tractatu de libertati-

E bus Ecclesiæ Gallicanæ, & à Ioanne Pitseo lib. de rebus Anglicis, sic legitur de Carolo Tudite Præfecto palatii. *In ejus*, inquit, *sepulchro serpens magnus pro corpore inventus; & hoc quidem physicum est, licèt quidam in deteriorem partem interpretentur.* Quod etiam juvat ad refellendam fabulam.

NOTA

NOTÆ
AD CONCILIUM TULLENSE apud Saponarias.
Can. VII.

De Attone Virdunensium Episcopo, qui contra regulas ecclesiasticas provectus dicebatur.

Mota est etiam quæstio de Attone Virdunensium Episcopo, quod oblatione regulari, unde petitio ibidem est præsentata in monasterio sancti Germani Autisiodorensium extiterit, & contra regulas ecclesiasticas inde discedens, minùs provisè quàm sacra auctoritas doceat, ad ordinem episcopalem pervenerit. Unde etiam definitum est, dari sibi commeatus veniendi ad aliam Synodum, sicut sacra sancit auctoritas.

DE Attone Virdunensi.] Monachum in Autisiodorensium cœnobio fuisse significat. Monachi autem Episcopi fieri, alioque transferri non poterant sine Abbatis sui & proprii Episcopi atque Archiepiscopi licentia, quod Hincmari & Ansegisi exempla declarant. Quid verò in Attone præteritum fuerit, non explicat, fraudi tamen id non fuit, quominus Episcopatum retinuerit, & cum laude administrarit, ut Bertharius testatur in excerpto, quod de gestis Episcoporum Virdunensium eodem sæculo scripsit ad Dadonem Episcopum Attonis successorem post Berardum.

Can. X.

De Capitulis quibusdam in Synodo relectis, de quibus inter Episcopos erat controversia, scilicet de Gratia, & Prædestinatione Dei, quæ videre est in Synodis Valentina III. & Lingonensi.

Relecta sunt denique in eadem Synodo quædam Capitula, super quibus quorumdam fratrum sensus dissentire probantur. Unde convenit inter Episcopos, ut, Deo favente, pace ac tranquillitate recuperatâ, simul conveniant, & prolatis sanctarum Scripturarum atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ saniora sunt, concordi unanimitate sequantur.

CAPITULA de quibus inter Episcopos erat controversia.] Illa est quæ dicitur à quadringentis ampliùs annis initium cœpisse, quæque in Galliis motus graviores ac diuturniores excitavit; cujus occasione plura Concilia spatiis interjectis fuerunt celebrata, denique in hoc Tullensi apud Saponarias, conventione inter Episcopos unanimi, hujus Concilii Canone 10. contenta sopitur. Sed cùm iterùm post octingentos ferè annos similis controversia nostro sæculo revixerit ob quinque propositiones: tum illud de quo conventum olim fuerat, perfici debuit, quod tandem factum est ab Innocentio X. Papa, inter Catholicos supremo dissentionis arbitro, qui juxta hunc Canonem Tullensem, prolatis sanctarum Scripturarum atque Catholicorum Doctorum sententiis, quem illarum quinque propositionum saniorem sensum Ecclesia Catholica sequi debeat, constitutione apostolicâ declaravit, ac eundem successor ejus Alexander VII. Papa, Deo favente, pace inter Principes Christianos factâ, confirmavit, illumque ab omnibus observari præscripsit.

IN LIBELLO PROCLAMATIONIS Domni Caroli Regis adversùs Wenilonem Archiepiscopum Senonum porrecto eidem Synodo apud Saponarias.

CAP. III.

Wenilo in diœcesi sua, apud Aurelianis civitatem in Basilica sanctæ Crucis, Carolum secundùm traditionem ecclesiasticam Regem consecravit, & in Regni regimine chrismate sacro perunxit, & diademate atque Regni sceptro in Regni solio sublimavit.

Incipit ordo ad ordinandum Regem, quo usus est Wenilo Archiepiscopus Senonensis, ut videtur, ad consecrandum Carolum Calvum Regem Francorum, VIII. Idus Iunii, apud Aurelianam civitatem in Basilica sanctæ Crucis.

Petitio Episcoporum ad Regem.

A vobis perdonari petimus, ut unicuique de nobis & ecclesiis nobis commissis canonicum privilegium ac debitam legem, atque justitiam conserveris, & defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet. *Ex pervetusto codice Ecclesiæ Senonensis.*

Responsio Regis.

Promitto vobis, & perdono, quia unicuique de vobis, & ecclesiis vobis commissis canonicum privilegium, & debitam legem atque justitiam conservabo, & defensionem quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo; sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

Deinde alloquantur duo Episcopi populum in Ecclesia, inquirentes eorum voluntatem. Et si concordes fuerint, agant Deo gratias, decantantes *Te Deum laudamus*.

Benedictiones & orationes super Regem.

Deus, qui populis tuis virtute consulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo N. Spiritum sapientiæ cum regimine disciplinæ, ut tibi toto corde devotus in regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus securitas Ecclesiæ dirigatur, & in tranquillitate devotio Christiana permaneat, ut in bonis operibus perseverans ad æternum regnum te duce valeat pervenire, per, &c.

Alia Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, Creator ac Gubernator cæli & terræ, conditor & dispositor Angelorum & hominum, Rex Regum & Dominus dominantium, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosüe populo tuo Prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilem quoque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, eumque de ore leonis, & de manu bestiæ atque Goliæ, sed & de gladio maligno Saül, & omnium inimicorum ejus liberasti, & Salomonem sapientiæ, pacisque ineffabili munere ditasti, respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, & hunc famulum tuum N. virtutibus, quibus præfatos fideles tuos decorasti, multiplici honoris benedictione condecora, & in regni regimine sublimiter colloca †, & oleo gratiæ Spiritus † sancti tui perunge, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt justitiam, atque adepti sunt promissiones. Hujus sacratissima unctio † super caput ejus defluat, atque ad interiora ejus descendat, & cordis illius intima penetret, & promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi Reges, gratia tua dignus efficiatur, quatenus & in præsenti sæculo feliciter regnet, & ad eorum consortium in cælesti regno perveniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, & virtute Crucis † potestates aërias debellavit, tartara destruxit, regnumque diaboli superavit, & ad cælos victor ascendit, in cujus manu victoria omnis, gloria & potestas consistunt, & tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Post debet imponi Annulus digito illius, & tunc dici.

Accipe Annulum, signaculum sanctæ fidei, per quem scias repellere cunctas hæreses, & Catholicæ fidei perseverabilitati connecti.

Sequitur Oratio.

Deus cujus est omnis potestas, & dignitas, da famulo tuo N. prosperum suæ dignitatis effectum, in quo te munerante permaneat, semperque te timeat, tibique jugiter placere contendat. Per, &c.

Ad Gladium tradendum.

Accipe hunc Gladium cum Dei benedictione tibi collatum ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, in quo per virtutem Spiritus S. resistere, & ejicere valeas omnes tuos inimicos, & cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ adversarios, regnumque tibi commissum tutari, atque protegere castra Dei per auxilium invictissimi triumphatoris Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Impositio Coronæ.

Coronet te Dominus Coronâ gloriæ, atque justitiæ, honore & opere fortitudinis, ut per officium nostræ benedictionis cum fide recta, A & multiplici bonorum operum fructu, ad coronam pervenias regni perpetui ipso largiente, cujus Regnum & Imperium permanet in sæcula sæculorum, Amen.

Sequitur Oratio.

Omnium Domine fons bonorum, cunctorumque Deus institutor profectuum, tribue quæsumus famulo tuo N. adeptam bene gerere dignitatem, & à te sibi præstitam in honorem dignare corroborare; honorifica eum præ cunctis Regibus terræ, uberi eum benedictione locupleta, & in solio regni firma stabilitate consolida, B visita eum in sobole, & præsta ei prolixitatem vitæ, in diebus ejus semper oriatur justitia, ut cum jocunditate & lætitia, æterno glorietur in regno. Per, &c.

Hic Sceptri traditio.

Accipe Sceptrum, Regiæ potestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis, quâ te ipsum bene regas, sanctam Ecclesiam, populum videlicet Christianum tibi à Deo commissum Regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos, ut viam rectam tenere possint, tuo juvamine dirigas, quatenus de temporali regno ad æternum regnum pervenias ipso C adjuvante, cujus regnum & Imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Baculum dandum.

Accipe Baculum, sacri regiminis signum, ut imbecilles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, cooperante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre in unitate Spiritus sancti est virtus & imperium, per omnium sæcula sæculorum. Amen.

Ad Missam.

D Quatenus omnipotens Deus ut famulus tuus, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, à te virtutum, & jam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra devitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiosus valeat pervenire. Qui vivis.

Secreta.

Munera quæsumus Domine oblata sanctifica, ut & nobis unigeniti tui corpus & sanguis fiant, & Regi nostro ad obtinendam animæ, corporisque salutem, & ad peragendum injunctum officium te largiente usquequaque proficiant. Per eundem.

Benedictio.

E Omnipotens Deus victoriosum te, atque triumphatorem de visibilibus, & invisibilibus hostibus semper efficiat, & sancti nominis sui timorem pariter, & amorem continuum cordi tuo infundat & in fide recta, ac bonis operibus perseverabilem reddat, & pace in diebus tuis concessa, cum Palma victoriæ, te ad perpetuum regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere Regem, & in præsenti sæculo fœlicem, & æternæ fœlicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac Populum, quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni, sua dispensatione, &

A & tua administratione per diuturna tempora te faciat fœliciter gubernare, quo, divinis monitis parentes, adversitatibus cunctis carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio, fideli amore obsequentes, & in presenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse prestare dignetur.

Post-communio.

Hæc Domine communio salutaris famulum tuum ab omnibus tueatur adversis, quatenus & ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, & post istius temporis decursum, ad æternam perveniat hereditatem. Per.

Item Benedictio super Regem.

Omnipotens Deus regali culmine tibi sublimato benedicat, regnumque tibi commissum optata pace disponat. Amen.

Ab omni hostili incursione defendat, atque superbiam inimicorum, te vincente substernat. Amen.

Quatenus Ecclesia tot cladibus pressa relevetur, & hujusmodi labor celesti dono ditetur. Amen. Quod ipse.

Oratio super Regem.

Deus Omnipotens, per quem Reges regnant, & in cujus manu omnia jura regnorum consistunt, regnum tuum ad libertatem populi Christiani magis ac magis corroboret, tuique potentatus plantis, infidelium nationum cervices inflectat. Per Dominum.

Ex eodem codice.

Item Aliæ Benedictiones ad ordinandum Regem.

Quando datur Annulus, dicatur. Sub hoc Annulo hortamur te per gratiam omnipotentis Christi Domini nostri, integritatem fidei custodire, & à tramite veritatis nunquam recedere.

Quando Gladius. Accingere Gladio isto ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum & te custodiat ad salvationem nostram, & statum Ecclesiarum in longitudine dierum.

Quando Corona. Impono tibi Coronam regalem, quâ ornatus ita vivas in terris, ut pro te & pro tibi commissis æternam coronam recipere merearis in cælis.

Quando Sceptrum. Accipe Sceptrum, insigne regnantis, quo significatur regula divinæ æquitatis, quæ malos regit & bonos conterit, in hac virga regni disce amare justitiam, & odisse iniquitatem.

Quando Baculus. Sub hoc Baculo commendamus tibi gubernaculum regni Francorum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut populum Domini justè regas, & Ecclesias Sanctorum benè disponas.

In altero MS. codice habetur sic.

Incipit Percunctatio, sive Electio Episcoporum, ac Clericorum, necnon Populorum ad Regem consecrandum.

Admonitio Episcoporum ad Regem.

Legatur ab uno Episcopo coram omnibus.

Sequitur Oratio post Sceptrum.

Honorifica eum Domine præ cunctis Regibus terræ, & in solio regni firma cum stabilitate consolida, visita eum in sobole, præsta ei prolixitatem vitæ, & in diebus ejus semper otiatur justitia. Per.

In eodem codice MS. legitur post.

Regi Status designatur (id est stare jubetur Rex, ut placet viro cuidam doctissimo) & tunc dicitur ei. Sta, & Retine amodò Statum, quem hucusque paterna successione tenuisti, hæreditario jure tibi delegatum, per auctoritatem Dei
B omnipotentis, & per presentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum, cæterorumque Dei servorum, & quantò Clerum sacris Altaribus propinquiorem prospicis, tantò potiorem ei in locis congruis honorem impendere memineris, quatinùs mediator Dei & hominum, te mediatorem Cleri & plebis in hoc regni folio confirmet.

Oratio seu Invocatio super Regem.

Omnipotens sempiterne Deus, super hunc famulum tuum, quem supplici devotione in Regnum pariter elegimus, benedictionum tuarum
C dona multiplica, quatinus per tramitem justitiæ inoffenso gradu semper incedat, & Regni Ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat, ac doceat, muniat, & instruat, contraque omnes visibiles & invisibiles hostes idem potenter, regaliterque tuæ virtutis regimine administret, ut regale solium, videlicet Francorum, Burgundionum, Aquitanorum sceptra non deserat, sed ad pristinæ fidei, pacisque concordiam, eorum animos te opitulante reformet, ut trium horum populorum debita subjectione fultus, condigno amore glorificatus per longum vitæ spatium paternæ apicem gloriæ, tua miseratione unatim stabilire & gubernare mereatur, cum in regimine regni sublimiter colloca, &
D oleo gratiæ Spiritus sancti perunge.

In eodem codice MS. legitur.

Benedictio vexilli (sancti Dionysii vel similis) quod ob defensionem sanctæ Ecclesiæ contra hostilem rabiem defertur, quatinus in nomine tuo fideles, & defensores populi Dei illud consequentes, virtute sanctæ Crucis triumphum, & victoriam se ex hostibus adquisisse lætentur.

Incipit ordo ad ordinandam Reginam.

Ex codice Senonensi.

Veniente eâ in Ecclesiam, prosternat se ante
E *altare ad agendam orationem, expleta verò oratione, producatur ab Episcopis ad altare, & inclinato capite, ab Archiepiscopo dicatur super eam hac oratio.*

Adesto Domine supplicationibus nostris, & quod nostræ humilitatis ministerio est gerendum, sempiternæ virtutis tuæ impleatur effectu. Per Domin[illegible]

Tunc inoleato [illegible]te illius ab Archiepiscopo, dicat isdem Pontifex.

In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti prosit tibi hæc Vnctio olei, in honorem & confirmationem æternam. Amen.

Sequitur Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, divinum tuæ benedictionis Spiritum super hanc famulam tuam nostra oratione propitiatus infunde, ut quæ per manus nostræ impositionem hodiè Regina instituitur, sanctificatione tuâ, digna, & electa permaneat, & ineffabilis gratiæ tuæ præsidio, hîc, & in æternum munita consistat. Per Dominum.

Tunc summus Episcoporum accipiens anulum, & digito illius imponens dicat. Accipe anulum fidei, signaculum sanctæ Trinitatis, quo possis omnes hæreticas pravitates devitare, barbaras quoque gentes virtute tibi præstita ad agnitionem veritatis advocare.

Sequitur Oratio.

Deus cujus est omnis potestas, omnisque dignitas, da famulæ N. tuæ fidei signo prosperum suæ dignitatis effectum, quo semper firma maneat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Tunc imponatur corona capiti illius atque dicatur. Accipe coronam gloriæ honorem jocunditatis, qua splendida fulgeas, & æterna exultatione coroneris.

Sequitur Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus fons & origo omnium bonorum, & cunctorum dator provectuum, tribue quæsumus huic famulæ tuæ adeptam benè gerere dignitatem, & à te sibi præstitam in eam bonis operibus corrobora gloriam. Per Dominum nostrum.

Eo die offerre & communicare debet.

NOTÆ

Ad coronationem Caroli Calvi Regis.

Desiderabatur hæc coronatio, seu ordinatio, sive consecratio, vel benedictio Caroli Calvi, in Regem Francorum, quoniam in Galliæ Conciliis legimus duas ejusdem Caroli diversas consecrationes, seu coronationes, unam scilicet in regno Lotharii, & alteram ad Imperium, unde par fuit ex occasione, hoc loco exhibere tertiam, quæ illarum est prima, ex codice pervetusto Ecclesiæ Senonensis, quem nacti sumus beneficio Clariss. D. de Vion d'Herouval; cujus coronationis formulas verisimile est Vvenilonem Archiepiscopum Senonensem dictasse primum, in ordinando Rege Francorum Carolo Calvo apud Aurelianorum civitatem ipsius Provinciæ, unde cùm sint hæ cæteris omnibus antiquiores, ut potè quòd Carolus priùs fuerit Rex Franciæ, quàm Lotharingiæ, atque Imperator, patet hodie in usu omninò receptas, ac etiam reliquas subsequentes ab aliis posterioribus, ut Hincmaro & Fulcone Remorum, Ansegiso & Valterio Senonensium Archiepiscopis, exemplo Vvenilonis, ac instar illarum conceptas fuisse in ordinandis Regibus: Cui tandem benedictionis ordini adteximus duos etiam, tùm ad ordinandum quoque Regem, tùm ad ordinandam Reginam ex eodem codice, ac quædam alia ad ejusmodi coronationes spectantia ex altero codice MS. ut lectori sit satis in hac materia.

Ad Baculum dandum.] Qui & alias dicitur fustis cum auro & gemmis. In hoc valde differunt aliæ coronationes Regiæ, nam in Metensi, datur Carolo Calvo Palma in signum victoriæ cum Sceptro. In Compendiensi autem, nec Baculus, nec Palma dantur Ludovico ejus filio, sed duntaxat Sceptrum; in Aurelianensi verò coronatione, traduntur eidem Carolo, & Baculus, & Sceptrum, unde patet discrimen olim fuisse inter hæc duo; hodie tamen Regibus nostris præter Sceptrum, datur & Baculus etiam, cujus quidem summitati ab Hugonis Capeti Regis ætate, Palma manus extensæ infigitur in signum justitiæ, loco alterius Palmæ Caroli Calvi, de qua mox suprà.

NOTÆ

ad coronationem Ludovici II. Regis à Ioanne VIII. Papa Trecis factam.

PRIOR fuit Ludovici Balbi Regis inauguratio, cùm ab Hincmaro Archiepiscopo apud Compendium post Caroli Patris mortem anno 877. consecratus & coronatus est VI. Idus Decemb. nam posteà sequenti anno à Ioanne Papa in Gallia cùm ad Synodum Tricassinam venisset, iterùm coronatus est VII. Idus Septembris, exemplo Pippini Regis abavi sui, quem ab Archiepiscopo Bonifacio primùm in basilica sancti Medardi Suessionensis, deinde à Stephana Papa iterùm fuisse coronatum constat.

Porro inutile non erit ex occasione coronationis Ludovici Balbi Regis lectorem monere, quòd Annales Bertiniani, ac Aimoinus corrigendi sint. Hic enim lib. 5. hist. cap. 37. post descriptam eandem Ludovici coronationem à Papa Ioanne VIII. factam, subdit ex iisdem [Frotarius autem, & Adalgarius Episcopi attulerunt in Conventum Episcoporum Papæ Ioanni præceptum, per quod Carolus Pater suus Ludovico Imperium tradiderat, & spatam quæ vocatur sancti Petri, per quam eum de Imperio revestiret, petentes ex ipsius parte, ut privilegio suo ipsum præceptum confirmaret.] Vbi vocem hanc (Imperium) reponimus ubique, loco vulgatæ ac semper editæ (Regnum) quandoquidem Ludovicus Caroli filius non egebat confirmatione Papæ, nec illo etiam more investituræ per spatam sancti Petri hactenus inter Francos inauditæ ad stabiliendum se in regno Francorum, tùm paternæ successionis tum hæreditario jure post mortem Patris continuò, moxque sibi debito. Sed id potiùs intelligendum est de Imperio; hoc est tunc de Regno Italiæ, cum Ducatu Romano, ut loquitur Hadrianus Papa II. in Epistola ad Carolum Calvum Francorum Regem, quod & ipse Carolus posteà Imperator Ludovico filio, more prædecessorum Caroli Magni, Ludovici Pii & Lotharii Imperatorum concesserat; in quo eorum insuper filii opus habebant Romanis Pontificibus, ut hi & per illustriorem coronationem, & per præceptum quoque facta parentum comprobarent, publicarentque tales esse Imperatores, sicut in gestis illorum legitur, quod & à posterioribus etiam usurpatum est Imperatoribus. Et sanè præsentis in Germania Imperii honor à Papa primùm collatus est, ac imposterum dependens ab Apostolica Sede, ut apertè significat idem Hadrianus II. Papa eidem Carolo Calvo Regi Francorum, his verbis. [Si superstes fuerit vestra nobilitas, vita nobis comite, si dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquiescemus, exposcemus, aut sponte suscipiemus alium in Regnum & Imperium Romanum, nisi teipsum.] Quodque idipsum & aliud quoque scripserat aptè Hadrianus ipsemet ad Proceres regni Lotharii, de Ludovico Lotharii Imperatoris filio [quem Pater, inquit, adhuc vivens Imperiali voluit, & consensit, unà vobiscum ab Apostolica Sede, diademate coronari, sceptroque potiri sine dubio Augustali permisit.]

Addendum

Addendum est quoque Coronationi Ludovici Balbi Regis ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo Compendii factæ primum Capitulum, in Carisiaco enunciatum, cujus est ibi trina mentio, tùm etiam aliæ commendationes seu petitiones Episcoporum, atque professiones & promissiones Regum Ordinatorum.

De honore quoque & Dei, atque sanctarum Ecclesiarum, quæ authore Deo sub ditione, & tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis Domini genitoris nostri excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, quæ à nostra liberalitate honoratæ atque ditatæ sunt, de cætero sub integritate sui serventur, & Sacerdotes, atque servi Dei vigorem Ecclesiasticum & debita privilegia, juxta reverendam auctoritatem obtineant, & eisdem principalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu Reip. administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & justè concurrant; Et filius noster ea supradicta similiter Deo adjuvante conservet.

Commendatio Ansegisi Episcopi, & aliorum Episcoporum qui adfuerunt apud Compendium quando benedixerunt Ludovicum filium Caroli Imperatoris.

Me, ac Ecclesiam mihi commissam vobis commendo, ad debitam legem, & justitiam conservandam, & defensionem exhibendam, sicut, Rex Episcopos Ecclesiæ suæ justo judicio conservare & exhibere debet.

Professio ipsorum.

Ego ille ipse sic profiteor, de ista die, & deinceps isti seniori & Regi meo Ludovico Caroli, & Hermentrudis filio, secundùm meum scire & posse, & meum Ministerium, auxilio & consilio fidelis & adjutor ero; sicut Episcopus rectè seniori suo debitor est in mea fide, & meo Sacerdotio.

Ad suprascriptam verò Episcoporum petitionem, hæc quæ sequuntur, Rex Ludovicus professus est Episcopis, & istam ipsam donationis scripturam manu sua eis dedit in Compendio, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. II. Kalendas Decembris.

Professio istius Ludovici Caroli filii.

Ego Ludovicus misericordiâ Domini Dei nostri, & electione populi Rex constitutus, Promitto, teste Ecclesia, Dei omnibus ordinibus Episcoporum, videlicet, Sacerdotum, Monachorum, Canonicorum atque sanctimonialium regulas à Patribus conscriptas, & Apostolicis attestationibus roboraras ex hoc in futurum tempus me illis ex integro servaturum. Polliceor etiam me servaturum Leges & statuta populo, qui mihi ad regendum misericordiâ Dei committitur, pro communi consilio fidelium nostrorum, secundùm quod Prędecessores mei Imperatores & Reges gestis inseruerunt, & omnino inviolabiliter tenenda & observanda decreverunt. Ego igitur Ludovicus rectitudinis & justitiæ amore hanc spontaneam promissionem meam relegens manu propria firmavi.

A *Aliud exemplar regiæ professionis.*

Ego, Deo propitiante mox futurus Rex Francorum in die ordinationis meæ promitto coram Deo, & sanctis ejus, quia vnicuique de vobis commissis Canonicum privilegium, & debitam legem atque justitiam conservabo, & defensionem, quantùm potero, adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per Rectum exhibere debet: populo quoque nobis credito me dispensationem in suo jure consistentem, nostra authoritate concessurum promitto. *Ex Codice D. Andreæ Dufaussay Episcopi Tullensis.*

B *Altera petitio Episcoporum ad Domnum Carolomanum Regem, quando ei se commendaverunt, in Carisiaco V. Idus septemb. anno DCCCLXXXII.*

A vobis perdonate petimus, ut unicuique de nobis, & Ecclesiis nobis commissis secundùm primum Capitulum, quod novissimè in Carisiaco domnus Imperator Auus vester à se & à Patre vestro servaturũ, consentientibus fidelibus illius, ac Patris vestri atque Apostolicæ Sedis legatis, legente Gauzleno denuntiavit, Canonicum privilegium & debitam legem, atque justitiam conservetis, & defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo regno unicuique & Episcopo, & Ecclesiæ sibi Commissæ per rectum exhibere debet, & C quemadmodum continetur in scripto, quod in Ferrariorum monasterio coram altare S. Petri perdonastis, & manu propria unà cum fratre vestro confirmastis. *Ex editione Baluziana.*

Promissio Domni Karolomanni Regis ad supradictam petitionem.

Promitto, & perdono vobis, quia unicuique de vobis, & Ecclesiis vobis Commissis secundùm primum Capitulum quod novissimè in Carisiaco, domnus Imperator Auus meus à se, & à Patre meo servandum, consentientibus fidelibus suis, ac Patris mei, atque Apostolicæ Sedis legatis, legente Gauzleno, denuntiavit, Canonicum privilegium & debitam legem atque justitiam con- D servabo, & defensionem, quantùm potuero, adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi Commissæ per rectum exhibere debet, & quemadmodum continetur in scripto, quod in Ferrariorum Monasterio coram altare sancti Petri perdonavi. In hoc, ut vos mihi secundùm Deum, & secundùm sęculum sic fideles adjutores, & consilio, & auxilio sitis, sicut vestri Antecessores boni, meis melioribus prędecessoribus extiterunt, secundùm scire & posse.

E *Promissio Odonis Regis, quando unctus est à Vualterio Archiepiscopo Senonensi anno DCCCLXXXVIII.*

Promitto, & perdono unicuique vestrum, & Ecclesiis vobis Commissis, quia Canonicum privilegium & debitam legem, atque justitiam conservabo, & contra deprędatores & oppressores Ecclesiarum vestrarum, & rerum ad easdem pertinentium, defensionem secundùm ministerium meum, quantùm mihi posse Deus dederit, exhibebo, & jus ecclesiasticum, & legem Canonicam vobis ita conservabo, & res Ecclesiarum *Ex ejusdem editione.*

rum vestrarum, tàm à Regibus vel Imperatoribus, quàm à reliquis Dei fidelibus collatas, sub integritate & immunitate absque aliqua inhonoratione permanere concedam, quas modò justè & legaliter vestræ retinent Ecclesiæ, & eas augmentare & exaltare secundùm debitum uniuscujusque servitium, prout scite & posse mihi Deus rationabiliter dederit, & tempus dictaverit, studebo, sicut mei Antecessores, qui hoc bene rationabiliter observaverunt vestris prædecessoribus; in hoc ut vos mihi secundùm Deum & secundùm sęculum, sic fideles adjutores, & consilio & auxilio sitis, sicut vestri Antecessores boni, meis melioribus prędecessoribus extiterunt secundùm scite & posse. Et quæ verò malo sunt ingenio depravata, in meliorem & pristinum gradum, adjuvante me divina clementia, reformabo cum vestro & aliorum nostrorum fidelium consilio & auxilio. Confirmatio Odonis Regis. Odo.

Porrò non erit extra rem his professionibus Regiis adtexere alteram breviter antiquo idiomate Gallico dictatam, quâ usi sunt Reges aliqui tertiæ stipis ac familiæ; quamque exhibet codex vetus Abbatiæ S. Illidii Claromontensis in Arvetnia.

Ie jure au nom de Dieu tout puissant, & promets de gouverner bien, & deûment li subjects commis en me garde, & fere de tout mon pouvoir, jugement, justice, & misericorde.

NOTA

AD EPISTOLAM 56. NICOLAI Papæ ad Salomonem Regem Brittonum.

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, Salomoni Regi Brittonum.

Et juxta Gratianum. Salomoni, tertio, & ultimo Regi Brittonum.

SALOMONI Regi Brittonum.] Tertio & ultimo, ut est apud Gratianum 3. q. 6. c. hæc quippe est. Sed malè ibidem Ioanni Papæ tribuit hanc epistolam, cùm sit Nicolai. Porro notanda sunt hæc verba Gratiani, *tertio & ultimo*, nempe Regi Brittonum; quia revera Salomon hic, sive ex parte Nomenoii, qui primus in Brittania Minori regnum usurpare ausus est, seu potiùs ex concessione Caroli Calvi, tertius Rex Brittonum legitur, videlicet post Herispogium hujusce Nomenoii filium: fuit etiam hic Salomon ultimus Rex Brittonum, quia post ejus mortem, illis, quibus concessum Regis nomen, sublatis, & de quibus inter Carolum & Salomonem fuerat conventum, ipse Carolus dari jubet operam, ut eo nomine in posterum abstineant; quod factum est, ut patet ex capitulari ejusdem Caroli Imperatoris apud Carisiacum, anno 877. num. 23. qui enim post Salomonem, rerum in Brittannia potiti sunt, non Reges sed Principes & Duces, appellati sunt, ut legitur in epistolis Ioannis XIII. & Leonis IX. Romanorum Pontificum ad illos & de illis scribentium.

NOTA

AD CONCIL. SILVANECTENSE, anno Christi 873. contra Karlomannum.

Proclamatio Regis Caroli adversùs Karlomannum filium suum & Diaconum, in Concilio Silvanectensi.

Karolus gratiâ Dei Rex, Ansegiso & Hildegario, ac cæteris Episcopis, qui in Christi nomine congregati, huic sanctæ Synodo interestis.

OMNIBUS negotiis divinæ res prę ponendæ sunt, proinde, quamvis specialiter accusationes atque justificationes necessariæ non forent de his, quæ omnis Ecclesia regni nostri, cunctumque regnum nobis à Deo commissum magnis gemitibus, & publicis non solùm vocibus, sed & depopulationibus per Karlomannum carne, non mente filium nostrum, Ecclesiæ Meldensis Senonum diœceseos Diaconum, sibi inlatis clamat; tamen ut ordinabiliùs inde ministerium vestrum exequi valeatis, per nos, cujus carne est filius, propter regium ministerium nobis à Deo commissum, clamores Episcoporum ac cęterorum Sacerdotum, Canonicorum quoque & Monachorum atque sanctimonialium, & virorum illustrium ac promiscui sexus, ætatis, seu conditionis, quæ ad nos de illo veniunt, velut & per voces pręsentium audire potestis, canonico judicio vestro, quorum interest de Diacono judicare, proponimus. [Reliqua suppleri possunt ex annalibus Bertinianis.] *Quia*, inquiunt, *diœceseos Sennensis erat Diaconus, & post præstita per duas vices Sacramenta, de quibus perjurus erat, sicut pater ejus publica denunciatione omnibus qui adfuerunt, intimare curavit, & tantam rebellionem & infidelitatem contra illum, tantaque flagitia in regno suo commiserat, judicium Episcoporum ipsius provinciæ expetendum decrevit. Iubet ergo convocari Episcopos regni sui apud Silvanectis civitatem, in quo idem Carlomannus morabatur, quatenus secundùm Canones, à quibus nullâ, ut Leo dicit, aut negligentiâ, aut præsumptione licet eis discedere, episcopale ministerium de illo exequerentur, sicuti & fecerunt, deponentes illum secundùm sacras regulas ab omni gradu ecclesiastico, laïcali sibi communione servata.* Quale tamen alterum post hæc fuerit judicium contra Karlomannū, docent iidem Annales Francorum Bertiniani ad ipsum annum 873. his verbis. *Vnde post depositionem ejus, quia liberiùs ad nomen & potentiam regiam conscendere posset, & quia ordinem ecclesiasticum non haberet, & quia Episcoporum judicio ecclesiasticum gradum amisit, complices illius ardentiùs cœperunt se ei iterum reconjungere, quatenus illum à custodia, in qua servabatur, educerent, & sibi Regem constituerent, quapropter necesse fuit etiam illa, de quibus ab Episcopis judicatus non fuerat, in medium revocare, & secundùm sacrarum legum decreta pro admissis suis judicio mortis addictum, mitiori sententia, ut locum & spatium pœnitendi haberet, & graviora admittendi facultatem, sicut meditabatur, non haberet, luminibus, acclamatione cunctorum qui adfuerunt, orbari.* In quibus omnibus deprehenditur varietas

Ex veteri codice Leodiensi.

rietas diversorum tribunalium, eorumque auctoritas, tum etiam diversorum criminum cognitio, cuilibet judicio tam ecclesiastico, quàm sæculari attributa.

NOTA
AD CONCILIUM S. MACRÆ, anno 881.

AD hanc Synodum referri debent, quæ scribit Hincmarus Remensis ad Ludovicum Regem Balbi filium in epistolis 11. & 13. de variis & factiosis electionibus Ecclesiæ Belvacensis post obitum Odonis Episcopi; narrat enim tum hîc, tum in epistola ad Hadeberrum Silvanectensem Episcopum, & quid ante Synodum, & quid in eadem Synodo gestum sit pro eligendo illius successore in Ecclesia Belvacensi, docetque insuper electionis atque ordinationis Episcoporum formam sua ætate penitùs observatam, quibusque jus electionis competat, & ad quos devolvatur secundùm sacras leges & regulas. Mandat igitur Hincmarus Metropolitanus Hadeberto ipsius suffraganeo, hortaturque ut Hodone Episcopo Ecclesiæ Belvacensis defuncto, ac ejus Ecclesiæ visitatoris officio secundùm institutionem canonicam consensu Ludovici Regis, suscepto, ad eandem Ecclesiam quantociùs studeat properare, & assiduis exhortationibus Clerum plebemque Belvacensem publicè admonere festinet, ut talem sibi eligant Sacerdotem, qui à venerandis Canonibus nullatenus respuatur, sicut copiosè differit ipsemet Hincmarus in epistola Clero & plebi in parochia Belvacensi consistenti tunc rescripta, de regulari atque concordi electione Episcopi: nihilominus Belvacenses admonitionibus & visitatoris Episcopi, atque Metropolitani non obtemperarunt. *Quando Clerus & plebs Ecclesiæ Belvacensis* (ut refert ad Regem Hincmarus) *personam regulis sacris incongruam Episcopis præsentaverunt in Synodo apud Martyrium sanctæ Macræ, & Fromoldum quendam elegerunt; sed rejecto illo propter insipientiam & improbitatem, Hodo ex vicina parochia in Synodo cum decreto canonico fuit electus ab Episcopis: Præterea iidem Belvacenses non correcti de rejectione prava suæ electionis in Fromoldum, & reprobato Rodulfo, & à se electo quoque Honorato, sacro episcopali ordini adhuc fidei doctrina incongruo, quia contra regulas & leges sine visitatore præsumpserunt electionem, & quia jam tempus trium mensium transiit, ultra quod sacri Canones decernunt, ut ordinationes Episcoporum non differantur, perdiderunt electionem; sicut eadem Synodus apud Martyrium sanctæ Macræ secundùm leges & regulas diffinivit; & ostensum est illis in Synodo & per sacras regulas, non ulteriùs illorum, sed Episcoporum esse electionem, quam non præire, sed subsequi, & non se ab ea debere excidere.* Attamen ille Hodo, licèt ab Episcopis electus, *Regi Ludovico non est pòst adductus, ut secundùm ministerium regium, res & facultates Ecclesiæ Belvacensis, suæ dispositioni committeret. atque illum cum suis literis ad Metropolitanum Episcopum ac Coepiscopos ipsius diœceseos, qui eum ordinare debent, transmitteret.* Tandem Rex ipsemet Hodonis ordinationi obstitit; & cuidam nomine Odacro Episcopatum Belvacensem concessit; ad quem ordinandum Hincmarus Remensis Metropolitanus, A nulla penitùs ratione à Rege valuit exorari; contrà verò illum ipsum Odacrum, ut invasorem Ecclesiæ Belvacensis suffraganeæ Metropolis suæ, cum collegis diœceseos Remorum Episcopis excommunicavit: cujus excommunicationis epistolam vide superiùs in supplementis ad annum 882.

Apud Martyrium sanctæ Macræ.] Id est in Ecclesia, in qua Martyr efficitur, aut colitur. Idem legitur in eadem Hincmari epistola 12. his verbis. *Concilium in Calchedona civitate apud Martyrium sanctæ Euphemiæ congregatum.* Vnde Clerici, qui martyrum ecclesiis erant adscripti, vocabantur Martyrarii, de quibus in Synodo 2. Aurelianensi. B

NOTA GENERALIS
AD PRIVIL. MONASTERIORUM confirmata ab his Conciliis.

PRIVILEGIA monasteriis concedi primò solebant à Regibus sub præcepti nomine, quo confirmabant quascumque donationes illis factas, simulque cœnobia sub protectione regia consistere declarabant, ut patet tum ex formulis hac de re conceptis, quas videre est apud Marculfum, tum ex antiquis Regum diplomatis. C Verùm Reges, cæterique auctores donationum aliquid ampliùs egerunt posteà, postulando scilicet, ut & hæc præcepta atque donationes in his contentæ, cæteraque id genus ad disciplinam ecclesiasticam spectantia, ipsius Ecclesiæ auctoritate confirmarentur. Vnde primùm ab Episcopo loci, seu diœcesano, deinde à Synodo plurium Episcoporum voluerunt hæc omnia firmiùs approbari, quorum exempla leguntur in Conciliis, nempe Xenodochium Lugdunense Childeberti Regis ab Aurelianensi V; donationes Guntchramni Regis à Valentino II; Monasteriorum institutiones sanctorum Mauricii & Marcelli ab Agaunensi & Matisconensi II; regulam D quoque, quàm pro stabilitate congregationis suæ scripsit sancta Radegundis, à Turonensi II. Tandem quæcumque privilegia monasteriis ac ecclesiis tam de rebus quàm de personis concessa, à Conciliis comprobabantur, ita ut ea ætate unicuique sufficeret si privilegia sortitus esset, quæ episcopalis atque synodalis potestas confirmasset. Et certè nullus audebat transgredi terminos antiquos, id est Canones, quos posuerunt patres nostri: cùm ea ætate, cuncta disponerentur ad Episcoporum arbitrium in omni diœcesi, atque juxta regulam synodalem tum loca, tum res ac personæ componerentur, & aliquando etiam E ab ipsamet exciperentur. Pro reverentia tamen sancti Petri Apostolorum Principis, & ipsimet Episcopi, & monasteriorum quoque Præpositi, Romanam Sedem Apostolicam adibant, ut vel privilegia rursùs ab ea Sede obtinerent, vel jam ab Episcopis concessa saltem confirmarentur ab eadem Sede: ac vicissim iidem Episcopi, Monachi & Clerici accedebant ad Episcoporum Synodos, ut quæ à Romanis Pontificibus indulta erant, à Conciliis iterum concedi, vel potiùs approbari viderentur; quod & factum est à Tullensi apud Tusiacum atque Pistensi Synodis pro monasteriis sanctorum Martini Turonensis ac Dionysii Parisiensis, atque idipsum etiam longè

pòst ab Adalberone Remorum Archiepiscopo in provinciali Synodo fuit observatum pro reformatione monasterii Mosomensis jam à Ioanne Papa XIII. confirmata.

NOTA
DE VOCABVLIS PLACITI, Conventus, & Synodi usurpatis ab illorum temporum scriptoribus.

VIDIMVS jam historicos nostros passim ac promiscuè usos fuisse his nominibus Synodi, Conventus, ac Placiti, quæ vice Concilii posuimus in nostris Supplementis, ut patebit legentibus, ubi Synodi nomen quandoque sumi pro Placito videtur; sicut & ibidem Conventus, idem est ac Placitum, quod ad Ecclesiasticos Ordines, atque ad illorum munia minimè spectat. Idcirco juvat hîc propriam explanare harum vocum notionem atque discrimen, monendo apud eosdem historicos duo repetiti Synodorum genera; Regium unum, & alterum Episcopale, quibus tamen utrisque multi assidebant Episcopi, quandoquidem hi semper & ubique versabantur in Comitatu Regum, eorumque arcanis de quolibet Regni negotio intererant; unde ob id indiscriminatim auctores nostri hac Synodi voce utuntur, nosque eorum exemplo ritè utrumque Synodi genus ubicumque repertum, operi nostro inserere debuimus. De Conventu autem iidem auctores aliter loquuntur; cùm vocem hanc sæpe ad ea referant, quæ Reges quidem in Placito cum laïcis, ac de re sæculari deliberabant; sed si quid ad Ecclesiam pertinens, in eodem definiretur, tunc Conventus censebatur synodicus, proindeque Conciliis erat adnumerandus, quod & nos peculiariter observavimus, cùm præsertim reperiamus Conventum aliquando distingui à Maï-campo, seu Martis-campo, qui purus putus erat Conventus laïcorum de bello, ac de rebus merè sæcularibus tractandis, sic vocatus, quòd in campo Calendis Martiis haberetur juxta priscorum consuetudinem, usque ad Pippinum Regem, qui anno 755. pro utilitate Francorum mutavit Martiscampum in mense Maïo, ut loquuntur scriptores illorum antiqui. Hæc sint notata, ut in iis omnibus lectori promissa omnino præstaremus.



INDEX PRIOR

SVPPLEMENTORVM CONCILIORVM GALLIÆ, Nomina hominum propria indicans, & Sedium Archiepiſcoporum ac Epiſcoporum.

A

F

G

H

I

K

L

Lucidus

Remigius

Vvernarius

ARCHIEPISCOPI AC EPISCOPI

Iuxta ordinem Sedium recentem atque Alphabeticum.

ARCHIEPISCOPI.

Aquenſes.

Avolus.
Baſilius.
Matfridus.
Odalricus.

Arelatenſes.

Æonius.
Auxanius.
Cæſarius.
Eliſantus.
Felix.
Hilarius.
Leontius.
Patroclus.
Ravennius.
Roſtagnus.
Rotlandus.
Saturninus.

Avenionenſes.

Alduinus.
Halduinus.
Iulianus.
Maximus.

Auſcenſes, qui & Eloſenſes.

Aſpaſius.

Biſontienſes.

Arduicus.
Claudius.
Donatus.
Eyminus.
Giffredus.
Theodoricus.
Vrbicus.

Bituricenſes.

Adacius.
Ajulfus.
Deſideratus.
Frotarius.
Leo.
Preſtelendus.
Rodulfus.
Sulpitius.
Vulfadus.
Vulfoledus.

Burdegalenſes.

Bertechrannus.
Frotarius.
Gundegiſilus.
Gumdebaldus.

Cameracenſes.

Dodilo.
Ioannes.
Rhetardus.
Stephanus.
Theodoricus.
Theudo.

Colonia Agrippinenſis.

Guntharius.
Herimannus.
Vvillebertus.

Ebredunenſes.

Bermundus.
Ermaldus.
Etherius.
Ingenuus.

Lugdunenſes.

Agobardus.
Amulus.
Aurelianus.
Auſterius.
Eucherius.
Gandericus.
Guido.
Irenæus.
Laidradus.
Lupicinus.
Nicetius.
Patiens.
Remigius.
Ruſticus.
Stephanus.
Veranus.

Moguntinenſes.

Carolus.
Herigerus.
Lieutbertus.
Senderoldus.
Vvinfridus.

Narbonenſes.

Agius.
Arnuſtus.
Daniel.
Fridoldus.
Roſtagnus.
Ruſticus.
Sigebodus.
Theodardus.

Pariſienſes.

Æneas.
Audobertus.

Aaa Ercanradus.

Ercanradus.
Germanus.
Ingeluinus.
Landricus.
Rainoldus.
Vrficinus.

Remenses.

Adalbero.
Artaldus.
Ebbo.
Fulco.
Heriveus.
Hincmarus.
Hugo.
Nivardus.
Odelricus.
Remigius.
Seulfus.
Sonnatius.

Rotomagenses.

Adalardus.
Audoenus.
Ioannes.
Melantius.
Prætextatus.
Victricius.
Vvenilo.
Vvito.

Senonenses.

Aldricus.
Annobertus.
Ansegisus.
Egilo.
Emmo.
Sevinus.
Vvanilo.
Vvalterius.

Tolosani.

Armanus.
Arruso.
Bernardus.
Exuperius.
Maximus.

Treverenses.

Bertulfus.
Hettus.
Nicetius.
Rorbertus.
Teutgaudus.

Turonenses.

Adalardus.
Euphronius.
Eustochius.
Gregorius.
Heraldus.
Herbernus.
Martinus.
Perpetuus.

Viennenses.

Ado.
Avitus.
Bernardus.
Bernonius.
Bertherius.
Hesychius.
Mamertus.
Nectarius.
Ottrannus.
Simpliciusr.

Vltrajectenses, qui & Trajectens.

Amandus.
Lambertus.
Vvillebrodus.

EPISCOPI.

Abrincenses.

Vvalbertus.

Adurenses, qui & Vicojulienses.

Asmarius.

Æduenses, qui & Augustodun.

Adalgarius.
Alteus.
Bernus.
Ermenarius.
Euphronius.
Ionas.
Leodegarius.
Liudo.
Modoinus.
Rotmundus.
Siagrius.
Vvalo.

Agathenses.

Boso.
Frominius.
Gerardus.
Iustus.

Aginnenses.

Gumbaldus.
Phœbadius.

Albigenses.

Anemius.
Elegius.

Ambianenses.

Berthefridus.
Geroldus.
Hilmeradus.
Iesse.
Orgarius.
Ragenarius.
Theobaldus.

Andegavenses.

Albinus.
Audoveus.
Dodo.
Domitianus.

Aptenses.

Asclepius.
Magnicus.
Paulus.
Prætexratus.

Aquenses.

Faustianus.

Arausicani.

Constantius.
Eutropius.
Salicus.

Argentoratenses.

Rataldus.

Atrebatenses.

Vindicianus.

Aurelianenses.

Agius.
Eusebius.
Germanus.
Manasses.
Marcus.
Raymo.
Theodulfus.
Vvalterius.

Autissiodorenses.

Amator.
Aunarius.
Christianus.
Heriboldus.
Herifridus.
Palladius.

Baiocenses.

Ercambertus.

Bellicenses.

Adalbadus.
Alisachar.
Megethius.

Bellovacenses.

Hilderius.
Honoratus.
Odo.
Yrminfridus.

Biterrenses.

Agilbertus.
Vvlfegarius.
Reginaldus.

Bolonienses,

Bolonienses, qui olim Morinenses, posteà Tarnanenses dicti.

Fulcoinus.
Hunfridus.
Herilandus.
Lidulphus.

Briocenses.

Garurbrius.

Cabilonenses.

Agricola.
Andradus.
Desideratus.
Fova.
Girbaldus.
Godelsadus.
Hildeboldus.
Ioannes.
Stephanus.

Cadurcenses.

Desiderius.
Vtsicinus.
Vvilelmus.

Carcassonenses.

Hiscepio.
Gisleramnus.
Gimara.

Carnotenses.

Burchardus.
Gildebertus.
Helias.
Odo.
Pappolus.

Carpentoratenses.

Amatus.

Catalaunenses.

Berno.
Ercanraus.
Gibuinus.
Lupus.
Mancio.
Vvillebertus.

Cavalionenses, qui & Cabellicens.

Iulianus.
Lupus.

Cenomanenses.

Domnolus.
Mainoldus.
Rotbertus.
Victor.
Victorius.

Claromontenses, qui & Arverni.

Agilmarus.
Austremonius.
Cautinus.
Gallus.
Sidonius.
Stabilis.

Conseranenses.

Francolinus.

Constantienses.

Erluinus.
Launus.
Seginandus.

Convenæ.

Abraham.

Dienses.

Desideratus.
Hemico.
Petronius.

Dinienses.

Hilarius.
Nectarius.

Dolenses.

Fascarius.

Ebroïcenses.

Gumbertus.
Hilduinus.

Engolismenses.

Helias.
Launus.
Laudebertus.
Maracharius.
Nicasius.
Vgo.

Forojulienses.

Quillenius.

Genevenses.

Diogenes.

Glandevenses.

Basilius.
Fraternus.

Grassenses, qui & Antipolitani.

Agroecius.
Armentarius.
Aribertus.

Gratianopolitani.

Alchierus.
Bernarius.
Clarus.
Domninus.
Isac.

Helenenses, qui & Perpignianens.

Audesindus.
Vvenedarius.
Riculfus.

Laudunenses.

Adelelmus.
Albero.
Hincmarus.
Hedenulfus.
Pardulus.
Rodulfus.
Rorico.

Lausanenses, qui & Aventicens.

Gotescalcus.
Marius.

Lemovicenses.

Adelgerius.
Anselmus.
Ruricius.
Stodilus.

Leodienses, qui & Tungrenses.

Franco.
Servatius.

Lexovienses.

Hairardus.

Lingonenses.

Albericus.
Argrinus.
Gello, qui & Geylo.
Isaac.
Teutboldus.

Lodovenses, qui & Lutuvenses.

Bernardus Guidonis.
Helladius.
Macarius.
Teudericus.

Maclovienses, qui & Aletenses.

Vvernarius.

Magalonenses, qui & Monpellienses.

Abbo.
Ætherius.
Ioannes.

Massilienses.

Berengarius.
Græcus.
Proculus.
Theodorus.
Venerius.

Matisconenses.

Baraldingus.
Bernaldus.
Geraldus.
Hildebaldus.
Lambertus.
Maimbodus.

Maurianenses.

Odilardus.

Meldenses.

Angelramnus.
Faro.
Hildegarius.
Hucbertus.

Metenses.

Adalbero.
Adventius.
Benno.
Drogo.
Vvalo.

Mimatenses, qui & Gabalitani.

Agenulfus.
Valerius.

Nannetenses.

Actardus.
Epiphanius.
Eumerius.
Felix.
Marsus.

Nemausenses.

Croeus.
Eugenius.
Guilbertus.
Hubertus.
Sedatus.
Vviteringus.

Nicenses, qui & Cemelenses.

Amantius.
Auxanius.
Valerianus.

Nivernenses.

Abbo.
Emmenus.
Herimannus.
Liudo.

Noviomenses, qui & unà Tornacenses.

Airardus.
Aistulfus.
Eligius.
Haidulfus.
Hetilo.
Immo.
Raginelmus.

S. Pauli Tricastinenses.

Victor.

Petrogoricenses.

Frontenus.
Gavidius.
Paternus.
Saffarius.

Pictavenses.

Ansoaldus.
Ebroïnus.
Fortunatus.
Gislebertus.
Hilarius.
Ingenoldus.
Maroveus.

Podienses, qui & Vellauni, & Anicienses.

Arduinus.
Armentarius.

Redonenses.

Melanius.

Reienses.

Faustus,
Maximus.

Rutenenses.

Dalmatius.

Saïenses.

Hildebrandus.

Santonenses.

Abo.
Freculfus.
Palladius.

Sedunenses, qui & Octodorenses.

Rufus.
Theodorus.

Senecenses.

Marcellus.
Vrsus.

Silvanectenses.

Adelelmus.
Erpoinus.
Constantius.
Hadebertus.
Otfridus.

Sistaricenses.

Polochronius.

Suessionenses.

Abbo.
Angilmodus.
Hildeboldus.
Rothadus.
Riculfus.
Vvido.

Tolonenses.

Cyprianus.
Honoratus.

Trecenses.

Folcricus.
Lupus.
Ottulfus.

Trecorenses.

Felix.

Tullenses.

Adeodatus.
Arnaldus.
Arnulfus.
Frotarius.
Gostenus.

Valentinenses.

Apollinaris.
Bobo.
Bonitus.
Isaac.
Maximus.
Robertus.

Vapincenses.

Birico.
Donadeus.

Vasatenses.

Orestes.

Vasionenses.

Fonteïus.

Vcetienses.

Amelius.
Armadus.
Constantius.

Vencienses.

Deuterius.
Fronimius.

Venetenses.

Macliavus.

Virdunenses.

Atto.
Berardus.
Berengarius.
Vigfridus.
Hugo.

Vivarienses.


Ætherius.

Vormacienses.

Burchardus.
Rhigouuno.

CHOREPISCOPI.

Armentarius, Primus in Galliis Chorepiscopus.
Audinus.
Birico.
Iacob.
Leuboinus Chorepiscopus Lugdunensis.
Richaldus.
Rigbodus Chorepiscopus Remensis.
Vvitaus Chorepiscopus Cameracensis.



INDEX POSTERIOR

RERVM ET VERBORVM.

Numerus 1. vel 2. numero paginæ superadditus, columnam indicat: littera, a, vel b, vel c, &c. quæ passim post ultimum numerum annotatur, columnæ partem designat.

A

Arrius

B

Cabilonense

C

Ad

non

E

G

H

Honor

cur

L

N

O

P

Probianus

ad

S

Spiritales

T

V

Vectia

FINIS.

ERRATA.

Pag. 1. *col.* 2. *lin. penult. adde* de ista.
Pag. 22. *col.* 1. *lin.* 21. præscripta, *lege* perscripta.
Pag. 31. *in subscriptionibus Episcoporum*, *lege* Helladius Episc. Lutuvensis.
Pag. 32. *col.* 2. *lin.* 60. Comprovincialium, *lege* Comprovincialibus.
Pag. 33. *col.* 1. *lin.* 53. Pontificem, *lege* Pontificium.
Pag. 36. *col.* 2. *lin.* 12. Concilia quoque, *lege* Concilia quædam.
Pag. 43. *col.* 1. *lin.* 17. recentionibus, *lege* Recentionibus.
Pag. 45. *col.* 2. *lin.* 17. ad non, *lege* ad nos.
Pag. 49. *col.* 2. *lin.* 35. *lege* Archidiaconos vel Diaconos.
Pag. 49. *col.* 1. *lin.* 1. faciatis, *lege* faciat.
Pag. 51. *col.* 2. *lin.* 11. sive, *lege* sine.
Pag. 57. *col.* 1. *lin.* 2. *lege* Episcopus, & ut.
Pag. ead. ejusd. col. lin. 8. Macharius, *lege* Macarius.
Pag. ead. ejusd. col. lin. 12. *lege.* Templi, & cætera.
Pag. ead. col. 2. *lin.* 2. Macharius, *lege* Macarius.
Pag. 60. *col.* 2. *lin.* 23. de incertis, *lege* de incestis.
Pag. 69. *col.* 2. *lin.* 8. Capitularium. De iisdem denique, *lege* Capitularium de iisdem. Denique.
Pag. ead. ejusd. col. lin. 42. quæ tamen deberet, *lege* quæ tamen debent.
Pag. eadem, *lege* Conventus Clippiacensis.
Pag. 70. *ad Concilium Senonense*, *loco* Clodovei III. Reg. 2. *lege* Clotarii III. Reg. 2.
Pag. 71. *col.* 2. *lin.* 39. antecedente, *lege* antecedenti.
Pag. 72. *col.* 2. *lin.* 16. stabulans, *lege* Stabulaüs.
Pag. 75. *col.* 1. *lin.* 47. stercoracibus, *lege* stercorationibus.
Pag. 77. *col.* 2. *lin. antepenultima*, ab incarnatio, *lege* ab incarnatione.
Pag. 77. *col.* 2. *lin.* 27. non exant, *lege* non extant.
Pag. 78. *col.* 2. *lin.* 22. quod, *lege* hoc.
Pag. 78. *col.* 1. *lin.* 29. interionis, *lege* interioris.
Pag. 80. *col.* 2. *lin.* 25. *lege* jam dictus Rex.
Pag. 92. *col.* 1. *pag.* 13. *adde* Epistola Caroli.
Pag. 104. *col.* 1. *lin.* 22. ad vos, *lege* ad nos.
Pag. 105. *col.* 1. *in fine*, Pallia sancto manu, *lege* pallia sancta manu.
Pag. 144. *col.* 2. *lin. ultima*, alterum, *lege* Alteum.
Pag. 150. *col.* 2. *lin.* 8. Chæres, *lege* Chares.
Pag. ead. col. 2. *lin.* 54. Eginhardi scilicet, Metensium, *lege* Eginhardi scilicet, ac Metensium.
Pag. 158. *col.* 2. *lin.* 31. ad eundem, *lege* ad eandem.
Pag. 165 *col.* 2. *lin.* 32. sequitur alterum damnatus est, *lege* sequitur alterum, quo damnatus est.
Pag. ead. col. 2. *lin.* 44. & 46. Aversindus Hesenensis Episcopus, *lege* Audesindus.
Pag. 171. *col.* 2. *lin.* 22. Vvenilo Senensis Episcopus, *lege* Vvenilo Sennensis.
Pag. 171. *col.* 2. *lin.* 51. mense Augusto Idus xx. *lege* mense Augusto, id est xx.
Pag. 172. *col.* 1. *lin.* 2. *sic lege* ordinatur Episcopus eodem anno nomine Angilmodus.
Pag. ead. col. 2. *lin.* 18. *sic lege* Rothadi Suessionensis substitui legitur.
Pag. 174. *col.* 2. *lin.* 63. *lege* relicta Edelbodi Regis.
Pag. 175. *col.* 2. *lin.* 51. Episcopatus mancipitem, *lege* mancipatam, *& in ultima lin.* *lege* hac de re.
Pag. 182. *col.* 2. *lin.* 37. in Episcoporum elegi, *lege* in Episcopum eligi.
Pag. 205 *col.* 2. *lin.* 5. Remensem Archiepiscoporum, *lege* Archiepiscopum.
Pag. 303. *col.* 2. *lin.* 40 Caruslorus, *lege* Caruslocus.
Pag. 304 *col.* 2. *lin.* 32. quam, *lege* quos.
Pag. 319. *col.* 2. *lin.* 15. generis, ac successoris, *lege* successionis.
Pag. 326. *col.* 2. *lin.* 13. Hildericus Bellovacensis, *lege* Hilderius Bellovacensis.

Summa

SVMMA PRIVILEGII
Christianissimi Regis.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno ejus, aliisve locis ipsius ditioni subjectis, intra viginti annos proximos, *Conciliorum Antiquorum Galliæ à* I. SIRMONDO S. I. *editorum Supplementa, operâ & studio* PETRI DELALANDE *Ricomagensis in Arverna Lemane, Thesaurarii Ecclesiæ Regalis S. Frambaldi Silvanectensis*, absque SEBASTIANI CRAMOISY Architypographi Regii permissu, imprimat aut divendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secus fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs continetur in diplomate Regio, coërcebitur. Datum Parisiis, die 3. Decembris 1657. Sic signatum.

De mandato Regis,

MABOVL.

Editio præsens SVPPLEMENTORVM CONCILIORVM GALLIÆ *perfecta est die 20. Novembris 1665. atque exemplaria tradita.*

Idem verò SEBASTIANVS CRAMOISY,
Regii hujusce Privilegii participes fieri voluit
CLAVDIVM CRAMOISY,
GEORGIVM IOSSE,
DIONYSIVM BECHET,
GVILLELMVM LE BE',
SEBASTIANVM HVRE',
GABRIELEM & NICOLAVM CLOPEIAV,
SIMEONEM PIGET,
PETRVM LE PETIT,
LVDOVICVM BILLAINE,
GODEFRIDVM MARCHER,
IOANNEM DVPVIS,
SEBASTIANVM MABRE-CRAMOISY.





